
NAZIONALE
8
15 — E
34
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
ROMA

R. P.

# MAXIMILIANI SANDAEI

*E SOCIET. JESV DOCTORIS THEOLOGI, & in Archi-episcopali Academia Moguntina Professoris ordinarij,*

# CONCIONES DE MORTE.

In quibus

## SYMBOLA MORTIS


*Commentationibus Theologicis illustrantur, habitis in AEde Metropolitanâ, sæuiente pestilitate,*

*AD CLERVM MOGVNTINENSEM.*

---

# PLATO CHRISTIANVS.







*MOGVNTIAE.*

Sumptibus Hermanni Mylij Birckmanni,

*Excudebat Hermannus Meresius.*

ANNO Christiano M. DC. XXIV.

*REV.mo & ILL.mo*

PRINCIPI, AC DOMINO

PHILIPPO

# ADOLPHO

*HERBIPOLENSI*

EPISCOPO

*FRANCIÆ ORIENTALIS*

DVCI

*SAC. ROM. IMPERII*

PRINCIPI

*MAXIMILIANVS SANDAEVS*
*Feliciss. Immortalit.*



COMMENTATIONES de MORTE, quas ad Clerum Moguntinensem habui, anno proximè elapso, mitto ad Cnem Tam huius recèns inchoati auspicijs, PHILIPPE ADOLPHE Princeps, testes orbi, tū propensissimæ TVÆ in SOCIETATEM vo-

luntatis, tot hoc Principatûs initio teſtatæ documentis; tum in me priuatim ſingularis beneuolentiæ, ac nunquam ſatis deprædicandæ liberalitatis.

Non indignaberis autem, vt de Tuâ Prudentiâ confido, Princeps Ill$^{me}$, quod inter tam multos C$^{ni}$ T$^{æ}$ temporis huius exordium, felix, fauſtúmque blandiſſimis formulis exoptantes, & ſtrenularum loco, vt mos eſt, vitæ multos annos acclamantes, ac fortaſſe de ſuis etiam per-quam liberaliter, ore ridenti obtrudentes, Ego vnus, quaſi extremæ ruſticitatis homuncio, immemor cōſuetudinis, ignarus rituum, deſertor humanitatis, à MORTE Donarium apparem. Appage, dicent, mali ominis, & contra auſpicia, xenium.

At-enim, hoc ipſum rarum eſt, & haud dubiè, eatenus nunquam, ab vllo Clientulorum tuorum attentatum: ea-propter carum fore opinabar, munere auſpicali, quod illi deeſt à ſeſe, de raritate inopinabili, æſtimationem mutuante.

Sed, vt dicam, quod res eſt, non abeo à

cete-

ceterorum, faustitatem vouentium, more probato: verùm, quod vulgus assentandi gratiâ, ego in Principis gratiam, meliùs, licet tectiùs, plena manu repræsento. Quid? Non MORTEM, sed VITAM, eamque optimam, ac felicissimam precor, quamuis in adprecatione MORTEM nominem. Sum enim assidua, nõ exigui temporis commentatione edoctus, vitam hanc, quam curriculo decurrimus, si suis pensitetur momentis, MORTEM potiùs esse dicendam, quàm VITAM: Mortem, quam horremus, ob laruam, veriùs Vitam nominandam.

Ita est, si verè loqui volumus: Vita mortalium continua MORS dici debet: falsò in speciosum, amœnumque nomen, quæ vulgo ita dicitur, VITA inuasit. Ac quę MORS vocatur, tetrico mortalibus vocabulo, & quod horrent omnes, non MORS reuerà: sed finis est moriendi, vitæ felicis initium.

An non enim quotidie morimur? Certè, quotidie demitur cuilibet aliqua pars vitæ. & tunc quoq; cùm crescimus, vita decrescit. Infantiam olim amisimus, deinde pue-

ritiam, posteà adolescentiam. Vsque ad hesternum, quicquid transijt temporis Morte periit. Hunc ipsum, quem agimus diem: cum Morte diuidimus. Quemadmodum clepsydram non extremum stillicidium exhaurit; sed quicquid ante defluxit: nec marsupium exinanitur extremo obolo detracto; sed toto tempore, quo impensa pecunia est: Haud sequus, vltima hora, quâ esse desinimus, non solum Mortis est, sed quicquid retrò ijt. vltimum spirandi momentum non tantùm Mortem facit, sed consummat. Tunc ad illam peruenisse dicimur, sed diu venimus.

*Mors non vna venit: sed quæ rapit vltima, Mors est:*

Verè, omnis nos hora per tacitos fallentésq; Mortis cursus applicat Fato: & in hac miserâ perpetuitatis cognitione districti, per exigua festinantis æui momenta præmorimur. Itáque si absque fuco loqui libet, viuendo morimur: moriendo viuemus. Quin & mori desinemus, cùm viuere. Quocirca, qui longam vitam Principi, tantâ cum anxietate, precantur, diuturnam illi Mortem, ac proinde, magis diram carnificinam optant. O

grande

grande,&dignum aulicá ſinceritate votum! Ego dum Mortem exhibeo, Vitam ſpōdeo, & nūquam interituram. Dirimat litem ciuilitatis gnarus,cuius ſit maioris precij his Iani Kalendis ſtrena.

Sed demus tamen, nam ſic cenſent plerique, Vitam verè eſſe id,quod apud plebem, vitæ nomen ſibi vendicat, non facio tamen alienum quidpiam à Clientuli officio, dum anni recurrentis ipſóque adeò Principatûs initio MORTEM repræſento, Donarij, aut clientularis obſequij titulo. Nam Inſtrumentum exhibeo, quo feliciſſimè Vitam Princeps trāſigat. Plus igitur multo,quàm Palatinorum quiſquam, & ſpecioſis verbis, ſalutantium plerique,defero.

Fuit id ſemper perſuaſum Magnis Principibus, inter quos, & TE nominat Imperium, PHILIPPE ADOLPHE. Quamobrem, tam illis cordi erat, MORTIS meminiſſe, quàm vitâ viuere. Id vt obtinerēt, quoniam difficile eſt, inter deceptrices putidè adulantium illecebras, & fucatos aſſentantium adplauſus, Vitam, Vitam ingeminantium,

tium, Mortis habere memoriam, curarunt ipsi perquam ſolicitè, rei longè vtiliſſimæ recordationem ſignis excitare, & Symbolis, mercede etiam conductis, qui Monitoris officio fungerentur.

Laudatur SEVERVS Imperator, qui, vt ſpiritus domaret ab adulatione, & longâ Principatus felicitate ferocientes, vrnam ſibi exhiberi iuſſit, in quâ cineres, ritu illo antiquo, erant recondendi: & diu contrectans, ac contemplatus, dixiſſe fertur: Tu virum capies, quem orbis terræ non capit. bellè & acutè: nam reuerà,

— — MORS *ſola fatetur*
*Quantula ſint hominum corpuſcula* — —

Maiori dignus laude MAXIMILIANVS Primus Imperator Auſtrius, qui capulum funebrem, Mortis inſigne, è querno ligno arcæ viatoriæ incluſum circumferri ſecum iuſſit. Nimirum, nunquam non ſibi ob oculos verſari volebat monumentum: quod moneret mentem, dum ſuggereret, COGITA MORI. An non & hoc etiam? Quid Te dilatas, & extendis? quid multa poſſides? plura ap-

ra appetis? Quem tot prouinciæ, & regna nō capiunt, loculus iste capiet.

Sed PHILIPPO Principi haud iniucundum erit, factum recognoscere cognominis sibi PHILIPPI Regis. Hic Macedo, dum Fortuna adblandiretur ambitiosiùs, hoc officij ephebo delegabat, sibi vt pronunciaret ter quotidie, antequam aut ipse prodiret, aut quisquam illum conueniret, PHILIPPE HOMO ES: vt sic mortalitatis nunquam obliuisceretur, MORTIS semper memor, & humanæ inconstantiæ.

Mouerat Macedonem Archidamus Spartæ Rex, sed breuiter, vt Laco. PHILIPPO enim post victoriam ad Chæronéam, quâ libertas Græciæ concidit, insolentiùs se efferenti, scripserat: Metire vmbram tuam, nihil reperies auctiorem. Pulchrum dictum, & fœcūdi sensus. Paucis insusurrabat: Quid attollis te nouo Principatu auctus, finibus dilatatus? Tibi nihil accessit. Fortasse animo aliquid? multum sanè: curæ graues. Numquid corpori? Metire vmbram: videbis.

Hæsit PHILIPPO salubre monitum, &

profuit ad modeſtiam in ſenſu, quem tunc prodidit eximiè, cùm aliquando in palæſtrâ inter luctandum prolapſus, ſurgenſque, & in arenâ corporis cernens veſtigium, vocem miſit: Papæ! quàm paruam terræ partem ſortiti, orbem appetimus. Tantillo ſpacio vanę omnes molitiones terminabuntur. Alio tempore, vmbram corpore ſuo maiorem conſpicatus: En vanitas! exclamauit, ſed in puluere veritatis. Puluis & vmbra ſumus.

Hoc idem oggeſſit Alexandro filio Diogenes Cynicus, interroganti enim quid in buſtuario ageret: Caluariam, inquit, & oſſa PHILIPPI, patris quondam tui, quæro: ſed inter plebeiorum non diſcerno.

At ſacrorum Antiſtiti magis delectant exempla Præſulum Eccleſiaſticorum. Inter quos BASILIVS Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus, doctiſſimus iuxtà ac ſanctiſſimus, maioribus feſtiuitatibus, quibus, vt perſonæ dignitas poſtulabat, ſplendidiùs procedere erat neceſſe, ne fortaſſe inſoleſceret: quamuis, quod in tanto viro arrogātię poterat eſſe periculum? cuipiam è domeſticis mandabat, ſibi,

ſibi, vt, dum pompa duceretur, in aurem inſuſurraret, Mortem cogita, Pater, ac ſepulchrum perfici manda.

Idem mos fuit IOANNI cognomento Eleemoſynario, Patriarchæ Alexandrino, qui ſepulchrum ſuum inchoari, non abſolui voluit, vt quotidie audiret à ſtipatore: Domine ſepulchrum tuum cœptum quidem iam pridem; ſed hactenus imperfectum, atque interruptum: Tu perfici illud iube; neſcis enim quâ horâ fur venturus.

Quæ dum legis, Illuſtriſſime Princeps, nō potes nō recordari Magni IVLII Auunculi tui, & in Epiſcopali cathedrâ Prædeceſſoris, Principis, vel æmulorum iudicio, Incomparabilis, cuius ſtetit annis aliquot anguſta Sarcophagi moles, Principis ſimulacro ſignata, vt quoties illam intueretur, quod faciebat frequentiſſimè, toties Mortis, & anguſti habitaculi imaginem altiùs animo imprimeret.

Quid iam opus, meminiſſe Pontificis Romani, ſummi Præſulum? qui cùm recens electus ſolenni ritu ad ſacellum deducitur,

eſt qui præeat, & ardentem ſtupam concutiens, ter hæc ingeminet: PATER SANCTE, SIC TRANSIT GLORIA MVNDI: id eſt, vt Stupa occides.

Quid Imperatorum Romæ triumphantium? quibus in quadrigâ adiungebatur Monitor, qui in faſtu, pompaque triumphali diceret: *Hominem te eſſe memento.*

Quid Conſtantinopolitanorum Cæſarum? qui cùm regnum adirent, & multitudinis plauſu incredibili, atque adgratulatione exciperentur, varij accedebant latomi, qui diuerſa marmorum cruſta demonſtrantes, percunctabantur, è quo marmorum genere ſepulcrum ſibi vellet extrui.

Domi tuæ habes, PRINCEPS, à quibus, quid in hac re deceat, erudiris, vt haud ſit neceſſe, aliũde peregrina accerſere. Felix, quòd eiuſdem ſtirpis Magiſtros in virtutis omnis diſciplinâ nominare poſſis. De Zenone cõmemorãt, cùm ab Apollinis oraculo ſolicitè poſtularet, ecqua ratione Vitã, moreſque, quam optimè componeret, ex adytis accepiſſe reſponſum, vt mortuos conſuleret: ab

ijſque quid agendum , inquireret: denique eorum ſibi ſchema coloreſque adaptaret.

Monitum, cùm omnibus ſaluberrimum, tum ijs maximè opportunum, qui Mortuorum, à quibus virtutũ pręcepta accipiãt nunquam recordantur, quin menti obuerſetur Maiorum effigies, in omni virtutum genere clariſſimorũ. Quod C^ni T^æ contingere haud eſt dubium. Quę nobiliſſimę domûs, ſiue Paternas, ſiue Maternas intueatur imagines, Mortuos habet, ſi mortui dicendi ſunt, qui nunquam intermorituris poſteritatis celebrantur encomijs, quorum vel ſolâ recordatione ad omne præclariſſ decus facinorum exſtimuletur.

Vnum nominaui, ſed qui multorum eſt inſtar, Magnũ IVLIVM, Principũ ſui temporis, ac ordinis Gẽma: Imperij ſidus illuſtre, Eccleſię ornamentum ſingulare. Sed iungi huic meretur, nobilitate, prudentiâ, omniq; virtutis cultu haud inferior, GERARDVS, ex illuſtri ERNBERGERORVM proſapiâ, EPISCOPVS SPIRENſis. Quorũ decora ad PHILIPPVM ADOLPHVM, tantorũ He-

roum nepotem, non hereditate magis, quàm æmulandi ſtudio deriuata, gaudet, florens tali Principe FRANCONIA, & nos qui amategentis felicitati adplaudimus, gratulamur impensè.

Vt diuturna ſit, cum felicitate, gratulatio, dum MORTIS Donariũ mitto, vitam haud interrupto proſperitatis curſu, omni bonorum genere cumulatam his noui anni auſpicijs ex animo CEL^ni TVÆ precor. Annue Temporũ Moderator Magne DEVS, Magna DEI Mater, Magni Franconiæ Patroni. Sit PHILIPPO ADOLPHO PRINCIPI, quæ AVORVM fuit Illuſtriſſimorum, corporis, animique inuictum multis annis robur. Moguntiæ, Kalend. Ian. Anno Immortalitatis ſtabilitæ, M. DC. XXIV.

REV^mæ & ILL^mæ

CEL^nis V^ræ

*deuotiſſ.*

*M. S.*

*REV-*

REV^mis & ILL^mis

# Admodum RR. Prænobilibus, Gratiosis, & Amplissimis VV.^ris

*Congregationis Diuinissimi SACRAMENTI, & Sanctissimæ DEI-PARENTIS Ecclesiasticorum, in AEde summâ, Archi-episcopali Moguntinensi*

# Dies bonos.



*VOS Auditores habui, Lectores designo, vel opto: hoc potiùs: nam illud imperij est; Ego seruulorum minimus. Desiderium acuit consuetudo, & adfectus. vtrumque in Auditoribus meis mihi perspectum: in alijs quid futurum, latet. Itaque iuuat illos calamo conuenire, quibuscum lingua egi. Atque hæc mihi caussa vna, Viri Amplissimi, Vos appellandi in operis limine. Quæ auribus hausistis, oculis excipite: sed, quæso Vos, auiditate eadem.*

*Aliud prætereà volebam. Hoc quicquid est, quod anno superiori audistis, & nunc cernitis, PATRONAE*

*NAE omnium nostrum deuouere est animus: & velut exile seruitutis præstitæ Monumentum, Sacrarij illius, quod frequentatis, tholo appendere. Possem id mea manu facere: haud ignotus, vt spero, Almæ MATRI, quam nunc veneror, nunquam non, postquam agnoscere cœpi, colui: Sed lubet adhibere Conciliatores.*

*Meliores, quàm vos estis, non reperio: certè, haud magis idoneos. Qui enim operæ in DOMINAE gratiam nauatæ, & fructus inde reportati est testis; is maximè idoneus ad munus repræsentãdum est honorarius Sequester. Viuite, & Valete, MORTIS memores. Moguntiæ Kalend. Jan. Anno à Morte deuicta M. DC. XXIV.*

Vester

*Quem audistis*

*M. S.*

*ILLV-*

# ILLVSTRI GENTIS FRANCONVM NOBILITATI

*Æternùm hilariter viuere.*

Simulque

***Scriptionis de Morte, Occasionem, Argumentum, Ordinem, Vsum, Fructum, Iucunditatem pendere.***

LVGEBANT Morte sublatos haud magno temporum interuallo (Viri verè Nobiles) Ecclesia PAVLVM V. Pontificem Maximum: Imperium MATTHIAM I. Cæsarem: Hispania PHILIPPVM III. Regem Catholicum: Belgica ALBERTVM AVSTRIVM Archi-Ducem: Franconia IOANNEM GODEFRIDVM, Ducem vestrum, ac simul, Bambergensem, & Herbipolensem Episcopum: Exercitus Catholicus BVQVOIVM, TAMPIERVM, BAVRIVM, æui nostri Scipiones: spectabantur aliorum inferioris notæ funera, hominum externorum; nec deerant domestica, quibus ita priuatim afficiebar, vt pigeret, nisi de MORTE cogitationem seriam suscipere.

ET IOANNIS GODEFRIDI potissimùm familiaris identidem occurrebat imago, quem non ita pridem, è Franconiâ discedens, vegetum, florentem ætate, ac viribus, magna etiam animo agitantem reliqueram. O spes mortalium! posteà, ad Imperij Comitia Ratisbonam splendido Ordinis vestri comitatu profectum acceperam, ibidémque aliquamdiu sanum, & hilarem, vti solebat, egisse: mox luctuosâ Palatinis, intempestiuâ Jmperio, nō improuisâ ipsi MORTE, bonis omnibus, quibus ipse virtutis commendatione percarus,

 carus,

carus, ereptum. Hæc magnorum ſors eſt. fruſtra gemis Franconia: fruſtra quereris:

*Heu Fati feritas atrox!*
JOANNES GODEFRIDVS *fuit, ah! fuit.*
*Ille Antiſtitum Ocellulus,*
*illa pupula Cleri, & ſacra Gemmula.*
GODEFRIDVS *fuit: ah! dolor*
*Quantus? quantus amor verba habet hæc duo:*
GODEFRIDVS *fuit! aurea*
*Virtutis Specular, Francidos heu! fuit*
*EOAE Caput & Decor!*
MORS RERVM DOMINA, *heu! trux, fera, barbara*
*Nil te Relligio viri,*
*Nil ſancti Pietas Præſulis, & Fides,*
*A tanto ſcelere, à nece*
*Immani potis auertere* PRINCIPIS?
*Heu Fati feritas atrox!*

*Sap.* IV 10 11. 12.13.14. *Enoch. Gen.* V. Non eſt hæc atrocitas: fallimur: eſt Fati benignitas. *Placens* DEO *factus dilectus*, vt ille olim æternitatis candidatus, *viuens inter peccatores translatus eſt: Raptus, ne malitia mutaret intellectum eius: aut ne fictio deciperet animam illius: Faſcinatio enim nugacitatis obſcurat bona, & inconſtantia concupiſcentiæ tranſuertit ſenſum ſine malitiâ. Conſummatus in breui expleuit tempora multa: Placida enim erat* DEO *anima illius. propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum. A facie malitiæ collectus eſt iuſtus. Melius,* 

*Iſa.* LVII, 1. 1. *Machab.* III. 59. aiebat magnanimus Machabæus, *eſt nos mori, quàm videre mala gentis noſtræ.* Sic ereptũ legimus Antiſtitẽ Hipponenſem ex hac vitâ tædio malorũ patriæ ſuæ, cum dimiſſionẽ ex hoc ſeculo popoſciſſet à DEO.

*Poſſidonius in vita c.* XXVIII. XXIX. *S. Hieronym. Epiſt* XV. Anaſtaſium Papam idcirco morte immaturâ terris ablatum ſcribit Hieron. ne orbis caput ſub tali Epiſcopo truncaretur, & ne ſemel latam à Vindice DEO puniendi Imperium ſententiam flectere precibus tentaret. An idcirco fortaſſe citiùs apud nos viuere deſijt, cœlis, vt ſperamus illatus, *Sublatus cinerum è domo,*
IOANNES GODEFRIDVS?

An, vt MORTIS nos iura, & mortaliũ præſidiorũ doceret inaniam?

*Ioa. God. ab Aſchauſen.*
*E heu! fugaces ſpes hominum! Necis*
*E heu! ſeuera dira neceſſitas!*
*Sortiſque, quam Minos cruenta*

Extrahit,

*Extrahit, aut Rhadamanthus vrnâ!*
*Si nec mitrati verticis aurea*
*Virtus, verendi nec Pietas Ducis,*
*Fractum edomet Fatum, secundus*
*Nec populi fauor vniuersi.*
*Vixit piorum Gloria Præsulum,*
*Vixit proborum Gemmula Principum*
*Vixit Ducum Dux, gloriosa*
*Francia quos genuit, priorum.*

Sapiamus Exemplis, quibus vt cautior redderetur, DEO, Diuinisq; Addictus, ex officio CLERVS, commodùm hoc ipso tempore dicendum mihi fuit quot-hebdomadis, ad Ecclesiasticorum, qui MOGVNTIÆ, Archi-episcoporum Sede, florebat, Amplissimum Ordinem. Quid autem illis, qui MVNDO mortui esse deberent, frequentiùs occinẽdum, quàm de MORTE? ne, dum eius obliti, Mundo viuere gestiunt, qui Cœlo deberent huic mortui, illi viuentes, à sorte, quam in cœlo repositam se expectare, nomine profitentur, sponte excidant, ea quæ Mundi mancipij hîc adnumerari solet, contenti. Itaq; Argumentum dictionis hinc sumendum duxi perpetuum.

De dispositione, & conditurâ consultandum fuit magis: an & laborandum? ne nauseam ingeneraret toties audita, lecta, repetita MORTIS peramara crambe. Quis enim è Magistris morum, quis Ascetarum, quis Concionatorũ de MORTE non dixit, scripsit, commẽtatus est, idq; speciosis, & ad legentiũ lenocinia appositis lẽmatis?

De Bono MORTIS extat liber facundissimi Mediolanensium Præsulis Ambrosij, quo nihil in hoc genere legi ingeniosius, nihil accuratius.

De MORTALITATE librum inscripsit gloriosissimus Martyr Cyprianus, vbi Mortis caussam agit disertè, & consolatur mortales, docens, illam non esse metuendam, eo quod ad immortalitatem ducat, & fidem illi deesse, qui non ad meliora festinat.

Oratio est elegans, & digna Theologo erudito, ac pio, id est, Auctore suo, De MORTE, quâ Parenti suo iusta persoluit Gregorius Nazianzenus.

Gradum ascensionis ad æterna extruit è MORTIS memoriâ Joannes Climacus.

TRIVMPHVM MORTIS cecinit auorum memoria Poëta laureatus, Franciscus Petrarcha.

De Præparatione ad MORTEM librum composuit Ludouicus Berus, & Erasmus Roterodamus.

De Ratione bene moriendi Commentarium reliquit, Petrus Patauinus Episcopus, vir doctus, & disertus

DISPOSITORIUM benè moriendi concinnauit Ioannes Niderus.

De ARTE benè moriendi disseruit Rudgerus Edingius, Adamus Wallasarius, Iacobus Iunterbuckius Carthusianus, Robertus Bellarminus Cardinalis.

Iudicium MORTIS, & varios eius casus Elegia complexus est Dionysius Carthusianus.

Exhortatur Sermone integro ad felicem Mortem, pientissimus asceta, Ioannes Thaulerus.

Meditatur de MORTE sapienter Parisiensis Cancellarius, Ioan. Gerson.

Contemplatur de MORTE sublimiter, doctissimus in adfectuum Schola vir, Idiota.

Est in manibus liber consolatorius de MORTE Vincentij Beluacensis.

Perorant de MORTE, quicunque de Nouissimis.

De his autem quis Ecclesiastarum non tonat, fulminat, fulgurat, vt lacrymarum imber consequatur, vel horror? Leguntur passim Gabriel Inchinus, Italus; Ioannes Osorius, Lusitanus: Franciscus Costerus, Belga; Petrus Bessæus, Gallus; Georgius Scherer, Germanus; alios in elenchum conieci, qui nomina continet Auctorum.

Non memini tamen, eatenus me legere aliquem è Scriptoribus, vel audire ex Oratorũ numero, qui SYMBOLA MORTIS, quorum numerosus est in Diuinis-litteris, & profanorum libris catalogus, paullò fusius explicarit. Hanc igitur Spartam, à reliquis, vel non adamatam, vel repudiatam, certè nondum â quopiam ductam, mihi reseruatã arbitrabar: maximè, cùm THEOLOGIÆ SYMBOLICÆ, cui per hos ipsos dies operam meam addixeram, sit genuina proles.

Quoniam autem plurima sunt SYMBOLA, quæ si eodem cultu omnia exornarentur, opus immensùm cresceret, viam insistere placuit à summo Doctore Basilio complanatam. Is in dissimili genere, Regulas edidit, fusiùs, & concisiùs disputatas. Itaq; *Primo libro*, ea ad signa

ſigna ſua cogo, quæ copioſiùs à me ſunt expoſita, Commentationibus integris, quas ferè in Eccleſiaſticorum conſeſſu, non tamen, vt hîc leguntur, habui. *Altero,* ea complector, quæ breuius diducta ſunt, vt ſemen eſſe poſſint ampliſſimæ plurium Commentationum meſſis, ſi ea cuipiam arriſerit, & nouale hoc iuuet proſcindere. *Tertius,* continet *Symbola Mortis* memoriâ cultæ, ſeu *Memoriæ,* quâ *Mors* recolitur.

De Fructu dicere non attinet: nunquam-non fructuoſa eſt de MORTE Oratio. De Iucunditate ſileo. Certè Epicuro eſſet ille nequiter voluptuoſior, qui in MORTIS officinâ voluptatem quæreret. Hoc tamen adfirmare auſim, non conſectantem, quod volupe, ſed quod ſalutare, & vitam conſentaneè ſalutis monitis, quæ per Commentationes, non ſine iucunditatis ſenſu ſparſimus, inſtituentem, inſolitâ quadam, ſolidâ tamen, ſinceráque voluptate, etiam in MORTE perfundendum. Quod vt Auditoribus meis ſum precatus non ſemel, ita Lectoribus meorum, Vobíſque præſertim, FRANCONIÆ HEROIBVS, frequenter voueo. Adnue VITÆ NECISQ. (in cuius poteſtate ſumus nos, & noſtra omnia) DOMINE! Moguntiæ Kal. Ian. An. à Morte per veram Vitam profligatâ, M.DC.XXIV.

ILLuſtrium DDominorum Vrum

Salutis ſitientiſſ.

M. S.

ECCLESIARVM
# BAMBERGENSIS,
ET
# HERBIPOLENSIS,
ORNATISS. CLERO.


De Inscriptione

*PLATO CHRISTIANVS.*

Qui omnibus

*Gloriosam de Morte victoriam, & eius Meditationem assiduam optat, enixeq; precatur.*

*Plat. in Phædone.*

LATONI *tantus fuit amor MORTIS, tantum eius contemplandæ studium, ut cetera posthaberet. Is in disputatione de Immortalitate animi, quæ Phædon inscribitur, enunciat: Purificationē animi fieri per eius separationem à corpore: hanc autem esse MORTEM quæ definitur:* ψυχῆς καὶ σώματος διάλυσις Animæ à corpore separatio. *Subdit verò: Rectè philosophantes huic soli studere: proinde, Philosophorum meditationem siue exercitationem esse, Animum à corpore separare.*

*Cic. Tusc. 1.*

*S. Amb. lib. de fide Resurg.*

*Macrob. in Som. lib. 1 cap. 11*

*Bellè, ac propè diuinè. Hinc illa Græcorum gnome* ὀρθῶς φιλοσοφεῖν εἶναι τὸν θάνατον μελετᾶν. Rectè philosophari esse, *mortē* meditari. *Quod latinè dicit M. Tull. non absq; emphasi:* Vitam Philosophorū esse commentationem *MORTIS. S. Ambr.* Philosophiam Meditationem *MORTIS. nec alio sensu Macrobius;* Meditationem moriendi.

*Academia Platonis.*

*Porphyr. de abstin. animal.*

*Polycrat. lib. VII. cap. 3.*

*Quàm serium MORTIS meditatorem decet esse Philosophū Christianum, cùm tam sedulū esse voluerit eius contemplatorē, Gentilē Philosophū, Plato? Qui non contentus dixisse, Athenis desertis, secessit in Academiā; villā uti ferunt, non insalubrē modò, sed frequenti quoq; terræ motu, ac tempestatib. agitatā: imò penè euersam: certè, ruinæ proximā. quâ fine? ut his* Mortis *imminentis præambulis, hac solitudine, hoc ferè* Mortis *cotidiano conspectu, recordaretur ipse assiduè, ac eius discipuli, nō alterius, quàm MORTIS: id est, seriò omnes unà philosopharentur:*

rentur:

*rentur: seu, vt ego interpretor, benè viuerent. Quam eandem fuisse caussam, diuiniori, quàm Plato fuerit, Philosopho, Bernardo Clara-Vallensi, existimant, cur sectatorum suæ disciplinæ Monasteria, religiosæ virtutis palæstras, Academias verè cœlestes, palustribus in locis, & plurimùm, valetudini noxijs condiderit: nimirum propositum illi erat, habitationis quoque incommodis, suos ad* MORTIS *contemplationem manuducere.* S. Bernardus.

*S Hieron. lib. II. in Iouinia.* PLATO cùm esset diues, & thoros eius Diogenes lutatis pedibus cōculcaret, vt posset vacare Philosophiæ, elegit Academicam villam, ab vrbe procul non solum desertam, sed & pestilentem, vt curâ, & assiduitate morborum libidinis impetus frangeretur, discipulíq; sui nullam aliam sentirent voluptatem, nisi earum rerum, quas discerent.

*Callimachi extat epigramma in Ambrociotam Cleombretum: quem ait, cùm nihil ac, i dissēt aduersi è muro se in mare abiecisse, lecto Platonis, de* Bono Mortis, & Immortalitate, *libro Sed damnat Cleombrotum Ammonius Præfatione in Porphyrium, & malè intellexisse* Platonis *doctrinam arguit: quod is non de* Morte *naturali, & corporeâ, sed longè aliâ, quā* Moralem *dicere licet, & Animæ præcepta dederit. Qorum hoc compēdium. Duplicem omninò esse nexum, quo anima corpori colligatur: alterum naturalem, quem Vnionem vocāt Aristotelici, cuius vi, virtuteq; vitam conseruat homo: alterum volūtarium, quo corpori copulata, illiúsque quodammodo subiecta imperio, seruit. Vinculo duplici, geminam respondere solutionem: quarum alterâ corpus ab animâ soluitur: alterā separatur anima à corpore Hinc duplicem oriri* Mortem, *vnam,* Naturalem, *per quam corpus ab animâ diuellitur; quæ idcirco definitur:* ψυχῆς καὶ σώματος διάλυσις, Animæ ac corporis dissolutio: *alterā.* Voluntariam, *quâ Philosophus animam à corpore segregat. Hanc autem optādam, & summo conatu procurandam esse. Quod fieri possit eius Meditatione continuâ, non quidem speculatiuâ illâ, quæ in cogitatione consistit, nec vltrà progreditur, sed verè practicâ, & quæ actionē spectet. Nihil autē est tam difficile & arduū, quod non humana mens vincat, & in familiaritatem perducat assidua meditatio, vt Seneca differit. Itaq; arbitratur Ammonius, & cum illo, nonnulli,* Platonis *sensu: Meditari Mortē, esse animum à rebus corporeis seuocare. Quo ducunt plurimæ veterum de Platonis dicto expositiones. Apulei imprimis, Platoni addictissimi, qui ita eius se mentem expressisse satis putat:* Philosophū oportet nihil sic agere, quàm vt semper studeat Animam corporis consortio separare: & ideò existimandum: PHILOSOPHIAM *esse* MORTIS AFFECTATIONEM, CONSVETVDINEMQVE MORIENDI.

L. Sen. lib. II. de Ira cap. 12.

Apule. de Philos.

*Macrobius*

Macrob lib.1. in Som.Scip. cap.13.

*Macrobius quoque paullò fusius.* Ipsius animalis, hoc est, Hominis, duas asserit Plato Mortes: quarum vnam natura, virtutes, alteram præstant. Homo enim moritur, cùm anima corpus relinquit solutum lege naturæ. Mori etiam dicitur, cùm anima adhuc in corpore constituta, corporeas illecebras, Philosophia docente, contemnit, & cupiditatum dulces insidias reliquásque omnes exuitur passiones.

*Platonis etiam mentē eduxisse in publicum putatur Cicero de eadē* Morte *disputans, repetitis illis interrogationibus:* Quid aliud agimus, cùm à voluptate, id est, à corpore, cùm à re familiari, quæ est ministra & famula corporis, cùm à republicâ, cùm à negotio omni seuocamus animū? quid, inquam, tunc agimus, nisi animum ad seipsum aduocamus, secum esse cogimus, maximéque à corpore abducimus? Secernere autem â corpore animum, nequicquam aliud est, quàm *EMORI* discere? Quare hoc commentemur, mihi crede, disiungamusq; nos à corporibus: id est, consuescamus *MORI.*

Lib.1 de Lg.

*Moritur enim verè, quod in nobis mortale, cùm animus, vt idem alibi disputat, cognitis percepti sque virtutibus, à corporis obsequio indulgentiáque discesserit: voluptatémque sicut labem aliquam dedecoris oppresserit, omnémque MORTIS dolorí que timorem effugerit, societatémque carnis eiecerit.*

*Plato igitur cùm* Mortem *tantoperè commendat, eámque persuadere conatur, non de illâ* Naturali, *loqui est censendus, sed de* Morali, *ac voluntariâ, quæ separat animam à corpore, carne, voluptate, metu, ceteri sque perturbationibus. Quæ separatio fit, ijs non se seruiliter subijciendo, ac obtemperando.*

*Qui labor atque exercitatio*, Mortis Meditatio, *ac*, Vera Philosophia *dici potest. Qua etiam Meditatione atque exercitatione, quæ multi sudoris est, Mori dicuntur Sapientes.*

In Theat.

*Quod Plato ipse satis indicat, dum in Phædone, hanc* Mortem *interpretatur*, Corporis fugam, *&* Animum in se collectum. *Nam* Philosophus *vt alibi disserit*, quæ in ciuitate geruntur, aut gesta sunt, ignorat: imò, vix viam ad forum, aut curiam tenet. Sed reuerà corpus eius tantùm in ciuitate agit, aut potius peregrinatur: mens autem, & cogitatio, hæc omnia parui, aut nullius æstimans, quacumque fertur (cum Pindaro) terræ infera, & cœli supera peruadens, ac dimetiens, & omnem vbique naturam curiosè inuestigans.

*Non tamen negarit, reor, Platonicæ doctrinæ studiosus, posse celeberrimum illud dictum*: Philosophiam *esse μελέτην θανάτου*: Meditationem Mortis,

tis, *ad* Naturalem Mortem *referri: vt suadeat in ætatis flore vltima, & postuma meditari. Hoc sanè sensu plurimis suis in disputationibus illud vsurpant.*

*D. Hieronymus vt Heliodorum super* Morte *Nepotiani consoletur, doceátque, illam præ oculis vbique habendam*: Platonis, *inquit*, sententia est: *Omnem Sapientum vitam, Meditationem esse Mortis*: Laudant hoc Philosophi, & in cœlum vsque ferunt. Sed multò fortiùs Apostolus: *Quotidie, inquit, morior, per gloriam vestram.* Aliud est enim conari, aliud agere: aliud viuere moriturum: aliud mori victurum. Ille moriturus est ex gloriâ iste moritur semper ad gloriam. *S. Hieronym. ad Heliod. Epist. III.* *1. Corin. XV.*

Debemus igitur & nos animo præmeditari, quod aliquando futuri sumus: & quod, velimus, nolimus, abesse longius non potest. Nam si nongentos vitæ excederemus annos, vt ante diluuium viuebat humanum genus: & Mathusalem nobis tempora donarentur: tamen nihil esset præterita longitudo, quæ esse desisset. Etenim inter eum, qui decem vixit annos, & eum, qui mille, postquam idem vitæ finis aduenerit, & irrecusabilis *Mortis* necessitas, transactum omne tantundem est; nisi, quod senex, magis onustus peccatorum fasce proficiscitur. *Gen. V.*

*Optima quæq; dies miseris mortalibus æui*
*Prima fugit, subeunt morbi, tristisq; senectus:*
*Et labor, & duræ rapit inclementia Mortis.*

*Hieronymi Magister Gregorius Nazianzenus, vt Philagrium, mollius, & impatientius corporis dolores, ac morborum molestias ferentem, ad tolerantiam hortetur,* Platonis *dictum adhibet, vtroque sensu: quem adhortatiuncula Theologi admittit, qui sic labantem animum fulcire conatur.*

Nolo, nec honestum esse censeo, *Te*, hoc est, Philagrium, virum singulari rerum diuinarum doctrinâ præditum, eodem modo affici, quo plerique solent, nec simul cum corpore deijci, atque afflictionem, vt incurabilem deplorare: verùm dolori resistere, atque animo, vel nunc maximè expurgari, vinculisque superiorem *Te* præbere, ac morbum nihil aliud esse ducere, quam vtilem quandam institutionem. Hoc est, vt & corpora omnia, & quicquid fluxum est, ac turbulentum, interituique obnoxium, aspernans totum *Te* cœlesti parti addicas: nec præsenti tempori, sed futuro æuo viuas: *Mor-* *Nazianzenus Epist. LXX.*

*tiſque Meditationem* vt *Plato* ait, hanc vitam exiſtimes. Atque ab hoc, ſiue corpore, ſiue Sepulchro, vt idem loquitur, animam, quoad eius fieri poterit, ſoluat.

*Hoc eodem argumento Marciam ſolatur, & erigit, ob filij obitum deiectam, Seneca.* Nec vnquam, *inquit*, magnis ingenijs cara in corpore mora eſt, exire, atque erumpere geſtiunt: ægrè has anguſtias ferunt, vagi per omne ſublime, & ex alto aſſueti humana deſpicere. Inde eſt, quod Plato clamat: Sapientis animum totum in *Mortem* prominere: hoc velle: hoc meditari: hac ſemper cupidine ferri in exteriora tendentem.

*Sen. Conſol ad Marc. c. XXIII.*

*Quo loquendi modo vtitur Cicero, dicens:* Animum incluſum in corpore prominere foras, & ea, quæ extra erunt, contemplantem, quàm maximè ſe à corpore abſtrahere.

*Sed ſæpius* Platonis *ſententiam, & libenter vſurpat Seneca, vel ad illam alludit Lib de vita breuit. cap.* VII. Viuere totâ vitâ diſcendum eſt: & quod magis fortaſſe miraberis: Tota vitâ diſcendum eſt Mori. *Quur ita?* quia Philoſophia eſt Meditatio Mortis.

*Et Epiſtola* XXVI. Egregia res eſt, *Mortem* condiſcere. Superuacaneum forſitan putas id diſcere, quo ſemel vtendum eſt? Hoc eſt ipſum, quare meditari debeamus. Semper diſcendum eſt, quod, an ſciamus experiri non poſſumus. *Meditare Mortem.*

*Hier. ad Ruf.*

*At enim, qui* PLATO CHRISTIANVS *inſcribitur, mutato nomine* PYTHAGORAS *vocari poſſet. Nam, ſi vera refert Hieronymus,* Primus *Pythagoras* dixit: *Philoſophiam Meditationem eſſe* MORTIS: cotidie de carcere corporis nitentem educere animæ libertatem. *Quo* corporis fugam *ſignificari aiebat Plato, &* Animum in ſe collectum. *Eandem ſententiam* Socrati *adſcribit Clemens Alexandrinus, Lib.* V. *Stromatum, & interpretatur,* MORI, auelli à ſenſibus, & purâ mente rebus ſe applicare: *Subiungit verò:* Pythagoram hoc *quoque* volviſſe quinquennij ſilentio, vt ſcilicet à rebus ſenſibilibus auerſi nudâ mente DEVM contemplarentur. *Quin &* Plato, *eius dicti auctorem videtur facere* Socratem, *quem ſic dicentem inducit in Phædone:* Κινδυνεύουσι γὰρ ὅσοι τυγχάνουσιν ὀρθῶς ἁπτόμενοι φιλοσοφίας λεληθέναι, τοὺς ἄλλους, ὅτι οὐδὲν ἄλλο αὐτοὶ ἐπιτηδεύουσιν ἢ ἀποθνήσκειν τε καὶ τεθνάναι. Quicumque Philoſophiæ ſtudium rectè, & verè ſunt amplexi, etſi neſciunt hoc alij, aliud nihil cogitant, & ſtudent, quàm ABIRE, & MORI. *Quod omnibus quidem Chriſtianis, ſed Eccleſiaſticis maximè, quippe vera Philoſophia ſectatoribus, & Antiſtitibus frequenter*

*quenter esset ingeminandum. Valete Praeclariss. VV. & salutarem* Mortis Memoriam *nunquam, vt semper feliciter viuatis, deponite. Moguntiae. Kalend. Ian. Anno à Victoriâ de Morte reportatâ, M. DC. XXIV.*

Ampliss. Dnum Vrum

*In Christo S.*

*M. S.*





# APPROBATIO

## R. P.

## PRÆPOSITI PROVINCIALIS

### Prouinciæ Rhenanæ.

LIbros tres de MORTE, *in quibus* SYMBOLA MORTIS *Commentationibus Theologicis illustrantur, à* P. MAXIMILIANO SANDÆO, *Societatis* IESV *Theologo conscriptos, atque à deputatis ad id Theologis, lectos, & approbatos, Ego* IOANNES COPPERVS *Societatis* IESV *in Prouincia Rhenana Præpositus Prouincialis, concessa mihi potestate, ab Admod R. P. N.* MVTIO VITELLESCO *General. Præposito typis mandari permitto. Aschaffenburgi.* XXI. *Nouembr.* ANNO *M. DC. XXIII.*

*JOANNES COPPERVS.*

CA-

# CATALOGVS

## Auctorum, qui fusius de MORTE scripserunt; quorum lectione profecimus.

A.

S. Augustinus
S. Ambrosius.
Auianus.
Aristophanes.
Æsopi Apologus.
Athenæus.
Ælianus.
Æmilius.
Antonius de Balingem.
Aristoxenus.
Anthrop.
A. Gellius.
Antipater.
Aben Esdra.
Aristoteles.
Abulensis.
Ægesippus.
Alb. Magnus.
Alexand. Neopolitanus.
Æschylus.
Alexander.
R. Abraham.
Albertus Crantius.
Ausonius.
Andreas Alciatus ICtus.
S. Anselm.
Alexand. de Alexandro.
Astysanes.
Aluarot.
Anton. Aug.
Agathias.
Apollinaris.
Arnobius.
S. Athanasius.
Alciatus.
Apollodorus.
Andreas Ierosolymitanus
Arethas.
Andreas. Aetius.
Arias Montanus.
Alcazarius.
Aragon.
Alphonsus à Castro.
Aquila.
Aristophanes.
Antonius Panormitan.
Æneas Sylu.
Abrahamus Ortelius.
Æmilius.
Auentius.
Ammianus Marcellinus.
Alexander Guagninus.
Apuleius.

B.

Biblia Regia.
Brodæus.
Bonfinus.
Boethius.
Brutus.
Bocatius.
Blasius Viegas,
Beda.
Bartolus.
Baldus.
Basilius.
Bruno.
Baldus Angelus.
Bellonius.
Benedictus Pererius.
S. Bonauentura.
S. Bruno.

Bernardus Bauhusius.
Bredembach.
Bonifacius VIII.
Budelius.
Budæus.
Blondus.
Baynus.
Barradius.

C.

Cantacuzenus.
Clemens Rom.
Columella.
Camerarius.
S. Chrysostomus.
Cornelius.
Cuspinianus.
Cornel. Tacitus.
Cælius.
Ctesides.
Cranzius.
Caietanus.
Cromsatius.
Carolus Scribanus.
Christophorus à Castro.
S. Cyprianus.
Claudius Paradinus.
Cornelius à Lapide.
Cassiodorus.
Crinitus.
Claudianus.
Caspar Sanctius.
Cyrillus Alexandrinus.
Complutenses Bibliorum Interpretes.
Clem. Alexandrinus.

Cyrillus.
Ciacconus.
Cæsar Baronius.
Carolus Sigonius.
Conc. Laodicense.
Coclæus.
Couarruuias.
Conc. Trid.
Collenucius.
Carensis.
Celius Rhodiginus.

D.

Diodorus.
Dictus S.
Diodorus Siculus.
Demades.
Diogenes Cynicus.
Didacus Lopez.
Dubrauius.
Draco.
Damascenus.
Dominicus Soto.
Dominicus Bannez.
Didacus Strinica.
Dionys. Rickelius Carthusianus.
B. Dorotheus.
R. Dauid.
Delacampius.
Dioscorides.

E.

Egnatius.
Estius.
Eborensis.
Eusebius Cæsariens.
Ennius.
Ennea.
Euripes.
Eparch des.
Eusebius Emissenus.
Epiphanius.
Euthymius.
Eustatius.
Elias Binetus.
Emmanuel Sa.
Egesippus.

F.

Fulgosus.
Fulgentius.
Franciscus Suarez.
Franciscus Labata.
Fornelius.
Francis. Vatablus.
Fortunatus.
Forerius.
Franciscus Georg. Venet.
Franciscus Valesius.
Francis. Modius.
Ferdinandus.
Franc. Feuardentius.
Festus.
Franc. Toletus.

G.

Gueuarra.
Genebrardus.

Guilhel.

Guilhel. Tyrius.
Gabriel Inchinus.
Gagneius.
Guido Pancirolus.
Guillandinus.
Guilhel. Parisiensis.
German. Scriptor.
Guido Bituricensis.
Gregoras.
Garimbertus.
Greg. Nazianz.
Gyraldus.
Greg. Turonensis.
S. Gregorius.
Galenus.
Gregorius de Valentia.
Gabriel Vasquez.
Greg. Papa.
Gregorius Cedrenus.
Gennadius Scholarius.
Gaufredus.
Georgius Ederus
Fr. Georgius Venetus.
Guilhelmus Cantuar.

H.

Horatius.
Hector Pintus Lusi.
Herodotus:
Hermippus.
Hosius.
Hugo Victorinus.
Hermannus Hugo.
Henricus Salmuth.
Hilarius Nicuesa.
S. Hieronymus.
Heraldus.
S. Hilarius.
Homerus.
Hugo Eterianus.
Haimon.
Horus.
Hugo Cardinalis.
Hyppocrates.
Henriquez.
Hesich.
Hector Boetius.
Hieronym. Bolsecus.
Hieronymus Platus.
Honorius.
Hieremias Drexelius.
Hieronymus Lauretus.

I.

Iacob Bidermannus.
Iacob. de Paradiso Cart.
Ioan. Petrus Camisius.
Ioan. Pineda.
Ioan. à Porta.
Iosephus Acosta.
Ioan. Lorinus.
Iustus Lipsius.
Iustinus Martyr.
Iosephus.
Ioachimus Cureus.
Ioannes Maldonatus.
Ioannes Zonaras.
S. Isidorus.
Ioannes Piscator.
Iacobus Menochius.
Iustinianus.
Iacobus Bracellus.
Iacobus Pontanus.
Ioan Bustamantinus.
Iul. Cæsar. Scaliger.
Iacobus Vitriacus.
Iansenius.
Ioannes Dadræus.
Iulius Mazarinus.
Ioannes Azor.
Ioannes Salas.
Ioan. de Iesu Maria.
Ioachim.
Ioan. Ludouicus Cerda.
Iacobus Salianus.
Iacobus Kellerus.
Irenæus.
Isaac Causabonus.
Ioannes Trithemius.
Ioannes Mariana.
Innocentius III.
Ioseph Stephan.
Ioan. Arboreus.
Iacob Aluarez.
Ioan. Valtrinus.
Iustinianus.
Ioan. Scaliger.
Iouius.
Ioan. Baptista Villapādus.
Iacob de Vitriaco.
R. Ioseph.
Ioan. Brodæus.

L.

Langius.
Ludouicus Molina.

La-

Pe-

Petrus Cotonus.
Paulinus.
Petrus Peron.
Phauorinus. Petronius.
Pius V.
Petrus Damianus.
Philastrius. Palladius.
Philippus Solitarius.
Petrus Strunartius.

Q.

Q. Serenus.
Quirinus Salazar.
Q. Caleber.

R.

Robertus Olkot.
Rauigius.
Ruffinus.
Rupertus Abbas Tuitiẽsis
Richardus.
Richardus Eremita.
Ribera.
Robertus Bellarminus.
Rodolphus.
Renatus Choppinus.
Raderus.
Ritius. Neopolitanus.
Rickelius.

S.

Suetonius.
Sibylla Erithraea.
Septuag. Interp.
Suidas. Sabellicus.
Sigonius. Sabellius.
Sanderus.
Scriptor Germ.
Strabo.
Simon Maiolus.
Samonicus.
Seneca.
Stoici.
Solinus.
Stephanus.
Simonides.
Sophocles.
Stephanus Forcatus.
Sen. Aurelius.
Seuerus Cassius.
Sextus Pomp. Festus.
Scotus.
Statius.
R. Selomo.
Symmachus.
Seuerianus Gabalorũ Ep.
Surius.
Sixtus Senensis.
Serranus.
Salon.
Syluester.
Saluianus.
Silius.
Scholiastes Nazianzenus.
Salianus.
Sigebertus.
Salmeron.

T.

Trismegistus.
Tibullus.
Tygurina.
S. Thomas Aquin.
Tacitus.
Tyrius.
Terentius.
Tertullian.
Theatrum vitae humanae.
Theophylactus.
Theophilus.
Theodoretus.
Themistius.
Theophanes Cerameus.
Ticonius.
Torniellus.
Toletus.
Trebell.
Thomas Cantiprat.
Tacitus.
Theophilus Alexãdrinus
Thomas Bozius.
Thomas VValdensis.
Theodorus Studites.
Theophrastus.

V.

Volat.
Valer. Maximus.
Vincentius ord. praedicatorum.
Vlpianus.
Vincentius.
Vrban. Papa IV.
Vlisses Aldrouandus.
Valerianus.
Varro.

W.

VVernerus Kolenuick.

X.

Xenophon.
Xenarchus.

Z.

Zezes.
Zaleucus.
Zonaras.
Zosimus.

# INDEX ALPHABETICVS SYMBOLORVM MORTIS.



Filia

:§§§§: a Pyra.

IN-

# INDEX
## SYMBOLORVM MORTIS.

### LIBER PRIMVS.

# LIBER SECVNDVS.



LXXVIII.

IN-

# INDEX SYMBOLORVM MEMORIÆ MORTIS.

# LIBER I.

# SYMBOLA MORTIS FVSIVS EXPLANATA.

## COMMENTATIO I.

### PROLVSORIA.

**BREVIARIVM.**

1 *Caussa suscepti muneris.*
2 *Quid in Sodalium gratiam præstandum.*
3 *Sodalitatis Moguntinæ Ecclesiasticorum commendatio.*
4 *Apud exteros fama, celebritas, institutum.*
5 *Conseruanda Dei patrocinio; Cœlitum fauore; mutuis officiis; Magistratus proprii cura.*
6 *Hebdomadaria in ea Exhortationes, Commentationes, Prælectiones sacræ Ecclesiasticis accommodata.*
7 *Omnium argumentum,* BENE MORI: BENE VIVERE.
8 *Hæc Ars Artium: negociorum summa.*
9 *Non bene moritur, qui vixit malè.*
10 *Latronis cum* CHRISTO *crucifixi bona mors, post malã vitã, quantis contestationibus stabiliri debuerit, vt credatur.*

*Gratia Vobis, & Pax à* DEO *Patre nostro, & Domino* JESV CHRISTO. 1. Corinth *1.3.*

## ECCLESIASTICI SODALES:

I.

CVm mihi huius celeberrimi, ac nobilissimi SODALITII cura demandaretur, ab iis, quorum ductu, & imperio regor, obluctatus sum, vt initio mei sim accusator, non semel: quantum quidem fas homini modestiam, ac obsequendi studium professo, vt arbitrabar. Et caussas equidem habebam neque leues, neq; paucas, quas hic sigillatim recensere non attinet. Verùm, positis adfectibus, & re hac cum DEO, ac cœlitum Re-

 gina

gina per familiares congressus communicatâ, diuinitus mihi iniectam mentem esse sensi, vt promptus, ac alacer SODALITATI vestræ opellam meam addicerem. Id itaq; ego, hodierna die in hoc amplissimo consessu Ecclesiasticorum Sodalium, liberè, elataque voce profiteor, & conceptis verbis, sine fuco, ac antiqua fide, me in solidum omnibus, ac singulis do, dico, consecro. Adfulge DEVS, annue MAGNA MATER. In posterum, Reuerendi, Amplissq. Viri vester ero ex asse: Vobis ADDICTVS, iure, quo optimo: si placet, etiam mancipii: non ære quidem, aut nexu; propensissimâ tamen vniuersis deseruiendi voluntate adstrictus.

*Præsidis officia.* II. NIHIL mihi posthac gratius quicquam accidere poterit, quàm vestris prospicere cõmodis, seu sacro, seu profano tempore: die, noctúque, nullo discrimine. Sanis nunquam mea subtraham obsequia: ægris deferam vltro. imò me ingerã, quod prædico, opportunè, importunè: vt nemo caritatẽ, quæ illo maximè tempore præstari debet, desideret. Nec vitæ terminis arctari patiar adfectum in cara mihi Capita. Nullius non funus celebrabo: & curabitur, vt faciant alii. Pro singulis vel sacrâ litabo hostiâ, vel operam dabo, vt defuncti anima hoc refrigerii genus habeat quam primum: & DEO commendetur à Sociis. A vobis vicissim enixè postulo ad munus hæc ritè ac fructuosè obeundum subsidia. De quo me dubitare non sinit tanta Optimorum Sodalium conspiratio, & insolitus feruor: cui spero, DEVS, ac DEIPARA Patrona N. addent perpetuitatem. Nam benè incepisse in hoc stadio parum esse opinor, licet iactetur in triuio: *Dimidium facti, qui benè cœpit, habet.*

*Sodalium alacritas.* III. PORRO in hanc curam vobis gratificandi intentum, cùm alia me recreant, tum illud mirificè consolatur, quod animaduertam, omnium voluntates, quibuscum mihi priuatim agere de re communi contigit, singulari quodam impetu: &, quod omninò mihi persuadeo, cœlitùs transfuso, ferri ad Sodalitatis huius decus modis omnibus siue parandum, quod non habuit: siue restaurandum, propter quod celebrata fuit non hîc solùm, sed Romæ etiam, & in quam plurimis Europæ prouinciis.

*Sodalitatis Moguntinæ commoda.* IV. ET sanè, vt quod de ea sentio, hoc procurationis meæ principio, candidè proferam; existimo, non esse Sodalitatem in vllo Societatis IESV loco, trans montes institutam, à quâ tantum vel expectari possit, vel debeat: quæque tantum valeat, in omnibus, ad quæ istiusmodi Sodalitia eriguntur; quantum à MOGVNTINA ECCLESIASTICORVM: In quâ sunt omnes, viri tum prudentiâ, tum æuo maturi: sacris ordinibus initiati: diuersarum Ecclesiarum vel Præsides, vel Ministri: doctrina, sapientiáque, & eruditione tales, vt nomen, personámq; suam cum dignitate tueantur: ad religionem, pietatémque optimâ institutione exculti: ad Sacramentorum frequentationem assuefacti: plurimorum annorum documentis eruditi, quàm sit facilè, quàm honorificum, quàm suaue, à crimine omni lethali, & grauioribus etiam venialibus (nam & hic sunt gradus) maximè, si aliis sint offendiculo, abstinere: orationi intentiùs, attentiúsque vacare: suis imperare adfectibus: Christianis, & Ecclesiasticis præsertim commendatam à Fidei nostræ Magistro, & Monarchâ CHRISTO, Humilitatem, mititatémque sectari: sobrietatem colere: sacrificium cotidie, vel peragere: vel eidem decenter, ac piè adsistere. Qui

dico,

dico, plurimorum annorum experimento, quàm sit dulce in his aliisq; pietatis exercitamentis tempus benè collocare, sunt condocefacti.

Celebritas Sodal. Moguntin.

QVÆ causa fuit, vt quàm primum ad exteros, famâ, litterísque est delatum, *Moguntiæ*, Ecclesiasticos sponte, ac libenter nouæ Sodalitatis iecisse fundamenta, penè inuidere cœperint Moguntinæ Ecclesiæ tantam felicitatem: certè mirati sint *Clericorum Moguntinensium* animum generositatémq;. Vtinam benè cęptis progressus respondeant: ad quod nobis omni conatu enitendum. Et ego quidem, tametsi sat multis districtus cogitationibus, atque occupationibus aliis, spe tamen fructus eximii, & adfectu in hanc Congregationem singulari: tum verò, quod primo loco dicendum fuisset, Sanctiss. SACRAMENTI, ac DEIPARÆ VIRGINIS cultum promouendi studio, incredibili promptissimæ mentis desiderio operam omnem polliceor, & addico.

Dei opus hominum pia institutio.

V. AT quoniam nec opis est meæ, nec potestatis humanæ, formam, quam mente concipimus, in vos tanquam aptissimam, ac optimè dispositam materiam inducere: sed Artificis supremi, cuius in manu sunt corda hominum; & qui Conuentuum istiusmodi est caput, ac Moderator: illum ego castâ prece non rarò conueniam, & obtestabor identidem, vt, quod in in nobis incepit, opus bonum, promoueat porro, & ad felicissimum gloriæ suæ exitum perducat. Idem vt faciatis RR. DD. à singulis, pro eâ, quâ estis in bonum commune voluntate, maximopetè efflagito.

Cooperandum DEO.

PORRO, quia ille rerum benè inchoatarum Arbiter, ac promotor, qui attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, operarum aliunde ascitarum, sed à se, adflatúque diuino animatarum cooperationem, quâ non indiget, haud respuit: imo postulat: atque id leges huius Congregationis requirunt, vt sint (quod in omni benè constitutâ republ. est perquam necessarium) qui ceterorum curam habeant: toti *Sodalitati* cum imperio præsint, &, eius commodis, cum auctoritate prospiciant: si qui in ordinem hunc vestrum allegi velint, legitimè adscribant: si qui eo indigni, pro potestate exesse iubeant: si quid curandum, ipsi mandent: acta Sodalitatis conscribi faciant: sigillum habeant: aliaque, ex legum præscripto administrent. Idcirco omninò faciendum iudico, nisi aliud videatur Sodalibus, vt quamprimum nouus creetur Magistratus: sicque vnitis animis, noua conspiratione, restaurato in hoc anni exordio (quod omnibus fortunatissimum precor) feruore ad SODALITATIS huius amplissimæ decus, perfectionemque procurandam conspiremus.

Magistratus officia.

Hebdomadaria commentationes.

VI. IAM verò, quoniam quot septimanis dicendum est aliquid ad communem omnium siue instructionem, siue consolationem, ne semper oberret vagè sacra *Commentatio*, consideraui non semel, quænam materia esset opportunissima, & loco, personísque maximè accommodata. Ac sanè hæreo etiamnum ambiguus. Quia autem in omnibus, Sodalium potius votis, quàm meis deseruire commodis, mihi deliberatum est; gratissimum erit, si mihi à RR. VV. suggeratur, quid sit iucundius sibi, & fructuosius fore existiment: id ego libentissimè amplectar,

non magis vni, quàm alteri, ex infinitis, quæ designari possunt, argumento deditus.

*Argumentum Sacratũ commentationum.* VII. AT-enim quicquid tandem, vel ab amicis insinuatum fuerit, vel propriâ electione constitutum; hoc agam, vt duo semper præ oculis habeam: duo me vosque doceam assiduè: vt duo colliment omnes *Commentationes, Exhortationesq́*, meæ. Quæ-nam illa? breuissimè dicam: BENE MORI, BENE VIVERE. *Bene mori: Bene viuere.* Hæ sunt duæ rotæ, quæ bigam nostram ad beatitatis veræ metam peruoluunt: duo cardines, inter quos salutis spes certa rotatur: duæ sorores Martha & Maria, Lazari resuscitationem commeritæ. Hæc si persuadeamus, non opus erit vllis aliis exhortationibus. Hæc si primo consessu didicerimus, magisterii spiritualis laureâ post primam lectionem donabimur, & frustra sæpius conueniemus: aliud enim docere non possum, quàm BENE MORI, BENE VIVERE.

*Difficilis & longa lectio.* SED est lectio, quæ, quàm diu spiramus, non absoluitur. Citius viuere desinemus, quàm *Bene-viuere* discamus. Citius moriemur, quàm *Benè-moriendi* regulas omnes memoriæ mandemus, multo minus, quàm exequutioni. Hoc vnum si doceamur, & in vsum reducamus, sufficit. Omnia, quæ tanto verborum ambitu, tot circumloquutionum mœandris, tot dictionum illecebris, figurarum ornamentis, argumentorum copiâ, exclamationum vehementiâ, adfectuum concitatione, conceptuum subtilitate, dicentis motu, audientis adprobatione proponuntur in cathedris; quæ per tot libros spirituales, per tot Theologorum, mores informantium, volumina diffunduntur, quatuor voculis continentur, BENE-MORI: BENE-VIVERE. In his est compendium Legis, ac Prophetarum: epitome Euangelii: breuis summa mandatorum, Consiliorum anacæphaleosis.

*Ars artium.* SCIRE *Bene-viuere*, & *Bene-mori* est Ars artium, negociorum negocium. Præ hoc vno, ludicra mihi videntur cetera, & occupationes puerorum, quibus curarum summa

*Ludere par impar, equitare in arundine longâ:*
*Ædificare casas, plostello adiungere mures.*

Multi circumferuntur Libri de variis artibus: de arte negociandi, aduocandi, nauigandi, mendicandi, saltandi, lurcandi; &, prô pudor! etiam mentiendi, & amandi: sed nullus mihi vtilior videtur, nullus frequentius versari deberet Ecclesiasticorum manibus, quàm de *Arte benè moriendi*; *Bene-viuendi*. Huius essent præcepta diligentissimè omnia, perdiscenda. Nam si semel contra regulas *Artis benè moriendi* agatur, actum est: nunquam emendare licet: nunquam hic dicitur, *Repete*.

IN aliis si quis allucinetur, si quis repulsam patiatur, si quis exorbitet, spes est regressus. Qui nunc non eligitur *Decanus, Præpositus, Princeps*, expectet patienter: eligi poterit alio tempore; non omnium dierum illuxerunt soles, fors fortasse in te cadet, qui nunc repudiaris. Post *Mortem* nemo redit, vt suffragia colligat. *Eccl. xi. 3.* *Lignum si ceciderit, ibi manebit, siue ad Austrum, siue ad Aquilonem.* Vnus contra vnam *Artis benè Moriendi* regulam error æternùm luitur, nunquam expiatur. Nec securum est differre *Artis* huiusce addiscendæ studium: nam ignoramus, quando ab antagonista ad certamen euocandi simus disputaturi pro victoriâ.

MIHI

Mihi sæpè fuit in optatis conficere Horologium aliquod, cuius ſtylo Auditoribus meis, quibus omnia bona precor, ſuprema hora aut dies indicaretur: ſed fateor; neque ego in Mathematicâ practicâ tantum profeci, nec artificem nanciſci potui, qui id in ſe ſuſciperet: neç habebitis vnquam, ſpondeo, licet Perſarum gazas profundatis. Itaque non eſt procraſtinandum in huius Scholæ diſciplinâ. *Mors* cuique noſtrum cotidie minatur: ſemper parata, ſemper ad ictum in procinctu. Diſcendum igitur quam primùm Bene-Mori, & Bene-Vivere. *Horologium vtiliſſimû.*

IX. Sed nonne ordinem inuertimus, dum *Bene-mori* anteponimus lemmati; *Bene-viuere?* Imò ordinem ſeruamus naturalem, & à Deo ſancitum. Nemo diſcet *Benè-viuere*, qui non didicerit *Benè-mori*. Nullus vnquam Deo incepit viuere, niſi prius didicerit peccato, ſibique mori. Quid, quod diſcere *Bene-viuere*, eſt diſcere *Bene-mori?* Ridere ſoleo frequenter quorundam puerilitatem, qui *Bene-mori* cupere ſe perhibent, & *Male-viuere* non deſinunt. Quod votum, eſt ex ijs, quæ impoſſibilitatem, vt nunc loquuntur Scholaſtici, adiunctam habent; & maiorem, quam Teſtamenti illius enunciatum: *Titius heres eſto, ſi digito cœlum tangat.* Ridicula conditio, ac proinde valoris nullius. Magis impoſſibile eſt, vt aliquis benè moriatur, qui malè vixit. *Quis benè moriatur.*

X. Vnius recordor, de quo certa fide mihi conſtat, quod benè mortuus ſit, cum malè vixiſſet, Chriſti in patibulo ſocius, nobilis furcifer, Hebræus Dipſas is fuit. Sed ſciebat Christvs illud fore tam difficile creditu, vt niſi ipſe iureiurando robur adderet facto, nemo eſſet adhibiturus fidem. Neſcio equidem, an vnquam conſideraueritis penſiculatè, quod dignum eſt attentâ cogitatione, cum quanam aſſeueratione Christvs Latroni, collaterali ſuo, paradiſum addixerit, vt fidem faceret, aliquem malè vixiſſe, & tamen benè fuiſſe mortuum, quod incredibile fuiſſet, niſi Devs, Devs ipſe, iuramento aſſeueratorio confirmaret. *Latro cum Chriſto crucifixus.*

Petebat ſibi gratiam fieri Latro, & memoriam aliquam à morte. Dominus, qui liberalitate vincit vota ſupplicum, ſpondet benigniſſimè paradiſum. Obſtupuit Dipſas attonitus, & dicere potuit. At, mi Christe, quis credet Latronem vſque ad crucem, à cruce migraturum ad paradiſum? Benè mori, qui malè vixerit? Reſpondere mihi viſus Christvs: difficillimum creditu; ſed, vt ſemel factum credatur, ô Latro, & tibi, non alteri præſtitum beneficium inſolens, inauditum, non frequentandum, Amen *dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo*. Singulæ voces ſunt emphaticæ. Amen Hebræis, Syriſque vox eſt adfirmantis, conteſtantis, iurantis. Vt credatur, Latro, quod mortuus ſis benè, iuro tibi per viuentem in ſecula ſeculorum. O Domine! adde nonnihil, quod magis adhuc, & ſi quid addi iuramento poteſt, tantum promiſſum firmet. Dico. Quid eſt dicere Christi? iuſſum omnipotentis. Dico, tam verè, quàm Devs ſum: Ego, qui dixi, & facta ſunt omnia, *Dico*. At Domine, fortaſſe de alio id caperent homines, fors & Angeli, méque repellent. Scio, quia nemo facilè credet te peruenisse ad metam, qui tam malè ambulaueris. Itaque, *dico* Tibi, Tibi, Latroni, prædatori, pati- *Bius petitio!*

 bulario,

bulario, collaterali, assistenti meo, *Tibi dico.* At-enim, Domine, æquiuocatione eludetur promissio, nisi tempus exequutionis adiungas. Fateor, hîc suspecta meritò sunt omnia. Ergo, *Dico tibi*, HODIE *mecum eris in paradiso.* Subticuit Latro: expirauit CHRISTVS: fractis cruribus mortuus est benè, qui vixerat malè. Quod alteri contigisse credam, cùm tot contestationibus CHRISTVM de Titio vel Caio iurantem audiuero.

VOBIS, ECCLESIASTICI SODALES, DEO sit laus, melior sors obtigit, qui malè mori non potestis, cùm benè viuere, ex legum vestrarum præscripto, debeatis. Felices, si ita vitæ rationes à vobis instituantur, vt gloriosissima benè morientium clausulâ ætatem terminetis. Quod ego à Vitæ Mortisque Domino *Sodalibus* omnibus solicitè precor. *Gratia Domini nostri* IESV CHRISTI, *& Caritas* DEI, *& communicatio S. Spiritus sit cum omnibus vobis.* AMEN.

II. Corinth. XI. I.

# NOTÆ

## AD COMMENTATIONEM I.

Sentiunt mecum, qui hoc argumentum attigerunt Viri pietate, & doctrinâ magni. Longum esset omnium verba adnumerare. Audi Philosophum Christianum. *Ne tardes conuerti ad* DEVM: *ne differas, donec praoccupent te* laquei MORTIS, & dolores Inferni circumdederint te. *Licet enim non desint, qui post vitam sceleribus transactam, totos se conuertant ad Dominum, dum* MORS *propius vrget, & pedem pede premit. E multis tamen millibus vix vnum alterum-ue reperias. reliquorum Mors vitæ similis nil degenerat à toto cursu. Et quàm fatua fiducia est, sperare se fore illum è millibus vnum. Latronem fors obÿcies* CHRISTO *sociatum pœnis, extrema confessione nobilem: fatebor lubens vnum hunc reperiri, qui in crucis vltimo, inter insultantium carnificum verbera & minas, Iudæorum ludibria, amicorum fugam è tormentis auderet stare pro veritate propugnatoribus destituta, clara damnatione feriens improbitatem socÿ, reatum palam confessus, meritásque pœnas suas, immeritas* CHRISTI. *Sed vnum tantum: ne inani spe prorogemus emendanda: & vnum tamen, ne vltima desperatione diffidamus meliora.*


Carol. Scriban. Phil. Christ. Cap. XII.

*Et finge animo Sullanam, aut Lucullaam aliquam mensam sub Apicianis mille ferculis gementem, vnúmque inter omnia veneno grauidum: quis temerarius quacumque fame proritante, audeat intingere manum? Quid si præter vnum fercula reliqua nouercali succonatent; erit-ne tam cucurbita quisquam, qui dexteram extendat fami restringendæ,*

*da, siti leuanda, crapulæ farciendæ, curiositati explendæ? Quid verò, si porro pergat manum protendere, non inclames? Caue, venena latent, incertum, qua lance: tutò abstinebis, non potes sine periculo manum admouere. Perfer sitim famémque, quæ te trahunt in exitium. Non est hic cibus, Mors est: non est nutritia; Claudiana mensa est. Sin pergat in stolido incepto, non vim adhibebis, retrahésque etiam nolentem maximè si amicus, si cliens, si sanguine etiam propior.*

*ET sperare inter scelera audebis securam mortem? inter tot mortes sceleribus vitijsque pares, Mortem Latronis tanquam patinam vnam veneno viduam? Si è millibus vni esset mors subeunda, vereri meritò poteras, ne in caput tuum infausta sors incideret: circumspectares, caueres, fugeres singula, ac ne tutis satis tutò te committeres: quid facies inter tot millia infaustarum, beatarum verò mortium paucissimarum, memento post auaram Euclioniam vindemiationem vuarum. Rarior etiam Mors bona, mors beata, vitam sequitur improbam. Et quis à canino vultu humanam speret vmbram? corporis hæc sui est: nec assimilatur alteri.*

*Qualis in agone mens & vires, talis exspectari successus debet. Respondent lucta præmis, operi merces, victoriæ palma. Ab ignaua cubatione, quis triumphum poscat? quis virtuti debita præmia è molli strato? sudoribus & vulnere hæc parantur: nec vlla certior corona, quàm quæ victoris sanguine purpuratam lætam sæpè Domino gratámq; renouat memoriam. Eadem de Morte cogita. Respondet vita, à cuius fortunato, infortunato ue decursu illam metire. Præmium vitæ bona, Mors bona: mala, mala est. Delige: procul ludus: æternitas ab hoc delectu pendet.*



COM-

# COMMENTATIO II.

## MORS PISCATOR.

*Nescit homo finem suum: sed sicut pisces capiuntur hamo: sic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplò superuenerit.* Eccl. IX. 12.

### BREVIARIVM.

1 DEI *munus, Sodalitatum amœn facies. Hæc conseruatur consideratione* N*ouissimorum. Ad quod iuuant* MORTIS SYMBOLA.

2 *Inter Symbola eminet* PISCATOR: *Homines capiuntur vt pisces,*

3 *Vita humana, Mare. Venti, Adfectus: Pisces, Homines.*

4 MORS *agit Piscatorem sedulum, ac vafrum.*

5 *Instrumenta piscandi, Hamus, Rete. Carcer. Iaculum, Nassa. Excipula. Fuscina. Tridens.*

6 *Hamus Mortis, eius Potestas. Esca, Diuitia, Honos, Voluptas. Hæc etiam Rete.*

7 *Nero piscatur aureo reti: Mors vilissimo.*

8 CHRISTVS ἰχθὺς, *Piscis, deuoratur à Morte, vel capitur: quid mirum si & Christiani?*

9 *Piscatus Mortis æterna. Hic euaditur si quis capiatur à Piscatoribus Christi; Horum retia. Quis piscis assus. Quis fauus mellis.*

10 MORTIS *certissima captura. Fabula de piscatore & pisciculo ex Auiano. Mortis decretum immobile.*

11 *Nemo liber euadit è Mortis nassa. Pythagoras pisces captos liberat.*

12 *Piscator nonnunquam deceptus.*

13 *Mors nunquam fallitur. Aureo piscari hamo quid? Piscator ictus sapit.*

14 *Piscari in aquâ turbidâ, Morbi aquam commouent antequam Mors hamum iaciat.*

15 *Republica turbata moriuntur plurimi.*

16 *Turbatores pacis Pseudo-politici.*

## Amplissimi Domini Sodales, Flos Cleri Moguntinensis.

I.

*Dei munus, congregationum læta species.*

GAVDEO equidem, mihique, ac vobis impensè gratulor, quod ea sit congregationis huius amplissimæ species, cœlitus, vt opinor, & vestrâ suffragatione proximè constituta: quam, vt pietatem adamantibus iucundam; ita Superos, dum ad nos è supremo illo gloriæ palatio, flectunt oculos, quod nunquam

quam

quam non faciunt, oblectare omninò mihi persuadeo. Vobis adlaborandum est, vt amœnitatis istam faciem nunquam deperdat: & cotidie magis magísque efflorescat. Quod fiet haud dubiè, si DEI & status vestri memores, officio Ecclesiasticorum proprio, quàm exactissimè satisfaciatis. Satisfacietis autem abũdè, si duo præ oculis habeatis assiduè, de quibus agere nupertimè cœpimus, BENE-MORI, & BENE-VIVERE. In quâ Disciplinâ, quæ bonas omnes complectitur, aiebam non esse procrastinandum: quod incertum sit, quando ad rationem reddendam euocandi simus. Id autem præclarè demonstrant MORTIS SYMBOLA non pauca; quorum contemplatio & delectationem parit hominibus à *Mortis* meditatione non abhorrentibus, & fructum habet ad vitæ institutionem minimè spernendum.

II. INTER MORTIS autem simulacra, quæ in Sapientiæ Symbolicæ theatro iucundum contemplatoribus spectaculum exhibent, primas facilè obtinet, Spiritus diuini artificio efformatum, PISCATORIS: quod ijs Ecclesiastæ verbis continetur: *Nescit homo finem suum: sed sicut pisces capiuntur hamo: sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplò superuenerit.* Quæ quidem nonnulli Interpretes de quouis euentu accipiunt: ego verò, hoc tempore, de supremo vitæ humanæ, qui occupat improuidos & incautos: quemadmodum PISCATOR pisces, dum in aquis vacant voluptati, nihilque minus, quàm sagenam expectant: imò cum maximè sibi cauere deberent. quod innuit LXX. Doctorum lectio, quæ sic habet: *Vt pisces tenentur in retiaculo malo*: Nimirum, incidunt imprudentes in rete, à quo longè retrocedere debuissent: est enim malum, à quo omnibus cauendum. Sic κακὸς Græcis, dicitur à *κάζω, retrocedo.* *Homines capiuntur vt pisces.* *κάζω retrocedo.*

III. VITA hæc, Mundus, Seculum, Mare est, magnum, spaciosum, plenum procellis, ac tempestatibus: in quo decumanis voluimur & reuoluimur, versamur, & opprimimur calamitatum, ac ærumnarum cotidianarum fluctibus. In eo Adfectus, quas Passiones vocamus, gaudium, ira, odium, tristitia, æmulatio, amor, desiderium, desperatio, tanquam validissimi & impetuosissimi venti ab ortu & occasu: à septentrione & meridie congrediuntur indies, ac veluti *Vita, Mare.* *Venti, Adfectus.*

*Eurúsque Notúsque ruunt, crebérque procellis*
*Africus, ac vastos voluunt ad sidera fluctus.*

Hîc ascenditur vsque ad cœlos, prosperitatis elatione: descenditur vsque ad abyssos, calamitatum lapsu. Hic homines, ceu pisces, commorantur: magni aliqui, velut balænæ, & cete grandia; exiles alij, & in prædam maiorum expositi.

IV. MORS *Piscatorem* agit, sedulum, vafrum, inquietum, & nunquam irrito iactu per vndas vagatur. Pisces interim natant, ac tripudiant: escam vident, hamum non animaduertunt: illam deuorant, hoc extrahuntur. *Mors, qualis Piscator.*

*Gaudet piscis*, inquit Augustinus, *quando hamum non videns, escam deuorat: sed cùm* Piscator *eum adducere cœperit, viscera eius torquentur primò: deinde ab omni lætitia sua, per ipsam escam de qua lætatus est, ad consumptionem trahitur.* applicat. *Sic sunt o-* *Aug. lib. de Agone Chr. [illegible] cap. 7.*

B mnes,

*mnes, qui de bonis temporalibus beatos se esse putant: hamum enim acceperunt, & cum illo vagantur. Veniet tempus, vt sentiant, quanta tormenta cum auiditate deuorauerint.*

*Instrumenta piscandi. Manil. lib. IV.*

V. QVIS autem est *Mortis* HAMVS? quo nomine instrumenta piscandi omnia designo. Sunt autem potissimum tria, vt totidem piscandi genera, de quibus Manilius, eorum magisterium adfingens natis sub signo piscium: hos enim canit

*Rete. Vncus. Carcer.*

*Et placidum ductis euerrere retibus aequor:*
*At vncos celare cibis, aut carcere fraudem.*

*Iaculum Ouid. 1. de Ar.*

*Iacula* piscatoria nominat Ouidius
*Hi iaculo pisces, illi capiuntur ab* hamo.

*Nassa. Excipula. Fuscina. Tridens.*

Ad hæc reuocantur, *Nassa*, seu *Vimineum textum*, vbi esca piscibus reconditur, vnde ingressis effugium non patet: *Excipula*, seu septa viminea in profluente ad insidias parata: *Fuscina*, aut *Tridens*, quo piscium genus aliquod, nominatim anguillæ, confodiuntur. Sed quoniam communissimum piscandi instrumentum est *Hamus*, & magis lethalis, quia ob escæ illecebram magis appetitur, & auidius deuoratur, eo nomine vtamur.

*Hamus Mortis, eius potestas.*

PORRO, *Mortis Hamus* est illius *Potestas*, verè vncata, qua omnes naso suspendit, & in sublime trahit, ostentui futuros, qui terrori fuere, dum viuerent. Cerne hominem, in ferali grabato ore anhelantem, & extremum trahentem, aut euomentem spiritum: brachiorum verò, pedum, & totius corporis concussione *hamum* interius latentem haud dissimulanter prodere: quod multo magis facit pendulus ab arbore: dices piscem esse, *hamo* ex aquâ extractum, & in altum leuatum, ac frustra aërem caudâ verberantem, cùm mox vitalem sit daturus spiritum.

*Cuique sub amne suo mansit rigor, aëre nostro*
*Segnis, anhelatis vitam consumit in auris.*
*Iam piger in validos vibratur corpore plausus,*
*Torpida supremos patitur iam cauda tremores:*
*Nec coëunt rictus: haustas sub hiatibus auras*
*Reddit, mortiferos expirans branchia flatus.*

*Esca Mortis.*

VI. AT quænam est *Esca*, quâ *Hamus* occulitur? Quicquid in rerum natura vides: diuitiæ, honores, munera. Sed præ omnibus, voluptas: nulla enim re magis homines capiuntur, & inescantur quam voluptate. Hanc dum auidè arripiunt, siue carnis sit, inhonesta: siue cibi, potúsque, propria gulosorum: siue generis cuiuslibet alterius, *hamum* simul deuorant, & sicut pisces à *Morte* capiuntur. Quot audiuimus, vidimus, legimus in opiparis, & esculentorum omni apparatu instructissimis mensis; quot in thoro geniali prima nuptiarum nocte; quot inter choreas puellarum saltitantes, quot amicarum fenestris insidentes, quot inter impudicos agapetarum amplexus, extremum eructasse spiritum, & penè viuentes, ac piscium instar, palpitantes ad infernum, vnco tartarei carnificis pertractos?

*Voluptas.*

Non

Non displicet tamen, quod habet Olympiodorus, voluptatem non escam solum esse, sed & instrumentum piscatorium. Concipit enim ille ex varijs voluptatum generibus, tanquam funiculis, malum Piscatoris *Rete confici*, quo homines confertim capiantur. Idémque in aquis voluptatis arcanam significationem considerat. Eodem iure, diuitias escam & hamum dixeris. Ita fortasse illas animo suo obijciebat, qui minitabatur, aut prædicebat homini habenti pacem in fortunis suis, venturum aliquando diem quo lethali *Mortis* hamo deuorato, esset redditurus omnia, quæ tanta auiditate tot annis accumulando, quasi in ventris barathrum iniecerat: *Diuitias quas deuorauit, euomet: & de ventre illius extrahet illas* DEVS Iob. xx. 15. *Voluptas, Rete.*

VII. Sed non vnum est *Mortis Piscatoris* rete. Delirus, & amens, aut potius vecors Piscator fuit, meo iudicio, Nero Imperator, qui reti aureo, quippe ex aureis plagulis, & purpura, coccóque nexis funibus piscabatur. Hunc imitantur Piscatores non hominum, sed honorum, & nominum: voluptatum etiam, ac opum; qui exigua commoda magnis impensis consectantur. Quamdiu ab ambitioso, dignitatis Ecclesiasticæ, aut ciuilis gratiâ vigilatur noctu, diúque? cotiens curritur trans Alpes, aut ad curiam? quot profunduntur prodigè inutiles sumptus in amicos, fautores, famulos? quanta humilitate, vilitate, dicere deberem, etiam cum atriensibus, & mediastinis Domini agitur? quàm indignis modis prensantur palatini, & suffragatores? Et quid habent tandem, dum assequuntur, quod tantoperè ambiuerunt? Onus plerumque Æthnâ grauius: molestias, æmulationes, labores, insomnia: prætereà sæpè nihil: nisi existimes, magnum quid esse, & maximoperè expetendum, quod dicaris, saluteris, monstreris digito. Nam ita insanit *Mors*, cuius *Rete* vulgare est, & algâ vilius. Nam *Rete Mortis* frequenter est distillatio, catarrhus, febricula, pestis, pleuritis: his hominem inuoluit, ac in suam facillimè redigit potestatem vaferrimus *Piscator*. *Nero piscatur aureo reti. Suet. Ner.*

VIII. QVALEM esse MORTEM optimè sciebat CHRISTVS. Itaque vt illius astutiam, astu diuiniore superaret, & potestatem infringeret, quod fieri non poterat, nisi in eius potestatem venisset; admirabili metamorphosi se in Piscem vertit. Certè nomine Græco ἰχθὺς, quod nobis est *Piscis*, apud Sibyllam Erythræam CHRISTVS significatur. Scripsit enim illa versus, quorum primæ litteræ hanc sententiam efferunt: Ἰησοῦς Χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτήρ: IESVS CHRISTVS DEI FILIVS SALVATOR. Quod si coniungantur harum Græcarum dictionum capitales litteræ, conficietur vocabulum, ἰχθὺς, id est, PISCIS, vt monet Sanctus Augustinus. Illo autem, eiusdem obseruatione, intelligitur symbolicè CHRISTVS, *eo quòd in huius mortalitatis abysso, velut in aquarum profunditate, viuus, hoc est, sine peccato esse potuerit.* Et Optatus Mileuitanus. *Hic est* Piscis, *qui in baptismate per inuocationem fontalibus vndis inseritur, vt qua aqua fuerat, à* Pisce *etiam piscinia vocitetur.* *Cuius* Piscis *nomen, secundum appellationem Græcam, in vno nomine per singulas litteras turbam Sanctorum nominum continet* ἰχθὺς, *quod est Latinè*, IESVS CHRISTVS, DEI FILIVS SALVATOR. CHRISTVS igitur *Christus piscis. ἰχθὺς Tertul. de Bap cap 1. Aug. 18. de ciu. cap. 23. Prosper de Promiss. Par. 11. cap. 19. Optat. contra Parmenian.*

sumpsit escam carnis nostræ, quia voluit, & *hamo* captus est *Mortis*, *Mortem* destruens, & visum intelligentiæ felicius restituens, eijciénsque Dæmonem, quàm Tigridis in Tobia celebratus Piscis: videlicet, abscondendo sub humanitatis esca Diuinitatis aculeum, vt egregiè disserit S. Gregorius in Moralibus, & Ruffinus in Symbolum.

*S. Greg. lib. XXXIII. Mor. cap. IX.*

Quod si CHRISTVS à *Piscatore Morte* capi potuit, quid mirum nos quoque intercipi? Nam *nos etiam pisciculi secundum ἰχθὺν nostrum* IESVM CHRISTVM *in aqua nascimur: nec aliter, quàm in aquâ manendo, salui sumus* (inquit eleganter Tertullianus. Et Eusebius Emissenus. *Omnes pisces sumus, quicunque in baptismo natauimus.* Extrahimur itaque è vitæ huius pelago, *sicut pisces? qui capiuntur hamo.*

*Fideles, pisces. Tertul. lib. de Bapt. Emiss. Luc. XXIV.*

IX. VTINAM saltem, licet *Hamum Mortis* temporaneæ non euadamus, haud obijciamur *Piscatori* Satanæ & *Morti* sempiternæ. Quod ne fiat, vnicum est remedium, quia *Pisces* sumus, vt capi nos permittamus volentes, lubentes à Piscatoribus CHRISTI, & ex aquis fraudum, voluptatum, criminum educamur: ac moriamur (vt Iustinus Martyr hortatur) superiori vitæ, quam in peccatis egimus, & ad æternam transferamur. Atque ita vt *pisces* comesti, CHRISTO incorporemur: quod monet Origenes. CHRISTI autem orexim ad comedendum proritabimus, si quod Discipuli fecerunt post resurrectionem, obtulerimus ei *piscem* assum cum fauo mellis. Noua est hæc parabola, cuius declarationem accipe ab Emisseno.

*Piscatus Mortis æternæ. Iustin. Mart. Q. XX. ad orthod. Orig. Hom. XVI. in Ieremiam.*

HOC cibo delectatur CHRISTVS, quia in hoc cibo nostra fides continetur. In quo CHRISTI Passio & Resurrectio, in quo & vitæ nostræ perfecta forma significatur. Quia enim & de ipsius Passione dolemus, & iterum de eiusdem Resurrectione gaudemus, vtique offerimus ei, *& piscem assum*, dolendo de Passione; & *fauum mellis*, gaudendo de Resurrectione. Nam & Beatus Paulus *piscem assum* ei offerebat, cum diceret, *Castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Itémque *Quis infirmatur, & ego non infirmor: quis scandalizatur, & ego non vror?* Multum enim ille *piscis* assatur, qui pro omnibus vritur. Omnes autem nos *pisces* sumus. Tum verò offerimus Domino *fauum mellis*, quando eius amoris dulcedine pleni simul cum Psalmista dicimus: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel & fauum ori meo.* Hoc cibo nobiscum reficitur IESVS, quo & ipse delectatur, & mentes nostræ pinguescunt.

*Homo dolens piscis assus. Emiss. Luc. XXIV. Gaudens, fauum mellis. I. Cor. IX. II. Cor. XI. Psal. CXVIII.*

SED capiendi prius sumus à *Piscatoribus* CHRISTI, quorum *Retia* sunt, inquit Ambrosius, verborum complexiones, & quasi quidam orationis sinus, ac disputationum recessus. Qui eos quos ceperint, non amittunt, & captos non perimunt, sed reseruant: ac de profundo ad lucem extrahunt; fluctuantésque de inferis ad superna perducunt. Faxit DEVS vt gemmeo Verbi diuini hamo ita maris profunda scruter, vt vel vnum *pisciculum* in CHRISTI culinam deferam: labori sat magnum pretium responsurum arbitrabor.

*Retia Piscatorum Christi. Amb. in cap. V. Luc.*

X. Non

X. NON multiplicat hæc vota MORS, cui certissima semper est captura, nunquam non fausti dies; bonus vbique & copiosus piscatus. Nemo hominum hactenus eius siue *rete*, siue *hamum*, siue *sagenam* euasit, aut euadet post hac. Et quem ille *hamo* subfallaci escâ delitescente semel inuncarit, is frustra elabi conatur. non liberabitur aut prece, aut precio. Legi haud ita pridem, dum me recrearem, lepidissimam fabellam, quam de *Piscatore* habet Auianus. Est autem dialogismus inter pisciculum, *hamo* captum, & prædatorem. *Mortis certa captura.*

*Piscator solitus prædam suspendere setâ*
*Exigui piscis vile trahebat onus.*

Pisciculus, vt deglutitâ auidè esca ferro se hærere animaduertit, & extra amicum sibi elementum palpitare ad preces se conuertit, rogátque demisse Piscatorem vt sibi parcat: *Fabella de Piscatore, & pisciculo.*

*Parce precor lacrymis supplex ita dixit obortis,*
*Nam quanta ex nostro corpore damna feres?*

Deinde, ac si oratoriam in scholis didicisset, narrare incepit incommoda, quæ in Piscatorem redundatura essent, ac simul commoda quæ ipsum manerent: illa si raperetur ad culinam: hæc si liberè dimitteretur. Paruulum se aiebat, exilem, tenellum: vix se piscem dici posse: imò vix pisciculum: effusum se haud ita pridem è fœcundæ matris aluo, sub saxoso antro, vt in aquis tantisper lusitaret, donec excresceret, & in aliorum posset admitti consortium: nondum se culinæ esse idoneum: in mensam se deportari haud posse honestè ob tenuitatem: frustra à se bolum expectari: corpusculum suum præter spinam, & squamulas, habere planè nihil. Itaque obsecrare, vt quem captum detineret, dimittat quantocyus, & sinat mensæ crescere: fore enim vt post tempus aliquod facti non pæniteat, postquam depastus cærula ponti, pinguior fuerit. Addebat sponsionem ingeniosus pisciculus: si iam dimitteretur, fore, vt, *hamum* piscatoris sponte paullò post adnataret, inillúmque lubens se indueret. *Pisciculi obtestatio.*

AT Piscator caute durior, non moueri. Nequicquam lacrymaris, aiebat, piscicule: frustra preces fundis: in vanum misericordiam imploras: Non is mos est piscatoribus. præda es: non elabêris: nefas est captum absoluere piscem. Quis ignorat difficiles in marinis casibus vices. dementis est præsentem prædam amittere, & ab euentu incerto solatium mendicare. Non committam equidem vt te sequar in posterum, cùm me modò sequi, velis, nolis, debeas. Incerta pro spe certa munera non relinquo: ne rursus quæram, & fortè non inueniam. *Piscatoris responsum.*

HÆC fabula est, sed quæ, quàm sit sapiens Piscator MORS non ineptè repræsentat. Edico: si semel deuoraueris; si te attraxerit; quamuis melle dulciorem orationem profundas; licet humillimè illi supplices; tametsi per terram, cœlos, superos, per quicquid vbique venerandum & amabile obtesteris: quamuis mille sponsiones interponas, etiam lacrymans, & votis aêrem implens; quamquam ætatem floridam, imò puerilem, imò infantilem prætexas, nihil impetrabis: audies, *Mortis decretum immobile.*

*Incerta pro spe non munera certa relinquo:*
præsentem mulgeo: cur fugientem insequar?

*Pythagoras pisces captos liberat.*

XI. NEQVE alius te liberabit à Mortis potestate, si semel in eius nassam veneris. Narrant Pythagoram aliquando, empto *retis* iactu, pisces captos emisisse, persoluto, eorum nomine, piscatori precio, quod amicis sibi animalculis, & captiuis parcendum duceret, vt Plutarchus memorat. Verùm, nullum est pretium, etiamsi gazas Persarum accumules, quod è *Mortis* fiscellâ quempiam educat: neque mortalium vllus tantæ liberalitatis, qui à *Morte*, retis iactum emat: sed neq; tam prodigus Piscator *Mors*, vel auarus, vt prædam suam, vllius oblatione dimittat.

*Plutar. Q. conuiual.*

*Deceptus piscator.*

XII. IAM verò, decipiuntur nonnunquam apud nos Piscatores: sicut sua quandoque spes fallit agricolam. Audiuimus, pisces aliquando *hamum* secum deportasse. Quod occasionem dedisse putant aliqui parœmiæ, quam inter facetè dicta Octauii Cæsaris refert Suetonius *Aureo piscari hamo.* quæ in illos iacitur, qui mediocris commodi cupiditate periculum adeunt, & maximarum rerum faciunt iacturam. At enim: nemo vnquam repertus est, nec erit vnquam, qui Mortis *hamum* secum deferat, liber aufugiens, vt eo non capiatur. Quamobrem, licet auro piscaretur *Mors*; & certè, in auro interdum vncum suum abscondit, nunquam damnum pateretur, prædâ cupitâ semper auctior.

*Aureo piscari hamo.*

*Mors nunquam decipitur.*

XIII. SED, quî fit, quòd fatalis ille *Piscator* nunquam fallatur; Vetus est diuerbium, quod habet Zenodotus ex Sophocle; ἁλιεὺς πληγεὶς νόον οἴσει. *Piscator ictus*, seu percussus, *sapiet*, & apud Græcos fuit celebratissimum: idque perhibent ab eiusmodi euentu natum. Cùm piscator quispiam piscibus, quos intra rete tenebat, manum admouisset, atque à Scorpio pisce feriretur: *Ictus*, inquit, *sapiam*: itaq; suo malo doctus, cauit in posterum. Simile quid MORTI accidit: quæ cùm CHRISTVM cœpit, ab eo icta, sapere didicit, ne in Filium hominis vnquam amplius potestatem exerceat: MORS *illi vltra non dominabitur.* At in aliis non fallitur; quia experimento docta, nunquam hamum iacit, quin certò sciat, se piscem attracturam.

*Piscari in aqua turpida.*

XIV. VT autem illi copiosa sit captura, aquam turbat. Audistis fortasse sæpius, illud à priscis vsurpari solitum adagium, *Aquâ turbidâ piscari.* Qui autem piscatoriam docentur, hoc inter alia, præceptum à magistris suis accipiunt, vt turbidam aquam obseruent: Sic enim, decipuli magis nesciam prædam, facilius capi. Vidi ego Setii in Volcis, dum in Vfente piscarentur eius regionis periti, piscatores, agere ante se magno numero bubalos, vt aquam commouerent: sicque manibus capiebantur pisces plurimi, cùm in limpidâ, nec reti, nec nassâ, nec hamo quicquam educi potuisset. Estque hoc obseruandum maximè in anguillis. Illæ, dum aqua stat, ludunt & illudunt: cùm sursum ac deorsum miscetur, in manus veniunt, nec elabuntur. Hinc illud: ἐγχέλεις θηρᾶσθαι: *Anguillas venari.*

*Anguillas captare.*

*Aquam turbant morbi.*

MORS, experientissimus Piscator, vt numerosus sit piscatus, mittit anteambulones, qui aquam turbent. Ii sunt morbi, qui temperiem in corpore humano

mano

mano dissoluunt: humores miscent: quod purum, & sincerum, inficiunt: tunc *hamum* immittit, vel *rete* iacit, & nullo negocio piscium multitudinem attrahit.

XV. Est etiam in aquâ, turbatio alterius generis, quæ Morti copiosissimam prædam aduectat. Quod vt intelligatis, concipite Rempublicam, Regnum, Imperium, tanquam lacum ingentem, aut viuarium, in quo pisces sortis diuersæ aluntur. Si pax sit, & concordia, tum spiritualis, cum Deo, per virtutum cultum; tum ciuilis inter membra reipublicæ, ac cum capite; tum externa cum vicinis, exiguus est prouentus *Piscatoris* Mortis Beneficio Dei in multos annos homines vitam prorogant: temperantia, aliæque virtutes sanitatem firmam, ac constantem efficiunt: conscientiæ serenitas ad valetudinis bonæ incrementum conducit: pestis, quæ Dei flagellum est, peccatis irritati, tunc temporis exulat: fame, gladio, igne, pauci tunc moriuntur: tranquilla est aqua, non capiuntur pisces. At si turbetur: si sceleratum Deo bellum per intemperantiam, fraudes, lasciuiam, aliáque id genus crimina indicatur: si ciuilis oriatur dissensio: si membra inferiora contra caput insurgant. Si Mars dominetur, & furor, multorum millium cotidie est occasus. Experti sumus, & experimur etiam-num turbato isto Imperii in Germaniâ statu. *Respub. turbata.*

XVI. Hoc quoniam non ignorant *Pseudo-politici*, vaferrimi *Piscatores*, & turbulenti, quibus nihil est commodi & compendii tranquillo reipublicæ statu, seditiones gaudent exoriri: nisi exoriantur, ipsimet excitant, quo publicum malum in suum priuatum vertant emolumentum, vti ille apud Aristophanem in Equitibus, cui nescio quis obiicit *Turbatores pacis.*

Ὅπερ γὰρ οἱ τὰ ἐγχέλεις θηρώμενοι, πέπονθας,
Ὅταν μὲν ἡ λίμνη κατασῇ, λαμβάνουσιν οὐδὲν,
Ἐὰν δ᾽ ἄνω τε καὶ κάτω τὸν βόρβορον κυκῶσιν,
Αἱροῦσι· καὶ σὺ λαμβάνεις, ἢν τὴν πόλιν ταράττης.

*Namque accidit tibi, quod anguillas qui aucupantur:*
*Vbi quieta stat palus, nil piscium reportant:*
*Contrà, lutum si mouerint sursum atque item deorsum,*
*Capiunt: ita ipse capis, vbi rempublicam inquietas.*

Hanc piscandi artem, heu nimium callent in amplis familiis susurrones, & domesticæ quietis olores: In Ecclesiis, & Capitulis dissidiorum amatores, seminatores, quales ferè vbique non pauci: In congregationibus quibuscumque, ordinis, tranquillitatísque perturbatores: In republicâ, aliqui ex optimatibus: alicubi etiam à Caluini incude magistratus, qui consilio pseudo-politicorum tyrannico, dissidia serunt inter subditos: imò, si possunt, bellum suscitant, vt occasio sit expillandi miseram plebeculam, & agrestem turbam. Sic dum alii rixantur, illi implent marsupium. Legerunt fortasse Æsopi apologum, de eo, qui aquam turbabat, vt plures pisces caperet. Quod dum sedulò imitantur, Piscatori Morti subseruiunt, vt copiosior illi sit piscatus, quo & ipsi facilius in nassam perueniant.

SED hæc alterius sunt loci ac temporis: hoc modò quidem tantum volebam: Non esse procrastinandum benè viuendi studium; quia, *Nescit homo finem suum: sed, sicut pisces capiuntur hamo: sic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplò superuenerit.*

# COMMENTATIO III.

## *MORS*

## AVCEPS.

*Sicut aues laqueo comprehenduntur: sic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplò superuenerit,* Ecclesiastæ IX. 12.

### BREVIARIVM.

1 *Vtilissimum ad vitæ emendationem monitum, Memento Mori.*

2 *Aues, Ecclesiastici. Homines quilibet. Vita diuitum, & ociosorum, instar auicularum. Modi & Instrumenta Aucupandi.*

3 *Calamo, & visco capiuntur Auiculæ. Viscum Mortis, Voluptas, Pocula, Intemperantia.*

4 *Viscus, carnis illecebra. Glutinum Amoris.*

5 *Impedicantur auiculæ. Hominis pedes, Adfectus. Iis laquei ponuntur à Morte.*

6 *Aucupum Retia, & Tendiculæ. Mortis Retia, Auarorum & Ambitiosorum cura, & inquies.*

7 *Falcones ad aucupium adhibent Principes. Mors, vitæ aliena Insidiatoris.*

8 *Aucupes, non omnes volucres venantur. Coruis non ponuntur retia, nec miluis. Mors omnibus nullo discrimine laqueum parat.*

9 *Ecclesiastici maximè Mortis aucupio expositi: Rapiuntur sæpè inopinato & improuiso Mortis genere.*

10 *Mors comprehendit, capit, illaqueat, abripit.*

11 *Mors aucupatur in tempore malo. Quadrifariam tempus malum dicitur.*

12 *Tempus Mortis* DEVS *decernit. Ineuitabile est, quod desuper accidit. Non videntur, quæ veniunt desuper.*

13 *Vox, Extemplò, breuitatem, velocitatem, & repentinum impetum designat.*

*AA. RR.*

# *AA. RR. DD. Sodales Decus ordinis Ecclesiastici.*

I.

VTINAM haberemus omnes animis ita impressam nostris, vt nunquam excideret, breuem illam, sed magnorum instar voluminum, sententiam, MEMENTO MORI, haud esset necessarium multos, longósque sermones texere, vt à vitiis abstraheremur, & virtutum nos officiis fructuosè occuparemus. Sed eius obliuio facit, vt neque conditionis nostræ, neque status, neque obligationis, qua DEO & proximo adstringimur, meminerimus. Hinc nihil minus, quàm de *Morte* cogitans, maior mortalium pars à *Morte* rapitur. *Mors* vbique negocium suum agit, Diabolo fido comite. At nos torpemus, & nugamur, læti ac hilares: & veluti nunquam morituri annos nobis proponimus, ac longissimam vitæ seriem: nulla tamen nobis horula à *Morte* secura est. Quod tam multis in Sacra-Scriptura Symbolis, Salutis nostræ amans DEVS ob oculos nobis ponit: & proximè quidem vt *Piscatorem* illam depinximus nunc vt *Aucupem* dabimus ex vnâ eadémque sententia: *Nescit homo finem suum: sed sicut* Pisces *capiuntur* hamo. *& sicut* Aues laqueo *comprehenduntur; sic capiuntur homines in tempore malo*. Aures date.

*Salubris de morte cogitatio.*

II. AVCVPIS ars & industria circa aues versatur. Porro *Aues* in Sacro-sermone, quamuis adhibeantur aliquando ad significandum homines diuinis officiis mancipatos, quales estis vos *Ecclesiastici*, quib. conuenit contemplari sublimia: non hærere affixos terræ: non immergi luto voluptatis; sed tendere semper in altũ, ac verè dicere: Conuersatio nostra in cœlis est: tamen hoc loco, vbi Ecclesiastes exprimit MORTEM, vt AVCVPEM, necesse est *Auium* Symbolo intelligere homines indiscriminatim: verè *Aues*, leuitate, garrulitate, vanitate. Quamquam in sententiâ recitatâ, vox Hebræa peculiariter ad passerculos referatur: *a* licet, vt obseruat Ioannes Pineda significet alibi, *b* volatile secundum genus suum. Nec illud omitto, quod idem docet, radicem eius vocabuli idem esse, quod manicare; vnde auiculæ suam habent appellationem, quasi manicantes, ad accipiendum aduentantem Solem, & agendas, quo possunt modo, Creatori suo gratias.

*Aues homines.*

*Tsiphorim.*
a *Leu.* XIV. 4. *Ps* LXXXIII. 4. & CI. 8. & CIII. 7.
b *Genes* VII. 14.
עפר

IAM considerate mihi homines plerosq;, quibus omnia ad vitam commodè, ac hilariter transigendam suppetũt, sed salutis suæ sunt immemores, mane, non ad laudandum Conditorem, quod meritò illis faciendum esset, sed ad cupiditates suas explendas, volitare stultissimarum auicularum instar, in liberrimo hoc mundi aëre, assuetos syluis vmbriferis, ridentibúsq; campis & pomiferis considentes in arboribus, omnia prata luxuria sua peruolitantes, rapientes impunè cibos agricolis, deuorantes sata agrestium, alieno viuentes, quia *non serunt neq; metunt*: licet horrea plena absq; suo labore possideãt, nullis deniq; vitæ continentioris arctatos legibus: quippe, *in labore hominum non sunt*, nec cum hominibus flagellantur: sed, dum minimè cogitant, decepti ab AVCVPE MORTE comprehenduntur, & intereunt. At quibus modis? iisdem quibus AVCVPES auiculas intercipiunt. *Sicut pisces*

*Vita diuitũ & ociosorum*

*capiuntur, & ficut aues comprehenduntur, fic capiuntur homines.* Modos aucupandi inſtrumenta demonſtrant, quæ exprimit Ouidius in Aucupii ſuppellectile.

*Retia cum pedicis, laqueoſq; arteſq; doloſas.*
*Tollite, nec volucres viſcosâ fallite virgâ.*

*Ouid. Lib. 15. Metam.*

*Calamus Viſcata virga.*

III. Ab hac ordiamur. Fraus ita expeditur. Erigitur *calamus*: hac voce inſtrumẽtum illud *Aucupis* deſignat Martialis. Eſt autem arbuſculæ inſtar truncus cum ramis, & ſtolonibus. Illinuntur partes omnes viſco, ſeu glutine: allectantur alites: ſtolidæ beſtiolæ aduolant, tanquam ad eſcam: vt pedunculos ſuos in palmitibus, vel ramuſculis collocarunt, inuiſcantur alæ, condenſantur plumulæ, hærent volucres, auelli non poſſunt plantulæ: hic garrulæ conticeſcunt, certiſſima præda *Aucupis*.

*Viſcũ Mortis Voluptas.*

Hoc artificio plurimi capiuntur à Morte, Auiario aſtutiſſimo & expertiſſimo, cuius *Viſcus* eſt *Voluptas*, quâ adglutinantur membra, vt mouere ſe amplius non poſſit homo, & in manum *Aucupis* labatur. *Viſcus* pro helluonibus, & potatoribus ſunt generoſa diuerſi generis & ætatis vina, coronati crateres, decumana pocula: ſanitatis alienæ, vt vocantur, ſunt autem inualetudinis propriæ, hauſtus liberaliſſimi. Hinc ſæpè in ætate floridâ, ſemper autem in decrepitâ, ſi ad illam perueniant (quod rarò iſtiuſmodi ſpongiis contingit) neruorum vinculationes, articulorum ligaturæ, podagra, chiragra, arthritis, vt ſe mouere non poſſint homines infeliciſſimi: qui etiamſi gemant, clament, vociferentur, neminem ad ſui commiſerationem commouent: quia ſcitur, quod ſponte ſuum ſibi malum aduocauerint, quamuis id fateri mendaciſſimè recuſent. Et quid eſt aliud, videre hominem, qui à iuuentute celebrauit hilaria aſſiduè, cotidie in conuiuiis ad opiparam menſam, aut in ſympoſiis inter pocula, nunc autem iacere clinicum: è lecto non poſſe deſcendere, multo minus domo egredi, aut frequentare Eccleſiam, quàm volucrẽ in viſcatâ virga? Sapientes ambitã hanc miſeriam riſu excipere ſolent, commiſeratione dignari minimè. Ille dignus eſt compatientis animi adfectu, qui vitâ ſobriè, ac temperatè actâ, naturæ quodam ductu & malignitate complexionis, quam ortitus eſt, articularis morbi, vel alterius tyrannide torquetur: non qui ingluuie & guloſitate malum ſibi accerſiuit.

*Viſcus, illecebra carnis.*

*Viſcus helluonum.*

IV. Eodem pacto in alio voluptatum genere *viſcus* eſt *Aucupis* Mortis, quo membra conſtringuntur & *Mortis* fiunt præda, illecebræ laſciuientis carnis. Nullo glutine magis conſtringuntur diuerſa, quàm amoris, & quæ illum conſequuntur, ſi impudicus ſit, lenociniis. O quàm multos venereæ voluptates fœdis deturpatos maculis, & morbis infamibus plenos in fatalem lectum coniecerunt, etiam, iuuenes: eoſdémque in ætatis flore *Mortis viſco* nexos, vt mouere ſe non poſſent ad Inferni carnarium, culinámque perpetuò torrendos frixandóſque tranſmiſẽre!

*Laqueus Aucupis. Inſtrumentum captiuum.*

V. Sed non omnes auiculæ ad calamum veniunt: non omnes viſco detinentur. *Sicut piſces capiuntur hamo, & ſicut aues laqueo comprehenduntur*, inquit Eccleſiaſtes. Quid eſt autem Laqvevs? Vox Hebræa, quam Latinus Interpres vertit *Laqueo*, denotat inſtrumentum quodlibet, quo aues capiuntur, quomodocunque

פחה

apteture

aptetur ad aucupium. Imò transferri poteſt ad capiendum homines, & quodcunque animal. Vnde vertitur aliquãdo, *Fouea*: quæ ad homines refertur Ioſue XXIII. *Erunt vobis in foueam.* Ad plantam autem aptatur Iob.XVIII. *Tenebitur planta illius laqueo.* Quo pertinet, quod dicitur poni in via, vel abſcondi Pſ. IX. *In laqueo iſto quem abſconderunt.* Pſ. CXLI. *In via hac, qua ambulabã, abſconderunt laqueum mihi.* Ierc. XVIII. vtrumq; coniungitur: *Foderunt foueam vt caperent me, & laqueum abſconderunt pedibus meis.* Erit igitur, vt ſuſpicatur Pineda, PEDICA, ſiue *laqueus* ad illaqueandos auicularum pedes, quod inſtrumenti captioſi genus ad aues pertinet

*Fouea.* *Ioſ.* XXIII. 14. *Iob* XVIII. 9. *Pſal.* IX. 16. *Pſ.* CXLI. *Ier.* XVIII. 22 *Pedica.*

*Tunc gruibus* pedicas *&* retia *ponere ceruis.*

canebat ille.

Quos-nam autem pedicis *Mors* aucupatur? *Pedes* in arcanã *Sapientiã* ſunt *Adfectus*: amor, deſiderium, ira, triſtitia, gaudium, æmulatio: in quos, dum vel nimium ſe effundit homo, nec ſtatûs ſui memor, nec conditionis; aut nimium iis premitur, impedicatur *Mortis* vinculis, & interitum ſibi accelerat. Nonne audiuimus multos fuiſſe qui in rerum ſuarũ deſperatione in laqueos ſeſe induerunt, animam ſibi violenter extorquentes? Alios, qui cùm non eſſent conſequuti beneficia, officia, aut dignitates, ad quas immodicè anhelabant, ingenti animi mœrore concepto, & melancholico obruti triſtiſſimarum cogitationum pondere mouere ſe amplius non potuerint ad honeſtas operationum bonarum exercitationes, & ita in *Mortis Aucupis* poteſtatem venerint? Nonnullos, quibus alius aliquis adfectus, vitæ citiùs abrumpendæ fuerit occaſio?

*Pedes, Adfectus.*

MORIVNTVR aliqui ante diem ſuum, quem ætas, & valetudo optima ſpondebat, Inuidiâ, & æmulatione prauâ erga proximum ſuum exſtimulati. Quidam nimio elati gaudio. Aliqui dum lætitiã nimium perfunderentur, in riſu ipſo cum cachinno, & dentibus, exſpuerunt animam. Plures cùm indignarentur aduerſario, & nimiùm ſanguis circa cor ebulliret. Vt ſi aliæ cauſſæ non eſſent, quæ ſanè ſunt plurimę, hæc vna ſufficeret, cur homines vitæ amantes adfectibus habenas contrahere, & animi impetuoſos motus cohibere deberent. Hoc qui negligit

*Adfectuum;*

*Sæpe ſuum vt* laqueis, *quos callidus abdidit* Auceps,
*Crus vbi commiſit volucris, ſenſitq; teneri*
*Plangitur, ac trepidans adſtringit vincula Mortis.*

*Ouid. lib.* XI. *Metam.*

VI. PORRO, ſuggerit eadem vox originalis aliud inſtrumentum, nam RETIA verti poteſt, quæ tenduntur auiculis, vnde & TENDICVLÆ appellantur. Sic Pſal. IX. vbi LXX. habent: *In laqueo iſto, quem abſconderunt*: Hieronymus legit, *Inreti.* Et eodem Pſalmo, verſu 32. *Rapere pauperem, dum attrahit eum, in laqueo ſuo humiliabit eum*: Hieronymus: *Rapere pauperẽ cùm attraxerit eum ad* rete *ſuum.* Quod per hypallagẽ explicare licet: Cum attraxerit ad eum *rete* ſuum. Solet enim *Auceps*, primùm *retia* extendere, vel abſcondere: cùm autem auicula, doli ignara, in medium venerit, aut eo loco conſtiterit, vbi irretiri poſſit, *rete* ad ſe & auiculam trahit, ac per funiculos implicat. Et quis non vidit aliquando

*Retia.* *Tendiculæ.* *Pſal.* IX. 16.

*Aut tramite leui rara tendi* retia
*Turdis edacibus dolos?*
*Pauidumq́ leporem, & aduenam* laqueo *gruem*
*Iucunda tolli præmia?*

Horat. od. II. Epod.

Retia Mortis.

1. Tim. III. 7

RETIA *Mortis* interpretor diuitum, ac ambitiosorum solicitudines varias, quibus vitam ipsi suam breuiorem faciunt. Certè Paulus Apostolus *Laqueum* vocat *Ambitionem*, ob quam quis incidit in iudicium Diaboli. Quibus propositum est ditescere, siue illi *Ecclesiastici* sint, siue coniugati, nec nocte requiem habent, nec clarâ die vllam partem quietis capiunt: fraudant ipsi genium suum Euclicones auarissimi, lucrandi caussas omnes studiosiùs, quàm vitæ conseruandæ, certè, quàm salutis æternæ rationes inquirunt, semper occupati, semper solliciti, in perpetuâ animi carnificinâ, siue adquirendum sit aliquid, siue parta custodienda: quid mirum, si à *Morte* facillimè, & ocyssime rapiantur? Non minus iisdem *retibus* inuoluuntur *Ambitiosi*, quos distrahit in mille curas, optati seu sacerdotii, seu honoris, seu dignitatis adipiscendæ cogitatio, quæ somnum auffert, animi tranquillitatem turbat, succum omnem vitalem exhaurit, vnde iuuenum sæpe improuisus, sed occultâ ex caussâ, interitus.

Auari.

Ambitiosi.

Falcones.

VII. NEC alienus est mos aucupandi MORTIS, quo gaudere solent Principes, qui *Falcones* adhibent ad auium ceterarum capturam. Sed rapaces hasce volucres *Auiarius Dæmon* solet alere, & *Morti* suppeditare. Eius enim inuidia *Mors* intrauit in orbem terrarum. Qui sunt illi *Falcones?* qui aliis citiùs moriendi sunt occasio. Qui proximos in insidias suorum inimicorum præcipitant. Qui potando, qui ad æquales haustus cogendo, qui ingurgitando, qui per speciem amicitiæ, aut beneuolentiæ, inebriando, aliorum vitæ insidiantur. Sed caueant isti *Falcones*, ne iis eueniat, quod auibus illius nominis.

Falcones.

FALCO, *Nisus*, & similes volucres, ex accipitrum genere dum viuunt, & illis ad prædam vtitur *Auceps*, magni æstimantur, nutriuntur exquisitis ciborum delitiis: & manibus gestantur magnatum. At, cùm moriuntur, proiiciuntur in sterquilinium. Contra verò, *Perdices*, dum viuunt, exagitãtur ab omnibus, instituuntur iis insidię, nemo non illas persequitur. At mortuæ, deferuntur ad Principis mensam, Regum, & Imperatorum delitiæ. Migrabunt etiam aliquando illustres illi, & alienæ salutis insidiatores, ac suæ prodigi, & proiicientur in inferni sterquilinium, æternùm cruciandi. Alii autem, qui variis torquentur calamitatibus, & ob præclaras virtutum actiones in hominum sceleratorum odia incurrunt, atq; à mundo contemnuntur, si excedant è vitâ ad mensam Principis Angelorum deferentur. Est similitudo viri doctissimi Hectoris Pinti Lusitani in cap. XVII. Ezechielis.

Perdices.

Aucupes nõ omnes aues capiunt.

VIII. ET *Mors* tandem etiam illos suos *Falcones* abripit. Apud nos Aucupes non omnibus auibus ponunt *retia*. Non curant coruos, non insidiantur miluis, non similis generis alitibus.

Terent.

*Non rete accipitri tenditur, atq́ miluo, qui malè faciunt nobis,*
*Illis, qui nihil faciunt, tenditur, quia in his fructus est:*
*In illis opera luditur.* ———

Quod

Quod ille dixit de Iudice, & superiore iniquo, ac personarum acceptore:

*Dat veniam coruis, vexat censura columbas.*

Nempe, perditis, ac flagitiosis veniam conceditur: vel dissimulatur ad illorum peccata; simplicibus, seu ex fragilitate leuia committentibus peccata, grauia supplicia destinantur: paucis, & priuatis latrunculis rota statuitur: publicis illis, & totius orbis raptoribus catenæ ex auro, & gemmis donantur; Idem verum est de *Aucupe*: cuius illa causa est, quia nihil lucri sperat ex captura auium voracissimarum. Sed *Mors* nullo discrimine, omnibus tendit *retia*: nam fructum, quem spectat, semper assequitur: hominem capere. *Vt pisces hamo, aues laqueo: sic homines capiuntur.*

IX. PORRO, cùm *homines* dixit Ecclesiastes: seu *filii hominum*, vt est in Hebræo, omnes intellexit. Genus nimirum humanum, quos Adam filios vocat Scriptura, vt D. Hieronymus animaduertit, & non solùm improbos. Quamuis idem S. Doctor singulari quadam ratione Mortis aucupium ad *Ecclesiasticos* transferat: *Sciendum*, inquit *est*, Ecclesiasticos *quosque viros, qui* filij hominum *appellantur & sunt modicæ fidei, citò posse corruere.* Atque vt meam quoque obseruationem adiungam: si illa est tanti, sed puto ab alijs idem notatum. Plures *Ecclesiastici*, quàm alterius conditionis homines, subitaneâ repentináque *Morte*, vtinam non etiam mala, & semper lugenda abripiuntur. Fortasse aliquando catalogum texam omnium superioris seculi in vnius Germaniæ Episcopatibus, Principum, Prælatorum, Canonicorum, qui ad meam peruenerunt notitiam, & præter omnium ac suam maximè opinionem, extemplò, vtinam non imparati ad DEI tribunal sunt euocati. Illustri documento, aut monito, vt nos *Ecclesiastici*, magis, quàm vlli alij, ad *Aucupis* fatalis insidias simus vigiles, ne vnquam incautos, imparatósq; illaqueet. Nam reuera *Homines Ecclesiastici.*

X. SICVT *Pisces hamo capiuntur, & Aues laqueo comprehenduntur*; *sic homines capiuntur.* Emphasim habet vox, *comprehenduntur.* Quæ in sermone originali adfert vim ineuitabilem, quâ aliquid arctissimè teneatur, ne elabi possit: aut etiam, quod adhæreat fortissimè: vtrumque enim significat, & capere, & adhætere. Quod non malè indicauit Poëta Gallus: *Comprehendi vox vehemens.*

*Sed veluti passer laqueo, piscisque sagenâ*
*Capti hærent.*

Nec caret singulari energiâ, vox altera, *capiuntur* homines: quod LXX. Interpretes vertunt, *Illaqueantur*. Hieronymus, *Corruunt*. Plerique Hebraizantium, *Irretiuntur*, Neocæsariensis, *Abripiuntur* in malis versantes. Alij Latini. *Tolluntur de vitâ*, Vox Hebræa propria est *venationis, & aucupii*; accommodatur autem, vel ad occultas hostium insidias, vel ad fallacem voluptatis, aut lucri speciem. Certè occultis fraudibus, & prætereà, aliquâ lucri voluptatis, aut ementiti splendoris speciе, aliisque vitiorum illecebris illaqueatos *Mors* abripit. *Capi, Illaqueari.* *Ps. xci. 3. cxxxiii. 6. cxl. 9. Ier. v. 27. Deut. xvii. 16.*

XI. QVANDO autem aucupatur MORS? semper quidem, sed duabus adiunctis conditionibus, quas totidem dicendi formulis explicat Ecclesiastes, quæ merito consideranti terrorem incutiant. Prima est, *In tempore malo*: εἰς καιρὸν πονηρὸν *Tempus malum.*

*mnes, qui de bonis temporalibus beatos se esse putant: hamum enim acceperunt, & cum illo vagantur. Veniet tempus, vt sentiant, quanta tormenta cum auiditate deuorauerint.*

*Instrumenta piscandi. Manil. lib. IV.*

V. QVIS autem est *Mortis* HAMVS? quo nomine instrumenta piscandi omnia designo. Sunt autem potissimum tria, vt totidem piscandi genera, de quibus Manilius, eorum magisterium adfingens natis sub signo piscium: hos enim canit

*Rete. Vncus. Carcer.*

*Et placidum ductis euerrere retibus aquor:*
*At* vncos *celare cibis, aut* carcere *fraudem.*

*Iaculum Ouid. 1. de Ar. Nassa. Excipula. Fuscina. Tridens.*

*Iacula* piscatoria nominat Ouidius

Hi iaculo *pisces, illi capiuntur ab* hamo.

Ad hæc reuocantur, *Nassa*, seu *Vimineum textum*, vbi esca piscibus reconditur, vnde ingressis effugium non patet: *Excipula*, seu septa viminea in profluente ad insidias parata: *Fuscina*, aut *Tridens*, quo piscium genus aliquod, nominatim anguillæ, confodiuntur. Sed quoniam communissimum piscandi instrumentum est *Hamus*, & magis lethalis, quia ob escæ illecebram magis appetitur, & auidius deuoratur, eo nomine vtamur.

*Hamus Mortis, eius potestas.*

PORRO, *Mortis Hamus* est illius *Potestas*, verè vncata, qua omnes naso suspendit, & in sublime trahit, ostentui futuros, qui terrori fuêre, dum viuerent. Cerne hominem, in ferali grabato ore anhelantem, & extremum trahentem, aut euomentem spiritum: brachiorum verò, pedum, & totius corporis concussione *hamum* interius latentem haud dissimulanter prodere: quod multo magis facit pendulus ab arbore: dices piscem esse, *hamo* ex aquâ extractum, & in altum leuatum, ac frustra aërem caudâ verberantem, cùm mox vitalem sit daturus spiritum.

*Cuique sub amne suo mansit rigor, aëre nostro*
*Segnis, anhelatis vitam consumit in auris.*
*Iam piger in validos vibratur corpore plausus,*
*Torpida supremos patitur iam cauda tremores:*
*Nec coëunt rictus: haustas sub hiatibus auras*
*Reddit, mortiferos expirans branchia flatus.*

*Esca Mortis. Voluptas.*

VI. AT quænam est *Esca*, quâ *Hamus* occulitur? Quicquid in rerum natura vides: diuitiæ, honores, munera. Sed præ omnibus, voluptas: nulla enim re magis homines capiuntur, & inescantur quam voluptate. Hanc dum auidè arripiunt, siue carnis sit, inhonesta: siue cibi, potúsque, propria gulosorum: siue generis cuiuslibet alterius, *hamum* simul deuorant, & sicut pisces à *Morte* capiuntur. Quot audiuimus, vidimus, legimus in opiparis, & esculentorum omni apparatu instructissimis mensis; quot in thoro geniali prima nuptiarum nocte; quot inter choreas puellarum saltitantes, quot amicarum fenestris insidentes, quot inter impudicos agapetarum amplexus, extremum eructasse spiritum, & penè viuentes, ac piscium instar, palpitantes ad infernum, vnco tartarei carnificis pertractos?

Non

Non displicet tamen, quod habet Olympiodorus, voluptatem non escam solum esse, sed & instrumentum piscatorium. Concipit enim ille ex varijs voluptatum generibus, tanquam funiculis, malum Piscatoris *Rete confici*, quo homines confertim capiantur. Idémque in aquis voluptatis arcanam significationem considerat. Eodem iure, diuitias escam & hamum dixeris. Ita forsasse illas animo suo obijciebat, qui minitabatur, aut prædicebat homini habenti pacem in fortunis suis, venturum aliquando diem quo lethali *Mortis* hamo deuorato, esset redditurus omnia, quæ tanta auiditate tot annis accumulando, quasi in ventris barathrum iniecerat: *Diuitias quas deuorauit, euomet: & de ventre illius extrahet illas* DEVS Iob. xx. 15. *Voluptas, Rete.*

VII. Sed non vnum est *Mortis Piscatoris* rete. Delirus, & amens, aut potius vecors Piscator fuit, meo iudicio, Nero Imperator, qui reti aureo, quippe ex aureis plagulis, & purpura, coccóque nexis funibus piscabatur. Hunc imitantur Piscatores non hominum, sed honorum, & nominum: voluptatum etiam, ac opum; qui exigua commoda magnis impensis consectantur. Quamdiu ab ambitioso, dignitatis Ecclesiasticæ, aut ciuilis gratiâ vigilatur noctu, diúque? quoties curritur trans Alpes, aut ad curiam? quot profunduntur prodigè inutiles sumptus in amicos, fautores, famulos? quanta humilitate, vilitate, dicere deberem, etiam cum atriensibus, & mediastinis Domini agitur? quàm indignis modis prensantur palatini, & suffragatores? Et quid habent tandem, dum assequuntur, quod tantoperè ambiuerunt? Onus plerumque Æthnâ grauius: molestias, æmulationes, labores, insomnia: præterea sæpè nihil: nisi existimes, magnum quid esse, & maximoperè expetendum, quod dicaris, saluteris, monstreris digito. Nam ita insanit *Mors*, cuius *Rete* vulgare est, & algâ vilius. Nam *Rete Mortis* frequenter est distillatio, catarrhus, febricula, pestis, pleuritis: his hominem inuoluit, ac in suam facillimè redigit potestatem vaferrimus *Piscator*. *Nero piscatur aureo reti. Suet. Ner.*

VIII. QVALEM esse MORTEM optimè sciebat CHRISTVS. Itaque vt illius astutiam, astu diuiniore superaret, & potestatem infringeret, quod fieri non poterat, nisi in eius potestatem venisset; admirabili metamorphosi se in Piscem vertit. Certè nomine Græco ἰχθὺς, quod nobis est *Piscis*, apud Sibyllam Erythræam CHRISTVS significatur. Scripsit enim illa versus, quorum primæ litteræ hanc sententiam efferunt: Ἰησοῦς Χριςὸς θεοῦ υἱὸς σωτήρ: IESVS CHRISTVS DEI FILIVS SALVATOR. Quod si coniungantur harum Græcarum dictionum capitales litteræ, conficietur vocabulum, ἰχθὺς, id est, PISCIS, vt monet Sanctus Augustinus. Illo autem, eiusdem obseruatione, intelligitur symbolicè CHRISTVS, *eo quòd in huius mortalitatis abysso, velut in aquarum profunditate, viuus, hoc est, sine peccato esse potuerit.* Et Optatus Mileuitanus. *Hic est* Piscis, *qui in baptismate per inuocationem fontalibus vndis inseritur, vt quæ aqua fuerat, à* Pisce *etiam piscinia vocitetur. Cuius* Piscis *nomen, secundum appellationem Græcam, in vno nomine per singulas litteras turbam Sanctorum nominum continet* ἰχθὺς, *quod est Latinè*, IESVS CHRISTVS, DEI FILIVS SALVATOR. CHRISTVS igitur *Christus piscis.* ἰχθὺς *Tertul. de Bap. cap. 1. Aug. 18. de ciu. cap. 23. Prosper de Promiss. Par. 11. cap. 19. Optat. contra Parmenian.*

ſumpſit eſcam carnis noſtræ, quia voluit, & *hamo* captus eſt *Mortis*, *Mortem* deſtruens, & viſum intelligentiæ felicius reſtituens, eijciénſque Dæmonem, quàm Tigridis in Tobia celebratus Piſcis: videlicet, abſcondendo ſub humanitatis eſca Diuinitatis aculeum, vt egregiè differit S. Gregorius in Moralibus, & Ruffinus in Symbolum.

*S. Greg. lib. XXXIII. Mor. cap. IX.*

Quod ſi CHRISTVS à *Piſcatore Morte* capi potuit, quid mirum nos quoque intercipi? Nam *nos etiam piſciculi ſecundum* ἰχθὺν *noſtrum* IESVM CHRISTVM *in aqua naſcimur: nec aliter, quàm in aquâ manendo, ſalui ſumus* (inquit eleganter Tertullianus. Et Euſebius Emiſſenus. *Omnes piſces ſumus, quicunque in baptiſmo natauimus.* Extrahimur itaque è vitæ huius pelago, *ſicut piſces: qui capiuntur hamo.*

*Fideles, piſces. Tertul. lib. de Bapt. Emiſs. Luc. XXIV.*

IX. VTINAM ſaltem, licet *Hamum Mortis* temporaneæ non euadamus, haud obijciamur *Piſcatori* Satanæ & *Morti* ſempiternæ. Quod ne fiat, vnicum eſt remedium, quia *Piſces* ſumus, vt capi nos permittamus volentes, lubentes à Piſcatoribus CHRISTI, & ex aquis fraudum, voluptatum, criminum educamur: ac moriamur (vt Iuſtinus Martyr hortatur) ſuperiori vitæ, quam in peccatis egimus, & ad æternam transferamur. Atque ita vt *piſces* comeſti, CHRISTO incorporemur: quod monet Origenes. CHRISTI autem orexim ad comedendum proritabimus, ſi quod Diſcipuli fecerunt poſt reſurrectionem, obtulerimus ei *piſcem* aſſum cum fauo mellis. Noua eſt hæc parabola, cuius declarationem accipe ab Emiſſeno.

*Piſcatus Mortis æterna. Iuſtin. Mart. Q. XX. ad orthod. Orig. Hom. XVI. in Ieremiam.*

HOC cibo delectatur CHRISTVS, quia in hoc cibo noſtra fides continetur. In quo CHRISTI Paſſio & Reſurrectio, in quo & vitæ noſtræ perfecta forma ſignificatur. Quia enim & de ipſius Paſſione dolemus, & iterum de eiuſdem Reſurrectione gaudemus, vtique offerimus ei, & *piſcem aſſum*, dolendo de Paſſione; & *fauum mellis*, gaudendo de Reſurrectione. Nam & Beatus Paulus *piſcem aſſum* ei offerebat, cum diceret, *Caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo, ne cùm alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* Itémque *Quis infirmatur, & ego non infirmor: quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Multum enim ille *piſcis* aſſatur, qui pro omnibus vritur. Omnes autem nos *piſces* ſumus. Tum verò offerimus Domino *fauum mellis*, quando eius amoris dulcedine pleni ſimul cum Pſalmiſta dicimus: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel & fauum ori meo.* Hoc cibo nobiſcum reficitur IESVS, quo & ipſe delectatur, & mentes noſtræ pingueſcunt.

*Homo dolens piſcis aſſus. Emiſſ. Luc. XXIV. Gaudens, fauum mellis. I. Cor. IX. II. Cor. XI. Pſal. CXVIII.*

SED capiendi prius ſumus à *Piſcatoribus* CHRISTI, quorum *Retia* ſunt, inquit Ambroſius, verborum complexiones, & quaſi quidam orationis ſinus, ac diſputationum receſſus. Qui eos quos ceperint, non amittunt, & captos non perimunt, ſed reſeruant: ac de profundo ad lucem extrahunt; fluctuantéſque de inferis ad ſuperna perducunt. Faxit DEVS vt gemmeo Verbi diuini hamo ita maris profunda ſcruter, vt vel vnum *piſciculum* in CHRISTI culinam deferam: labori ſat magnum pretium reſponſurum arbitrabor.

*Retia Piſcatorum Chriſti. Amb. in cap. V. Luc.*

X. Non

X. NON multiplicat hæc vota MORS, cui certissima semper est captura, nunquam non fausti dies; bonus vbique & copiosus piscatus. Nemo hominum hactenus eius siue *rete*, siue *hamum*, siue *sagenam* euasit, aut euadet post hac. Et quem ille *hamo* subfallaci escâ delitescente semel inuncarit, is frustra elabi conatur. non liberabitur aut prece, aut precio. Legi haud ita pridem, dum me recrearem, lepidissimam fabellam, quam de *Piscatore* habet Auianus. Est autem dialogismus inter pisciculum, *hamo* captum, & prædatorem.

*Mortis certa captura.*

*Piscator solitus prædam suspendere setâ*
*Exigui piscis vile trahebat onus.*

Pisciculus, vt deglutitâ auidè esca ferro se hærere animaduertit, & extra amicum sibi elementum palpitare ad preces se conuertit, rogátque demissè Piscatorem vt sibi parcat:

*Fabella de Piscatore, & pisciculo.*

*Parce precor lacrymis supplex ita dixit obortis,*
*Nam quanta ex nostro corpore damna feres?*

Deinde, ac si oratoriam in scholis didicisset, narrare incepit incommoda, quæ in Piscatorem redundatura essent, ac simul commoda quæ ipsum manerent: illa si caperetur ad culinam: hæc si liberè dimitteretur. Paruulum se aiebat, exilem, tenellum: vix se piscem dici posse: imò vix pisciculum: effusum se haud ita pridem è fœcundæ matris aluo, sub saxoso antro, vt in aquis tantisper lusitaret, donec excresceret, & in aliorum posset admitti consortium: nondum se culinæ esse idoneum: in mensam se deportari haud posse honestè ob tenuitatem: frustra à se bolum expectari: corpusculum suum præter spinam, & squamulas, habere planè nihil. Itaque obsecrare, vt quem captum detineret, dimittat quantocyus, & sinat mensæ crescere: fore enim vt post tempus aliquod facti non pæniteat, postquam depastus cærula ponti, pinguior fuerit. Addebat sponsionem ingeniosus pisciculus: si iam dimitteretur, fore, vt, *hamum* piscatoris sponte paullò post adnataret, in illúmque lubens se indueret.

*Pisciculi obtestatio.*

AT Piscator cautè durior, non moueri. Nequicquam lacrymaris, aiebat, piscicule: frustra preces fundis: in vanum misericordiam imploras: Non is mos est piscatoribus. præda es: non elabêris: nefas est captum absoluere piscem. Quis ignorat difficiles in marinis casibus vices. dementis est præsentem prædam amittere, & ab euentu incerto solatium mendicare. Non committam equidem vt te sequar in posterum, cùm me modò sequi, velis, nolis, debeas. Incerta pro spe certa munera non relinquo: ne rursus quæram, & fortè non inueniam.

*Piscatoris responsum.*

HÆC fabula est, sed quæ, quàm sit sapiens Piscator MORS non ineptè repræsentat. Edico: si semel deuoraueris; si te attraxerit; quamuis melle dulciorem orationem profundas; licet humillimè illi supplices; tametsi per terram, cœlos, superos, per quicquid vbique venerandum & amabile obtesteris: quamuis mille sponsiones interponas, etiam lacrymans, & votis aërem implens; quamquam ætatem floridam, imò puerilem, imò infantilem prætexas, nihil impetrabis: audies,

*Mortis decretum immobile.*

*Incerta pro spe non munera certa relinquo:*
præsentem mulgeo: cur fugientem insequar?

*Pythagoras pisces captos liberat.*

XI. NEQVE alius te liberabit à Mortis potestate, si semel in eius nassam veneris. Narrant Pythagoram aliquando, empto *retis* iactu, pisces captos emisisse, persoluto, eorum nomine, piscatori precio, quod amicis sibi animalculis, & captiuis parcendum duceret, vt Plutarchus memorat. Verùm, nullum est pretium, etiamsi gazas Persarum accumules, quod è *Mortis* fiscellâ quempiam educat: neque mortalium vllus tantæ liberalitatis, qui à *Morte*, retis iactum emat: sed neq; tam prodigus Piscator *Mors*, vel auarus, vt prædam suam, vllius oblatione dimittat.

*Plutar. Q. conuiual.*

*Deceptus piscator.*

XII. IAM verò, decipiuntur nonnunquam apud nos Piscatores: sicut sua quandoque spes fallit agricolam. Audiuimus, pisces aliquando *hamum* secum deportasse. Quod occasionem dedisse putant aliqui parœmiæ, quam inter facetè dicta Octauii Cæsaris refert Suetonius *Aureo piscari hamo.* quæ in illos iacitur, qui mediocris commodi cupiditate periculum adeunt, & maximarum rerum faciunt iacturam. At enim: nemo vnquam repertus est, nec erit vnquam, qui Mortis *hamum* secum deferat, liber aufugiens, vt eo non capiatur. Quamobrem, licet auro piscaretur *Mors*; & certè, in auro interdum vncum suum abscondit, nunquam damnum pateretur, prædâ cupitâ semper auctior.

*Aureo piscari hamo.*

*Mors nunquam decipitur.*

XIII. SED, quî fit, quòd fatalis ille *Piscator* nunquam fallatur; Vetus est diuerbium, quod habet Zenodotus ex Sophocle; ἁλιεὺς πληγεὶς νόον οἴσει. *Piscator ictus*, seu percussus, *sapiet*, & apud Græcos fuit celebratissimum: idque perhibent ab eiusmodi euentu natum. Cùm piscator quispiam piscibus, quos intra rete tenebat, manum admouisset, atque à Scorpio pisce feriretur: *Ictus*, inquit, *sapiam*: itaq; suo malo doctus, cauit in posterum. Simile quid MORTI accidit: quæ cùm CHRISTVM cœpit, ab eo icta, sapere didicit, ne in Filium hominis vnquam amplius potestatem exerceat: MORS *illi vltra non dominabitur.* At in aliis non fallitur; quia experimento docta, nunquam hamum iacit, quin certò sciat, se piscem attracturam.

*Piscari in aqua turpida*

XIV. VT autem illi copiosa sit captura, aquam turbat. Audistis fortasse sæpius, illud à priscis vsurpari solitum adagium, *Aquâ turbidâ piscari.* Qui autem piscatoriam docentur, hoc inter alia, præceptum à magistris suis accipiunt, vt turbidam aquam obseruent: Sic enim, decipuli magis nesciam prædam, facilius capi. Vidi ego Setii in Volcis, dum in Vfente piscarentur eius regionis periti, piscatores, agere ante se magno numero bubalos, vt aquam commouerent: sicque manibus capiebantur pisces plurimi, cùm in limpidâ, nec reti, nec nassâ, nec hamo quicquam educi potuisset. Estque hoc obseruandum maximè in anguillis. Illæ, dum aqua stat, ludunt & illudunt: cùm sursum ac deorsum miscetur, in manus veniunt, nec elabuntur. Hinc illud: ἐγχέλεις θηρᾶσθαι: *Anguillas venari.*

*Anguillas captare.*

*Aquam turbant morbi.*

MORS, experientissimus Piscator, vt numerosus sit piscatus, mittit anteambulones, qui aquam turbent. Ii sunt morbi, qui temperiem in corpore humano

mano dissoluunt: humores miscent: quod purum, & sincerum, inficiunt: tunc *hamum* immittit, vel *rete* iacit, & nullo negocio piscium multitudinem attrahit.

XV. Est etiam in aquâ, turbatio alterius generis, quæ Morti copiosissimam prædam aduectat. Quod vt intelligatis, concipite Rempublicam, Regnum, Imperium, tanquam lacum ingentem, aut viuarium, in quo pisces sortis diuersæ aluntur. Si pax sit, & concordia, tum spiritualis, cum Deo per virtutum cultum; tum ciuilis inter membra reipublicæ, ac cum capite; tum externa cum vicinis, exiguus est prouentus *Piscatoris* Mortis Beneficio Dei in multos annos homines vitam prorogant: temperantia, aliæque virtutes sanitatem firmam, ac constantem efficiunt: conscientiæ serenitas ad valetudinis bonæ incrementum conducit: pestis, quæ Dei flagellum est, peccatis irritati, tunc temporis exulat: fame, gladio, igne, pauci tunc moriuntur: tranquilla est aqua, non capiuntur pisces. At si turbetur: si sceleratum Deo bellum per intemperantiam, fraudes, lasciuiam, aliáque id genus crimina indicatur: si ciuilis oriatur dissensio: si membra inferiora contra caput insurgant. Si *Mars* dominetur, & furor, multorum millium cotidie est occasus. Experti sumus, & experimur etiam-num turbato isto Imperii in Germaniâ statu. *Respub. turbata.*

XVI. Hoc quoniam non ignorant *Pseudo-politici*, vaferrimi *Piscatores*, & turbulenti, quibus nihil est commodi & compendii tranquillo reipublicæ statu, seditiones gaudent exoriri: nisi exoriantur, ipsimet excitant, quo publicum malum in suum priuatum vertant emolumentum, vti ille apud Aristophanem in Equitibus, cui nescio quis obiicit *Turbatores pacis.*

Ὅπερ γὰρ οἱ τὰς ἐγχέλεις θηρώμενοι, πέπονθας,
Ὅταν μὲν ἡ λίμνη καταστῇ, λαμβάνουσιν οὐδὲν,
Ἐὰν δ' ἄνω τε καὶ κάτω τὸν βόρβορον κυκῶσιν,
Αἱροῦσι· καὶ σὺ λαμβάνεις, ἢν τὴν πόλιν ταράττῃς.

*Namque accidit tibi, quod anguillas qui aucupantur:*
*Vbi quieta stat palus, nil piscium reportant:*
*Contrà, lutum si mouerint sursum atque item deorsum,*
*Capiunt: ita ipse capis, vbi rempublicam inquietas.*

Hanc piscandi artem, heu nimium callent in amplis familiis susurrones, & domesticæ quietis olores: In Ecclesiis, & Capitulis dissidiorum amatores, seminatores, quales ferè vbique non pauci: In congregationibus quibuscumque, ordinis, tranquillitatísque perturbatores: In republicâ, aliqui ex optimatibus: alicubi etiam à Caluini incude magistratus, qui consilio pseudo-politicorum tyrannico, dissidia serunt inter subditos: imò, si possunt, bellum suscitant, vt occasio sit expillandi miseram plebeculam, & agrestem turbam. Sic dum alii rixantur, illi implent marsupium. Legerunt fortasse Æsopi apologum, de eo, qui aquam turbabat, vt plures pisces caperet. Quod dum sedulò imitantur, Piscatori Morti subseruiunt, vt copiosior illi sit piscatus, quo & ipsi facilius in nassam perueniant.

SED hæc alterius sunt loci ac temporis: hoc modò quidem tantum volebam: Non esse procrastinandum benè viuendi studium; quia, *Nescit homo finem suum: sed, sicut pisces capiuntur hamo: sic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplò superuenerit.*

# COMMENTATIO III.

## *MORS*

# AVCEPS.

*Sicut aues laqueo comprehenduntur: sic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplò superuenerit,* Ecclesiastæ IX. 12.

---

### BREVIARIVM.

1 *Vtilissimum ad vitæ emendationem monitum,* Memento Mori.

2 *Aues,* Ecclesiastici. *Homines quilibet. Vita diuitum, & ociosorum, instar auicularum. Modi & Instrumenta Aucupandi.*

3 *Calamo, & visco capiuntur Auiculæ. Viscus Mortis, Voluptas, Pocula, Intemperantia.*

4 *Viscus, carnis illecebra. Glutinum Amoris.*

5 *Impedicantur auiculæ. Hominis pedes, Adfectus. Iis laquei ponuntur à Morte.*

6 *Aucupum Retia, & Tendiculæ Mortis Retia, Auarorum & Ambitiosorum cura, & inquies.*

7 *Falcones ad aucupium adhibent Principes. Mors, vitæ alienæ Insidiatoris.*

8 *Aucupes, non omnes volucres venantur. Coruis non ponuntur retia, nec miluis. Mors omnibus nullo discrimine laqueum parat.*

9 *Ecclesiastici maximè Mortis aucupio expositi: Rapiuntur sæpè inopinato & improuiso Mortis genere.*

10 *Mors comprehendit, capit, illaqueat, abripit.*

11 *Mors aucupatur in tempore malo. Quadrifariam tempus malum dicitur.*

12 *Tempus Mortis* DEVS *decernit. Ineuitabile est, quod desuper accidit. Non videntur, quæ veniunt desuper.*

13 *Vox*, Extemplò, *breuitatem, velocitatem, & repentinum impetum designat.*

## *AA. RR. DD. Sodales Decus ordinis Ecclesiastici.*

I.

VTINAM haberemus omnes animis ita impressam nostris, vt nunquam excideret, breuem illam, sed magnorum instar voluminum, sententiam, MEMENTO MORI, haud esset necessarium multos, longósque sermones texere, vt à vitiis abstraheremur, & virtutum nos officiis fructuosè occuparemus. Sed eius obliuio facit, vt neque conditionis nostræ, neque status, neque obligationis, qua DEO & proximo adstringimur, meminerimus. Hinc nihil minus, quàm de *Morte* cogitans, maior mortalium pars à *Morte* rapitur. *Mors* vbique negocium suum agit, Diabolo fido comite. At nos torpemus, & nugamur, læti ac hilares: & veluti nunquam morituri annos nobis proponimus, ac longissimam vitæ seriem: nulla tamen nobis horula à *Morte* secura est. Quod tam multis in Sacra-Scriptura Symbolis, Salutis nostræ amans DEVS ob oculos nobis ponit: & proximè quidem vt *Piscatorem* illam depinximus nunc vt *Aucupem* dabimus ex vnâ eadémque sententia: *Nescit homo finem suum: sed sicut* Pisces *capiuntur* hamo. *& sicut* Aues laqueo *comprehenduntur; sic capiuntur homines in tempore malo.* Aures date.

*Salubris de morte cogitatio.*

II. AVCVPIS ars & industria circa aues versatur. Porro *Aues* in Sacro-sermone, quamuis adhibeantur aliquando ad significandum homines diuinis officiis mancipatos, quales estis vos *Ecclesiastici*, quib. conuenit contemplari sublimia: non hærere affixos terræ: non immergi luto voluptatis; sed tendere semper in altũ, ac verè dicere: Conuersatio nostra in cœlis est: tamen hoc loco, vbi Ecclesiastes exprimit MORTEM, vt AVCVPEM, necesse est *Auium* Symbolo intelligere homines indiscriminatim: ve è *Aues*, leuitate, garrulitate, vanitate. Quamquam in sententiâ recitatâ, vox Hebræa peculiariter ad passerculos referatur: *a* licet, vt obseruat Ioannes Pineda significet alibi, *b* volatile secundum genus suum. Nec illud omitto, quod idem docet, radicem eius vocabuli idem esse, quod manicare; vnde auiculæ suam habent appellationem, quasi manicantes, ad accipiendum aduentantem Solem, & agendas, quo possunt modo, Creatori suo gratias.

*Aues homines.*

*Tsiphorim.*
a *Leu.* XIV. 4. *Ps* LXXXIII. 4. *&* CI 8. *&* CIII. 7.
b *Genes* VII. 14.

IAM considerate mihi homines plerosq;, quibus omnia ad vitam commodè, ac hilariter transigendam suppetũt, sed salutis suæ sunt immemores, mane, non ad laudandum Conditorem, quod meritò illis faciendum esset, sed ad cupiditates suas explendas, volitare stultissimarum auicularum instar, in liberrimo hoc mundi aëre, assuetos syluis vmbriferis, ridentibúsq; campis & pomiferis considentes in arboribus, omnia prata luxuria sua peruolitantes, rapientes impunè cibos agricolis, deuorantes sata agrestium, alieno viuentes, quia *non serunt neq; metunt*: licet horrea plena absq; suo labore possideãt, nullis deniq; vitæ continentioris arctatos legibus: quippe, *in labore hominum non sunt*, nec cum hominibus flagellantur: sed, dum minimè cogitant, decepti ab AVCVPE MORTE comprehenduntur, & intereunt. At quibus modis? iisdem quibus AVCVPES auiculas intercipiunt. *Sicut pisces capiun-*

עפר
*Vita diuitũ & ociosorum*

*capiuntur, & sicut aues comprehenduntur, sic capiuntur homines.* Modos aucupandi instrumenta demonstrant, quæ exprimit Ouidius in Aucupii suppellectile.

*Ouid. Lib. 15. Metam.*

*Retia cum pedicis, laqueosq; artesq; dolosas.*
*Tollite, nec volucres viscosâ fallite virgâ.*

*Calamus Viscata virga.*

III. Ab hàc ordiamur. Fraus ita expeditur. Erigitur *calamus*: hac voce instrumẽtum illud *Aucupis* designat Martialis. Est autem arbusculæ instar truncus cum ramis, & stolonibus. Illinuntur partes omnes visco, seu glutine: allectantur alites: stolidæ bestiolæ aduolant, tanquam ad escam: vt pedunculos suos in palmitibus, vel ramusculis collocarunt, inuiscantur alæ, condensantur plumulæ, hærent volucres, auelli non possunt plantulæ: hic garrulæ conticescunt, certissima præda *Aucupis*.

*Viscũ Mortis Voluptas.*

*Viscus helluonum.*

Hoc artificio plurimi capiuntur à MORTE, Auiario astutissimo & expertissimo, cuius *Viscus* est *Voluptas*, quâ adglutinantur membra, vt mouere se amplius non possit homo, & in manum *Aucupis* labatur. *Viscum* pro helluonibus, & potatoribus sunt generosa diuersi generis & ætatis vina, coronati crateres, decumana pocula: sanitatis alienæ, vt vocantur, sunt autem inualetudinis propriæ, haustus liberalissimi. Hinc sæpè in ætate floridâ, semper autem in decrepitâ, si ad illam perueniant (quod rarò istiusmodi spongiis contingit) neruorum vinculationes, articulorum ligaturæ, podagra, chiragra, arthritis, vt se mouere non possint homines infelicissimi: qui etiamsi gemant, clament, vociferentur, neminem ad sui commiserationem commouent: quia scitur, quod sponte suum sibi malum aduocauerint, quamuis id fateri mendacissimè recusent. Et quid est aliud, videre hominem, qui à iuuentute celebrauit hilaria assiduè, cotidie in conuiuiis ad opiparam mensam, aut in symposiis inter pocula, nunc autem iacere clinicum: è lecto non posse descendere, multo minus domo egredi, aut frequentare Ecclesiam, quàm volucrẽ in viscatâ virga? Sapientes ambitã hanc miseriam risu excipere solent, commiseratione dignari minimè. Ille dignus est compatientis animi adfectu, qui vitâ sobriè, ac temperatè actâ, naturæ quodam ductu & malignitate complexionis, quam sortitus est, articularis morbi, vel alterius tyrannide torquetur: non qui ingluuie & gulositate malum sibi accersiuit.

*Viscus, illecebra carnis.*

IV. EODEM pacto in alio voluptatum genere *viscus* est *Aucupis* Mortis, quo membra constringuntur & *Mortis* fiunt præda, illecebræ lasciuientis carnis. Nullo glutine magis constringuntur diuersa, quàm amoris, & quæ illum consequuntur, si impudicus sit, lenociniis. O quàm multos venereæ voluptates fœdis deturpatos maculis, & morbis infamibus plenos in fatalem lectum coniecerunt, etiam, iuuenes: eosdémque in ætatis flore *Mortis visco* nexos, vt mouere se non possent ad Inferni carnarium, culinámque perpetuò torrendos frixandósque transmisẽre!

*Laqueus Aucupis. Instrumentum captiosum.*

מוקש

V. Sed non omnes auiculæ ad calamum veniunt: non omnes visco detinentur. *Sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aues* laqueo *comprehenduntur*, inquit Ecclesiastes. Quid est autem LAQVEVS? Vox Hebræa, quam Latinus Interpres vertit *Laqueo*, denotat instrumentum quodlibet, quo aues capiuntur, quomodocunque

apteru

aptetur ad aucupium. Imò transferri potest ad capiendum homines, & quodcunque animal. Vnde vertitur aliquādo, *Fouea*: quæ ad homines refertur Iosue XXIII. *Erunt vobis in foueam*. Ad plantam autem aptatur Iob. XVIII. *Tenebitur planta illius laqueo*. Quo pertinet, quod dicitur poni in via, vel abscondi Ps. IX. *In laqueo isto quem absconderunt*. Ps. CXLI. *In via hac, qua ambulabā, absconderunt laqueum mihi*. Iere. XVIII. vtrumq; coniungitur: *Foderunt foueam vt caperent me, & laqueum absconderunt pedibus meis*. Erit igitur, vt suspicatur Pineda, PEDICA, siue *laqueus* ad illaqueandos auicularum pedes, quod instrumenti captiosi genus ad aues pertinet

*Fouea.* *Iosue XXIII. 14.* *Iob XVIII. 9.* *Psal. IX. 16.* *Ps. CXLI.* *Iere. XVIII. 22* *Pedica.*

*Tunc gruibus* pedicas *&* retia *ponere ceruis*.

canebat ille.

Quos-nam autem pedicis *Mors* aucupatur? *Pedes* in arcanâ *Sapientiâ* sunt *Adfectus*: amor, desiderium, ira, tristitia, gaudium, æmulatio: in quos, dum vel nimium se effundit homo, nec statûs sui memor, nec conditionis; aut nimium iis premitur, impedicatur *Mortis* vinculis, & interitum sibi accelerat. Nonne audiuimus multos fuisse qui in rerum suarū desperatione in laqueos sese induerunt, animam sibi violenter extorquentes? Alios, qui cùm non essent consequuti beneficia, officia, aut dignitates, ad quas immodicè anhelabant, ingenti animi mœrore concepto, & melancholico obruti tristissimarum cogitationum pondere mouere se amplius non potuerint ad honestas operationum bonarum exercitationes, & ita in *Mortis Aucupis* potestatem venerint? Nonnullos, quibus alius aliquis adfectus, vitæ citiùs abrumpendæ fuerit occasio?

*Pedes, Adfectus.*

MORIVNTVR aliqui ante diem suum, quem ætas, & valetudo optima spondebat, Inuidiâ, & æmulatione prauâ erga proximum suum exstimulati. Quidam nimio elati gaudio. Aliqui dum lætitiâ nimium perfunderentur, in risu ipso cum cachinno, & dentibus, exspuerunt animam. Plures cùm indignarentur aduersario, & nimiùm sanguis circa cor ebulliret. Vt si aliæ caussæ non essent, quæ sanè sunt plurimę, hæc vna sufficeret, cur homines vitæ amantes adfectibus habenas contrahere, & animi impetuosos motus cohiberé deberent. Hoc qui negligit

*Adfectuum.*

*Sæpe suum vt* laqueis, *quos callidus abdidit* Auceps,
*Crus vbi commisit volucris, sensitq; teneri*
*Plangitur, ac trepidans adstringit vincula Mortis.*

*Ouid. lib. 11. Metam.*

VI. PORRO, suggerit eadem vox originalis aliud instrumentum, nam RETIA verti potest, quæ tenduntur auiculis, vnde & TENDICVLÆ appellantur. Sic Psal. IX. vbi LXX. habent: *In laqueo isto, quem absconderunt*: Hieronymus legit, *In reti*. Et eodem Psalmo, versu 32. *Rapere pauperem, dum attrahit eum, in laqueo suo humiliabit eum:* Hieronymus: *Rapere pauperē cùm attraxerit eum ad* rete *suum*. Quod per hypallagē explicare licet: Cum attraxerit ad eum *rete* suum. Solet enim *Auceps*, primùm *retia* extendere, vel abscondere: cùm autem auicula, doli ignara, in medium venerit, aut eo loco constiterit, vbi irretiri possit, *rete* ad se & auiculam trahit, ac per funiculos implicat. Et quis non vidit aliquando

*Retia.* *Tendiculæ.* *Psal. IX. 16.*

Quod ille dixit de Iudice, & superiore iniquo, ac personarum acceptore:

*Dat veniam coruis, vexat censura columbas.*

Nempe, perditis, ac flagitiosis veniam conceditur: vel dissimulatur ad illorum peccata; simplicibus, seu ex fragilitate leuia committentibus peccata, grauia supplicia destinantur: paucis, & priuatis latrunculis tota statuitur: publicis illis, & totius orbis raptoribus catenæ ex auro, & gemmis donantur; Idem verum est de *Aucupe*: cuius illa causa est, quia nihil lucri sperat ex captura auium voracissimarum. Sed *Mors* nullo discrimine, omnibus tendit *retia*: nam fructum, quem spectat, semper assequitur: hominem capere. *Vt pisces hamo, aues laqueo: sic homines capiuntur.*

IX. PORRO, cùm *homines* dixit Ecclesiastes: seu *filii hominum*, vt est in Hebræo, omnes intellexit. Genus nimirum humanum, quos Adam filios vocat Scriptura, vt D. Hieronymus animaduertit, & non solùm improbos. Quamuis idem S. Doctor singulari quadam ratione Mortis aucupium ad *Ecclesiasticos* transferat: *Sciendum*, inquit *est*, Ecclesiasticos *quosque viros, qui* filij hominum *appellantur & sunt modicæ fidei, citò posse corruere.* Atque vt meam quoque obseruationem adiungam: si illa est tanti, sed puto ab alijs idem notatum. Plures *Ecclesiastici*, quàm alterius conditionis homines, subitaneâ repentináque *Morte*, vtinam non etiam mala, & semper lugenda abripiuntur. Fortasse aliquando catalogum texam omnium superioris seculi in vnius Germaniæ Episcopatibus, Principum, Prælatorum, Canonicorum, qui ad meam peruenerunt notitiam, & præter omnium ac suam maximè opinionem, extemplò, vtinam non imparati ad DEI tribunal sunt euocati. Illustri documento, aut monito, vt nos *Ecclesiastici*, magis, quàm vlli alij, ad *Aucupis* fatalis insidias simus vigiles, ne vnquam incautos, imparatósq; illaqueet. Nam reuera

X. SICVT *Pisces hamo capiuntur, & Aues laqueo comprehenduntur*; *sic homines capiuntur*. Emphasim habet vox, *comprehenduntur.* Quæ in sermone originali adfert vim ineuitabilem, quâ aliquid arctissimè teneatur, ne elabi possit: aut etiam, quod adhæreat fortissimè: vtrumque enim significat, & capere, & adhærere. Quod non malè indicauit Poëta Gallus:

*Sed veluti passer laqueo, piscisque sagenâ*
*Capti hærent.*

Nec caret singulari energiâ, vox altera, *capiuntur* homines: quod LXX. Interpretes vertunt, *Illaqueantur*. Hieronymus, *Corruunt*. Plerique Hebraizantium, *Irretiuntur*, Neocæsariensis, *Abripiuntur* in malis versantes. Alij Latini. *Tolluntur de vitâ*, Vox Hebræa propria est *venationis, & aucupii*; accommodatur autem, vel ad occultas hostium insidias, vel ad fallacem voluptatis, aut lucri speciem. Certè occultis fraudibus, & præterea, aliquâ lucri voluptatis, aut ementiti splendoris specie, aliisque vitiorum illecebris illaqueatos *Mors* abripit.

XI. QVANDO autem aucupatur MORS? semper quidem, sed duabus adiunctis conditionibus, quas totidem dicendi formulis explicat Ecclesiastes, quæ merito consideranti terrorem incutiant. Prima est, *In tempore malo*: εἰς καιρὸν

Homi... Eccle... | Comp... di v... homa... | Capi... quo... | Ps. cxx... cxl. v. 1 | Deu... 16. | Tem... mal...

tò, &c, si quid punctulo minus est, citiùs, aucupium suum perficiat, ne vlla sit spes elabendi. Quod indicatur illa vocula, *extemplò*, quam LXX. Hebraizantes, Pagninus, Regia, exprimunt aduerbio, *subitò, repentè, improuisò*: dicere possis, *momentò, in ictu oculi, nutu ipso*: dictum, factum. Et quia repentina, ideo grauior. Sunt enim, quæ repentina, magis molesta. *Conturbat te formido subita*, aiebat ille. Adfert *Iob. 2*
etiam illa particula, breuitatem: & insinuat, non tardare *Aucupem*, quin, quàm primum *Aucupium* exerceat: vt illud: *Statim veniet ad templum sanctum suum* Malach. III. Quod verissimum est. Nam statim ab orbe condito, *Mors Aucupem* cœpit agere: statim, homine vix nato, aucupium in illum exercet: illique laqueo suo insidiatur. nec vnquam desistit, tunc maximè metuenda & expectanda, cùm inducias pacisci velle videtur. Nam nihil minus cogitante homine, *Mors* occupat. Quod vt nobis non contingat, ita viuamus, vt *Mors* nunquam inueniat imparatos. Non inueniet autem, si ita vitam nostram traduxerimus, vt nunquam è diuinæ gratiæ sinu, per lethiferum aliquod peccatum, excidamus.

## EXEMPLA.

*QVONIAM diximus* Aucupis Mortis *viscus esse* voluptatem, *tum quæ gustu, tum quæ tactu percipitur*: Retia *verò* Perturbationes animi, *quibus illaqueati homines* Mortis *præda fiunt*, *Exemplis vtrumque stabiliamus, quæ plurima sunt in omni historiâ; sed quædam tantùm selegimus.*

## *MORTVI*
### INTEMPERANTIA CIBI.

1. ESV PVLLORVM. BOLESLAVS *Brigensis Dux in Silesiâ, cùm in ferijs Paschalibus in vna mensa* XIII. *gallinaceos absumpsisset, obijt An. Sal.* MCCCXLII. *Ioachimus Cureus in Silesiæ annalibus.*

2. ESV CASEI. M. ANTONIVS PIVS *Imp. perijt anno ætatis septuagesimo, cùm Alphinum* caseum *in cœnâ edens auidiùs, nocte reiectaret, febre correptus: quâ tertio die grauatus, spiritum reddidit apud Lorium (quod oppidum Ethuriæ est, prope Romam* XIV. *lapide, via Aurelia) anno Imperij* XXIII.

3. ESV FRVCTVVM in genere. RVDOLPHVS *Alberti I. Cæsaris. F. Boëmorum rex, oppidum Horasditium obsidens,*

*obsidens, ex nimio esu fructuum aestiuorum, fluore ventris correptus erat: cúmque non pateretur sibi persuaderi, vt ab obsidione discederet, in tabernaculo ex dysenteria obijt, cum vnum duntaxat annum in Boemia regnasset. Dubrauius lib.* XIX.

4. ESV FICVVM. POMPEIVS COLVMNA *Cardinalis, à Caesare Carolo V. Neapolitani regni administrationem sortitus, post comestas* ficus biferas, *quas multâ niue refrigerarat, in complexu Augustini Niphi Philosophi, integris sensibus expirauit, Anno aetatis* LIII. *Iouius in eius vitâ.*

5. ESV PERSICORVM. THEOGNOSTI *cuiusdam f. ex immodico vsu* malorum Persicorum *interijt. De quo in primo Graecorum Epigram.*

6. MELOPEPONVM. ALBERTVS II. *Imp. ex* melopeponum *vsu perijt, alui profluuio correptus. Cuspinianus.*

SOPHIA VLADISLAI *Iagellonis Polonorum regis vxor, f. brim ex* melopeponibus *contraxit, & mox paralysi accedente extincta est, vno & quadraginta annis posteaquam Vladislao Regi nupserat, exactis. An. Sal.* MCDLX. *Cromerus lib.* XXIV.

PAVLVS II. *Pontifex apoplexia mortuus, secundâ horâ noctis, solus in cubiculo, nemine vidente, cúm eo die laetus etiam consistorium habuisset, & duos* pepones *praegrandes deuorasset. Platina.*

7. ESV FRAGORVM. MELCHIOR *Dux Brunsuicensis, frater Othonis Neapolitani Regis, ex Transyluanis Ducibus, Episcopus factus Zuuerinensis, medone vemnato Rostochij hausto, male se habens profectus in Butzoua arcem cruciatu agitatus,* fragis *ad refrigerium magnâ copiâ ingestis, intumuit, crepuitque medius. Cranzius li.* XIII. *Vandaliae, cap. 9.*

8. ESV RAPARVM. LADISLAVS *Vngariae, & Boëmiae Rex, infirmitate, incertum vnde, correptus, diem suum obijt. Medici* Rapas *Boëmicas, quas ille cupidè esitabat, toxico fuisse infectas, suspicati sunt. Cranzius lib.* XIII. *Vandaliae. cap. 36.*

9. ESV ALLII. ARNOLPHVS *Imp. quùm creberrimo* allii *vsu corpus distemperasset, tanta vermiũ scaturiuit multitudine, vt nulla ope medica curari potuerit. Cranzius lib.* III. *Saxoniae cap. 3.*

10. ESV CARNIS. SEVERVS *Imp. Eboraci in Britannia quùm membrorum omnium, maximè pedum dolorem pati nequiret, veneni vice, quod ei negabatur, cibum grauis ac plurimae* carnis *sumpsit: quem cum conficere non posset, cruditate perijt. Sex. Aurelius.*

11. ESV PISCIVM. DIOGENES CYNICVS *crudo Polypo deuorato perijt. Laërt.*

ANDRONICVS *senior Imp decumbens, vtebatur* testaceis, *propter ieiunium*

nium illorum dierũ Post quæ cùm merũ bibendũ fuisset. ille, pro more suo, ad restinguendum feruorem sanguinis, frigidæ vsus est. Ergo statim fastidio affici, & è stomacho & corpore grauiter laborare cœpit. Cum autem iam spiritus etiam deficere urgeret & propter intempestam noctem neminem reperiret, qui sibi Diuina mysteria impertiretur, surrexit, & gratias egit Deo & pro salute animæ suæ cum multis lacrymis deprecatus, sacram Dei Genitricis imaginem, quam in sinu gestabat, loco Diuinorum mysteriorum in os inseruit: cúmque in lecto consedisset, statim, priusquam diluxisset, est defunctus. Gregoras lib. 9.

HENRICVS I. Anglorum rex, leuiter ægrotans, murænâ, etsi Medico vetante, vesci voluit, quod eius cibi auidissimus esset. Inde febre auctâ, breui tempore post occidit. Cal. Decembris. Anno Christi MCXXXVI. ætatis LXVII. Polydor. lib. XI.

11. ESV FVNGORVM. EPARCHIDES Euripedem Poëtam scribit in Icarum aliquando nauigasse: qui cùm in agris MVLIEREM cum duobus adultis filiis, & virginem puellam lethiferos fungos comedisse vidisset, ac idcirco postea mortuos, hoc fecit Epigramma

ὦ τὸν ἀγήρωντον πόλον αἰθέρος ἥλιε τέμνων,
ἆρ' εἶδες τοῖον δ' ὄμματι πρόσθε πάθος,
μητέρα, παρθενικὴν δὲ κόρην, δισσούς τε συναίμους,
ἐν ταὐτῷ φέγγει μοιριδίῳ φθιμένους,

Sol qui perpetuo cœlorum tramite curris,
An visum facinus huic simile antè tibi est!
Pars eadem lucis geminos cũ virgine fratres
Abstulit, & matrem: quattuor vrna tegit.

Athenæus libro II. capite 21.

Fungi Suilli familias nuper interemêre, & tota conuiuia: Annæum Serenum Præfectum Neronis vigilum, & Tribunos, & Centuriones. Plin. lib. XXII. cap. 23.

# MORTVI
## REPLETIONE, CRAPVLA, EBRIETATE, SAGINA, CRVDITATE.

1. PHILOXENVS CYTHERIVS Dithyramborum Poëta, ex nimio cibo mortuus. Teste Machone Comico Athen. lib VIII. cap. 6.

2. CVM Alexander exequias celebraret Calani Indi Philosophi, qui seipsum in pyram accensam coniecerat, crapula XLI. MILITES in eius funere mortui sunt. Aelia. lib. II. de Var. hist. Athen. lib. X. ca. 12. Suid. Plutar. in Alex.

3. DIONYSIVS *tyrannus, cùm victor Athenis declaratus esset cum suâ tragœdiâ, in festo Bacchanalium, conuiuio instituto, vino nimis indulgens, ex crapulâ perijt. Hácque ratione Oraculum impleuit, quo ipsi fuerat denunciata mors, si meliores superasset. Cùm enim parum bonus esset Poëta, vicisse meliores Poëtas, Atheniensium suffragijs, iudicatus est. Diodorus lib.* XV.

4. PERSÆ, *post infelicem pugnam ad Salaminem fugientes cum Xerxe, Hellespontum nauibus traiecere ad Abydum, quoniam rates tempestate dissolutæ erant. Ibi copiosiorem, quàm in itinere, commeatum adepti, nullâ modestia sese reficientes, ac mutatis aquis permulti interibant ex ijs, qui de exercitu superfuerant. Cæteri cum Xerxe Sardos peruenêre. Herodot. lib.* VIII.

5. HEPHAESTION *ex Indiâ reuersus cum Alexandro Magno febre laborabat Ecbatanis Mediæ. Vt iuuenis, & militaris, exactioris impatiens victûs, dum Medicus Glaucus ad spectaculum abiret, prandium sumpsit: adesóque gallo gallinaceo asso, atque epoto ingenti vini frigefacti cratere, malè habuit, paulóque post decessit. Ægerrimè tulit Alexander casum hunc, defunctíque cadauer Perdiccæ, vti Babylonem deferri curaret, tradidit: amplissimóque funere mortuum amicum sepelire habuit in animo. Glaucum verò, per cuius absentiam peccandi licentiam æger sumpsisset, in crucem sustulit. Diod. lib.* XVII. *& Plutarch. in Alexandro.*

6. BABYLONE *Medius quidam Thessalus, vnus ex amicis regiis vehementer* ALEXANDRVM *Magnum rogarat, vti ad geniale conuiuium, quod celebrabat, venire non recusaret. Ibi mero multo se onerauit. Nouissimè quum repletum magnum Herculis poculum, repentè veluti fortissimo ictu verberatus, & clamorem & suspiratum ingentem edidit. Sublatus adstantium amicorum manibus, illinc discessit: statímque adhibiti Medici, fecerunt vti cubaret, diligentérque ei adsidebant. Morbo autem inualescente, cùm Medici nullo remedio ei possent succurrere, doloréśque acutissimi eum torquerent, vitæ omnem spem abiecit, detractúmque è digito anulum Perdiccæ tradidit: amicis rogantibus, cui imperium relinqueret? Præstantissimo respondit. Atque hac nouissima voce illud nimirum significauit, magno primorum ducum certamine sibi parentatum. Sícque ex ebrietate est mortuus. Diod. li.* XVII.

7. DEMETRIVS *Poliorcetes à generoso Seleuco Asiæ rege victus & captus, & Chersonensi custodiæ mancipatus, primo corpus quouis modo exercuit, venatione, quatenus licebat, & cursibus vtens. Hinc paullatim ab iis ad pigritiam & ignauiam delapsus, præcipitauit se in pocula, & aleam, atq; his tempus ferè traduxit. Posteaquam tertium annum inclusus Chersoneso fuit, ex otio, saginâ & vino in morbum delapsus, deces-*

decessit, cum annos natus esset quatuor & quinquaginta. Plutarch. in Demet.

8. LACYDES philosophus ex nimia compotatione incidit in paralysim, qua mortuus est. Rauisius.

9. Mortuus est ob ebrietatem EVMENES Pergamenus Philethari, qui in Pergamo regnauit, nepos: vt Ctesides narrat lib. III. Temporum. Athen. lib. X. cap. 16.

10. Q. ENNIVS periit septuagenarius ex podagrâ, quam nimio potu contraxerat. Q. Serenus.

Ennius ipse pater, dum pocula siccat iniqua,
Hoc vitio tales fertur meruisse dolores.

Cælius lib. XXVIII cap. 30. A. L.

11. REDVCEBAT exercitum è Media M. Antonius, magnis itineribus, & rerum omnium inopiâ, Parthis vndique vrgentibus. Postquam transmisêre Araxem, qui Mediam & Armeniam disterminat, & Armeniam iniêre: vt si tunc terram illam ex pelago conspexissent, adorauerunt eam ROM. milites, atque in lacrymas se & mutuos complexus præ gaudio effudere. Quia vero iter faciebant per affluentem regionem, vtebantúrque omnibus, ex magna inopia effusè, euaserunt hydropici & cœliaci. Ibi recensito Antonius exercitu desiderauit viginti millia peditum, & quatuor equitum, qui non interierunt vi omnes hostili, sed super dimidium eius morbo. Plut. in Antonio.

12. CVM Hierosolyma à Tito obsideretur multi Iudæorum fame pressi ad Romanos confugerunt; hos autē sæuior eâ, quam intus pertulerant, fortuna consequebatur: & fame, quam domi reliquerant, velociorem apud Romanos inueniebant, ad exitium, satietatem. Aderant namque inflati ex inedia, & velut morbo intercutis aquæ turgidi, deinde vacuata replētes corpora, dirumpebantur, nisi qui periti desideria cohibuissent, paulatímque cibum desueto corpori obtulissent. Iosephus lib. VII. cap. 15. Belli Iudaici.

13. IOVINIANVM Imp. ciborum in stomacho incoctorum cruditate periisse ferunt. Egnatius.

14. DOMITIVS Afer Nemausensis, Fabij Quinctil. præceptor Neronis principatu, cibi redundantia in cœna periit. Sabell. li. 11. Ennea. VII. ex Euseb.

15. VALENTINIANVS Imp. Quadorum legationi respondens voce impetu sanguinis amissa, sensu integer expirauit. Quod ex intemperantia cibi, ac saturitate, qua artus diffuderat, accidisse multi dixêre. Sextus Aurelius.

16. ATTILA Hunnorum Rex, cùm se, vt in Italiam reuerteretur, accingeret, vxore Hildicone, Bactrianorum regis F. ducta prima nuptiarum nocte, cum nimio cibo, vinóque pressus dormiret, sanguine ipse suo enectus est. Paulus Diaconus.

17. ALEXANDER Leonis Philosophi Imp. frater pransus, & inebriatus, à somno ad ludum pilæ se contulit: & oborto viscerum dolore mul-

*to per nares & veretrum sanguine egesto, postridiè decessit. Cedrenus.*

18. CHILDERICVM *Saxonem, quùm aliquando ad ambas vsque aures cibo se ingurgitasset, eo suffocatum fuisse, & repertum in lecto mortuum, Gregorius Turonensis auctor est*

*Exemplum è Summa peccator. circiter A. MDlxxxiii. edita.

19. LEONATVS *Clarentius, Britanniæ regis F. quùm nouæ nuptæ, Violanti Galeacij II. vicecomitis filiæ, operam daret, intempestiuísque conuiuijs ad patrij moris disciplinam, alieni cœli ignarus, intemperantius vteretur, ad Albam morbo consumptus interijt. Violantes demum Othoni Marchioni Montisferrati, nuptui data est, sed nihilo felicioribus auspicijs, quùm Otho in montibus Parmensium ab agresti agasone confossus, ignobili fato perierit. Iouius in vita Galeacij.*

20. FRIDERICI I. *Imp. ductu* GERMANI *in Armeniam bello sacro penetrarant. Mortuo ibi Augusto, siue quod submersus, siue ex equi lapsu, Fridericus, Sueuiæ dux, filius Augusti, cum reliquis Antiochiam peruenit, vbi morbis tentati, qui sibi minimè parcētes, assueti victu liberiore largioréque vti, quarè ad extremam propè paucitatem redacti sunt. Æmilius lib.* VI.

21. HÆC *Exempla confirmant rationes, quibus in congressibus pomeridianis, seu Sermonibus Symposiacis, contra cibi potúsq; intemperantiam pugnat fortiter, ac eruditè Antonius de Balingen. In ijs docet, Ebrietatem plerísque Mortis occasionem fuisse: nominatim Ammoni Dauidis filio natu maximo: Holoferni Assyriorum duci: Simoni Principi Machabæorum. Insanam perpotandi libidinem, quatuor miserabiliter conficere, quod hoc exemplo firmat.*

22.* CVM *nescio quis Paterfamilias perditissimus funditus rem familiarem dilapidasset, non potuit vxor, quin ei quodam die cum gregalibus pergræcanti extremam liberorum egestatem obtruderet. Ipse talem ignominiam in præsentia expiandum ratus, ita baculo in eam desæuijt obtriuítque, vt nunquam se solo excitatura crederetur. Sed ira faciente animos, nouósque pedes subministrante, ad atrociora conuertit animum.*

ECCE *domum regressam vndique pusiones macie omnino extenuati adoriuntur: laciniam demordent, etiam in cutem adigente biduana fame dentes coniecturi, ni parens, & maritali iniuria, & filiorum rabie, supra quam dici potest, perculsa vtriusque iugulum ferro petijsset, deglutiendique panis vias immanissimè præclusisset.*

A *tali cæde facta ferocior stat, calcátque suorum exultabunda sanguinem, stat madente cultro, maritúmque vino madidum operiente. Porro statim ac pedem limini intulisse prospexit, vt omnes calamitatis numeros absolueret, nihil cunctata, cum filiorum funeribus iungit, caput obtruncat Iuditha facinus audacter, sed minus prudenter imitata. Morieris, inquit, ô impium, mea,*

*meæ, tuæ, & liberorum ruinæ caput.*

EGO *verò meæ vitæ prodiga lubens necem à quolibet mihi inferendam præstolabor: nec diu præstolata est. E vestigio adfuit Magistratus debitóque supplicio eam addixit.*

ALIVS [b] *quispiam, nomen non proditur, qui totum anni tempus non sub dio, sed sub popinarum tecto triuerat, & iam antecinerales dies impensius, quam reliquos dicare Baccho parabat, ab vxore partui vicina quà vi, quà verbis intra domestica septa continebatur: ipse contra diris monentem deuouere, comminari se ferrum in ilia adacturũ, & dæmonem, quem aluo gestaret, præpropero partu in lucem protrusurum. Quid ni ad hæc verborum fulmina pauida mulier marito habenas laxet?*

INTEREA *augescentibus fœturæ doloribus parit: at monstrum deforme, ingens ipsi naturæ execrandum: superiore quidem sui parte hominis quidpiam præseferens, at reliquo corpore nihil, nisi immanis serpens cum syrmate tres vlnas longo. Quid parentem toto die debacchatum, cùm iam domũ reuertit fecisse, dixisse-ve autumatis? Eheu lingua manúsq; obtorpuêre: in eum autẽ monstrosus filius, velut in destinatam sibi prædam insilijt, sinuoso caudæ volumine arctissimè constrinxit, & pestifero suo veneno, secundò inebriatum fœdissimè strangulauit.*

ADDIT *Symposiarcha; Mihi opus foret & tempore & numero maiore, quàm Arithmetica ferat ad recensendos eos, quos temulentia turpiter Bellonæ mactauit. Quot vidi mero incalescentes, magnanimitatis specie, sed mera temeritate ductos hostium aggeres conscendere, sarcasmis, & futilibus conclamationibus Thrasones agere, qui fastus imprudens breui post glandis bellicæ fulmine oppressus concidebat. Quis referat à potu, inita duella propè innumera, quæ bonos milites, egregiósque ductores patriæ surripiendo hostium vires, audaciámque sæpius adauxêre.*

[b] M. Gallo-Belg. lib. 12.

QVOT *velitationes, quot impressiones à militibus temulentis suscipiuntur: sed miseri extremum discrimen adeuntes prius Mortem hauriunt, quam cogitatione prægustarint. Sed hæc militiæ: etiam domi non minus funesta contigêre. Nihil magis nobis oculos auresque verberat, quam modò hos è scalis præcipites datos: modò illos nece repentinâ correptos: alios traiectitiâ tabula prolabentes, vinum, ac vitam in aquis perdidisse.*

LEVIA *sunt illa. hisce auribus à religioso viro concionante accepi, vnius anni spacio mille trecenta homicidia intra modica prouinciæ fines patrata fuisse: neque verò intra ciuitatum pomeria sed in pagis dedicationis diem, magis festo potu, quam festa prece celebrantibus.*

# MORTVI
# OB VOLVPTATES VENEREAS.

MORTEM ex luxuriâ Symbolo declarant Sapientes, quod ex Scari capturâ formant. Eam enarrat Ælianus lib.I.cap.II.& Oppianus lib. III.ἁλιευ.

SCARVS cùm aliis herbis marinis, tum algâ vescitur: omnium piscium ad Venerem est procliuissimus. Caussa cur capiatur est cupiditas inexplebilis in fœminam. Quod cùm non ignorent rei piscatoriæ peritissimi hoc modo illi insidias ponunt, vt comprehensæ fœminæ summum os ad tenuem funiculum ex sparto confectum alligent, eámq; viuam per mare trahant, vbi eorum cubilia esse, & in quem locum congregentur, norunt. Conficiunt etiam graue plumbum figurâ rotundum, longitudine trium digitorum; quo ex chordis appenso, trahitur Scarus fœmina captiua. Aliquis eorum nassæ in piscatorio nauigio accommodatæ os latè diducit, dátque operam vt nassa in scarum captum conuertatur. Ea enim sensim demittitur lapide ad certam mensuram facto. Mares verò non aliter, quam homines ad conspectam amatam libidinis furore feruntur, circúmque eam concursantes, alius aliũ peruertere, eiq; appropinquare, & contingere student, vt solent iuuenes vehementer amantes, aut osculum, aut vellicationem, aut aliquod aliud furtum amatorium venantes. Qui deducit fœminam sensim & pedetetim insidijs collocatis rectà ad nassam; cũ amatâ diceres ducere amantes. Cũ proximè ad nassã hi accesserunt, plumbũ in interiorẽ partem à piscatore traductũ, & linea decidẽs, fœminã in nassam detrahit, quo simul influentes mares capiuntur, ac pœnam dant Scari furentis libidinis. Ita in nassam inducuntur libidinosi. Quot autem in potestatem Mortis eam ob caussam deuenerunt? numerari non possunt. Nec lubet referre fœdissimè morientium exempla. Legatur Lib.Num.[a] de Zambri Israëlita cum Cobi Madianitide interempto. Plutarchus Lib. de Oraculorum defectu de Molo. Idem, & Valerius de Alcebiade Atheniensi cum Timandra meretrice. Plinius [b] de Cornelio Gallo Prætorio, & Tito Ætherio. Cuspinianus de Conrado Sueuorum Duce Henrici VI. Imp. fratre. Fulgosus [c] de Giacheto Saluciano. Pontanus [d] de Beltrando Ferrerio. Cælius de Phaone omnium hominum pulcherrimo. Tertullianus in Apologetico de Pseusippo. Cornelius Tacitus de Tigillino Præfecto vigilum. Martinus Cromerus [e] de Friderico Casimiri Regis F.

a Cap. xxv.

b Lib. vii. cap. 53.

c Lib. ix. cap. 12.

d Lib. I. de obed. c. 10

e Lib. xxx. An. 1503.

MOR-

# MORTVI

## AFFECTVVM IMMODERATIONE.

I. AMORE. *Scribit Aristoxenus, eo quod Iphiclus* HARPALICEM, *ipsum amantem contempsisset, illam mortuam esse: in cuius honorem certamen fit ode inter virgines, eáque, vt inquit,* Harpalice *appellatur. Athenæus lib.* XIV. *c.6.*

2. GAVDIO. CHILO *Lacedæmonius, vnus ex septem, excessit, vt Hermippus ait, Pisæ, complexus filium in Olympiâ victorem. Volat. lib.* XIV. *c. 2. Anthrop. ex Plin. lib.* VII. *c.32. & 53.*

ATHLETA *Crotoniata, cum victor è certamine Olympiorum discederet ad Hellano dicas, vt corona potiretur ex nimio gaudio anima deficiens, mortuus est. Aelianus lib.* IX. *de Varia Historia.*

AENETVS *quinquertio in Olympiâ victor declaratus, acceptâ coronâ statim è vitâ excessit, præ gaudio. Eius statua Amyclis visitur. Pausanias in Laconicis.*

SOPHOCLES *Theophili F. Poëta tragicus mortem obijt annos natus nonaginta, duodeuiginti victoriis ornatus. feruntque eum, cum vltimam ageret tragœdiam, ob adeptam palmam inter congratulantes immensa lætitia exultantem obiisse. Diod. lib.* XV. *& Val. Max. & Plin. lib.* VII. *cap. 53.*

RHODIVS DIAGORAS *tres habuit filios adolescentes, vnum pugilem, secundum pancratiasten, tertium verò luctatorem: quos eadem Olympiade vidit vincere & coronis insigniri. Cum autem tres simul filij coronas patris capiti imponerent, & suauissimè amplexarentur, præ gaudio in manibus filiorum animam efflauit. Gellius lib.* XII. *c.15. Cic. 1. Tusc. duos tantum filios coronatos asserit.*

PHILIPPIDES *Atheniensis Comicus ætate iam prouectâ, cùm in certamine Poëtarum præter spem vicisset, inter illud gaudium repentè mortuus est. Gel. lib.* III. *c. 15.*

CRATINVS *Atheniensis Comicus,* XCVII. *ætatis anno periit vel gaudio, cum ex Pytine fabulâ victoriam retulisset: vel mærore, cum pleno vase vinum (cuius supra modum appetentissimus erat) effundi cerneret. Gyraldus Dialogo* VI. *Historia Poëtarum.*

TELLON *Imperator, cùm suos vicisset hostes, beatus à multis dictus, in illa clarâ victoria felix mortuus est, in ipsam victoria vesperam. Zezes Chiliade prima, Historia prima.*

POLYCRITA *Naxia, cùm ob eximiam formam prudentiámque simul*

*Diogneto*

*Diogneto atque Erythræis persuasisset, ut Naxi obsidionem soluerent: ab exercitu in vrbem reuertens, vbi publico honore atque omnium lætitiâ excipiebatur patriæ liberatrix appellata dum vrbis portam iniret, mortua concidit. Fulgosus lib. 9. cap. 12. & Plutar. de Claris mul. & Gellius lib. 3. cap. 15.*

PTOLOMÆVS *Philometor, victo Alexandro, Syriæ rege, grauiter è pugnâ saucius per quatriduum amisso sensu cùm se r. collegisset, & missum à Zabdide Arabe caput Alexandri cum gaudio spectasset, & ipse obijt. Iosephus lib. 13. cap. 15.*

DIONYSIVS *tyrannus, regno exutus à Dione cum Corinthi ludum aperuisset, & de tragœdia victoria nuncium accepisset, præ lætitia expirauit. Plin. lib. 7. c. 57.*

M. IVVENTIVS *Talna consul, collega Tiberij Gracchi consulis cum in Corsica, quam nuper subegerat sacrificaret, receptis litteris, decretas ei à senatu supplicationes nunciantibus, intento illas animo legens, caligine orta, ante foculum collapsus, mortuus humi iacuit. Quem quid aliud, quàm nimio gaudio enectum putemus? En cui Numantia aut Carthago excidenda traderetur. Valer. lib. 9. c. 12.*

VICTIS *ad Thrasimenum Rom. eâque clade Romæ nunciatâ, solicita & anxia multitudo sese ad portas effudit, viri promiscuè, & fœminæ, quæ suorum fortuna esset exploraturi. Varij hic sciscitantium affectus, vt quisque de suorum morte aut vita certior factus esset: mulierum multo maiores planctus & gaudia extitere, quarum* VNA, *sospiti filio ad ipsam portam facta obuia, complexu eius expirauit.* ALTERA, *cùm falso mortis filij nuncio, mæsta domi sederet, ad primum conspectum redeuntis exanimata est. Genus casus insitatum: quas dolor non extinxerat, lætitia consumpsit. Valer. lib. 9. cap. 12. & Plut. in vita Hannibalis, Gellius lib. 3. cap. 15. At posterius exemplum ad Cannensem cladem refert libro 7. cap. 53.*

M. OFILIVS *Hilarus, histrio & comœdus, cùm populo admodum placuisset natali die suo, conuiuiúmque haberet, edita cœnâ calida, potionem in pultario poposcit: simúlque personam eius diei acceptam intuens, coronam è capite suo in eam transtulit: talique habitu rigens, nullo sentiente, expirauit. Plin. lib. 7. cap. 53.*

LEO X. *Pont. Max. nuncio recuperati Mediolanensis Imperij, Gallis eiectis, accepto ex nimiâ Lætitia febre correptus obijt. Iouius in Leone X. lib. 4.*

LOTHARIVS *Imp. anno 825, In Italia Supponi Spoletano Duci mortuo, Adelardum, qui Comes Palatii erat, suffecit. Quo intra quinque menses febris languore consumpto,* MAVRINGVM *Brixiæ Comitem, qui pariter ius dicendo magnam laudem pepererat, subrogauit. Qui nuncio collati honoris accepto, decubuit, & post paucos dies vi-*

tam

*tam finiuit. Sigonius lib. 4. regni Ital.*

SINAS *pirata cognomento Iudaus, triremium præfectus, filium habuit, Tuneti captum, quando Barbarossa à Carolo V. regno pulsus est. Is Appiano Ilua Insulæ & Populini regulo seruiebat, & sacris Christianis initiatus. Barbarossa à Gallis euocato, qui turcica classe Italicum littus deprædabatur Insulæ vastationem minanti, redditus est. Hunc adolescentem Barbarossa honoris caussa septem triremibus præfecit, sic vt postea mitteretur tanquam postliminio redditus ad patrem Sinam, vsque ad Suetiani Rubri maris portum, Memphi vrbi propinquissimum, qui antiquitùs Arsinoes fuit. Verùm, senex inexpectatam, singularémq; ex recepto filio lætitiam diu sustinere non potuit, quùm præ gaudio supremum animæ deliquium incurrisset. Iouius in Hist.*

MORTVVS *est ridendo* CHRYSIPPVS, *conspiciens asinum vescentem ficis.*

ZEVXIS *Heracleotes pictor, qui ad Helenam penicillo formandam ingenium omne, artísque vires exposuit, cùm vetulam quandam à se faberrimè pictam inspiceret, effusè secum adeò risit vt inter ridendum animam efflauerit. Pomponius. Ex Verrio recitat Cælius lib. 4. cap. 18. A. L.*

PHILEMON *Syracusanus, nouæ comœdiæ Poëta, tempore Alexandri Magni annos natus XC. paratas ficos atque in conspectu positas, asello consumente, puerum vt illum abigeret, inclamauit. Qui cùm iam comestis omnibus superuenisset: Quoniam, inquit, tam tardus fuisti, da nunc merum asello. Ac protinus vrbanitatem dicti crebro anhelitu cachinnorum prosequutus, expirauit. Val. Max. lib. IX. c. 12.*

PHILISTION *Nicæus Comicus, librum* φιλόγελων *scripsit, & risu obiit. Claruit Olymp. 106. sub Augusto. Gyraldus Dialogo. 1. historiæ Poet. ex Suida.*

---

## *MORTVI* MOERORE, DOLORE ANIMI, TRISTITIA.

### I. Ob irritum ingenii conatum.

I. CALCHAS *Thestoris F. augur optimus, qui Græcorum ad Troiam proficiscentium dux itineris fuit, cum Mopso Tiresiæ nepote apud Colophonem congressus, cùm duo problemata non soluisset (quorum prius erat de grossis caprifici, quot videlicet vnus modius comprehenderet, teste Lycophrone: alterum, de scrofa prægnante, quæ tres procellos gestabat, quorum altera erat femella, præ mærore expirauit. Eustathius Iliad. a.*

HOMERVS *cum Ium, è Chio appulisset,*

*lisset, animo Athenas traiiciendi, iam senex & in littore Iensi ager iaceret, superuenerunt piscatores quidam, quos cum ille interrogasset, Ecquid haberent? Responderunt.*

Ὅσσ' ἕλομεν, λιπόμεσθ' ὅσσ' οὐχ ἕλομεν φερόμεσθα.

*Significantes, se, cùm pisces capere non potuissent, in littore desidentes pediculos captos necasse: quos verò non cepissent, adhuc habere. Quod responsum, cùm Homerus explicare non posset, fertur* mœrore *animi expirasse. Val. Max lib.* IX. *cap. 12. & Plutarchus. At Herodotus negat, & piscatores ipsosmet ænigma soluisse asserit: Homerum verò ex morbo obiisse.*

PHILETAS *Cous, Criticus insignis, cum sophisma quoddam soluere non posset, præ* mœrore *contabuit: præsertim cum ipse naturâ sua vsque adeò macilentus esset, vt soleis vteretur plumbeis, ne impetu venti deiiceretur. Gyraldus in 1. Tom. hist. Poëtar.*

DIODORVS *Cronus Dialecticæ professor*, pudore *expirauit, lusoriâ quæstione non protinus ad interrogationem Stilponis dissolutâ: Plin. lib.* VII. *c.* 53. *& Laërtius, & Fulgosius lib.* IX. *c.* 12.

ARISTOTELES *in Chalcide Euripi septies die ac nocte reciprocantis naturam admiratus, caussas altius secum librans, quùm minus voti compos euaderet, animi* ægritudine *contraxit morbum, ex quo non conualuit amplius. Sunt qui prodant, in fretum dedisse præcipitem se præfatum elogium:* Quoniam Aristoteles non cepit Euripũ, Euripus cepit Aristotelem. *Cælius lib.* XXIX *c.* 8. *A. L. Brodæus in Epigra. huius auctorem scribit Iustinum martyrem, illius Gregorium Nazianzenum.*

## II. Ob suorũ dedecus.

SAMVEL *Bulgarum dux, cum videret suorum* XV. *millia à Basilio Romanorũ duce excæcata, vno tantùm relicto, qui oculis orbatos ad eum duceret, tertio die pòst, præ animi dolore periit. Volat. lib* XXIII. *Anthrop.*

STEPHANVS *Hungarorum Rex, quùm immatura morte sublato filio Emerico, Vazulem patruelis filium successorem in regno declarare vellet: Gysla secunda regis vxor, Guil. Burgundionum ducis F. hoc consilium impeditura, Sebũ Budæ filiũ Nitriam, vbi Vazul erat, præmittit, q nomine regio, Vazuli effoderet oculos, & infuso aures plumbo compleret. Sebus Nitriam contendens, dira reginæ mandata peragit. Insequenti die Buda huius sceleris conscius Vazulem exertis luminibus & obstructis auribus ad Regem duxit. Quem ita deformatum vbi Rex aspexit, in profusissimas lacrymas effusus confirmato* dolore *effætâ iam ætate, vitam vltra prorogare non potuit. Bonfinius lib 1. Dec. 2.*

## III. Ob amissionem rerum cararum.

CRATINVM *Atheniensem Comicum scribunt quidam periisse, cum pleno vase vinum effundi cerneret.*

P. TEREN-

P. TERENTIVS *Afer Comicus, è Græciâ rediens, cùm* CVIII. fabulas *ex Menandro cõuersas in mari amisisset præ* mœrore *obiit. Cn. Cornelio Dolabella, & M. Fuluio Nobiliore Coss. in Arcadia Stymphali sinu Leucadiæ: quamuis alii in ipso mari naufragum periisse asserant. Gyraldus Dialogo* VIII. *hist. Poët.*

FRANCISCVS *Armelinus Cardinalis cum videret captâ Româ per Aurantium opes suas à Cæsarianis militibus diripi, præ* mœrore *obiit. Garimbertus lib.* VI.

## IV. Ob cladem bellicam acceptam, aut nunciatam.

HELI *summus Pontifex Israelitarum, cladis teterrimæ Philistæo bello acceptæ nuncio consternatus, auditâ triginta millium Iudæorum, & duorum, qui in ea acie steterant, filiorum cæde, è solio præceps datus mortem obiit. Quod si tantus* dolor *præuideri potuisset, fuisset illi haud dubiè talis nuncius luctuosus, sed toleratu facilior. Sab. lib.* X. *c.* 5.

CVM *Amazones ob raptam Antiopen reginam bello Athenienses lacessissent, à Theseo superatæ sunt: cúmque earum multæ cecidissent,* HIPPOLYTE *Antiopes soror, cui fœminarum ille parebat exercitus, Megara cum paucis aufugit. Ibi cùm re malè gesta animum despondisset, præsertim quod se Themiscyram in patriam suam redire posse desperaret præ animi* angore *è vita excessit: sepulta verò apud Megarenses, eiúsque monimentum Amazonici clypei formam præ se fert. Pausanias in Atticis.*

ANTIOCHVS *Epiphanes, è Perside fugatus, cum Lysiam quoque ducem à Iudæis victum cognouisset,* mœrore *animi in varios morbos incidens periit.* I. *Machab.* 6. *& Iosephus lib.* XII. *c.* 13.

IVSTINVS *Minor ex clade Persica tantam accepit* tristitiam, *ac* mœrorem, *vt in mentis excessum inciderit, ac phrenesi correptus, tertio decimo imperii anno, diem extremum clauserit superstite Tiberio, quem adoptauerat. Cuspinianus.*

MORTVO *Friderico secundo cùm Manfredus nothus Siciliam occupasset.* INNOCENTIVS III. *Pontifex duos ingentes exercitus in Siciliam misit cum sexaginta millibus militum, qui fusi fugatique sunt à Manfredo. Quod Pontifici mortis causa fuit. Cuspian.*

DONALDVS II. *Scotorum Rex non expectatis copiis contra Donaldum, qui Hebridum insularum tyrannidem occupauerat, profectus, in Morauia victus, tertia die post non tam vulnere, quam* mœrore *extinctus est, primo regni sui anno. H. Boëthius lib.* VI.

PHILIPPVM *Vicecomitem mortuum ferunt* dolore animi, *cùm intellexisset Franciscum filium, quem in Piceno cum exercitu reliquerat Cardinali Firmano Legato, à Francisco Sfortia superatum. Platina in Eugenio* IV.

## V. Ob vrbem non expugnatam.

VICTOR *Capellus, Veneta classis præfectus, cum Patras Achaiæ vrbem bis tentasset, bis magnam cladem à Turcis accepisset, adeo* dolori *indulsit ob rem infeliciter gestam, vt non multò post sedens repentè expirauerit. Sab. lib.* VI. *En.10. & lib.* VIII. *Dec.3.*

*VRSATVS Iustinianus Veneta classis præfectus, cum Mytilenem bis frustra oppugnasset, circa an.* MCDLVIII. *quinq; hominum millibus amissis, reliquisq; magna ex parte sauciis, rei malè gestæ conscientiâ in Methone præ* dolore *expirauit, Sabellicus lib.* VIII. *Decad.3.*

*QVVM Scanderbechus Albaniæ præfectus, ab* AMVRATE II. *Turcarum Tyranno, cui alias inseruierat, defecisset, Amurates ipse maximo exercitu, ac Mohemete etiam proprio filio secum ducto, Croiam venit, atq; vrbem ipsam diu machinis bellicis impetiuit. Verùm, quùm eius capiendæ nulla facultas daretur, amouit quidem inde castra: sed tantum* dolorem, *vel potius rabiem, ex ea re extraxit, vt malâ valetudine correptus, Adrianopoli demum è vita excesserit, anno ab instaurata Salute* MCCCCL. *Iouius in vita Amuratis.*

## VI. Ob vrbem vastatam, vel amissam.

BENEDICTVS *I. P P. propter* dolorem *animi, quẽ ex vastatione Rom. vrbis à Longobardis facta acceperat, periit anno Domini* DLXXXII. *Platina.*

*VRBANVS III. Pontifex captis à Saladino Hierosolymis, Venetias, comparandæ classis gratiâ, proficiscens,* doloré *animi, quem ex calamitate Christianorum acceperat, Ferrariæ, in itinere, moritur Pont. anno I. mense X. die* XXV. *Platina & Volat lib.* XXII. *Antropolog.*

*NICOLAVS V. P. P. anno Christi* MCDLV. *obiit* mœrore *animi, ob Constantinopolim à Turcis captã. Platin.*

*POMPERANVS Gallus, cùm Aursa à Caroli V. militibus caperetur, cogitatione defixis in cælum oculis obstupescẽs, acerbissimóq; dolore perculsus, in vestigio concidit. quùm rigerent adhuc oculi, nec vllis fomentis ei exanimato, vita subito deliquio erepta, restitui posset. Iouius lib.* XXVI. *Hist.*

## VII. Ob Accusationem.

*TRIVVLTIVS maximus Imperator, qui tot victorias Gallis regib. spectata virtute peperit, accusante Odeto Foisseo Lotrechio, concepto ingenti animi* dolore, *apud Cornutes obiit. Iouius in Leone* X. *lib.4.*

## VIII. Ob Damnationem.

FAMA est LICINIVM *Macrum, & suis praeualidum opibus, & M. Crassi auxilio subnixum ad tribunal Ciceronis Pretoris repetundarum fuisse postulatum. Hunc ista fretum potentiâ, & studio dum Iudices adhuc sententias ferunt, domum reuersum, ilicò comam totondisse, ac sumptâ togâ candidâ, quasi foret absolutus, redire ad forum parantem, cùm Crassus ad vestibulum ei occurrisset, & cunctis damnatum renunciasset sententijs, recepisse se intrò: mox decubuisse, ac vitã deposuisse. Fuit Ciceroni ea res honori, quod accuratè sortitus esset Iudices. Plut. in Cicerone.*

## IX. Ob Exilium indictum.

HERMOLAVS *Barbarus, Francisci Barbari ex fratre nepos, ætate floridâ, Romæ ex animi* dolore *decessit, quod Orator à Venetis missus, præter auctoritatem Senatus, Patriarcha Aquileiensis ab Innocentio fuerat creatus, ac propterea contumax & exul à suis iudicatus. Volat. lib.* XXI. *Anthrop.*

## X. Ob Captiuitatem

LEO V. P.P. *quadragesimo sui Pontificatus die à Christophoro competitore captus, animi* mœrore *extinctus est: videns nimirum à suo domestico, quem omnis generis officijs, & dignitatibus ornarat, ac velut lupum in domo sua fouerat, eam sibi referri gratiã. Anno Christi* CMV. *Platina, & Nauclerus.*

BONIFACIVS IIX. PP. *animi* mœrore, *quòd à Sarra Columna ex improuiso captus esset, in furorem versus, obijt. Fulgosius lib.* VI. *cap.* II.

*Turci, victo Michaëlis Comneni Palæologi Imp. exercitu, prædam quàm maximam virorum, mulierum, earum rerum, quæ à viris expeditis ferri queunt, coëgerant, & inter se diuiserant. Inter cætera autem fuerant, &* DVÆ *adolescentulæ* SORORES: *quæ cum diuellendæ essent, quod non eidem domino sitè obuenerant, altera alteram intuens, cùm lachrymis, eiulatu, planctu omnia compleuissent, in mutuo denique amplexu expirarunt: quasi natura rerum corpora non prius, quàm animas separari pateretur. Gregoras lib.* V.

## XI. Ob Repulsam à dignitate, aut Magistratu.

P. RVTILIVS *Consulatus repulsam tàm ægre tulit, vt eam ob causam repentinam mortem incurrerit. Guido Bitur.*

ALFONSVS X *Castulonensis Rex Ferdinandi primogeniti morte, & repul-*

*repulsa Electorum, qui eius loco Rodolfum Habspurgensem Imp. elegerant, maxime verò filij Sanctij scelere, qui in eius absentiâ, regnum occuparat, patrémque redeuntem recipere noluerat, turbatus, Hispali præ* mœrore *obijt. Cuspinianus.*

AVGVSTINVS *Triuultius Cardinalis, cùm Gallorum animos à se alienatos vidisset, quos tamen largitionibus sibi deuincere studuerat, vt mortuo Paulo III. ad Pontificatum ascenderet, præ* mærore *obijt. Garimbertus lib.* VI. *de Vitis Pontificum.*

## XII. Ob Magistratum ablatum.

FRANCISCVS *Foscarus Princeps, sub quo, longè latèque promoti erant Veneti imperij fines (quod tum publica felicitate, tum diuturno illius principatu, prudentíque administratione contigit) quùm annis quattuor, ac triginta, & amplius reipub. præfuisset, essetque iam nonagenarius, nec ob decrepitam ætatem publicis muneribus omninò vacare posset: Paschalis Marippertus, illo adhuc viuenti surrogatus est. Positis itaque summi magistratus, insignibus, atque in ordinem redactus (quia generosus ille animi vigor in effœto corpore nondum erat extinctus) post noui Principis creationem, paucissimis diebus expirauit. Decreto Patrum, insignia, quæ viuo ademta fuerant, defuncto sunt restituta: ducaria pompa ad eadem Minorum elatus est, atque ita accidit, vt Princeps principem extulerit: quod post morem collegæ in principatu cooptandi, è repub. sublatum, nunquam ad eam diem acciderat. Sab. lib.* VIII. *Dec.* 3.

## XIII. Ob regni æmulationem.

GESSERAT *Imperium* CONSTANTIVS *Arianus per annos viginti quinque, cùm non multo ante Imperij sui finem, Iulianus quod contra Barbaros feliciter pugnasset, & victor euasisset, à militibus Imperator creatus esset. Ex qua re in sollicitudinem & periculum Constantius incidit, adeò, vt exitium suum, quasi præsagiens ipse sibi, baptizari ab Euzoio orthodoxo cuperet, & ad bellum aduersus Iulianum egressus, inter Cappadociam & Ciliciam apoplexia (vt Socrates scripsit lib.* 11. *cap.* 46.) *ex* mœrore *contracta, seu, vt Romani de eo Scriptores indicarunt, febri acerrima & peruigili ex dolore, impatientia, & indignatione contracta in Mopsi viculo obierit. Hieronymus in epitaphio Nepotiani.*

## XIV. Ob regni amissionem.

CONSTANTINVS VI. *Imp. Constantinopolitanus, cùm matre Irene peregrè profectus, nuncio accepto, natum sibi filium, matre relicta, festinauit*

*nit Constantinopolim. Mater filium Iconomachum exosa, de tollendo eo, & occupando Imperio cum ducibus eius clandestina consilia iniuit. Qui consentientes, dum filium nuper natum pater infelix lugeret, festinant in regiam, solum capiunt, & oculos ei effodiunt. Constantinus maternæ contumeliæ impatiens, præ* luctu *&* mœrore *expirauit. Paulus Diaconus, & Sigebertus, & Zonaras.*

IOANNES *Anglorum Rex regno exutus à Ludouico Philippi Gallorum regis F. ex* mœrore *animi in febrem incidit, qua expirauit. Polydorus libro* XV.

HENRICVM *Superbum Bauariæ, & Saxoniæ ducem, Lotharij Imp. generum, cùm Conrado III. Imp. rebellis, & propterea ab illo proscriptus esset, scribunt quidam ex animi* mœrore *miserabiliter mortuum, quod ex amicis & nobilibus omnibus, quos amauerat, quatuor tantùm habuerit, quibus confidere potuit, quùm alij omnes ab eo defecissent, qui paulo antè à Dania vsque in Siciliam, hoc est, à mari vsque ad mare longè latéque imperitauerat. Cuspinianus.*

MAHOMETES *Rex Malacensis in India ab Alfonso Albuquercio Lusitano an.* MDX. *regno exutus*, dolore *nimio excruciatus obijt. Osorius lib.* VIII. *rerum Emanuel.*

# XV. Ob legationis irritum successum.

DANTES *Florentinus, Poëta in suâ linguâ omnium clarissimus, cùm suâ tempestate bellum Veneti, Guidoni Poletano (ad quem profectus erat) mouerent, ille Orator missus, de pace, re infectâ, ex animi* dolore, *vti existimant, extinctus est. Volat. lib.* XXI. *Anthrop.*

# XVI. Ob coniugum improbitatem.

PHILOMELA & PROGNE *sorores, Pandionis filiæ, cùm Athenas confugissent, pro* luctu *&* mœrore, *ob ea, quæ & passæ fuerant, & fecerant, contabuerunt. Vulgatam certè fabulam, Philomelam in lusciniam, in hirundinem Prognem vxorem mutatam, ex eo existimo, quod auis vtraque miserabiles, & luctuosos cantus edat. Pausanias in Atticis.*

LEPIDVS *Consul, qui post Syllæ obitum bella ciuilia de integro excitauit, & Marianis fauit, à Cn. Pompeio Italia eiectus profugit in Sardiniam, vbi morbo correptus expirauit, fractus animo, non ob res perditas, vt autumant: sed cum esset nactus epistolium, ex quo stuprum vxoris comperit. Plutarchus in Pompeio.*

SERENA *Diocletiani vxor, dolore marty-*

*re martyrum à marito interfectorum in febrem incidit, qua extincta est.*

## XVII. Ob Coniugum alienationem & repudium.

CATHARINA *Henrici* IIX. *Anglorum Regis uxor*, mœrore *ob repudium mortua, litteris prius scriptis, quibus iniuriam sibi factam Christiano animo Regi ignouit. Polyd. libr.* XXVII. *lege Sanderum in Schismate Anglicano.*

## XVIII. Ob Mortem coniugum.

ALEXANDRI *à Philoctete interfecti, funus ad* OENONEN, *quæ ei ante raptum Helenæ nupserat, necessarij pertulerunt. Illa viso Alexandri cadauere obstupescens, paulatim per* mœrorem *deficiente animo, concidit, atq; vno eodémq; funere cum Alexandro condita fuit. Dictys lib.* IV.

IVLIA, *C. Cæsaris F. Pompei vxor, cùm ædilitijs Comitijs mariti sui vestem cruore respersam è campo domum relatam vidisset, territa,* metu, *ne qua vis ei esset illata, exanimis concidit: partúmque vtero conceptum, subitâ animi consternatione, & graui dolore corporis eijcere coacta est: atque ita expirauit. Valer. Max lib.* IV. *cap. 6. & Plut. in Pompeio.*

LIVIA *Drusilla, Augusti vxor, eo ventris profluuio Nolæ absumpto, præ* mœrore *non multo post expirauit. Guido Bituricensis.*

IRENE, *auditâ Philippi Imp. mariti nece, præ* dolore *exanimata cecidit, & abortum fecit, in arce quadam, breuíque diem vltimum clausit, in monasterio Loricensi honestissimè sepulta. Cuspinianus in Philippo.*

MARGARETA *Scotorum regina, Macolmi mariti cæde audita, cum* tabe *laboraret, quatriduum tantum superuixit. H. Boëthius lib.* XII.

## XIX. Ob Liberorum improbitatem.

SEVERVS *Imp. susceptâ expeditione Britannicâ, Getam & Antoninum filios secum duxit. Antoninus patri & fratri obtrectans, Seuerum patrem coëgit,* mœrore *magis, quàm morbo consumi. Qui Eboraci in Britanniâ iam senex morbo extinctus est. Spartianus.*

HENRICVS IV. *Imp. ob rebellionem filij Henrici V. à quo regno exutus fuerat, Leodij animi* mœrore *obijt. Scriptor. Germ.*

CANDIANVS *Venetorum dux ex tribus filiis medium, Petrum sibi collegam cooptauit. Is non multò post in tantam prouectus est insolentiam, vt patris consilia aspernatus, facinorosos aliquot homines ad apertam seditionem in ciuitate*

tate

tete monendam sollicitare sit ausus: Ob quam temeritatem ab optimatibus in perpetuum exilium missus fuit, demta omni spe restituendi imperij. Exul ad Guidonem Berengarij F. Rauennam veniens à Berengario impetrauit, vt Venetos hostiliter insectari liceret. Instructus itaque sex nauibus, aliquot Venetas naues circa Rauennæ littora oppressit. Quo scelere ita Pater affectus dicitur, vt mærore & ægritudine nimia intra paucos dies expirauerit. Sab. lib. III. En. I.

HENRICVS II. Anglorum rex, Adelam Ludouici Gallorum Regis filiam iam pridem Ricardo filio desponsam, multis verborum illecebris ad stuprum sollicitauit, eiúsque virginitatem vti rumor erat, violauit: Ricardóque filio eam sibi dari petenti tradere voluit. Quo commotus filius, ad Philippum Francorum regem Adelæ fratrem se contulit, quem non multo pòst Ioannes frater secutus est, maximáque pars militum cum illis ad hostem defecit. Quæ res tantum doloris Henrico inussit, vt statim ex mærore animi ægrotare incipiens, non multo pòst vitam finierit. Polydorus lib. XIII. & XIV. Ludouicus Viues de officio mariti.

## XX. Ob Liberos captos.

IACOBVS Stouartus Roberti III. Regis Scotiæ vnicus filius duodecim natus annos, à patre in Gallias missus, vt apud Principes Francos, mores, & linguam gentis addisceret, fortè in naues Anglicas incidens capitur. ROBERTVS pater cœpit ob eum casum repentè frangi, quod filium iam pro perdito haberet, atque ita cadere, vt nulla res eum ad æquitatem animi potuerit extollere, sed breui pòst è vitâ migrarit. Polydorus lib. XXI. hist. Angl.

## XXI. Ob mortem liberorum.

ADRASTVS cùm exercitum à Thebarum expugnatione domum reduceret, Megaris mœrore propter filij Aegialei interitum obijt, ibíque sepultus est. Pausanias in Atticis.

PHILIPPVS Macedonum Rex ob interfectum à se iniustè, instinctu Persei F. filium Demetrium, mœrore perijt. Sabellicus lib. VIII. Enn. 5.

EDOVARDVS III. Anglorum Rex, amisso filio Edouardo summæ virtutis viro, mœrore paulò pòst interijt. Polyd. lib. XIX.

IN obsidione Budensi, anno MDXL. cum Germani equites ad ostentandam virtutem ex aduersa acie parem sibi eum, qui armis ac insignibus conspicuus obuersaretur, ad singulares concursus prouocarent: RAISCIACI Sueui inter Germanos Ducis insignis filius, adolescens impiger, quùm, ignaro patre, in aciē prodijsset, strenuéque decertans, à cunctis vel ignotus effusè laudaretur, prius

quam se explicaret, à circumfusis hostibus interfectus est. Raisciacus ignarus suæ sortis, filiúmque fuisse nesciens. O omni, inquit, laude perornandus videtur hic, quisquis sit, equitum longè fortissimus, ac omnino publici funeris honore tumulandus. Id quùm ab omnibus probaretur, cadauer filij ad patrem relatum est. Quo agnito, in patre repentinus dolor profundius ad vitalia peruasit: atque ita ille paulò post quùm rigentibus oculis stetisset, nihil effatus, interijt. Iouius lib. XXXIX. Hist.

## XXII. Ob generis interitum.

ZETHVS Amphionis frater, Thebanorum Rex, cum fratris stirpem omnem pestilentiâ deletam, filium autem suum vnicum à matre ob noxam quampiam peremptum videret, animi ægritudine contabuit, quod multis laboribus partum regnum nullis hæredibus relinqueret. Pausanias in Boeot.

In Patrensi Luco duo sunt Serapidis templa, in quorum altero ÆGYPTI Beli filij sepulchrum. Ægyptum Aröen venisse tradunt Patrenses, filiorum L. à filiabus Danai interfectorum luctu confectum, cùm ipsum Argorum nomen exhorresceret, & inprimis à Danao fratre sibi plurimum metueret. Pausanias in Achaicis.

ARTAXERXI Persarum Regi ex pellice grex conspicuus filiorum centum & quindecim, ex coniuge verò tres extitère: Inter quos natu maximus Darius, agrè ferens, quod illi Pater Artaxerxes Aspasiam nouercam in vxorem denegasset, quinquaginta fratribus sibi iunctis, in Artaxerxis mortem, cunctis consentientibus, conspirauit. Artaxerxes filios omnes interfecit, cum coniugibus & nepotibus. Serò pœnitens, in morbum grauissimum incidit: suíque tædio confectus, infelix, & anxius expirauit. Plut. in Artaxerxe.

## XXIII. Ob dilecti obitum.

ALEXANDRI M. interitûs fama ad Darij matrem SISYNGAMBEM delatâ, abscissâ veste, quâ vtebatur, lugubrem sumsit, humíque se se præ nimio dolore afflixit, & quæ patrem, & octoginta fratres, vno die, ab Ocho regum carissimo casos vidit, párque tanto fuit dolori: quæ Dario filio ex amplissimi imperij fastigio deiecto, & extincto superfuit dilecto genero, quem magis, quàm filium amauit, esse non potuit. Enim verò nepotem, ac neptem auersata, quæ Hephæstioni nupserat (Statyra enim filia, eademque Alexandri coniux aberat) luce, & cibo pertinaciter abstinuit, donec quinto die vita decessit. Sabellicus lib. VI. En. 4. ex Diod. libro XVII.

XXIV. Ob

## XXIV. Ob sociorum perfidiam, desertionem, ignauiam.

BALDVINVS IV. *Hierosolymorum Rex elephantiasi laborans, Saladini Ægyptij armis pressus, cùm frustra ad Occiduos Principes Legatos pro auxilio misisset, designato prius successore Balduino V. nepote,* mœrore *& angustia magis, quàm dolore, aut acerbitate morbi extinctus est, anno ætatis suæ vigesimo quinto, regni verò duodecimo, qui erat Christi* MCLXXXV. *Tyrius.*

PIVS II. *Pontifex bello aduersus Turcas suscepto, cum Ancona Christianorum Principum auxilia, solis Venetis exceptis, frustrà expectasset,* mœrore *obijt anno Sal.* MCDLXIV. *Brutus libr.* II. *hist. Florent. & Vol. libr.* XXII. *Anthrop.*

NICOLAVS IV. *Pontifex* tædio *animi (vt quidam putant) quod Christianos Principes ad expeditionem contra Saracenos permouere non posset, amissa iam Ptolemaide, Romæ apud S. Mariam Maiorem Pontificatus sui anno quarto, moritur Platina.*

XISTVS. IV. P.P. *quùm pacem à sociis, præter eius voluntatem & consensum fieri conspiceret, ex animi, vt putatur,* dolore, *podagra insuper aggrauante, in quintum diem expirauit. Volat. lib.* XXII. *Anthrop.*

## XXV. Terrore repentino.

NABAL *Ziphæus cum Dauidi cum suis in montanis oberranti commeatum contumeliosè ebrius denegasset, eiusque rei postera die ab Abigaele commonefieret: territus tanta animi defectione & corporis saxeo quodam stupore diriguit, vt intra decem dies interierit.* I. *Regum* XXVI.

GORGO *vetula metu fulminis exanimata. De qua eleganter Antipater in primo Epigrammatum:*

*Quid plura accumulamus? cùm quot sunt sensuum obiecta, quot cupiditatum irritamenta, quot adfectuum causæ, tot* MORTIS *sunt ad aucupium pabula, tot plagæ.*

# COMMENTATIO IV.

## MORS

# VENATOR.

*Quasi Nemrod robustus* VENATOR *coram Domino.*
Gen. x. 10.

### BREVIARIUM.

1. *Memoria Mortis ducit ad contemptum Mundi, & vanitatum.*
2. *Venatio est bestiarum. Homo per peccatum mutatus in bestiam. Homo, Dama, Lepus, Canis, Lupus, Leo, Equus, Mulus.*
3. *In Adamum, tanquam feram, Mors insiluit.*
4. *Mors, instar Venatoris inexperti, primis seculis homines insequuta est. Vixerunt diutißimè aliqui. Nunc citißimè, & plures simul conficit.*
5. *Quis Nemrod? Quod eius nominis etymon. Mors rebellis, & prauaricatrix.*
6. *Nemrod ferarum Venator. Imò, & hominum, quà Tyrannus.*
7. *Venator, Tyranni Symbolum. Ecclesiasticis Venatio quæ vetita, & quare?*
8. *Coram Domino, quid? An, sub cælo? An, in gratiam Domini? An, ad Dominum clamans? An, tanquam Dominus, &* Deus? *An potestate Domini? An, Domino conscio, & mandante? An, palam?*
9. *Coram Deo, idem est, quod Deo Iudice, & inspectante, verè-reuera.*
10. *Canes venatici Mortis Morborum genera, modi homines interimendi.*

## *Viri Ordinis Sacrati Venerabiles.*

*Memoria Mortis ducit ad contemptum mundi.*

I. VT rerum omnium, quæ Lunæ circo continentur, siue vilitatem, siue inconstantiam animo concipiamus, ac proinde non magni æstimemus, imò contemnamus nauseabundi, quæ vulgus, opinione populari, tanti facit, opes, honores, pompam, delitias, fauores, magni nominis vmbram, seruitia, clientelas, & si quid prætereà eius generis, nihil est efficacius, quàm viuida *Mortis memoria.* Ob quam causam, toties ad illam vocat mortales omnes Scriptura-Diuina, & sufficeret sola, si in nobis esset actuosa, ad perfectissimum rerum

rerum humanarum despectum, qui maximus est apud nos Ecclesiæ, Deiq; famulos exhortationum sacrarum fructus. Et quis (quæso vos) magnoperè, vel formâ corporis, vel virium robore, vel natalium splendore, vel oris venustate, vel linguæ volubilitate, vel hominum gratiâ, vel aliis naturæ dotibus, vel voluptatum illecebris, aut caperetur, aut superbiret, qui perpetuò sibi in aurem insusurraret. Nonne sum mortalis? nonne breui dissoluetur hic nodus? dirimetur hæc societas? dissociabitur hæc amica vnio corporis & animi? nonne breui vox hæc deficiet? obmutescet lingua? os vltra non loquetur? nonne bella hæc & formosa corporis moles terræ mandabitur? caro à vermibus corrodetur? ossa pelle, & carnibus nudabuntur? Nonne omnes homines, quibus vita suppetit concident, motu priuabuntur, interibunt pariter? Ita est, quid dubitamus?

NON *proderunt*, clamat Salomon, *diuitiæ in die vltionis*. *Reliquiæ impiorum disperibunt*, dixerat Dauid. Et, *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus suis*. Ipsique impii in Mortis statione: *Quid nobis profuit superbia, & diuitiarum iactantia?* *Prou. XI. 4.* *Ps. XXXVI. 18* *Ps. LXXV. 5.* *Sap. V. 8.*

PORRO MORTIS *Memoriam* melius firmiúsque animo non consignamus, quàm aliquâ rerum corporearum imagine, quâ facillimè ad illam recogitandam excitamur. Post illas autem, quas hactenus commemorauimus, ordine sequitur, quam hoc tempore proponere & exornare, nonnihil mihi deliberatum est, VENATORIS.

II. VENATOREM vocamus bestiarum, seu ferarum insectatorem, captorémque, nam qui aëreas persequitur, est *Auceps*: qui Aqueas, *Piscator*. Vt ergo *Mortem* statuamus *Venatorem*, oportet admittere, esse bestias, quas venetur & capiat. Quæ autem sunt illæ? Homines, sed in bestias transformati. Quam diu homo non fuit bestia: tamdiu *Mors* non fuit *Venator*: nec poterat esse, quia quod venaretur in genere humano, non habebat. Itaque cura fuit Dæmoni, cuius inuidiâ *Mors* intrauit in orbem terrarum, vt homines admirabili metamorphosi, mutarentur in bruta: atque ita *Morti* in prædam cederent. Cessit illi prius illud ex sententiâ. *Venator, quid?*

Nam, *Homo, cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*. Peccatum quodlibet lethale hominem transfigurat in bestiam: quia aufert id, quo à belluis maximè distinguitur, ornamentum gratiæ. Morum similitudo facit, vt homines bestiarum nominibus appellentur: & solemne est in sacra-Scripturâ peruersos & alienos à ratione hominum mores comparare cum brutis. Quo spectabat fortasse decantata apud veteres μετεμψύχωσις, id est, animarum transmigratio, in diuersi generis belluarum corpora. Et belluina forma in Nabuchodonozore, non transformatâ substantiâ. Ita timidos vocamus *Damas*: & arroganter pusillanimes, qui omnibus se opponunt, dum in suo sunt fimeto, aut in compositis integros exercitus flatu vno dissipant, dum verò contra hostem eundum, sunt hominum timidissimi, & ad fugam celerrimi, dicimus *galeatos Lepores*, et, *ceruos*: Contentiosos & aliorum bonum nomen, ac æstimationem allatrantes, appellamus *Canes*. Voraces, raptores, Tyrannos, bonorum direptores, *Lupos*. Crudeles, *Homo, bestia* *Ps. XLVIII. 13* *Dan. IV.*

deles, *Leones*: immundos, ac semper volutabro luti voluptatis immersos, *Sues*. Callidos vitiosè, astutos, aliorum deceptores, nominamus *Vulpeculas*: Eucliones, sordidos, auaros nuncupamus *Gryphes*, animalia auri cupidissima, & metallis incubantia.

*Homines Equi & Muli. Ps. xxxi. v. 9.* Homines lasciuos, luxuriosos, venereos dicimus *Equos*, & *Mulos*. *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Tum eos, qui solis ducuntur sensibus, qui alienis adhinniunt, qui morsu, & calcibus pauperes impetunt: qui nolunt, vti deberent, rationis ductum sequi. Superbos etiam; nam incedit *Equus* erectâ ceruice, elato capite, iactans corpus, & insolescit, gloriarique videtur specioso, ac pretioso ornatu. *Hier. in cap. xiv Ezech.* Sicut & *Mulus*, non modò designat libidinosum, sed ingratum, stolidum, pigrum, hypocritam, obstinatum, & qui (vt ait Hieronymus) *carne virgo, mente impudicus est.* Tales quoque sunt, qui DEO simul, & Mammonæ, seu Ecclesiæ, & Mundo, ac Diabolo; Carni & peccato seruire volunt, vt obseruant Remigius, & Gregorius. Suscipiunt enim ista animalia diuersorum, quamuis sibi contrariorum, onera.

*Futurorum securi.* Certè eos, qui nullam æui futuri, cœlestisque adsumunt curam beatitudinis, nec eam, vt par est, æstimant, præsentibus ac caducis tantùm bonis studentes, nihil differre à pecudibus rectè asserimus, nam, vt animalia, propositis solum sensuum obiectis, mouentur, nec vllam futurorum cogitationem alunt.

*Adam per peccatum mutatus in bestiam.* III. ITAQVE postquam primi nostri parentes non habuerunt rationem præclaræ imaginis ac similitudinis DEI, ad quam facti erant, & eo deducti sunt, Diaboli suasu, vt Creatori creaturam, temporalia æternis, belluinas appetitiones cœlestibus delitiis anteponerent, sicq; comparati fuerunt iumentis insipientibus, vel mutati potius in pecudes: *Mors Venatorem* incepit agere, & expedire casses, retia, plagas, venabula, quibus has feras insectaretur, & in suam potestatem redigeret. Nunquam in *Mortis* plagas incidisset Adam, si mansisset, qui primus fuerat, Adam rerum Dominus. At postquam ferinam formam per peccatum induit, humanâ, seu diuinâ potius, exutâ, venatici in illum canes à *Morte* instigati fecerunt impetum, & discerpserunt, frustra clamante & eiulante; *Actæon ego sum, Dominum cognoscite vestrum.* Non Actæon amplius, non Adam, sed bestia.

*MORS venatrix inexperta. Gab. Inchino Con. 1. de Morte.* IV. Accidit autem *Morti*, illo rerum initio, vt obseruat ingeniosus Concionator, quod *Venatori* nouitio, & inexperto, qui, quoniam vsum iaculandi, aut configendi feras nondum habet, sæpe frustrà, vel sclopum exonerat, vel venabulum intorquet, & longo opus est tempore, vt feram capiat. Vide *Mortem Venatorem* in mundi exordio! Insequitur *Adamum* nongentis triginta annis, antequam illum in casses compellat. Insidiatur *Setho* nongentis duodecim annis priusquam illum concludat. Collimat in *Enos* nongentis triginta annis, antequam illum conficiat. Obseruat *Cainum* nongentis decem annis, antequam lethalem ictum infligat. Consectatur *Malaleel* octingentis, nonaginta quinq; annis antequam illum capiat. Expectat *Iared* nongentis sexaginta duobus annis antequam illum prosternat. Exagitat *Enoch* trecentis sexaginta quinque annis, nec tamen vnquam in suum rete illum allicere potuit, euasit enim, in paradisum viuus translatus. Omnem suam astutiam

tiam

im expromit in *Mathusalem* nongentis sexaginta nouem annis, antequam illum iactet. Imminet *Lamecho* sexcentis sexaginta septem annis, antequam semel pprimat. Denique agitat *Noachum* nongentis quinquaginta annis, antequam illum ex fatigatione cadentem intercipiat.

O Mors, exclamat Orator, quàm rudis eras in Venatoriâ arte prima illa ęta- ! quàm exiguarum virium. Non poteras ictum certum infligere; multis annis ominum premebas vestigia, antequam vel vnum comprehenderes; sæpius col- mabas, antequam lethaliter vulnus infligeres. Talis si hoc tempore esses, quis te etueret? cùm ne iam quidem videantur vereri, quamuis sciant horulam sibi ullam à tuis sagittis esse liberam. Sed longa annorum serie, & in ea quotidiano xperimento ad eam venit peritiam *Mors*, vt magnæ huius syluæ feras omnes pau- s annis omnes conficiat, plurimas verò pauculis diebus, horis, momentis. Non nimaduertitis, *Venatorem* hunc fatalem, si multum temporis insumat, non totis xaginta, aut octoginta annis robustissimum aliquem, & in potentatibus eximium sequi, quin illum prosternat? *MORS perita, ac dolosa Venatrix.*

Sed eheu! quàm multos ante quinquagesimum, quadragesimum, atque igesimum annum inuadit & deiicit! quàm multos, nequidem ad quintumde- imum pertingere sinit. Maius quid tentare aggreditur. Quàm multos ipso in cis limine, quam haurire incipiunt, trucidat? Quàm sæpe vnico ictu duos, tres, uatuor simul interimit? duos frequentissimè, matrem ac fœtum in partu. Imò artum non expectat: viscera materna rimatur, aluum ingreditur, vix animatam obolem, nondum sobolem, vix spirantem massam, penè informem, certè cœ- am, vt catulos, nulla misericordia permota crudelissimè interficit, & ante lucis a- pectum, vitâ spoliat.

V. An non verè de hoc Venatore dici potest, quod de celeberrimo llo, & qui primus Venatoriam exercuit? Nemrod *erat robustus* Venator *coram Domino*: ob hoc exiuit prouerbium: *Quasi* Nemrod *robustus* Venator *coram Domino*. Quod est planè elegans *Mortis*, ceu Venatoris Symbolum: Præclarè e- nim *Morti* omnia, quæ de *Nemrodo* referuntur, à *Theologo Symbolico* accommodari ossunt. *Nemrod Venator.* *Genes.* x. 10.

Si nomen spectes, Nemrod deriuatur à radice מרד *Marad*, quod pro- riè est oppugnare, opprimere, rebellare. Quo pacto Iob xxiv. 13. מורדי אור *Moredeor*, rebelles lumini, ab Interprete nostro Latino appellantur, vertere etiam osses, vt Pineda ibi obseruat, *Præuaricatores, deficientes, recedentes* à lumine, cum roteruiâ, contentione, contumaciâ, prouocatione, & exacerbatione, ac nobedientia erga Deum. hæc enim omnia vox originalis complectitur. Itaque idem erit *Nemrod*, quod מרד *Mored* rebellis, præuaricator, oppugnator, op- pressor. *Etymon nominis Nemrod.* *Iob* xxiv. 13.

Mortem optimè dixeris *Rebellem*, siue effectiuè, caussaliter, & euentualiter, vt loquimur in Scholis Philosophicis: quia ex rebellione originem habet. Nisi rebellasset sensus rationi, caro spiritui, homo Numini, nunquam *Mors* potestatem habuisset *MORS rebellis.*

habuisset in hominem. *Rebellis* etiam ipsa, quia rebellionem suscitat, nam dissoluit arctissimum vinculum, & amicitiam coniunctissimorum, corporis & animæ. Nata ex præuaricatione primi Parentis: præuaricationem societatis in natiuitate initæ molitur. oppugnat nos quotidie: opprimit singulos: perimit vniuersos, à lumine vitæ cunctos contumacissimè auocat. Verè, verè *rebellis lumini*, in illud ipsum impetum faciens, facem nostram extinguens, & caligine, ac tenebris omnes sepeliens sempiternis.

*An Nemrod Venator ferarum.*

VI. FVIT autem NEMROD VENATOR. Disputant sacri Interpretes, fueritne *Venator* ferarum, an metaphoricè, ac *Symbolicè* hominum. Venatum fuisse propriè feras, atque idcirco sic appellatum existimant Franciscus Vatablus, Caietanus, & Aben Esdra: & posse sic accipi nomen *Venatoris* scribit Leonardus Marius. Hoc modo *Venatoris* vocabulum *Morti* rectè accommodatur, quum animalia quæcumq; insequatur, & venabulo suo configat. Hactenus nulla fuit fera, quamuis ab hominum deprædatione libera, quæ feralis illius *Venatoris* spiculum effugerit.

*Symbolicus Venator.*

AT maior est consensus opinantium, *Nemrodem Venatorem* fuisse, non tam belluarum, quàm hominum, quos vi & dolo ad necem, aut seruitutem, *Venatoris* instar, captauerit. Quomodo Brasiles, Indi, aliique barbari, homines, vt nos feras, venantur. Quod approbat S. Augustinus libro XVI. de Ciuit. cap. 14. Lyranus, Abulensis, Cornelius, Delrius, aliique recentiores in Genesim. Et sanè, Scriptura refert, cœpisse Nemrod esse potentem, id est, dominantem, aliósque potenter subiugantem in terrâ. LXX. habent. αὐτὸς ἤρξατο εἶναι γίγας ἐπὶ τῆς γῆς. *Iste cepit esse gigas in terra*: id est, ait Augustinus, primus post diluuium, vel primus cœpit alios opprimere, vt Gigantes postea fecerunt. *Nemrod* (ait S. Hieronymus) arripuit insuetam prius tyrannidem in populo. Quod melius *Morti*, quàm vlli alteri conuenit. Illa enim primò quà dolo, quà vi aperta, homines, quasi feras, ad necem raptando, & in seruitutem suam violenter pertrahendo, tyrannidem crudelissimam exercere cœpit.

*Tyrannus, Venator.*

VII. Quæ Tyrannis accommodatè admodum per *Venationem* exprimitur. Sicut per *Venatorem* Tyrannus, Prædo, Latro. Nam & Aristoteles I. Politicor. VIII. λῃστείαν, id est *Latrocinium*, posuit inter genera Venationum. Atque ex *Venatione* ferarum facilè discitur *Venatio* hominum. Quamobrem Xenophon lib. I. Pædiæ Cyri narrat Cyrum aptasse Persas ad bellum, exercendo illos in *Venatione*, ac cæde animalium. Quod auorum memoria fecit Ismael Sophi, qui Regnum Persidis Turcis ademit, ac mirum in modum auxit. Et est sanè Venatoria exercitatio, quasi præmeditatio armorum, & progymnasma bellorum. Quæ, quia prohibita sunt *Ecclesiasticis*, quorum est bellare bella Domini in Ecclesiâ breuiario, & Sacrorum cultu, seuerè inhibetur, canonibus, *Venatio tumultuosa*. Eadem verò de causa in Diuinis libris, *Venatio* pro crudelitate, ac tyrannide ponitur. Psal. XC. 3. *Ipse liberabit me de laqueo* venantium. Idem dicitur Psalm. CXXIII. 7. Threnorum III. 52. *Venatione ceperunt me inimici*: nempe, *Venatores*: & Principes, de quibus Ezechielis XXX. 30. *Principes Aquilonis omnes, & vniuersi* Venatores. Talis *Venator* est *Mors*.

*Venatoria exercitatio. Armorum præmeditatio.*

VIII QVA-

VIII. QVASI *Nemrod* robustus *Venator* coram Domino: sed quid est, esse *Venatorem coram Domino*? Mirum est, quàm variè hanc loquendi formulā exponant Doctores, quorum pleraque quamuis *Littera-Sacra* non conueniant, mirificè tamen conferunt ad *Symbolum* hoc exornandum. Quidam igitur explicant, *coram Domino*, id est, sub cœlo, vt intelligatur, nullum tunc mortalium potentiorem *Nemrodo*, Tyrannum fuisse, aut robustiorem. His ego assentirer, inquit Pererius, si id ex aliis Scripturæ locis probarent. Commodus sensus est, ad *Mortem* tralatus. Illâ non est robustior *Venator* sub cœlo. Ibi syluam nacta est, vbi Venationem exercere possit: extra illam frustra iaculatur. In cœlum non penetrat. Ibi dos immortalitatis à sanguinarii *Venatoris* spiculis omnes eximit. Vtinam in illam syluam nos illatebremus, tuti essemus omnes à *Venantium* insidiis. *Coram Domino.* *Sub cœlo.*

ABEN-ESDRA in bonam partem eandem phrasim detorquet, vt significetur, *Nemrod* prædas, quas venatione acceperat, Deo in sacrificium obtulisse. An vt auctor esset colendi in Ecclesiâ DEVM? An potius in speciem adfectatæ pietatis, & religionem simulando, vt tantò facilius alios subiugaret? *Mors* venatur *coram Domino*: quicquid capit, DEO in sacrificium mactat. Si boni sunt, quos interficit, holocaustum Domino offertur: nam *Preciosa in conspectu Domini* Mors *Sanctorum*: si scelerati sunt & praui, est sacrificium expiationis, aut castigationis, cuius odor DEO est gratus, sicut odor inimici in pyra concremati. *In DEI gratiam.*

ALII *Venatorem* fuisse *coram Domino*, interpretantur: quod tyrannis eius vindictam clamauerit oppressorum, clamore in cœlum ascendente. Nonne hoc accidit, cum temeraria *Venatrix* ausa ferale spiculum in DEI Filium iacere, illum nil merentem, nil mali ausum, aut cogitantem, lugente cœlo, Angelis pacis amarè flentibus, oppressit? Nec impunè tulit, nam absorpta est ab illo ipso, qui mortuus fuit *Mors* in victoria suâ. *Ad DEVM it clamor.*

Nonnulli explicant, quasi *Venator*, *Nemrod*, iactantiâ se ex hominum numero eximere, DEVSQVE haberi voluerit. Ita *coram Domino* venatur *Mors*, quæ se DEO parem, orci licet progenies, iactare non veretur, & à quibusdam venerationem sacrificiúmque obtinuit. Nam *Morti* sacrificant, qui vitam sibi DEI iniussu scelerate auferunt, sícque cum *Morte* temporaneâ æternam cumulant. *Nemrod opinione sua DEVS.*

D. Chrysostomus ait, *Nemrod*, *Venatorem* fuisse *coram Domino*, id est, potestatem admirabilem consequutum, DEO illi aliquam eminentiam largiente. Sic sese res habet. Non cadit vel capillus de capite nostro, nullus hinc abripitur *Mortis* venabulo lethaliter ictus, nisi DEO facultatem dante, & venatorium cultrum acuente. Ille absolutissimus est vitæ ac necis Dominus. Parum dixit Martinus Cantipratensis *Coram Domino*, id est, *DEO sciente*, ac conniuente, Non sciente tantùm, & conniuente, sed iubente, decernente, imperante, neque citius, neque tardius, singuli, tempore destinato, cadimus. Parum etiam illud, *Coram Domino*, id est, *palam*, vt declarat Abulensis. Multi palam, plures clam, cominus, eminus, punctim, cæsim, modis omnibus, nullo discrimine, ab experientissimo *Venatore* feriuntur homines. *Potestas Nemrodi à DEO.* *Lib. Hipoth. cap. vlt.* *Palam.* *In cap. XIII. Genes.*

*Corā* DEO. DEO *iudicio, reuera.*

IX. Tandē, verus sensus est: CORAM DOMINO, id est, DEI iudicio, DEO inspectante, & censente. Quia autem DEVS falli non potest: idem est, *coram* DEO, ac, *verè, reuerà*. Hominibus videri possunt robusti potentes, experti *Venatores*, qui tales non sunt, nam decipitur iudicium humanum: non DEI, qui omnia iusta lance ponderat, & rem quamlibet, qualis sit, censet: sic sunt aliqui boni, probi, casti, sed *coram hominibus*: At, *coram* DEO, nefarii, scelerati, luxuriosi, cautè viuentes, ne prodantur: non castè. humiliant se *coram hominibus*, sed interiora ipsorum plena sunt dolo. Est igitur *Mors*, quasi *Nemrod* robustus *Venator coram Domino*.

*Canes venatici Mortis.*

X. AT quinam sunt eius *Canes Venatici*? Morborum diuersa genera: modi homines capiendi varii.

*Mille modis lethi miseros* Mors *vna fatigat*.

Quis recensere posset, quot ille *canes venaticos* emittat, qui homines in laqueos compellant. Quàm multos ignibus vstulat? quàm multos in aëre suspendit? quàm multos terræ hiatibus absorbet? quàm multos aquis præfocat? quàm multos ex alto in ima præcipitat? quàm multos ex imis in summa proiicit? quàm innumeros in patria, & intra domesticos parietes interficit, quàm multos extra patriam, in aliena domo, in agro, in stabulo, in fimeto. Singulis penè noctibus, diebus, horis, momentis, sensu, motúque priuat. Alios quotidie doloribus, deliquiis, febribus tollit, Alios venenis, morsibus, calculis, percussionibus vita spoliat. Alios, telo, fuste, gladio, sarissa, securi, nouacula, glande plumbeâ interimit. Alios fame, alios frigore, alios aliis modis in casses compellit. Verè Augustinus; Opportuna *Mors* mille modis quotidie homines capit: hunc namque febribus, illum opprimit doloribus: hunc consumit fames, illum sitis extinguit: hunc *Mors* suffocat aquis, & illum perimit flammis: hunc interimit laqueo, illum dentibus bestiarum: hunc trucidat ferro, illum veneno corrumpit. Deniq; nemo est tutus, nemo securus: ille optimo loco est, & nunquam morietur malè, qui quamdiu vitalem haurit spiritum, vixerit benè.



NOTÆ

# NOTÆ

## AD COMMENTATIONEM IV.

# MORS-VENATOR.

§. MORS venatrix inexperta.] a *Quamuis primis illis tēporibus passim homines diutissimè vixerint, & posteà breuioris fuerint vitæ; non defuerunt tamen post diluuium, qui vitam vltra centesimum annum & diutius propagarunt.*

MOSES b *centum & viginti annorū erat, quando mortuus est. Non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti sunt. Deuter. vlt.*

CALEB c *vnus ex terræ promissæ exploratoribus* LXXXV. *erat annorum*, sic valens vt eo valebat tempore, quando ad explorandum missus est. Illius in me temporis fortitudo, *inquiebat ipse*, vsque hodiè perseuerat, tam ad bellandum, quàm ad gradiendum, *id est, ad omnia vitæ munia. Iosuæ* XIV. *Ausonij pater apud filium in Idyllio* III.

*Nonaginta annos baculo sine, corpore toto*
*Exegi, cunctis integer officiis.*

Nostris quoq; temporibus sunt, d qui certare possint cum antiquis. Scribit Cardinalis Hosius *Libro* Confession. *Cap.* XCI. *In oppido Srensco, memorabili quodam opere, sepulchrum constructum videre licet, quod Felix à Srensco Palatinus & Præfectus Plocensis auo suo paterno posuit: testatur hunc inscriptis sepulchro* CXL. *annos vixisse.*

*Refert Nicolaus Serarius Iosue* XIV. *Q.* III. *§.* III. *narratum sibi ab homine Germano, quod proauus vixisset ad annum* CXL. *auus ad* CXX. *Adiungit se vidisse rusticum natu grandem annorum supra centum plurium, qui pedes venerit sat longo itinere ad Cœnobium Senonense, adhibitusque ad mensam, nescio quid mussitauerit, rogatus caussam, dixerit: si tantam, talémque mensam semper habuissem, tam diu non vixissem.*

*De quadam Æthiopum gente Postellus scribit in Cosmographia: Multi* CLXXX. *annos nati, etiam operas ditioribus locant.*

*Strabo Lib.* XV. *tradit Seres annis* CC. *viuere: quod tempus excederent, nisi occiderentur. Diodoro Siculo teste.*

*Scribit Olaus M. Dauidem Episcopum*

a *Macrobii.*
b *Moses.*
c *Caleb.*
d *Poloni.*
*Germani.*
*Æthiopes.*

*pum Scotum vixisse ad annos* CLXX. *Plura istiusmodi exempla dant Historici, & qui scripsère Memorabilia. Simon Maiolus in Colloquiis Canicularibus. Ioan. Petrus Maffeius in Indica Histo. Camerarius Centuria 11. c.68.*

*§. V. Nemrod.*] *De hoc Genesis* X. 8. & 9. Chus genuit Nemrod: ipse cæpit esse potens in terrâ. Et erat robustus VENATOR coram Domino. Ab hoc exiuit prouerbium: Quasi *Nemrod* robustus VENATOR coram Domino. *Fuisse primum in orbe Tyrannum existimant plerique omnes.*

S. Hierony. in Traditionibus in Genesin: Genes. XI. *Nemrod arripuit insuetam primus in populo tyrannidem, regnauítque in Babylone: quæ ab eo quod ibi confusæ sint linguæ turrim ædificantium, Babel appellata est.* His consentanea habet Iosephus lib. I. Antiq. *Superbiam Deíq; contemptum excitauit in hominibus* Nemrod *nepos Cham, vir audax & manu promptus, subinde iactans, non DEO, sed propriæ virtuti præsentem felicitatem eos debere: atq; ita paullatim rem ad tyrannidem trahebat; ratus fore, vt homines ad se deficerent à DEO, si se illis ducem præberet.*

Hugo Victorinus Annotationibus in Genesim. *Nemrod mole corporis, & virtute superans alios homines, dominium cæpit exercere per violentiam, & induxit eos ad idololatriam, vt Ignem, quasi DEVM colerent, quia vtilitates maximas beneficio Solis qui igneus est, contingere videbat, quem errorem posteà Chaldæi sequuti sunt.*

*§. VII.* Venatio, armorum præmeditatio. Pater Cyri apud Xenophontem *lib. I.* de instit. Cyri. *Si quando bellum ingrueret, vt quùm necessitas tulerit, possitis hominem petere, decipere, & circumuenire: non in hominibus exercemus vos, sed in bestiis, ne fortè amicis quoque incommodetis, & vt cum bellum inciderit, tunc aggrediendi, circumueniendi, cædendique hostem, audaciam pariter, ac peritiam habeatis.*

Venatio Ecclesiasticis vetita.] *An, quomodo, quæ Venatio sit Clericis prohibita disputant Casuum conscientiæ Magistri in Summulis, & Canonistæ cum Hostiensi. Concedunt illis plerique aliquam, sed moderatam, & recreationis aut necessitatis gratiâ.*

*§. VIII.* Coram Domino.] Varias interpretationes breuìter attigimus. S. Augustinus lib. XVI. de Ciuitate cap. 4. in malam partem accipit, vt idem sit, quod, contra Dominum. *Tutam, inquit, vtrámque in cælum viam molitur Humilitas, sursum leuans cor ad Dominum, non contra Dominum, sicut Nemrod Gigas, Venator contra Dominum. Quod non intelligentes nonnulli, ambiguo Græco textu decepti sunt,*

*ſunt, cùm non interpretarentur*, contra Dominum, *ſed* ante Dominum, *ἐναντίον enim, &* contra, *&* ante *ſignificat. Hoc enim verbum eſt in Pſalmo* XCIV. Ploremus ante Dominum, qui fecit nos: *idémque eſt in libro Iob, in quo ſcriptum eſt: In furorem erupit contra Dominum. Sic etiam intelligendus eſt Gigas ille contra Dominum. Quid autem eſt* Venator, *niſi animalium terrigenarum deceptor, oppreſſor, extinctor. Erigebat ergo cum ſuis populis turrim contra Dominum, quæ eſt impia ſignificata ſuperbia.*

At ſenſus litteralis eſt, quē §. IX. poſui, & habent recentiores Interpretes. Adagium optimè exponit Delrius Tom. I. Adagio XIII *Qui concedit Nemrodum initio ferarum venationi vacaſſe. Semper enim viri fortes, & bellicoſi hoc rudimento militiæ fuerunt imbuti, ſunt hæc quædam bellorum crepundia. Poſteà verò, quà dolo, quà vi aperta, homines, quaſi feras ad necem, vel ſeruitutem captaſſe Itaque fuiſſe etiam, Dei iudicio potentem, ac robuſtum tyrannum.*

*Hebraicè eſt* לפני יהוה Lepeni Iehoua, In oculis, *ſiue* in conſpectu Dei. *Lxx.* ἐναντίον κυρίου. *Sic Lucæ I. 15. magnus coram Domino.*

*Geneſ.* XIII. 13 *Sodomitæ peſſimi erant, & peccatores coram Domino nimis.* Quod Caietanus interpretatur, contra DEVM auctorem, in quem delinquebant præpoſterâ libidine: melius alij, Deo inſpectante, & Dei iudicio. Sic *Geneſ.* XXVII. 7. *Benedicam tibi coram Domino.*

*Numer.* XXXII. 22. *Obtinebitis regiones, quas vultis coram Domino.*

*I. Reg.* XVI. 6. *Num coram Domino eſt Chriſtus eius?* hoc eſt: num in conſpectu tuo eſt is, quem iudicas Regem eſſe debere?

*III. Reg. II.* 45 *Thronus Dauid erit ſtabilis coram Domino.*

*Porrò quoniam quæ in conſpectu ſunt Domini, illa reſpicit Dominus*, coram Domino, *aliquando idem eſt, quod* fauente *&* annuente. *Sic*, Facere *quidpiam* coram Domino, *ſignificare poteſt, Domino comprobante. Hoc ſenſu, ambulauit Abraham coram Domino.*

*Plura de Nemrodo Iacobus Salianus Tom. I. Annalium Eccleſiaſticorum V. T. ad Annum M.* MDCXCIV. *quo illum natum putat, & nomen ei poſteà tributum, vel ab euentu, vel à Chus patre, tanquam Propheta. Dicitur enim Nimrod* נמרד. *id eſt, Interprete Hieronymo*, tyrannus, *vel* profugus, *aut*, tranſgreſſor. *Apud Ariam vertitur*, rebellis, dormitio deſcenſionis: *vel*, dormiens dominans.

*Vide eundem Anno* MCMIX *&* MCMXXXI.

(?)

# COMMENTATIO V.

## MORS INCENDIARIVS.

*Homo in Cinerem reuertetur.*
Iob xxxiv. 15.

### BREVIARIVM.

1. *In Quadragesimâ frequens Mortis memoria, Cineris caremonia ad Mortis cogitationem ducit.*
2. *Adamo statim post peccatum indicitur moriendi necessitas. Quid* Cinis? *An idem, quod Puluis?*
3. *Mors corpus humanum in Cinerem redigit, vt Incēdiarius. Eius faces, Febres.*
4. *Incendiarii nunc subitò, nunc lentè domum absumunt igne: idem facit Mors, cui diuersa subseruiunt morborum genera.*
5. *Symbolum Incendiarii parit cautelam, & solicitudinem, ne imparatum Mors opprimat.*
6. *Duo exempla Mortis inexspectatæ, & miserabilis Militum.*
7. *Incendiarius Nero vastitatem vrbi attulit, Mors orbi adfert.*
8. *C. Plancus audax, & furiosus. Audacior Mors est.*
9. *Erostratus incendit templum Dianæ, Mors Mundum, Diuinitatis basilicam.*
10. *Ignis citissimè dissoluit. Non longo opus habet tempore Mors, vt te in Cinerem redigat.*
11. *Facile Mors irritatur, quod proprium est Incendiariorum. Caussæ Mortis plurimæ.*
12. *Homo est velut domus inflammata.*
13. *Anima in corpore, vt ignis in adipata materia. Subducitur anima, resoluitur homo in Cinerem. Fumus flatus. Sermo scintilla. Sap.* 11. 2.
14. *Incineratio vniuersi an futura? quando?*
15. *An omnia futura Cinis & puluis. Principis Io. Godefridi cognomen Cineris recordationem induxit.*

## *Clerici Archi-episcopalis Ecclesiæ Moguntinensis.*

*In Quadragesima Mortis frequens Memoria.*

I. CVM aliàs sæpe, tum nunquam frequentiùs, & magis sedulò *Mortis Memoriam* fidelibus inculcare conatur suorum salutis amans Mater Ecclesia, quàm hoc quadraginta-dialis ieiunij tempore. In cuius statim

tim exordio, vt nunquam illius obliteraretur imago, non verbis tantùm, sed rerum etiam Symbolis, tanquam coloribus viuis illam efformare voluit, *Cinere* capitibus, aut fronti admoto, illóque ferali sæpius ingeminato carmine: *Cinis es, & in Cinerem reuerteris.* Quod ego cùm initio carnispriuij contemplarer attentiùs, obiecit animo MORTIS quandam effigiem, quam si alijs, quas hactenus enarrai, adiunxero, confido ad MORTIS memoriam in nobis firmandam fore vtilissimam.

II. EST autem desumpta isthæc sententiola ex capite III. Genesis, vbi post peccatum, Adamo indicitur moriendi necessitas, & corporis in primæua elementa dissolutio, additâ causâ, QVIA *puluis es, & in puluerem reuerteris.* Quo loco, vocula Hebræa *Ghephor*, reddi potest, *humus, lutum, terra, puluis, cinis*: Cinis enim nihil aliud est, quàm puluis post combustionem ex re corporeâ relictus. Et, vt homo dicitur *puluis*, ita & *cinis* Eccles. x. 9. *Quid superbit terra & cinis?* Et Genes. XVIII. 27. Abraham ad Deum. *Loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis &* Cinis. Clarissimè Iob cap. XXXIV. 15. *Homo in* Cinerem *reuertetur.* Vbi in Hebræo est eadem vox, quæ alicubi vertitur *Puluis*, alicubi *Cinis.* Iob x. 9. *Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me, & in* puluerem *reduces me.* Psalm. CIII. 29. *Auferes spiritum eorum, & deficient, & in* puluerem *suum reuertentur.* Eccli. XII. 7. *Reuertatur* puluis *in terram suam, vnde est, & spiritus redeat ad* DEVM, *qui dedit illum.*

*Adamo indicitur moriendi necessitas.*

עפר

*Quid Cinis.*

III. PORRO, dum audio hominem *Mortis* violentiâ in *Cinerem* redigi, concipio *Mortem* tanquam INCENDIARIVM, qui subiectis facibus, aut igne missili, & pyrobolis, pulcherrimum hoc palatium, hanc arcem rationis, hoc templum Diuinitatis, vt hominem vocat Sanctus Paulus, incendit, combûrit, & ex illo, nil nisi *Cinerem* & *Puluerem* vilissimum, tenuissimum, inutilem operibus faciendis, vagum & inconstantem relinquit.

*MORS Incendiarius.*

Et sanè si rem diligenter ad calculos reuocemus, inspecto morientium vbique catalogo, comperiemus maiorem hominum partem incendio absumi, vt non nimirum sit, quod in *Cinerem* desinat, *Incendiario Morte* ignem subijciente. Quid enim aliud sunt, tot siue totius corporis, siue diuersorum membrorum morbi, quàm *Mortis* quædam faces, quibus, quod in nobis est combustibile, tanquam ignis artificiosi violentiâ lambitur, exeditur, deuoratur? Maxima hominum multitudo interit febri. *Febris* autem si Celso, Medicorum literatissimo credimus, à feruore dicitur: & est calor natiuus in igneum conuersus: aut immoderatus calor præter naturam in corde existens. Græcis simpliciter dicitur πῦρ, ignis. Ego, *Mortis Incendiarii faculam* appellare soleo; quam dum animaduertimus domus nostræ fundamentis admotam, & paullatim ad tabulatum tendere, de aqua cogitatur, vt restinguatur incendium: sed frustra sæpè.

*Moriuntur penè omnes incendio.*

*Morbi, faces Mortis.*

*Febris vnde.*

*NOTÆ.*

IV. CETERVM, vt INCENDIARIVS aliquando subitò ignem in ædes inijcit,

*Faces Incendiarii.*

ijcit, & momentò abſumuntur, aliquando ita fomitem aptat, vt nonniſi certis temporum interuallis erumpat: aliquando longo lentóque tractu, nunc his, nunc illis partibus ignem admouet, vt ſic tandem ædificium in *Cinerem* reſoluatur: Ita *Mors* mihi facere videtur. Quibuſdam immittit *Febrem ardentem & continuam*, Medici *Cauſum* vocant, qui maximo incendio, & intolerabili ſiti torquens hominem illum breui conficit. Alios perimit pedetentim, *Febri intermittente*. Quoſdam tardiſſimè, *febri hectica*: quâ calor præter naturam in ſolidis partibus accenſus, in cordis ſubſtantiâ ſedem figit, & interitum molitur. Eiuſdem *Incendiarii* faces ſunt *Eryſipelas*, alij ſacrum ignem vocant, certè, ignis inſtar, cum inflammatione ac dolore vlcus ambit. *Herpes*, qui ſerpendo celeriter penetrandoque vſque ad oſſa corpus vorat: *Phlyctana*, vulgo ignis ſylueſter: *Angina*, *Tonſilla*, aliæque inflammationum ſpecies.

καῦσος.

*Columella. Samonicus. Fernelius.*

*Memoria Mortis vt Incendiarii.*

V. Qvis huius conſiderationis fructus? Is imprimis, quem Eccleſia *Cineris* Symbolo procurat: *Mortis recordatio*, indéque diligens ſui cuſtodia, & vigilans cura, ne domus incendium non cogitanti cum totius familiæ euerſione eueniat. Cùm ſpargitur, graſſari *Incendiarios*, quanta eſt Magiſtratus ſolertia in inueſtigandis, præcauendis, & auertendis huiuſmodi peſtibus, ſi poſſit; ſi nequeat euitare fatale malum, ſaltem in monendis ciuibus, ne imparati ſint, inſtrumenta domi habeant, quibus in eo euentu eſt vſus: aquam comportent, vicinos aduocent, paries dum proximus ardet. Quæ eo ſpectant omnia, ne incendio incogitantes inuoluantur. Quanta cura ſuperioribus ſeptimanis in Hollandiâ laboratum eſt, ſi vera ſunt, quæ ſpargunt mei Bataui, vt ab *Incendiariorum technis* Reſpub. damnum non pateretur.

*Cura tempore incendii.*

Idem omnibus nobis faciendum eſſet, qui non falſo rumore, ſed longè certiſſimâ notitiâ habemus, imminere domicilio noſtro, quod inhabitamus, ex arido ligno, ideóque facillimè combuſtibili, verſutiſſimum *Incendiarium*. Quo autem die, quâ horâ, aduenturus ſit, nos latet. Si præueniatur cogitatione ac diligenti præparatione, nihil damni familia patietur, quamuis terreſtris hæc caſa corporis in fauillam abeat & *Cinerem*. Si imparatos opprimat, irreparabilis ſequetur calamitas. Et falluntur plurimi, qui procul abeſſe exiſtimant, cùm ſit præ foribus.

*Exempla recentia.*

Hic mihi duo exempla in mentem veniunt, ad hanc rem accommodatiſſima, quibus ſapere diſcant vitæ bonæ procraſtinatores, qui nullam, vel rariſſimè de *Morte* cogitationem ſuſcipiunt, acſi ab *Incendiario Morte* ſibi nihil metuerent.

*Anno* MDCXIII.

VI. Scriptvm eſt ad nos ex Philippinis Inſulis à Patribus Collegij Manillani. Cùm ad portum Canite, incolis & aduenis celeberrimum, quidam è Patribus diceret, ad fœdam ex omni conditione hominum colluuiem: ageretque de breuitate vitæ, *Mortiſque* incertâ horâ, dicendi ardore prouectum, prorupiſſe in hæc verba. Quid? ſcitiſ-ne; vtrum obſtinatus, qui me audit peccator, die craſtinâ Deo de factis rationem reddet? Atque ita contigit: Miles famæ non bonæ, proximo mane, prope nauim, qui fabricabatur in littore, leui occaſione irritatus, cùm tranſiret, ac verbis peſſimis peieraret, fortè decidit à ſummo proræ lignum, quod ſubitò hominem iuramenta repetentem, interfecit.

Alteri,

Alteri, cùm pertinaci animo amicorum consilia repudiaret, à pellicatu illum educere conantium: hoc etiam responsum addebat fatuus: Longum restat quadragesimæ tempus. Verùm statim, vt verba dedit, breuiati sunt dies ei, qui longos sibi restare ad pœnitentiam putabat. Nam confestim concidit, exanimato similis: paruóque temporis interuallo, caput, manus, ac pedes motare cœpit, ac si epylepsiam pateretur. Huc & illuc circumspectabat, tam rabido aspectu, vt ijs qui aderant, magnum terrorem incuteret. Ita enim faciem cum timida voce aliò auertere, abscondereque conabatur, vt qui terrentem se dæmonem aspiceret. Quæ rabies, absque vllo pœnitentiæ signo, durauit horas circiter duodecim, donec abscissam dentibus linguam pariter & animam exspuit. Hic si funestum *Incendiarium* à tergo sibi hærentem præmeditatus fuisset, haud ita subitò tartareo traditus *Incendiario*, æternùm excruciaretur. *Obstinati in pellicatu Mors.*

VII. Mvltos *Incendiarios* perniciem hominibus, & ciuitatibus intulisse ex vetere, ac recenti historiâ commemorare possem, nullum ego legi, audiuíque qui breuiori tempore in *Cineres* redigat tam multa ac diuersa, quam *Symbolicus* ille noster. A Romanis celebratur, sed cum detestatione, *Nero* Princeps, qui Romam ipsam incendit, igne in palatia amplissima immisso, qui sex continuos dies, & totidem noctes, per vrbis ædificia, sacra & profana vagatus, ridente *Incendiario*, & plaudente, ac cantante, vastitatem inauditam attulit: Sed quid hæc ad illam, quam *Mors* vnicâ pestilitatis flammâ in regnum integrum iactatâ sæpe efficit? Qua vix die vno familias absumit, ciuitates deuorat, regnum in solitudinem redigit? Nec in alium culpam reijcit Mors, vti fecit *Nero*, qui ad leuandam sceleris atrocitatem, omnem cladis illius inuidiam, in veræ pietatis cultores, viros innocentissimos, reiecit, subornatis, qui Christianos eius incendij auctores falsò criminarentur: Palam edicit *Mors*, se *Incendiarium*, vt omnes maturè caueant, & similis denunciat, fore tandem, vt in *Cinerem* à se quilibet dissoluatur. *Cinis es, & in cinerem reuerteris.* *Nero Incendiarius. NOTA. Suetonius; Tacit.*

VIII. Extollit Cicero audaciam C. Planci *Incendiarii*, qui cùm Curiam Romanam incendisset, ideóque eiectus esset in exilium, tamen post, armatus, ausus erat redire in vrbem: Et scribit Philippica XIII. prouerbio fuisse in illum iactatum: quod perire non posset, nisi crura ipsi fracta fuissent. Quod adagium dictum est ab ijs, qui ob scelera in cruce suffiguntur, & tanta est malitiæ viuacitas, vt nec illi mori possint, nisi fractis cruribus anima extorqueatur. Maior est *Mortis* audacia, aut potius Imperium, quæ licet combusserit Regum & Imperatorum curias, ipsaque familiarum capita, redit tamen ad easdem ædes, semper interrita, eadem semper armata facibus; nec perire potest, nisi fractis cruribus, & ablatis pedibus: hoc est, nisi diuina lege adimatur illi potestas in mundum redeundi. Quod non fiet nisi, Mundum ipsum prius fulignosus *Incendiarius* exusserit. *C. Plancus Incendiarius.*

IX. Detestati sunt veteres *Erostratum*, qui vt æterni sceleris memoriâ nomen suum æternitati consecraret, Ephesiæ Dianæ templum, immisso igne concremauit. Mors non templum vnum, sed vniuersum mundum, igne in visceribus eius accenso absumet. Quod persuasum fuit Stoicis, qui solemnem ipsi *Erostratus. Incendiarius*

Exustio Mundi. mundo ἐκπύρωσιν, Latinè, *conflagrationem*, siue *exustionem* imminere à *Morte* docuerunt.

NOTA. II. Petr 3. Nec dissentiunt Christiani Theologi, qui Mundum à *Morte* quadam suâ inflammandum, exurendúmque sentiunt, docti à Petro Apostolo, qui, ***Cœli***, inquit, ***qui nunc sunt, & terra igni reseruati in diem iudicii.*** Et rursum: ***Cœli magno impetu, transibunt, elementa calore soluentur: terra autem, & quæ in ipsa sunt opera exurentur.*** Verùm quando, & quomodo sit futura istiusmodi à ***Morte Incendiario*** exustio, alibi inquirimus. Nunc tantum dicimus:

Ignis citissimè dissoluit. X. MORTEM *Incendiarium* agere. Quo *Symbolo* monemur, non fore longum tempus inter vitam & exitium, inter carnem & *Cinerem*: inter corpus benè compactum, & dissipatum puluerem. Quibus ab igne est interitus, momentò pereunt. Eleganter Seneca. *Nihil difficile est naturæ, vbi in finem sui properat. Ad originem rerum parcè vtitur viribus, dispensátque se incrementis fallentibus: subitò ad ruinam, & toto impetu venit. Quàm longo tempore opus est, vt conceptus ad puerperium perducatur infans. Quantis laboribus educatur, & adolescit? At quàm nullo negotio soluitur? Vrbes constituit ætas, hora dissoluit. Momentò fit* CINIS, *diu Sylua.* Memento homo, quia *Cinis* es, & in *Cinerem* reuerteris. Quanto ad id opus tempore? Momento. Porrò,

Sen. lib. III. Q. ca. XXVII.

Incendiarius facilè irritatur. XI. HABENT hoc *Incendiarii*, vt facillimè ad damnum inferendum proritentur: minima occasio, vel datâ, vel arreptâ facit *Incendiarium*, & dexteram face armat. Experti hoc sumus annis præcedentibus, & etiamnum in Belgio, vbi miles hospitatur. Negat quidpiam rusticus? ignem minatur miles. In domum non recipitur? incendium prædicit. Pecunia non numeratur? flammas spirat, & mox facit. Hinc, exactiones incendiariæ, quæ non sunt aliud, quàm vexationum pecuniariæ redemptiones. Imò alicubi periculosissimum est villicos suos offendere: nam vindictæ genus est, aufugere, & horreum incendere: ac minitari audent dominis, id se facturos. Bello Flandrico anno MCCCXCII. Curtracum receptum Franci incenderunt, irritati, cùm in æde sacrâ viderent affixa aurata calcaria Francorum procerum, prælio Curtracensi ab Anglis cæsorum, octoginta ante annos, cùm Robertus Atrebas cecidit, vt refert Æmilius. Hoc volebam, nullo negocio irritari *Incendiarios*, & semper metuendum, nam facillimè, quando minimè suspicaris, incendium suscitatur. Sic à Rustico, à quo sibi haud metuebant, ad Veronam tormenta Veneta incensa sunt. Sic olim Heraclides Tarentinus Architectus Rhodiorum triremes & naualia, iniecto igne combussit.

Bello Flandrico. Anno 1392. Lib. IX.

Mortis causa faciles. Incredibile est, quàm facilè *Mors*, vt domum nostram in fauillam redigat, irritetur. Paulò liberalior haustus: cursus incitatior: defatigatio modica: frigus, æstus, somnus, vigilia immodica sat magnæ causæ sunt, vt *Mors* irritata, flammam in ædificium nostrum inijciat, nósque resoluat in *Cinerem*.

Homo ignem in se alit. XII. AT enim, & alius illi modus est hominem incinerandi, qui hactenus *Incendiariis* nostris fuit incognitus. Cuius rei gratia: Animaduerto, hominem componi ex duabus partibus, alterâ, terrea, quæ se habet instar ligni humidi, ac pinguis,

pinguis, quod aptissimum est ignis pabulum, vel instar cespitis, ex quo focum extruunt Septentrionales, & è quo carbones conficiuntur: *Corpus* vocatur: Alterâ, spirituali, ac cœlesti, quæ *Anima* dicitur. Quamdiu autem homo viuit, habet animam, tanquam ignem, in corpore, velut in materiâ pingui & adipata, quam lambit. Calet autem homo, & ardet tanquam accensa terra, aut inflammatus carbo. Accedit *Mors*, eripit animam, id est, subducit ignem ex lignis, extinguitur calor omnis. Quid remanet? *Cinis*, vt rectè dixerit Iobus: *Assimilatus sum fauillæ & Cineri.* Iob. xxx. 19. Vsurpare id modò potest, qui paullo ante florebat IOANNES GODEFRIDVS Episcopus. Sed benè habet,

*Quod Gentilicii memor ominis, omnia sensit*
*In* Mortem *ruere, in* Cinerem *resoluta referri.*

Non inanem esse hanc fictionem ostendunt duo Nomina primi Hominis, vnum, quod omnibus est commune. Dicitur enim *Adam*, id est, terrenus, quasi à puluere ac limo, & *Isch*, quod Latinis sonat, *vir*, à radice *Esch*, id est, ignis, aut flamma, quasi primo nomine indicetur conditio corporis, quæ terrea, & velut cespes induratus: secundo, conditio animæ, quæ est virilis, calida, ignea, Diuini ignis quædam quasi particula: Habet hanc nominum istorum rationem Eusebius Cæsarien. lib. XI. de Præp. Euan. cap. 4. vbi disputat de arcana nominum Hebraicorum impositione, ac significatione.

*Nomen Hominis duplex* אדם *Adam.* איש *Isch* אש *Esch.*

Fuit etiam persuasio Stoicorum, Animam, *Ignem* esse: Clarè Cicero: *Omnia vestri Stoici, Balbe, solent ad igneam naturam referre, Heraclitum opinor, sequuti, quem ipsum non omnes interpretantur, eodem modo. Vos autem ita dicitis: Omnem vim esse* Ignem. *Itaque & animantes, cùm calor defecerit, interire, & in omni natura rerum id viuere, id vigere, quod caleat.* Disertè etiam Varro, sensu Stoico, *Animalium semen* Ignis: qui anima & mens, qui calor è cœlo, quod hîc innumerabiles, & immortales ignes. Iterum Cicero, *Zenoni Stoico Animus* Ignis *videtur.* Et Epicharmus Ennij.

*Anima Ignis Stoicis. Lib. II. de Nat. Deor. Lib. IV. de ling. Lat. Mentis, pro Mens, antique.*

*Istic est de cœlo sumptus Ignis, isque Mentis est.*

Huc etiam facit fabula Promethei, quem fingebant ingeniosi Poëtæ, Ignem de cœlo ductum luteæ statuæ infudisse: intelligebant animum, quo is hominem animasset, vt exponit Fulgentius lib. I. Mythologiæ. Nimirum ex opinatione, quod animus ignis esset. De quo præter nominatos, Nemesius lib. IV. de natura hominis, cap. 2. Gregor. Nyssenus de Anima cap. 1. & Lactantius lib. II. cap. 15. & lib. de opificio Dei cap. 17. Qui hoc præclarum addit monitum.

*Mythologia Promethei.*

*Si* Animus, Ignis *est, in cœlum debet eniti, sicut* Ignis, *ne extinguatur, hoc est, ad immortalitatem, quæ in cœlo est, & sicut ardere & viuere non potest* Ignis, *nisi aliqua pingui materia teneatur, in qua habeat alimentum: Sic anima materia & cibus est sola iustitia, quâ tenetur ad vitam.*

*Animi conatus ad Supera.*

XIII. VERVM hoc dicebam: vitæ mortalis insidiatorem *Incendiarium Mortem*, *Cinerem* è nobis facere, *Igne* nostro è corpore subducto. Nam si extinguatur ignis, materia terræ antea inflammata in *Cinerem* resoluitur. An hoc fortasse sensu dicebant impij apud Sapientem, *Fumus flatus est in naribus nostris, & sermo scintillæ ad commouendum cor nostrum, quâ extinctâ* Cinis *erit cor nostrum.* In Græcis quibus-

*Homo, domus incendio conflagrans. Sap. II. 2.*

dam, *σῶμα, corpus nostrum.* Quo loco pulchra est imago hominis viuentis & spirantis, qui fingitur tanquam *Domus inflammata*, ita vt ex ore, tanquam patente portâ, & naribus, ceu fenestris, halitus erumpat, velut fumus, ex interno vitæ ac præcordiorum igne: quo extincto, veluti exusta materia, non maneat nisi *Cinis*: vt sensus sit: *Extinctâ scintilla*, siue per illam intelligas ignem Democriti, & Hipparchi, *Animam sic vocantium*; siue calorem natiuum: hoc est, animâ abeunte, & calore vitali dissipato, atque consumpto, corpus in *cinerem* ibit. Huc etiam spectat illud Iobi. *Si direxerit ad eum cor suum, spiritum illius, & flatum ad se trahet,* DEVS, *& homo in cinerem reuertetur.* Memento homo, quia Cinis es, & in Cinerem reuerteris.

*Iob. XXIV. 15.*

*An homines omnes incinerandi.*

XIV. SED scire fortasse quispiam desiderat. An omnes tandem in *Cineres* rediget ille noster *Incendiarius*. Habet hanc quæstionem Robertus Olkot lectione XV. in Sapientiam, & respondet: Non omne corpus humanum nunc quidem propriè in *Cineres* resoluendum, non enim cremanda omnia, vocem tamen *incinerationis* retineri, quod antiquitùs in vsu esset cremare cadauera, ne vllius resoluerentur: & quoniam causa resolutionis, vt & mortalitatis nostræ, est fomes, & ignis concupiscentiæ. At, cùm conflagrabit mundus, corpora quoque nostra abitura in *cineres*. Et sanè, multi è Doctoribus Scholasticis antiquis, & ex recentioribus Franciscus Suarez, existimant, omnes homines redigendos in *pulueres*, ac nonnulli eorum in *cineres* per conflagrationem vniuersalem, ante iudicium.

*NOTA.*

IOANNES GODEFRIDVS EPISC. BAMBER. ET HERBIP.

Experimento id didicit ille Vobis notus, IOANNES GODEFRIDVS Episcopus, qui viuens quoties nominis recordabatur & prosapiæ, fatalem *Cinerem* versabat animo: nunc haud indiget istiusmodi commonitorio, versus in *Cinerem.*

*Aschausen Domus Cineris.*

*NOTA.*

*Quid sit principium & finis: quæ gloria carnis,*
*Id* GODEFRIDE *reor stemma docere tuum.*
*Natus ab* Aschausen, *veluti de* puluere puluis:
*Mortuus* Aschausen *desinis in* Cineres.
*O leue principium! ô fini par gloria carnis!*
*Si* Cinis *est finis, principiúmque* Cinis.
*Principis extincti* Rota *corpus vexit in* Aschausen,
*Et redit in* Cineres, *quod fuit ante* Cinis.
*Principis extincti Leo mentem traxit ab* A schausen;
*Et redit ad Superos, quod Superûm ante fuit.*

*Disp. XVII. Sect. I.*

*Lib. V. Const. cap. 6.*

XV. PORRO, quamuis Franciscus Suarez existimet, mundi reliqui conflagrationem fore post resurrectionem mortuorum: plures tamen contrarium sentiunt. Quibus fauet Sibylla apud Clementem Rom. hunc in modum canens:

*Atque vbi cuncta* Cinis *fuerint, tenuisque fauilla,*
*Atque idem* DEVS *extinguet, quem incenderat ignem,*
*Ossáque restituet rursum,* Cinerésque *sepultos,*
*Et genus omne hominum, vt fuerant,* DEVS *ipse reponet.*

Atque

Atque ita in Sequentiâ, vt vocatur ritu Ecclesiastico, canitur;

*——Soluet seclum in fauilla:*
*Teste David, cum Sibylla.*

Quocirca opinantur non pauci, illos homines, qui sub tempus iudicii viuent, incinerandos, *cineres* ab Angelo colligendos, & comportandos vnum in locum, siue in vallem Iosaphati, siue alium à DEO designatum. A quâ sententiâ haud alienus videtur S. Hieronymus: eique fauet plurimum Scriptura-Sacra omnibus iis locis, quibus generatim prædicitur, hominum in puluerem resolutio, seu reductio, aut dormitio in puluere. Et quod corpus ante Resurrectionē sit seminandum I. Corinth. XV. 42. Quæ tamen loquendi formulæ solam *Mortem* denotare possunt, quia suapte naturâ cadauer eo modo dissipatur.

ITAQVE, dum Ecclesiastico ritu, Sacerdos *cinere* frontem consignat, monere videtur, vt semper fatalem *Incendiarium* MORTEM expectemus parati: & dum tempus habemus, operemur bonum: fore enim vt tandem in *Cinerem* resoluamur. Sicut autem non potest fieri, vt ex *cinere* ignis iterum excitetur (quod obseruat Cantacuzenus Sapient. II.) ita, extinctâ semel in corde vitali scintillâ, corpus non iterum restituetur, vt virtutum officiis incumbat: Oportunitatem itaq; bona procurandi minimè negligendam, seriò apud nos statuamus. *MORS, vt Incēdiarius, expectanda.*

---

# EXEMPLA

## *Quorundam, quibus* MORS *crudelis instar Incendiarii.*

I.

QVINTINI *Britanniæ a Franciæ oppido contigit æditum, cui in sacrario cotidianum cubile, ita vino, ebrietatéque indormisse, vt inextinctum neglectúmque lumen primò lecticam, deinde culcitram stramentitiam, pòst hominem vniuersum inflammarit, atque ad* Cineres *paucos redegerit. Inde latius manans* Incendiarius *omnem templi supellectilem penitus absumpsit. Inerat Sacrario, Sacerdotis, æraque vestis plurima ex auro, argentóque acu diuite contexta, nec non gemmis & margaritis luculenter insignis: inerant simulacra argentea præclaro opere: calices ex puro auro, cruces, lychnuchi pensiles, lipsonotheca argentea arte eximiâ elaborata, quæ barbarus Incendiarius* *a Æditui ambustio.*



diarius

diarius breui liquefecit. Antonius de Balingen in Congress. pomeridianis Cap. 11. N. 6.

Puer candelæ in morem combustus.

2. Ottho Anthonius, MontisFerrati comes atq; Vrbinatium, puerum, quem in cubilis ministerio habebat, resinato linteo atq; sulphure perfuso inuolutum viuum in candelæ morem combussit: quòd hora, quam ei præfixerat, se non excitasset. Fulgos. Lib. IX. cap. 2.

Carolus VI. Gallorum.

3. Carolo VI. Francorum Rege ex morbo mente læso, Patruus arbitrium rerum demandatum. Qui verò soluti publica procuratione, vtebantur Regis intima familiaritate, illi fermè æquales, ad illum oblectandum, aut noua ludorum lusuúmq; oblectamenta ipsi adinueniebant, aut obsecundabant qualiacumq; excogitanti: vt & illud si modo, ac non in ipsum, alterius id fuit commentum. Adulta virgo nubebat nobili, & in aulâ gratiosissimo adolescenti: nocturnísq; ludis Rex cetero ornatu deposito, vultu in leonini oris imaginem personato, reliquum corpus pice delibutum, mul óq; lino depexo, ac in villos confecto ita contexit, vt hispidi ac semiferi portenti speciem spectantibus præberet ipse, eodémq; habitu quinq; præterea nihilo saniores, in cœtum principum matronarum, virorúmq; prodeunt, in orbémq; restæ datâ, choreas pedibus plaudunt, fescennino carmine modulantes. Tota ex regia concursus fit ad picatorum spectaculum. Ludouicus Aurelianensis dux, Regis frater, studio clariùs discẽdi qui essent, correptã facem propius admouit. Scintilla ex eâ in Regem fortè incidens, repentinum in omnes illos effusa flammâ, conflauit incẽdium. Duo inopes auxilij, consiliíq;, pertinaci conflagratione miserabili vlulatu, periêre, tosti, fædóq; nidore exanimati. Duo inter manus elati, cùm biduum animam traxissent, expirauêre: vnus ruens in propinquam promicellam, aqua vinóq; se proluens, salutem sibi peperit. Concursu ad Regem facto, vxor Biturigis Regem, antequam ad viuum flamma iam corpus lambens, peruenisset, veste, vt caudata, fluxáq; erat, inuoluit, atque ignem restinxit. Aurelianensis errorem imprudentiámq; excusans crimine se liberauit. Exin valetudo mentis Regis multo magis suspecta mortalib. fuit, nec vlla piacula cælestium placandorum omissa. Æmilius Lib. X. & Fulgosus lib. IX. cap. 12.

a Carolus Nauar.

4. CAROLVS a Nauarræ Rex Francorum regis gener sub Carolo VI. anno Christi MCCCLXXXVII. incendio absumtus est, fraude suorum conflato, an fortuito. Optimates intolerabilia tributa conquesti, alii compedibus vincti, alii extrema metuentes, nihil non ausuri per desperationem erant, & solâ morte Nauarri liberari poterant: quæ & in tempore insecuta est, eo miraculo, vt fides rerum commento fabulæ adumbrata videatur. Ad sexaginta, vti ferunt, natus annos, ac intemperantiâ libidinis, viribus exhaustis, vt reficeretur, toto corpore excalfactoriis medicamentis

*tis delibuto, cùm decubaret, iussit ignem in aneâ pilâ, strato, linteisque calefaciendis inferri. Dum improuidè infertur, trepidántque ministri, scintilla in ipsum fortè prolapsa, continuò fomenta illa inflammauit, ac eum ita affecit, vt quintusdecimus dies tosto finis vitæ fuerit. Annales Francici parum absimili argumento aliam famam edunt, inductum eum, insutúmq; linteis, aquâ, vim naphta habente, quamq; idcirco Franci, ardentem, dicunt, præfusis, cùm qui insuerat, candelam ardentem filo ex acu exurendo admouisset, flamma protinus fusa, ita ambustum, vt intra biduum expirarit, miro popularium gaudio, non magno suorum luctu. Æmilius Lib* IX. *Fulgosius Lib.* I. *Eborens. Tit. de Mort. non vulg.*

5. CONVENERANT a *Germani aliquot Comites, in arce VValdenbergâ apud Eberhardum Hohenloensem Comitem, cùm amicitiæ nomine, tum Bacchanalium caussâ: qui mos inter eos, qui Christianæ pietati nomen dedêre, nimium frequens est. Vt ergo nobilibus matronis, & virginibus, quæ aderant, nocturnum ludicrum non vulgare exhiberent, Faunorum personas, multa stuppâ lineis vestibus, pice, resinâque agglutinatâ, imitati, cum facibus progrediuntur & iucundissimo spectaculo conuiuas ad ludum prouocant. Ludo intentis omnibus accidit, vt malè auspicata tessera in terram fortuito casu delaberetur. Eam puer personatus dum repetit, funalis incautiùs adhibiti flamma concepta, opem adstantium implorare cæpit. Eberhardus pro sua pietate puero opitulaturus, eodem malo corripitur, corripiuntur & ceteri, quos Comitis eiusdemq; affinis & hospitis periculum sui fecerat periculi immemores.*

NOVITATE *rei astantes primùm delectari, mox vbi ex horrendis clamoribus rem seriam agi viderunt, ad labrū proximum, quod in hunc euentum paulò ante, seu diuinatione quadam imminētis mali, seu nobilis vnius, quem multum licet deprecantem in eam pertraxerant societatem, suasu, & consiliis aqua adimpleri Comes iusserat, certatim accurrunt. Eò vbi ventum, incertum qua sorte alueus modo exaruerat. Erat qui psycterem aqua afferret, sed in ipso limine pro nimia festinatione prolabitur. Alterius aquam iamiam infundere parantis cadus ligneus fatiscens, auxilij desperatione calamitatem auget. Vix tandem copiosâ veste iniecta sopitus est ignis, & persona quidem illæsa reperta, nisi quantum de stuppâ piccatâ flamma absumserat, carnes verò subiecta, tam miseris vstulatæ modis, vt nullis medicamentis vel ardor conceptus extingui, vel dolor mitigari potuerit, adeóq; paucis post horis Greg. Tubingensis, Albertus, & Eberhardus Hohenloensis Comites, in ipso ætatis flore vitam cum morte commutarunt, anno Christi*

MDLXX.

a Comites Germani.

NOTÆ

# NOTÆ

## AD COMMENTATIONEM V.

# MORS-INCENDIARIVS.

*§. III. & IV.* Morbi faces Mortis.] *Sunt pleraque morborum genera, vel ab igne, vel igneum quid continent,* Febres *maxime, quarum variæ apud Medicos sunt species. Hæ præcipuæ:* Febris intermittens, πυρετὸς διαλείπων, *cuius tres sunt inferiores species* Quotidiana, Tertiana, Quartana. *Est deinde* Diaria, *vel* Ephemera, *vnius diei febris cordis. spiritu incalefacto. Est* Continua. *Est* Continens, *quæ consistit in sanguine, cuius efferbefacti contagione cor ipsum partésque omnes incalescunt, citra putredinem. Est proprio nomine,* Ardens, *cum maximo incendio, & siti intolerabili. Est* Colliquans, *nempe ardentissima, quæ cum pinguedine carnes, & solidam substantiam calore liquatam, per aluum effundit. Est Typhodes ex ardentium genere. Est* Lipyria, *in quâ licet externa frigeant, interna vruntur. Est* Ephiala, *in quâ eodem tempore calor frigúsque in quauis corporis particulâ sentitur. Est* Hectica: *nempe, calor præter naturam in solidis partibus accensus, qui iam in cordis substantiâ sedem fixit.*

*§. VII. Nero* Incendiarius.] *Nero cùm per cuncta esset scelera euagatus, ne quid demum intentatum relinqueret, quod ad furorem, & sæuitiam pertineret, patriam incendit: absumpsitque magnam illius partem nefarius Ignis, sex continuos dies ac totidem noctes per vrbis ædificia sacra, & profana euagatus. Ad leuandam igitur sceleris atrocitatem, omnem cladis illius inuidiam in veræ pietatis cultores, viros innocentissimos reiecit, subornatis, qui Christianos, eius incendij auctores falsò criminarentur, eámque sæuiendi materiam adeptus, plurimos pientissimos illius ordinis arreptos affecit supplicio. Sabellicus Lib. II. Enneadis* VII. *ex Suetonio, & Tacito.*

*§. VIII. (* Plancus.] *Præter hunc celebrantur Incendiarij* Munatius Plancus, & Ruffus. *Præterea,* Heraclides *Tarentinus Architectus, qui Rhodiorum triremus, & naualia, iniecto igne incendit.*

*§. IX.* Exustionem.] *De hac copiosè Iustus Lipsius in Physiologia Stoica Lib. II. Disser. 22. Ouidius.*

> *Esse quoque in fatis reminiscitur adfore tempus,*

Quo

*Quo mare, quo tellus, correptaque regia cœli*
*Ardeat, & mundi moles operosa laboret.*

*Seneca Herc. Oët.*

*Cœli regia concidet,*
*Certos atque obitus trahet,*
*Atque omnes pariter* DEOS
*Perdet* MORS *aliqua, &* Chaos.

*Christianos etiam huius fuisse sententia demonstrat I. Lipsius Disser.23. De quo accuratius Ioan. Lorinus in Comment. ad Epist. S.Petri secundam cap.*III.

*§.*XII. Homo, Adam, Isch. ] *De his fusius Ioannes Pineda Iob.* XXX. 19. *Ioan. Lorinus Sapientiæ* II.2. *Martinus Delrius in Speculo Mariano Lectione* VIII. *de Notitia sui.*

Anima, Ignis. ] *Multa ad hanc rem I.Lipsius Physiologiæ Stoicæ lib.*III. *Differt.*IX.

*§. XIII.* Fumus flatus in naribus. ] *De hoc loco consule Alfonsum Salmeronem, Tom.* XI. *Tractatu* 2. *Robertum Olkotum Sapientiæ* II. *Ioannem Lorinum ibid.*

*§.* XIV. Homines incinerandi.] *Adfirmant veteres Scholastici in* IV. *Dist.*XLIII.XLV.XLVII. *Gulielmus Parisiensis de Punit. cap.* IX. *S.Thomas in Addit. Q.* LXXVIII. *Art.* 2. *& in* IV. *Dist.*XLIII. *Q. vna: Art.*IV.*q.* 2. *Francisc. Suarez Tom.* II. *in* III. *P. Disp. L. Sect. 6. vide Iosephum Acosta Lib.*IV. *de Nouiss. temp. cap.*12. *&* 21.

*IOANNES GODEFRIDVS AB ASCHAVSEN*, Episcopus Bambergensis, & Herbipolensis *cognomine* Domum Cineris *exprimebat. In gentilitio Symbolo erat* Rota: *in Episcopali Bambergensis Ecclesiæ* Leo: *ad quæ alludit Poëta.*



# COMMENTATIO VI.

## MORS

# SCRIPTOR.

*Homo in Cinerem reuertetur.*
Iob XXXIV. 15.

### BREVIARIVM.

1 *Cineris contemplatio frequentanda: ex ea finguntur noua Mortis effigies.*

2 *Morti personam tribuimus, vt Scriptura Sacra Bello, Fami, Pesti.*

3 *Scriptor litteris exaratis omnia propalat: haud minus Mors.*

4 *Materia, ex qua littera: Atramentum, Rubrica, Encaustum.*

5 *Caca littera, qua scribuntur lacte, aceto, vrina, succo herba tithymalli, adipe, sepo, pinguedine, gummi. Fiunt visibiles* Cinere: *sicut igne, qua scripta gummi, sale, calce.*

6 *Hominum actiones fallacibus scribuntur litteris: hos Mors legit, & in lucem protrahit, concremando chartam, aut inspergendo* Cinerem.

7 *Memoria impii comparatur* Cineri.

8 Cinis *supplicii diuturni Symbolum. Sodoma in* Cinerem *redacta.*

9 *Perit recordatio improborum,* Cineris *instar, vento dissipati.*

10 Cinis *ad Gehennam spectans.*

11 *Ignobili fato pereunt, qua in* Cinerem *resoluuntur.*

12 *Exterius quidam* Cineris *instar se exhibent, intus aeternas flammas fouent. Misle, comparationes similitudines* Cineris.

13 *Sermones* Cineris, *fraudes, doli occulta flagitia, qua à Morte propalantur.*

14 *In fine hominis denudatio operum illius Eccles. XI. 29. Hanc Mors, tanquam Scriptor, facit inspersione* Cineris.

15 *Scribitur in Vino, Aqua,* Cinere. *Talis omnis Scriptio mortalium: quia facile delebilis.*

16 *Mors* Cineri *inscribit: sed in quo littera aeternant. In Olympo monte* Cinis *non dissipatur. Scriptura Mortis indelebilis.*

17 *Stylus Mortis Scriptoris, vis inflexibilis.*

18 *Hanc designant eius Digiti vncati, & Vngues. His scriptum aliquando.*

19 *Stylus ferreus, Celte, plumbi lamina, Mortis sunt instrumenta, iis scribit ad aeternitatem.*

20 Nihil occultum, *quod, Morte scribente, non reuelatur.*

*Amplissimi*

# *Amplissimi Domini,*
# Illustria Cœli Moguntinensis Sidera.

1 ME oblectauit maximoperè hebdomade præcedente contemplatio, & iterum, iterúmque repetita, ac nunquam satis repetenda, quia semper, dum sumus in hoc corpore, frequentanda consideratio CINERIS, in quem tandem aliquando, certissimò, licet, quando, & vbi, sit dubium mihi, & ignorem planissimè, redigendus sum. Nam homo, quisquis ille, magnus, paruus: diues, egenus: doctus, idiota: Ecclesiasticus, laicus: sacer, profanus: nobilis, plebeius, Princeps, Episcopus, Rex, Imperator, Pontifex in Cinerem, DEI decreto, nunquam mouendo, à nullo violando, reuertetur. Omnibus occinitur, quia nulli non conuenit: CINIS *es*, & *in* CINEREM *reuerteris*. *Cineris contemplatio frequentanda.*

Ex quo carmine colligebamus proximo congressu, vel depingebamus potiùs, secundum THEOLOGIÆ SYMBOLICÆ præcepta, effigiem quandam MORTIS nouam, & fortasse multis eatenus nec visam, nec auditam: nam MORTEM, vt INCENDIARIUM repræsentabamus. Nunc ex eodem non minus insolentem imaginem efformabimus.

II. SED præmittendum est, ne non solùm præter opinionem videantur, quæ adferimus, at contra rationem quoque: nec incredibilia tantùm, sed & ludicra. *Primò*, dum *Morti* personam adfingimus, & vocamus illam, *Piscatorem*, *Aucupem*, *Venatorem*, *Incendiarium*, id fieri Sacris-litteris admodum consentaneè, quæ *Bellum*, *Famem*, *Pestem*, vt sexcenta istiusmodi, velut DEI Stipendiarios administros, non absque personâ inducunt. *Secundò*, cùm dicimus, *Mortem* esse *Aucupem*, *Piscatorem*, *Incendiarium*, atque idem de reliquis feratur iudicium, idem esse, ac si diceremus, DEVM vti *Morte*, sicut Princeps *Venatore*: aut *Mortis* stratagemata, à *Venatoris*, *Aucupis*, *Incendiarii* non multum differre. Quid hic paralogum? quid aduersum rationi Sapientis? *Morti personam adfingi SS. consentaneum. NOTÆ.*

III. Itaque dum audio MORTEM redigere homines in *Cinerem*, fas mihi sit concipere illam, tanquam ingeniosum SCRIPTOREM, qui, quicquid nos cogitamus, dicimus, molimur: quæ abdita cupimus, & nulli, præterquam nobis, nota, exactissimè describat: & *litteris*, vt nunc appellant, *patentibus*: vt olim nuncupabant, *circularibus*, & *encyclicis*, propalet. *Scriptoris officium.*

IV. VT huius meæ conceptionis, aut si ita vocare libet, fictionis, rationem reddam, quæ vobis probetur; scire vos oportet materiam, quâ scribitur, siue ex quâ litteræ formantur, esse variam. Nos communiter characteres pingimus *Atramento*, seu μελαντηρίῳ: sic ab atro colore, dicitur humor nemini non notus. In titulis pingendis vsui sunt, *miltum*, *minium*, *cinnabaris*, *sinopis*, quæ rubri sunt *Materia ex qua characteres. NOTÆ. Atramentũ. Rubr ca Lib. XXXIII. Cap. 7.*

 coloris

*Encaustum.* coloris auctore Plinio: *Rubricam* vulgus vocat. Olim etiam vsurpabant *Encaustum*, ex muricis, seu conchilii colore compositum. Quod adhibuit Imperator Palæologus in syngraphâ, quâ Romanæ Ecclesiæ obedientiam iurauit, quæ Romæ etiam-num seruari dicitur in basilicâ S. Spiritus.

*NOTAE.*

*Ars pingendi litteras cæcas.* V. Verùm est Ars quædam, seu astus potiùs, tegendi scriptionem, aut subducendi ab oculis litteras; ita vt inuisibiles initio sint characteres; sed posteà in cōspectum veniant, si scriptoriæ peritus accedat, illásque educat. Aspectum fugiunt litteræ omnes (quod quidam mihi aliquando concredidit tanquam rem planè eximiam, nec passim euulgandam; sed ego Vobis, amicis meis palam enuncio, quia scire vos vellem omnia scitu digna, quæ ego non ignoro) & inuisibiles dicuntur, quæ scribuntur *lacte, aceto, vrinâ, succo herbæ tithymalli, adipe, sepo, pinguedine, gummi.* Hanc ob caussam *cæcas* vocabant has litteras. At quomodo fiunt visibiles? Si aspergantur *cinere*. Plin. lib. XXVI. Natur. hist. cap. 8. *Narrant lacte eius scriptâ chartâ cùm inaruerit* (loquitur de herbâ lactariâ) *si Cinis inspergatur apparere litteras: & ita quidem adulteras alloqui maluère, quàm codicillis.* Simili modo, quæ *gummi, sale, & calce* scribuntur, legi non possunt, nisi papyrus, in quâ scriptum, cremetur.

*Hominum actiones litteris fallentibus scripta.* VI. HÆC si *Symbolicè* explanemus, considerare licet duplex genus hominum, *Proborum*, & *Improborum*, quorum characteres: id est, viuendi rationes, studia, curæ, molitiones, mores, sunt occulti, cæci, inuisibiles: ideóq; fit plerumq;, vt boni non æstimentur, honorentur homines nefarii: vt putentur innocentes, casti, humiles, qui sunt arrogantes, luxuriosi, noxii. Quantoperè laboratur à quibusdam, vt in lucem non veniant doli, fraudes, simonia, ebrietas, fæda dicta, & facta, occulta flagitia, quæ intra domesticorum septa parietum patrantur. Sed DEVS alit, vt magni Principes scriptionis abditæ peritum, Cifrarum Magistrum vocant aliqui, qui cæcos illos characteres in lucem protrahet, vt ab omnibus legi possint.

*Mors cifrarū magistra.* Quomodo? vel concremando papyrum; nempe, exustione corporis: quod facit MORS, vt *Incendiarius*: vel inspergendo *Cineres*. CINIS *es & in* CINEREM *reuerteris.* Hoc *Cinere* si *Mors*, tanquam *Scriptor*, aspergat vitæ tuæ actiones, apparebit illicò, qualis fueris. Legetur vel à luscitioso & coclite: Titius summæ ædis Canonicus fuit intemperans: Caius Vicarius fuit lasciuus, qui habebatur castus: Sophroniscus Ecclesiasticus, & quidem Sodalium è numero, fuit ambitiosus, qui æstimabatur humilis. Callias Prælatus dicebatur colere ieiunium, & epulabatur cotidie splendidè. Plura accumulare vetat loci sanctitas, auditorum reuerentia.

*Memoria comparata Cineri.* VII. Dicet quispiam: hæc ingeniosè ac festiuè fingi, vt solent ab Eruditis nonnulla: at fundamentum eius nullum esse in *Scriptura*. Itane? vt est dedecus Iuris-Consultum, dum Doctorem agit, loqui sine legibus, earúmque auctoritate: ita minimè decorum est, Theologum in suâ exedrâ producere imaginem, qua spectatores ad honestatem, pietatémque impellat, quam non penicillo Diuini Spiritus, & colore è Sacri Codicis officinâ petito efformet.

Legatur

LEGATVR, quod est Iobi XIII. & intelligatur probè, inuenietur fortasse *Symbolum*, quod expressi. Habetur ibi, MEMORIA VESTRA COMPARABITVR CINERI: *& redigentur in lutum ceruices vestræ.* Qui locus habet pulcherrimos explicatus, & omnes ad morum institutionem accommodatissimos. Loquitur autem de improborum, & hypocritarum potissimùm, supplicio: ac dicit, ita puniendos, vt memoria ipsorum sit comparanda *Cineri.* *Iob. XIII 12*

VIII. PRIMO quidem, quia nihil remanebit de omni gloriâ, fastu, pompâ, nisi *Cinis*; Deinde quia *Cinis* in memoriam reducet mortalibus supplicium, quo impios Deus mactare solet: id est: erit monumentum pœnæ de vobis sumptæ perpetuum. *Cinis* enim est supplicij maximè diuturni, & metuendi *Symbolum.* Quomodo de Sodomâ pronunciauit Petrus Apostolus. *Cinis Symbolum.* *Epist. Petri II. c. II. 6.*

*Ciuitates Sodomorum in* Cinerem *redigens. Exemplum eorum, qui impiè acturi sunt, ponens.* Nimirum, pulcherrima illa quondam & amœnissima regionum, facta est, vt loquitur Paulus Orosius *Regio Cineris*; nam tota illa terra torrida perseuerauit, & exusta. Herbæ verò, flores ac poma, quæ profert, ad manus attactum in fauillas euanescunt, ac in fumum dissoluuntur, nec non fatiscunt in vagum *puluerem, Cineremque,* vt narrant Solinus, Tacitus, Plinius, Strabo, Stephanus, Aristoteles: & è nostris Scriptoribus Ægesippus, Tertullianus, Augustinus, Orosius. Hi itaque, vt est Sapientiæ X. *Insipientia sua reliquerunt hominibus memoriam*, CINEREM. Nihil remansit, nisi *Cinis*: qui supplicij meritissimi posteros semper moneat. Superest ex Sodomâ *Cinis*, nunquam intermoriture pœnæ *Symbolum.* *Lib. I. Hist. cap. 5.* *Solin. cap. XLVIII.* *Tacit. Hist. XXI.* *Plin. lib. V. 16.* *Strab. li. XVI.* *Steph. de vrb* *Arist. I. Meteor.*

IX. PRÆTEREA: cùm *Cinis* facillimè dissipetur; idem est: *Memoria vestra comparabitur* Cineri, ac; Quemadmodum *Cinis* leuissimo flatu disijcitur, ita peribit impiorum memoria, recordatio, fama: nam dissipatione solâ perit *Cinis*, & aboletur. Erit memoria vestra, ô impij! *Cineris* instar, quem ventulus difflat facillimè ac dispergit: erit velut res iam combusta, cuius nihil superest præter inutiles *Cineres.* *Erunt populi quasi de incendio* Cinis, inquit Isaias. Nonne cotidie id experimur? moritur diues, moritur opulentus Ecclesiasticus, moritur magni nominis Præpositus, Antistes, Prælatus, si officio suo non benè functus est, perit memoria eius cum sonitu. Quam primum est finis compulsationis campanarum, quæ funus honestat, desinunt illorum recordari mortales. E contrario, Iustorum memoria in benedictione est. Hoc fortasse sensu comminatus Tyro DEVS dicebat: *Dabo te in* Cinerem. De Moabo autem legitur in oraculis Amos: *Eo quod incenderit ossa Regis* Idumææ *vsque ad* Cinerem. *Ægesi lib. IV. cap 18.* *Tertul. Apo. XL.* *Aug. li XXI. de Ciu ca 8.* *Lib. I. de mirab. SS. cap. 10.* *Osor. I. Hist. 5.* *Iosi. lib. I de bel cap 5.* *Sap. X 8.*

X. AD hæc: quia *Cinis* extremum Gehennæ supplicium denotare potest: quo pacto quod effert S. Petrus de Sodomâ; *In* Cinerem *redigens*: S. Iudas Apostolus enunciat; *Ignis æterni pœnam* sustinentes: ideo, *Memoria vestra comparabitur* Cineri; ita non malè exponitur: Igne æterno cruciabimini: nam ignis ille inferni in *Cinerem* redigit, quem iusti, & cum Deo regnantes conculcent. Quod indicatur Malachiæ IV. vbi hæc fit impijs comminatio. *Cinis facillimè dissipatur* *Ezec. XXVIII. 18.* *Amos II. 1.* *Cinis figura Gehennæ.* *Iud Epist. V. 7.*

*Ecce dies veniet, quasi caminus, & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem quasi stipula, & inflammabit eos dies veniens, quæ non derelinquet ex iis radicem & germen.* *Malac IV. 3.*

*Et orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitia, & sonitus in pennis eius. Et calcabitis impios cùm fuerint* Cinis *sub plantâ pedum vestrorum.* In quibus minis, ignis prædicitur manere impios, qui illos exurat: Sol iustos, qui illuminet, & sanet: istis *Mors*, & *Cinis* inutilis: his vita, & *Cineris* conculcatio: istis ignita fulmina: his optatissimi Solis radij.

*In Cinerem resolui, interire.* XI. PORRO, quoniam in *Cinerem* resolui, est interire, potest idem esse, *Memoria vestra comparabitur* CINERI, ac ignobili morte, & velut ambusti interibitis.

*Memoria, similitudo Cineris.* XII. TANDEM verò, quia in Hebræo loco illius verbi, *Comparabitur*, est nomen *misle*, quod significat Latinis, *comparationes, similitudines, parabolas:* vt verti possit: Memoria vestra comparationes, vel similitudines *Cineris:* id est, species, aspectus externi, vel apparentiæ cinereæ, cùm tamen intus lateat dolosè ignis. Nam sub frigido *Cinere* ignis delitescit: quomodo ille canebat:

*Periculosa plenum opus alea*
*Tractas, & incedis per ignes*
*Suppositos* Cineri *doloso.*

An fortasse sensus est: Memoria, id est, conuersatio vitæ vestræ: dies nimirum, quibus memoramini, accelebramini super terram, *similitudines Cineris*, hoc est, exterius exhibent speciem *Cineris frigidi:* sed latet, imò alitur intus ignis æternus, qui ex sufflato per *Mortem* integumento *Cineris* miseros tandem exuret. Ita ingeniosè Quirinus Salazarus Prouerbiorum Salomonis Interpres.

*Salaz. Prou. 1. vers. 1. Num. 14.*

*Sermones Cineris.* XIII. HIS adde ex versione Tigurina legi: *Memoria vestra Sermones Cineris.*

PER *sermones Cineris*, intelligi possunt sermones, ac verba, quæ prius legi non poterant, posteà in sparso cinere, ab artifice Scriptore excitantur, vt omnibus innotescant. Et sanè, similitudo ab huiusmodi ducta litteris cæcis & inuisibilibus, optimè quadrat in memoriam, & vitam omnem impiorum hominum. Nam eorum mores, studia, fraudes, impuritates, ambitiones, scelera & flagitia, obscura sunt, cæca, & inuisa: adeò, vt decipere se posse putent non homines solùm, quos fallere est facile, sed etiam DEVM; qui vt illudat, sibi illudere volentibus, aduocat artificiosissimum suum Scriptorem, MORTEM, qui omnes vafrè, clanculariè, latenter scribendi modos perspectos habet, & aperit, iubétque DEVS, vt aspergat tabulas tam astutè ab hominibus illis scriptas, *Cinere*, sed non alio, quàm, in quem corpus illorum est resolutum: tunc excitantur litteræ, apparent omnibus, leguntur facillimè: & fit *Memoria impiorum*, *Sermones cineris* id est, legibiles, iniecto à MORTE CINERE. Hoc est, quod monebat Sapiens.

*Denudatio operum.* XIV. ECCL. XI. 29. *In fine hominis, denudatio operum illius.* quod bellè conuenit cum hactenus declaratâ similitudine. Habet autem hunc ferè sensum: Cùm in mente humanâ, tanquam papyro, vel tabulâ, tam obscurè sint depictæ, vel delineatæ, aut scriptæ hominis cogitationes, intentiones, molitiones, vt, an

vt, an bonæ sint, an malæ, legi vix ab ipso homine, nedum ab alio possit: Siquidem cor humanum est inscrutabile: & nescit homo in hac vitâ, vtrum amore, vel odio dignus sit: *In fine hominis:* MORTE hanc scripturam, per *Cinerem* suum, detegente, ac quodammodo viuificante, *fiet denudatio*, aut, vt est in Græco, reuelatio *operum illius*. Tunc DEVS per Magistrum Scriptorum, *Mortem* reuelabit vnicuique, vt legere possit, quid cogitauerit, voluerit, fecerit, & qualia fuerint eius opera. Illuminatur enim in obitu hominis vniuscuiusque conscientia, vt agnoscat quid fecerit, & quo animo fecerit. Tunc impletur, quod Paulus dicit I. Cor. IV. *Illuminabit* DEVS *abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Videtis non omninò friuolam esse, nec inanem, aut Scripturis minimè consentaneam, fictionem, quâ MORTEM ex *Cineris* consideratione, *Scriptorem* symbolicè fecimus.

XV. VVLTIS aliud huius Magistri in scribendo artificium? Memini me legere, scripsisse olim quosdam in *vino, aquâ, puluere*, & *Cinere*. De *Vino* auctores sunt, qui veterum conuiuialia, & symposiaca referunt. Clarè Ouidius *Scribuntur in vino, aqua, cinere.*

> *Blanditiasque leues tenui præscribere* vino,
> *Vt dominam in mensâ se legat esse tuam.*

Modum suggerit Tibullus lib. I. Eleg. VI.

> *Neu te decipiat nutu, digitó ue liquorem*
> *Ne trahat, & mensa ducat in orbe notas.*

Hinc lex illa Modimperatoris eruditi.

> *Dicta, indicta, facta, infecta, vino inscribuntor.*

Et fuit Græcorum paræmia, fœminarum iuramenta esse vino inscribenda, vel aquæ. Vulgari apud eosdem iactabatur prouerbio: *Scribere in aquâ*, quod habet Lucian. in Tyranno, Plato in Phædro, Xenarchus in Penthatlo apud Athenæ. lib. x. In *puluere* & *cinere* scribi ostendunt Geometræ, qui figuras suas nullibi frequentius, aut libentius efformant. Et in eo scriptitans Archimedes, Mathematicorum princeps, ab ignaro milite, trucidatus fuit. *Scriptiones mortalium in cinere.*

XV. QVÆ nos scribimus, dum in hac vitâ mortali agimus, siue de scriptione propriâ intelligantur: siue figurata: hoc est, quæ molimur, facimus, aggredimur: vel in vino, vel aquâ, vel puluere scribimus: id est, non maiorem habent firmitatem; & permanentiam, quàm quæ ex vino, aquâ, aut puluere formantur litteræ. Et verè, sermones nostri, operationes nostræ, curæ, conatúsque nostri sunt *sermones Cineris*, nempè, non differunt à sermonibus in *Cinere* descriptis, quos aura tenuis permiscet, ac delet. Quo ferè modo Franciscus Varablus, sequutus R. Abraham, interpretatur illud Iobi, *Memoria vestra sunt sermones Cineris*, referens illam similitudinem ad argumenta, & obiectiones amicorum, qui cum Iobo altercabantur: hoc sensu, *Responsiones vestræ pereunt, & collabuntur*: aut, difflantur, sicut *Cinis* à vento.

XVI. CI-

*Cinere scripta in Olympo semper durant. Olympi altitudo.*

XVI. CETERVM, industria & arte fit, vt quæ *Cineri* inscribuntur, nunquam deleantur, nempe si ad eum locum deportentur *Cineres*, in quo nullis ventorum flatibus dissipari, nullâ confundi pluuiâ, nullius vestigio conculcari possunt. Ita se rem habere doceor à grauissimis auctoribus, qui altissimorum montium cacumina dimensi sunt, & posteris indicarunt. De Olympo ita habet Solinus: *Olympus mons excellenti vertice, tantus attollitur, vt summa eius cœlum accolæ vocent. Ara est in cacumine, cuius altaribus, si quâ inferuntur, nec diffluentur ventosis spiritibus, nec pluuiis diluuntur: sed voluente anno altero, cuiusmodi relicta fuerint, eiusmodi repeririuntur, & omnibus tempestatibus ac corruptelis aurarum vindicatur, quicquid ibi semel est consecratum.* LITERÆ IN CINEREM SCRIPTÆ *ad alteram anni ceremoniam permanent.*

*In Olympo nullus ventus.*

Augustinus lib. I. de Gen. contra Manichæos cap. XV. *Mons Macedoniæ, qui Olympus vocatur, tantæ altitudinis esse dicitur, vt in eius cacumine nec ventus sentiatur, nec nubes se colligant, quia excedit altitudine suâ totum istum aërem humidum, in quo aues degunt. & ideò nec aues ibi volare assueuerantur, quod ab iis perceptum dicitur, qui per singulos annos solebant nescio quorum sacrificiorum causâ memorati montis cacumen scandere, & aliquas notas in* puluere *scribere, quas alio anno integras inueniebant: quod fieri non posset, si ventum, aut pluuiam locus ille pateretur. Denique, quia tenuitas aëris illius, qui ibi est, non eos inspirabat, durare ibi non poterant, nisi spongias humectatas naribus applicarent, vnde crassiorem, & consuetum spiritum ducerent.* Similia habet Lib. de Gen. ad litt. imper. cap. 14. Eadem habet Bocatius. Quæ licet Ludouicus Viues Scholio ad Augustin. de Ciuit. Dei lib. XV. cap 17. fabulosa putet: vera tamen esse externorum etiam probat Scriptorum auctoritas, quos laudat Simeon Maiolus Colloq. XVI. Canicularium: illud adiungens in Indice, *Cinere scripta in monte Olympo semper durare.*

*Mors scribit indelebiliter.*

Hoc itaque innuebam, *Mortem* scribere acta vitæ cuiusque in *Cinere*, sed subducto ab omni ventorum, pluuiarúmque incursu, vt metuendum non sit, ne vnquam litteræ deleantur. Post *Mortem* enim humanus *Cinis* non mouetur amplius: nam est in statu consistentiæ vel damnationis, vel beatitudinis, quam consequuntur omnes, qui exercentur pœnis Purgatorij. Lignum illud combustum, vbi, vbi ceciderit, ibi manebit, siue ad Austrum, siue ad Aquilonem.

*Stylus scriptorius Mortis.*

XVII. AT quia nemo scribit absque *Calamo*, vel *Stylo*, qui est instrumentum scriptionis, sicut penicillus picturæ, quis est *Stylus Mortis*, quo litteras format? Cogitaui ego mecum diu: quid-nam sit in *Morte*, quod similitudinem habeat styli scriptorij, & nihil magis placuit, quam eius vis, ac potestas, vel inflexibilitas; quæ si coniungantur, erit *Vis inflexibilis*, quæ propria est *Mortis*: Cuius irretractabile, & non commutandum est imperium, vel decretum. Qui semel à *Morte* hinc abreptus fuerit, non redibit iterum. A priuatione ad habitum non datur regressus. A *Morte* ad vitam mortalem non est reciprocatio.

*Vis inflexibilis.*

*Digitus Mortis. Vnguis.*

XVIII. HÆC eadem vis à pictoribus per digitos *Mortis*, aut eius vngues, qui adunci pinguntur, significari solet. Nam, quem ille semel digitorum suorum vncis apprehenderit, constrinxerit, & inuncarit, non dimittit vnquam. Digiti autem & vngues instrumenta sunt, quibus in *Cinere* scribitur, imò & in charta. Certè CHRISTVS DOMINVS in pauimenti puluere scripsit Ioannis VIII. vel paui-

mentum

mentum ipsum digito exarauit, litteras illi imprimens. Et nonne MORS fuit, aut *Mortis* amanuensis, qui Danielis v. capite, Regi Balthasari epulanti, *Mortis* sententiam digito scripsit, in muro, *Mane*, *Thecel*, *Phares*? Vultis etiam aliquid de vnguibus? Habeo ex viro fide digno: Captiuum quendam, cui vngues in longo carceris pædore excreuerant, ad eum modum, quo in *Mortis* simulacro spectari solent; vngue suo in cuspidem aptato, & in crenam fisso, atramentóque ex saliuâ aut vrina & carbone temperato, epistolam scripsisse ad suos.

IGITVR MORS, dum Scriptorem agit, digito suo, id est, vi ac potestate sua, sed benè vncato, & vngue, quem vlceribus mortalium immittere crudeliter solet, in styli modum acuminato nunquam mutandum inscribit in *Cinere* nostro Æternitatis decretum: quod est planè indelebile. Non mutat quod semel irreuocabiliter *Cineri* humano impressit. Mortis est enunciatum: Quod scripsi, scripsi. Non mouetur: non prece, non precio. Æternitati scribit, quicquid scribit. *Vnguibus.*

XIX. OPTABAT quondam Iob, qui integer vitæ, scelerísque purus, studiosissimè vitam traduxerat, ab omni grauioris delicti contaminatione alienus: & tamen ab amicis calumniatoribus traducebatur, tanquam facinorosus, ac plurimorum conscius, & infamis criminum: optabat dico, vt scriberentur acta sua ad æternam rei memoriam, & indelebiliter. *Quis mihi tribuat, vt scribantur sermones mei? Quis mihi det, vt exarentur in libro, stylo ferreo; aut plumbi laminâ; vel celte sculpantur in silice?* Id est, cum mihi non credatis, importunissimi homines, vtinam quæ sentio, & in animo habeo: vtinam quæ à pueritiâ in hunc vsque diem gessi: vtinam quæ dixi de humanorum operum, aut præmio, aut pœna: de mea denique innocentiâ ac supplicijs incredibilibus, publicè contestata, & publico instrumento consignata ad memoriam hominum sempiternam permanerent. Neque satis mihi fuerit, si communi aliarum scripturarum ratione in libro scribantur, in chartis papyraceis, aut in philyris biblinis, in asseribus aut buxis ceratis: tabulas ego requiro multo diuturniores. Incidantur igitur in plumbi lamina; stylo ferreo, vel cælatorio instrumento, sculpantur in silice, saxóue durissimo, vt & meæ fidei, meæque innocentiæ perpetuum possit extare testimonium. *Stylus ferreus. Celte. Iob. xix. 24.*

O patientissime mortalium, sustine tantisper, donec decretoria tibi, fatalísque hora aduenerit: habebis, quem optas, incorruptissimum *Scriptorem*, *Mortem*, quæ ex *Cineribus* tuis, æternitatis glutino compactis, & in potentiæ diuinæ officina igne prouidentiæ concoctis ac induratis, laminam conficiet, non latere solùm, sed quolibet silice duriorem, cui vngue suo, stylo adamantino, aut chalybeo firmiore, qui verè est *Celte*, inscribet cogitatuum tuorum puritatem, operationum merita, morborum acerbitatem, incredibilem tolerantiam, singularem in DEVM fidem, in paterno eius adfectu confidentiam: &, quod rei caput, ad finem vsque, in Patientiæ palæstra, constantiam. Scribet autem, vt solet omnia, tam firmiter, tam profundè, tam indelebiliter, vt non tempus edax *Mortis te. lamina stylus.*

K rerum,

rerum non cana annorum vetustas, non ventorum rabies, non imbrium omnia exedentium voracitas, non *Mors* ipsa, MORS dico: nam

Mors *etiam saxis, titulisque venit.*

Tabulam illam Æternitati locatam, Morum proborum monimentum, Pietatis ac Religionis in vitâ cultæ mnemosynon, Elogium Iustitiæ, Encomium Modestiæ; denique, Perseuerantiæ Trophæum delere possit, vel inducere.

XX. FRVCTVS huius Commentationis sit, vt quisque diligenter cogitet, ac præmeditetur: nihil esse occultum, quod non reuelabitur. Cautas illas, astutásque, &c, vt dicebam, cæcas litteras fraudum, dolositatum, cogitatuum inhonestorum, collusionum, compotationum domesticarum, impurarum blanditiarum, lasciuias, turpitudines, obscænitates, quocumque tandem exprimantur nomine, inscribi à nobismetipsis nostris corporibus, sed non videri: fore per *Mortem*, insperso *Cinere*, à mundo vniuerso legibiles, homines vafricie & cautelis improborum decipi posse, DEVM non falli, qui faciet, vt prædicetur super tecta, quod nunc ab ijs in angulis perpetratur. Mortis scripturam in *Cineribus* nostris impressam, nunquam deleri, antiquari, manere in æternum. Atque idcirco, quisque in vitâ ita se habeat, quomodo post mortem se vixisse, audire peroptat.

---

# NOTÆ

## *AD COMMENTATIONEM VI.*

## *MORS*

## SCRIPTOR.

§. II. *Morti persona adfingitur.*] Famem *inducit Scriptura Sacra, tanquam hominem ad Dei mandata promptum, & scelerum vindicem.* IV. *Reg.* VIII. *1.* Vocauit Dominus *Famem*, & veniet super terram septem annis.

*Psal.* CIV. *16.* Vocauit *Famem* super terram, & omne firmamentum panis contriuit.

*Traducitur is loquendi modus ad multa alia, ratione carentia, & inanimata. Ad* Gladium. *Ierem.* XXV. *29* *Gladium* ego *voco* super omnes habitatores terrę dicit Dominus exercituum.

*Ad* Formidinem. *Ieremia* XLIX. *29.* Tabernacula eorum, & greges eorum capient: pelles eorum, & omnia vasa eorum, & camelos eorum tollent sibi, & *vocabunt* super eos *Formidinem* in circuitu.

*Ad*

*Ad* Tempus. *Threnorum* I.15. *Vocauit* aduerſum me *Tempus*, vt contereret electos meos. *Quâ perſonæ fictione vel deſignantur condicti ad deſtinatum tempus ac locum homines: vel ſimpliciter tempus vindemiæ, ac maturitatis ad calcandum. Nam ſequitur:* Torcular calcauit Dominus. *Cuius verſiculi ſenſus multos habet Nauarretus in Threnos. Per* Tempus *intelligit D. Thomas & Blaſius Viegas Commentar. in Apocal. extremi* Iudicij *diem: magis ad litteram accommodatè Martinus Delrius,* Tempus, *quo vaſtati Iudæi ab hoſtibus: de quo Iſaia* III. 2. *& alibi ſæpè.*

*Ad* Aquam. *Amos* V. 8. Qui *vocat Aquas maris*, & effundit eas ſuper faciem terræ. *quod repetitur cap.* IX. 6.

*Ad* Siccitatem. *Aggæi* I. II. *Vocaui Siccitatem* ſuper terram.

*Ad* Frumentum. *Ezech.* XXXVI 29. *Vocabo Frumentum*, & multiplicabo illud.

*Ad* Stellas. *Baruch.* III. 35. *Stellæ* autem dederunt lumen in cuſtodiis ſuis, & lætatæ ſunt. *Vocatæ* ſunt, & dixerunt: adſumus.

*Ad* Iudicium. *Amos* VII. 4. Ecce *vocabat Iudicium* ad ignem Dominus Deus. *Nempe, punitionem ad ignem, vt vrbs igni arderet.*

*Vniuersè Paulus pronunciat Roman.* IV. 17. *Vocat Deus* ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.

*An hinc datus quorundam error conſecrantium tanquam Deos, Febrem, Pallorem, Bellum? Meminit horum Auguſtinus in Pſalmum* CIV. *Sed hi ignorabant, quid talium fictione perſonarum ſignificetur. Nimirum, non datur rebus iſtiuſmodi vis intelligendi, ſed declaratur* ſymbolicè *quanta Auctoris rerum omnium ſit vis ac poteſtas, qui ad arbitrium vtitur creaturis omnibus, in quibus eſt obedientialis ad obſecundandum potentia.* Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum faciunt verbum DEI *Pſ.* CXLVIII. 8. *Et cum vult Dominus exercituum*, armat creaturam *tanquam exercitum*, ad vltionem inimicorum, *vt* pugnet cum illo orbis terrarum cõtra inſenſatos. *Sapient.* v. 18.

*§. IV. Materia, ex quâ characteres.*] *Egit de hac accuratè, vt de vniuerſâ rei litterariæ antiquitate, Hermannus Hugo S. I. cap.* XII. *vbi præter illa à nobis recenſita, nominat* Sanguinem, *quo Draconis leges ſcriptas refert Plutarchus in vitâ Solonis: licet hoc alij ſparſum velint, quod omnes eius leges pœnâ ſanguinis, & mortis eſſent obſeruandæ, vt Demades explicabat. Dæmon ſæpe ſanguinem educi iubet è manu aut digito, vt ſyngrapha ſcribatur, quâ ſibi deuotos obſtringat..*

*Ex materiâ quoque non liquidâ litteras fabricatas idem docet. De* buxo & ebore *auctor eſt Hieronymus epiſt. ad*

*Latam*: *& Quintilianus lib.* I. *cap.* I. *De* ferro *Suetonius in Octau. cap.* VII. *De* argento, *Cicero Verrinâ* VI. *De* auro *Macrobius lib. vltim. cap.* V. *De* byſſo *Martialis lib.* IX. *Epig.* 14. *Auſonius Epig.* XCII. *Boët. lib.* I. *de Conſol. Philoſ. Plin. lib.* XIII. *cap.* 12.

*De Syngrapha Paleologi refertur in Chronici Epitome VVermerani Monachi Leodienſis.*

*§. V. Litteræ Cacæ.*] *De his etiam Hermannus Hugo Cap.* XVI. *quod eſt* De inuiſibili litterarum ſcriptione. *Nocte tantùm legi poſſunt litteræ ſcriptæ aquâ diſtillatitiâ nitedularum; vel, aqua ſalicis putrefactæ.*

*Scripta ſucco mali citrij, caparum, ceraſorum, cyclamini, aliúſ-ue cuiuſpiam pomi acris, ſale denique ammonico ſolo igne admoto leguntur.*

*Alumine, aut chalchanto ſcripta tantùm legi poſſunt, poſtquam charta in aquam demerſa eſt, aut vinum certo modo paratum.*

*Quædam legi non poſſunt niſi interpoſito lumine ſiderum, aut candelæ: quædam affuſâ aquâ hydrargyri: de quibus Ioannes à Porta lib.* I. *cap. vlt.*

*§. VII. Memoria comparata Cineri Iob* XIII. 12. *Habet has interpretationes Ioan. Pineda, & fuſius illas explicat.*

*§. XV. Scribitur in vino*] *Tibull. Elegia.* X.

*Vel mihi potanti poſſit ſua dicere facta*
*Miles, vt in menſa pingere caſtra mero.*

*Fuit illa Lex menſæ Lipſiana lib.* III. *Antiq.*

*Athenæus lib.* X. τὸν γὰρ γυναικὸς ὅρκον εἰς οἶνον γράφω,

*Inſcribo vino ſi qua iurat fæmina.*

*Quod perinde eſt ac ſi dicas cum Catullo*

*Sed cupido mulier quod dicit amanti*
*In vento & rapida ſcribere oportet aqua.*

*De lacrymis idem planè hyperbolicè*
*Conſcriptum lacrymis mittis epiſtolium.*

*§. XVII. Stylus ſcriptorius*] *De inſtrumentis quibus litteræ formantur, diſſerit eruditè Hermanus Hugo cap.* X. *& primum docet fuiſſe* Stylum ferreum: *quia primæ Hebræorum litteræ ſaxis & laterculis incidebantur, quod non niſi ferro commodè fieri potuit.*

*Ferreum Stylum Latinus Interpres Iobi* XIX. 24. *vocat* Cœltem. Quis mihi tribuat, vt ſcribantur ſermones mei? quis mihi det, vt exarentur in libro ſtylo ferreo, aut plumbi laminâ, vel cælte ſculpantur in ſilice. *Quem locum illuſtrat Lud. Molina* I. *P. S. Thomæ Q.* XXVI *Art.* I. *Diſp.* 2. *probátque contra Titelmannum, & Biblia Regia* Cælte *legendum, non autem* Certè.

*Eſt autem* Cæltes, *vt idem ex Lexicis, & orthographiâ Manutij docet, ferrum ſculptorium, ſic dictum à* cœlo,

*vel*

*vel antiquo verbo*, cællo, *quod significat* cædo.

*De eadem re fusissimè agit Ioan. Pineda, qui Latinis dicit esse* cœlum, *à cælando, quo vsus Praxiteles, de quo Statius lib.* IV. *Syluarum* 6.

— *Laboriferi viuant, quæ marmora cælo.*
*Praxitelis.*

ALBERTVS *M. Celte, inquit, est nomen indeclinabile designans instrumentum cæmentarij, quo lapides sculpuntur durissimi.*

SVCCESSIT *ferro* Stylus osseus, *cuius meminit Laërtius, narrans Cleanthem solitum osseo stylo in tegulâ excipere documenta Zenonis.*

SAXEO stylo *vtuntur Arithmetici in lamellâ saxeá, seu scindulâ numerorum Zifras sculpentes.*

ADAMANTINA cuspide *vitra inscribuntur.*

CARNEO stylo, *seu digito pauimentum inscripsit Christus Ioannis* VIII.

NVNC *vsitatissimus est* Calamus, *vel* Penna, *de quibus Opmerius initio Chronicôn, & Petrus Tholosanus Lib.* XV. *De republ. cap.* 3. *Penna caua est, Calamus pulposam medullam habet: vtrumq; affusione coloris, chartam, membranamque inscribit.* Penicillo *vtuntur Sinæ. Trigautius Lib* I. *Expeditionis Sinicæ Cap.* 4.

STYLI *vice vsurparunt aliqui* Rubricam, Cretam, Carbonem, Plumbum. *Lege Alexandrum Neapolitan. Lib.* II. *cap.* 30. *Guillandinum Commentario de Papyro: Mattheum Raderum lib.* XV. *Martial. Epigram.* 21.



# COMMENTATIO VII.

## *MORS*

# ADMINISTRA

## Artificum diuersorum.

*AVIARIVS, VITRIARIVS, PHARMACOPÆVS, MONETARIVS.*

## *Memento homo, quia Cinis es, & in Cinerem reuerteris.*

### BREVIARIVM.

1 *Pulueris, Cinerisq́; contemplatio iucunda Religioso Oratori, fructuosa Auditoribus: sed Ecclesiasticis maximè. Puluis, & vmbra sumus.*

2 *Artificum quidam primarii: alii Administri, qui materiam, & instrumenta apparant. In horum tribu, Mors.*

3 *Auiarius, Corui partum impedit Cinere.* Cogitationes *Coruinæ. Coruus Dæmon. Huius suggestiones dissipantur* Cinere *mortis.*

4 *Vitriarii ex Cinere ocularia conficiunt: fallunt, quæ à Mundo offeruntur: non quæ ex Mortis officina prodeunt.*

5 *Perspicilla Mundi augentia & multiplicantia. Mortis perspicilla minuentia.*

6 *Mors Pharmacopæus, eius puluis contra omnia morborum genera remedium.*

7 *Superbia medetur. Pauoni cauda cadit si puluerem pedum respiciat. Cineres deprimunt arrogantes spiritus. Alexandri M. lapis. Philippi casus. Cineres à cadendo. Vas cinerum aquam recipit.*

8 *Cinis vermem inuidiæ necat. Ex Scorpii & viperæ cineribus Theriaca. Coruum à nido pellit cinis.*

9 *Iracundiæ remedium* Cinis. *Frigidus Cinis ignem extinguit. Apes, si pugnent, coniectu pulueris componuntur. Aquam inardescentem glarea temperat. Inflammatam cutem cinis.*

10 *Acediosum excitat* Cinis: *vt Ceruum aquila, caput puluere inspergens. Ex cineribus ignis eliciendus.*

11 *Ingluuiem sanat Cinis. Subcinericeus panis Eliæ, Mortis memoria. Pro pane Cinis vsurpandus. Cinis macularum abstersiuus.* Cinere *deprehensa fraus idololatrarum Dan. IV. Vitulus sensualitatis in Cinerem redigendus. Abstinentia indicta, eo tempore, quo prædictus fatalis* Cinis.

12 *Libidinis flammas extinguit Cinis. Anteros Cupidinis tela in Cinerem redigit. Sacrificiorum Cinis in loco mundo.* Cinere *Mortis Amor diuinus fouetur. Cinis Mortis, ignis Vestalis. E* Cinere *lixiuium. Altaria* Cinere *mundanda.*

13 *Hydropem Auaritiæ diminuit* Cinis. *Mortis Cinis puluis aureus Chimicorum. Geometræ in Cinere pingunt.*

14 MORS, MONETARIVS, AVRIFA-

BER

*BER confundit omnia: Omnia metalla post liquationem coëunt: hominum Cineres post Mortem: nullum tunc discrimen. Phœnix è Cineribus reuiuiscens.*

## *Lectissimi DD. Sodales.*

1 QVIA *semel cæpi, loquar ad Dominum meum, cùm sim* PVLVIS, *&* CINIS; aiebat Abraham, DEO supplicans. Vtor eadem formulâ, in aliâ, longéq; diuersâ materiâ. Quia semel cæpi, loquar de MORTE, de quâ loqui cæpi: & cur non de illâ loquar, & frequenter loquar, & libenter loquar, cùm sim *Puluis* & *Cinis*? Iucundum est mihi loqui de *Morte*, quia reuocat mihi memoriam optatissimi finis, ad quem, benè pensatis vitæ huius longè misertimæ molestiis anhelare par est religiosum: quia illius mihi temporis recordationem iniicit, quando sepulcrali inclusus capulo, liber à tumultu, procul à negotiis, alienus à vexatione, securus futuri, absolutus à corporis ergastulo, nulla nexus amplius mortalitatis compede, *Putredini* tacitus dicam, & blandissimo susurro, *Pater meus es, mater mea, & soror mea, vermibus*. ô suaue, licet sepulcrale colloquium! *MORS continuatio vti. Gen. 18. 27.*

SED fortasse vobis non minus vtile est audire de MORTE, quia eius notato in omnes, absque discrimine, imperio, si antea opinione populari elati, ambitiosè vos supra vos eleuastis, si magna de vobis præsumpsistis, si vobis, tanquam aliquid essetis, supra ceterorum sortem vos ipsi palpum obtrusistis, dicere potestis, tundentes cum Publicano, pectus, & demissè caput inclinantes, PVLVIS *& vmbra sumus*: omnis gloria nostra, nonnisi *Puluis* & *Cinis*: præter puluerem nihil sumus: in *Cinerem* redigemur. Quæ contemplatio, vt vtilissima est omnibus: ita Ecclesiasticis, qui mundo mortui esse deberent, ac DEO viuere, omninò necessaria. Eam autem, vt animis infigamus profundius, ideóque tenacius, pergamus porrò, vti hactenus fecimus, ex *Pulueris* ac *Cineris* consideratione nouas MORTIS, sed *Symbolicas imagines* efformare, quæ vbicumque agamus, domi, foris, solitariè, cum aliis, noctu, interdiu, occurrant nobis, & identidem aurem vellicent, ac insusurrent: MEMENTO *homo, quia* Cinis *es, & in* Cinerem *reuerteris*.

II. HACTENVS diximus, *Mortem Incendiarium* agere, sicque hominem in *Cinerem* redigere: deinde veluti peritum *Scriptorem*, *Cinere* vti, vt quæcumque secretè, aut astutè scripsimus, ad omnium notitiam veniant: hodie alio illum proproducemus schemate. Quod, vt benè concipiatur: Obseruo, esse quoddam Artificum genus quod aliis Artificibus materiam præparat, qua illi ad sua vtuntur officia, vel instrumenta. Ita rusticus canabem, lanam, linum, parat, materiam pro restionibus: sartori pannum conficit textor: sic qui frænum facit, à fabro ferrario ferrum paratum accipit. idem faber ferrarius instrumenta conficit venatori pastori, coquo, fabro lignario, & aliis. *Mors* tanquam *Artifex*, *Cinerem* ac puluerem parat, & circumfert, materiam, aut instrumentum, quo plurimi opifices opus habent: At qui nam illi? Nos ipsi, qui si boni Christiani esse volumus, Artificum instar varia obire debemus munia, & vt à remotissimo incipiamus, quódque minimè videtur credibile, *MORS [...]teriam [...]ius A[...] bus su[...]nistra. Artifi[...] varii.*

III. Inue-

*Corui partus impeditur Cinere.*

III. Inuenio *Cinere* indigere *Auiarium*, vel *Aucupem*, vt impediat quidpiam, quod alioqui damni non leuis caussa esse posset. Cogitationes variæ, quibus vel à bono auocamur, vel ad malum allicimur, sunt veluti volucres, quæ circum nos volitant, sed priores potissimùm coruorum similitudinem habent, nam *coruinum* illud *cras, cras* occinunt. *Cras* ieiunabis, hodie non est commodum: *cras* confiteberis, hodie non est integrum: *cras* eris sobrius, hodie te ingurgites: *cras* ages pœnitentiam, hodie hilariter diem transigas: *cras* templum frequentabis, hodie in strato te contineas: *cras*, quæ animæ sunt curabis: hodie quæ corporis. Si obaudias, à tentatore *Coruo* superatus, in *Aucupis* infernalis casses incides. Quod remedium? *Cinerem* tibi *Mors* porrigit. Refert Robertus Olkot lect. xv. in Sapientiam Salomonis, & ait, tribui Alberto M. lib. de vegetabilibus. Si coruus nidum adaptauerit in arbore, & iam oua posuerit, vt fœtum excludat; hoc modo impediendum esse pullorum prouentum. Accipiatur *Cinis* vitri, & commodè collocetur inter lignum, & corticem arboris, in quâ nidus: quamdiu inibi perdurauerit *cinis*, Coruus nunquam, inquit ille, pullificabit.

*Coruus, Diabolus.*

Tum ita ratiocinatur, planè *Symbolicè*. CORVVS in arcanâ Sapientiâ Diabolum repræsentat, iuxta illud:

*Coruum perfidia damnant animalia quæque.*

*Homo Arbor. Matth. VII.*

Homo, in eadem disciplinâ *Symbolica* est Arbor: quod, vel ex Saluatoris sententiâ constat, *Arbor bona*, id est, homo probus, *fructus bonos facit.* In ista Arbore, Diabolus per tentationem nititur nidificare, posteà etiam oua ponere, & pullos excludere. Nidos artificiosè concinnat de ramusculis diuersarum cogitationum: oua ponit de munusculis peruersarum delectationum: sed pullos excludit per consensum. Si itaque Coruum hunc tartareum impedire velimus, etiamsi nidum fecerit per aduentitias cogitationes, etiamsi oua posuerit per surreptitias delectationes, ne pullos producat, per assensiuam electionem, accipiamus quem *Mors* offert, Cinerem vitri, id est, carnis, quæ instar vitri frangitur & conteritur vno ictu. *Cinis* autem huius vitri, est Memoria status, quem caro nostra habebit post *Mortem*, quæ erit ad litteram status *Cineris*, iuxta illud Iob XIII. *Memoria vestra comparabitur cineri.* Ponamus hunc *Cinerem* sub cortice: id est, sub exteriori conuersatione per priuatas, & occultas meditationes, & infallibiliter nunquam consentiemus suggestionibus Diaboli, per cogitationes conceptas. Est hoc est, inquit Olkotus. quod dicitur Ecclesi. VII. *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.*

*NOTÆ.*

*Vitriarius.*

IV. QVI, quod dicit *Cinerem* hominis, esse *Cinerem vitri*, mihi admodum probatur, & ponit ob oculos Artificem alium, quem vocamus *Vitriarium.* Huius est specula, & perspicilla conficere, quæ non fiunt, nisi ex vitro, aut crystallo, è puris cineribus coagulatis.

*Perspicilla.*

Sed sunt nonnulli, qui perspicilla, quibus vtuntur, faciunt ex *Cinere* à Mundo, vel Dæmone suppeditato. Hæc, omnia quæ oculis obseruantur, & propriam æstimationem spectant, repræsentant magna, ampla, speciosa; quæ peccata, & defectus, tam parua, vt vix videantur atomi. Per illa si Mundanus opes intueatur suas,

suas, videtur sibi Cræsus, licet aliquando non sit vnius fimeti Dominus: si formam, arbitratur se Paridem, quamuis sit Thersite turpior: si vires, apparet, tanquam Samson, cùm sit pumilione infirmior: Si sapientiam, dicit se Salomone comparari velle, qui vix cum stultis mulieribus conferri potest. *Mors*, vt simus *Vitriarii*, qui non fallamus, nec fallamur, *Cinerem* offert, ex quo si aptemus ocularia, apparebunt statim res, vt in se sunt: videbimus, si nos inspiciamus, & circumspiciamus diligenter, quod simus miseri, & miserabiles: paucis, *Cinis*, *vmbra*, *Nihil*, *Cinis* sumus, in *Cinerem* ibimus.

V. Venetorum Vitriarii perspicilla faciunt in cuspidem prominentia, quæ in vno duodecim exhibent, & è viginti militibus aspectabilem conflare exercitũ videntur. Hæc perspicilla res multiplicant, & mentiuntur splendidè, vt ocularia, quæ nobis Philautia, Amor proprius, in adulationis officina, ex *Cinere* deprauati iudicii parat. Perspicilla è *Cinere* à *Mortis* puluere confecta, minuunt potius, quàm augent: licet minuendo non mentiantur, quia nunquam infra nihilum minuent: Nihil autem est, vnde venimus: nihil in quod redibimus. Substantia nostra merum est nihil, & omnis homo viuens, vanitas est quædam vniuersalis, hoc est, MAGNVM NIHIL. Videntur aliquid esse, qui nihil sunt, Reges, Principes, Magnates, opulenti: sed si multum illis tribuas, quid sunt aliud, quam *Cinis*? non vt ceteri, fateor, sed *Cinis* vitri instar, à fatali *Vitriario*, igne prosperitatis depuratus: hinc ita lucent; sed prosperitatis, quæ vicissim, vitri instar, est fragilis. *Mare vitreum simile crystallo.* *Perspicilla augentia, & multiplicantia.* *Apoc. IV.*

VI. ADHÆC, *Mors* dum hominem in *Cinerem* redigit, aut puluerem, agere videtur ingeniosissimum PHARMACOPÆVM, qualem hactenus Medicorum ordo nondum vidit, pro omni morborum genere pulueres parat, è quibus præsentanea conficiantur pharmaca, vel pro vulneribus curandis emplastra. Quem locum tam amplè tam eleganter, & ingeniosè tractauit Ioan Petrus Camusius Episc. & Dominus Bellicensis in suis quadragesimalibus, Concione prima, vt opportunitatem addendi quidpiam, quod ipse non innuat, ferè præciderit. Itaq; solum attingam capita ad *Symboli* huius absolutionem. Docet, *Mortis Cinere*, & *puluere* sanari inflationem Superbiæ, vlcera Inuidiæ, inflammationes Choleræ, lethargum Acediæ: cruditates Gulæ, putredinem Luxuriæ, tumores hydropicos Auaritiæ. *Mors, Pharmacopæus.* NOTÆ. *Ioan. Petrus Camusius Homil. Quadr.*

VII. Intumescis inflatione Superbiæ, quæ multos vltra terminos, à naturâ præfixos, extendit, sed inani & flatuoso spiritu? Recipe vnciam *Cineris*, quem assiduâ meditatione volue: detumescet animi elatio, & arrogantiam ipse tuam ridebis, illud tibi insusurrans. *Quid superbis terra & Cinis?* Aspice puluerem pedum tuorum, sicut Pauo, id est, *Cinerem* corporis, in quem resoluendus es, cadet præsumptionis spiritus; sicuti in pauone stellata cauda. Recordaberis primæuæ originis, quæ cum omnibus aliis tibi communis, quamuis ceteris videaris maior, melior, nobilior, splendidior. Sis Princeps, Rex, Pontifex, non efficies, vt aliud sis, quàm saccus pulueris, vel vrna, & cineria statua. Auium sacrificatarum pennæ, tempore legis Mosaicæ, vnà cum *Cineribus*, vnum in locum abiiciebantur. Volites in altum tuo hominũ nq; iudicio: veniet *Mors*, tanquam Sacrificulus, &, te victimæ instar, *Superbia curatur cinere.* NOTÆ. *Eccles. x.* *Leuit. III.*

mactabit, & in *Cineres* resolutum in commune aliorum abiiciet reconditorium.

Lapidem habeb[?]. Alexander, ceteris ponderosiorem, leuissimus autem reddebatur coopertus puluere. Magna est in hac vitâ quorundam grauitas, incredibilis fastus, maiestas metuenda: aspergantur *Mortis* puluere, leuissimo mendiculo erunt pares, vel leuiores. Philippus Rex cùm cecidisset, & pulueri suam impressisset effigiem, fastum omnem deposuit, illud vsurpans; Tantillo spatio ingentes animi conatus, & illa mea molimina terminabuntur? Idem vmbram corporis, corpore maiore conspicatus: En vanitas! inquiebat, sed in puluere veritatis.

*Hor. L. i. od.*
*Eccles. XVII.*

*Puluis & vmbra sumus, omnes homines terra & Cinis.* *Cineres* à cadendo non nemo deriuat: monent casuros omnes in hac, in quâ sumus puluerulentâ arenâ. Estnè credibile, creaturam, *Cinerum* ad instar vilem, inutilem, abiectam aduersus Maiestatem diuinam intumescendo insurgere? Vas aquâ plenum non redundat, nec aqua ascendit altius, si *Cinerem* inieceris. Quo exemplo vtebantur olim Philosophi ad probandum vacuum, vt est apud Aristotelem lib. IV. Physic. cap. 4. Ego idcirco, adduco, vt doceam *Cineris* à *Morte* oblati vsurpatione tumorem posse contineri.

*Cinis vermi Inuidiæ necat.*

VIII. Vis remedium pro verme Inuidiæ, quo corroduntur interiora? Eme pugillum *Cineris* ex Pharmacopolio *Mortis*. In *Cineribus* vermes omnes moriuntur. In Mortis reminiscentiâ omnis æmulatio. Ex viperæ & Scorpii *Cineribus* fit theriaca aduersus venenum: ex humanis, commune contra Inuidentiæ morsus. Ad nidum non redit coruus, si quando vitri comminuti fragmenta, & pulueres ei inspersi fuerint: nec Inuidia supra coruum fulua volucris, in animum, *Cineribus* conspersum, & *Mortis* formidine constratum rursus aduolabit.

*Iracundia medetur Cinis.*

IX. Si quis est iracundus, bilis illi frequenter in nasum commigrat; suadeo vt ex cineribus, à *Morte* offerri solitis componat pilulas, nihil ad purgandum stomachum, nihil ad eiiciendam bilem opportunius. *Cinis* frigidus ignem extinguit: *Mortis Memoria* vtilissimum est contra æstuantes iracundiæ motus cataplasma. Apes dum congrediuntur, acriter ruunt, pulueris coniectu cessant, & quiescunt.

*Virg. Lib. VI. Georg.*

*Hi motus animorum, atque hæc certamina tanta,*
*Pulueris exigui iactu contacta quiescunt.*

Pugna omnis inter mortales, seria *Mortis* recordatione dirimitur. Meminit Plinius fontis, cuius aqua inardescens, non nisi arenæ circumsecus vicinæ, extinguatur: Iræ refocillitatio est, fatalis *Cineris* nostri frequens memoria. Ammianus Marcellinus olei eiusdam mentionem facit, quo suas barbari sagittas inficiebant: quarum attactus eam in corpore vulnerati caussabat inflammationem, nullâ vt ratione ardor, aut tolerari posset, aut medicamento extingui: sed sola *Cinerum* applicatione, coërcebatur. Dum te sentis cholerâ inflammari, & aduersus proximum ferri præcipitem, reuoca in memoriam feralem *Cinerem*, animaduertes ardorem furoremq; velut iniectâ frigidâ extingui. Excogitarunt Empirici, puluerem ad calculum renibus inclusum dissoluendum; efficacior est *Cinis* à *Morte* paratus ad Iracundiam, bilémque abigendam.

*Lib. III.*

*Acediosum excitat Cinis*

X. Premuntur quidam lethargo Acediæ, homines in rebus ad DEI cultum spectan-

ſpectantibus tardi, pigri, ſomnolenti; Quid remedii? Cinis. In hunc cogitent ſe breui reſoluendos, non poterunt non ad benè agendum accingi: Ceruum excitat aquila, inter ramoſa illius conſidens cornua, & caput alis puluere oppletis concutiens. Ad eundem modum peccatores excitandos, ait Baruch Propheta, cùm oculos puluere plenos habuerint. Nos vt Cinis ſumus, frigidi: maiores, carbones fuêre, feruore, zelo, deuotione flagrantes, poterit tamen flammula, ex his Cineribus elici, vel in illis excitari, ſi hunc ipſum Cinerem meditationis flabello ventilauerimus. *Plin. lib. cap 14. Baruch NOTA*

XI. Ingluuies aliquem & Gula, hoc pœnitentiæ tempore tentat; vult medicamentum? Comedat cum Eliâ, ſubcinericeum panem, & ſe eſcam vermium breui fore cogitet, ceſſabit tentatio. Quæ planè interibit, ſi Regem imitetur, qui Cinerem, tanquam panem, manducabat, aut ad panem Cinerem vſurpabat. Cinis guſtu amarus eſt & inſipidus, fateor: ſed macularum abſterſiuus; terrámq;, cui superſeminatus, ſterilem reddit. Si os noſtrum in puluere ponamus, vt dicitur Threnor III. ingluuies diſcet ſobrietatem, & appetitus noſter ſterileſcet. *Gula & temperan remedium Cinis. Pſal. ci. NOTA*

Daniel, Cinerum indicio ſacrificulorum Beli impoſturam detexit: Pauxillum illud, quod naturæ noſtræ Cinereæ neceſſarium eſt, ſatis ſupérque inſatiabilis gulæ noſtræ improbam cupiditatem declarat. Nunquam aureum ſenſualitatis vitulum adorabimus, ſi miſerias eiuſdem in pulueres redactas conſideratione attenta hauſerimus. Abſtinentia & Cineres gemelli ſunt, eodem die in lucem editi. Eodem ſiquidem die Deus eſum ex arbore ſcientiæ boni & mali vetuit, quo in Adamum hoc Mortis decretum pronunciauit: *Cinis es, & in Cinerem reuerteris.* *Dan. xiv. Exod. xx*

XII. SI Libido, cuius eſt pater ingluuies, mater acedia, aliquem inquinet, En Cinis: hoc enim Gregorio teſte: id eſt, Mortis meditatione caro refrænatur, ne recalcitret. Ipſa eſt Anteros illa feralia Cupidinis tela in Cinerem redigens. Cinis puritatem inducit, impuritatem libidinis abſtergit. Eſt mordax, titillationes laſciuiæ erodit, ſed cor mundum exigit, vt olim ſacrificiorum cineres loco mundiſſimo DEVS curauit reponi. Iubet Iſaias ſedere filias SION in puluere, vt eorum laſciuiam reſtringat, ac petulantiam expurget. Cineres Mortis bonum amoris diuini ignem conſeruant, & pernicioſum carnis extinguunt. Sunt Cineres, vt olim Veſtalis ignis, pietati & caſtitati conſecrati. Cinis maculas eluit: è cineribus namque colatur lixiuium, quo ſordes omnes tolluntur. Altaria in lege Moſaica aqua cineribúſque mundari DEVS volebat. Certè nihil adeò corpus & animum, Spiritusſancti templa, & viua DEI altaria, à carnis inquinamentis expurgat, quam lachrymarum vnda Mortis Cineribus permixta. O mundans omne lixiuium! *Libidinis flammas extinguit Cinis Leuit. vi. Num xix Iſa. vii. Num. iv.*

XIII. MVLTOS hoc tempore vexat Hydrops Auaritiæ, quæ eſt inexſtinguibilis habendi ſitis: volunt eſſe ſicut Coloſſus ille quem vidit Nabuchodonozor, ex auro, argento, ære: ſed cogitent exiguo lapillo deiiciendum, & comminutum iri in puluerem. Recogitent vermiculum illum, qui virentem hederam Ionæ corroſit, & arefactā in Cineres redegit. Cinis Mortis, eſt inſtar pulueris aurei, Chymicorum, qui omnia in aurum commutat, quid opulentius? *Auaritiam curat Cinis Dan. II. Ioan. IV.*

L 2 In va-

In vasis fictilibus, id est, corporibus nostris magnum, Paulo teste, thesaurum portamus, animam videlicet, cuius si curam quam oportet, habuerimus, omnis de mundanis facultatibus cura recedet. Et quid sunt opes terrenæ? persimiles pomis Gomorrhæis, exteriori quidem specie allicientibus, oculo gratis: sed ad primum manuum attactum, in fauillam & *Cinerem* abeuntibus. Aurum & argentum puluis sunt & cinis: qui coaceruandis illis inhiant, Geometris illis sunt persimiles, sexcentas in puluere figuras fingentibus ad minimum Aquilonis flabrum turbandas, atq; delendas: Verè Seneca, quem S. Hieronymus exprimit: *Facilè contemnit omnia, qui semper cogitat se moriturum.* An non verè dixit: *Mortem* videri *Pharmacopæum* generalem, qui *Cineres*, aut pulueres parat, morborum omnium remedium?

*MORS Monetarius.*

XIV. His addatur: *Mortem* imitari *Monetariũ*, vel exprimere *Aurifabrũ*, qui aurum, & argentum signatum, cuiuscumq; tandem fuerint signi, per ignem ad vnã massam cogit, vt distingui nullâ ratione possit. Liquat Ducatum, coronatum, scutum, florenum, & confundit omnia: dum effigiem habebant Imperatoris, Regis, Principis, facilè erat illa discernere, pluris fiebat vna moneta, quàm altera; post liquationem, eadem fit ex omnib. materia. Per *Mortem* in vnam massam cogimur vniuersi, paria sunt omnia. *Cinis* in *Cinerem* reuertitur. Par *Cinis* Pontificum. Imperatorum, Regum ac plebeiorum: Lazari, & Epulonis mitratorum, myrrhatorum: inopum, & miserrimorum pauperum. Arbores ab arboribus internoscimus, & ligna à lignis, palatia, à palatiis, quamdiu stant, & oculis blandiuntur: deuorentur ab incendio, & in *Cinerem* combusta, resoluantur, nullum amplius est discrimen: Palmæ, cedri, buxi, sambuci, cinnamomi, rhamni, idem est *Cinis*. Homines ab hominibus discernimus, dum florent, vigéntque: *Mortis* incendio conflagrent, diuitem à paupère, pulchrum à deformi, potentem à debili, Crœsum ab Iro quis seiungat? Impares sumus in vitâ, in *Morte* omnes erimus pares.

Animaduertit hoc Alfonsus, Rex Aragonum, à quo cùm sciscitaretur, nescio quis: Quæ res Reges, ac priuatos, diuites ac pauperes, claros, obscurosq;, deniq; omnes prorsus exæquaret? respondit CINIS. Alio id facto ac verbis, significauit Diogenes Cynicus, quod nonnulli Brachmani cuidam ascribunt: Interroganti enim Alexandro, quid ita intueretur ossa mortuorum? Caluariam, inquit, & ossa Philippi Patris, quondam tui, quæro, sed inter plebeiorum non discerno. Quod si in *Morte* paria sunt omnia, cur tanta imparitate viuis, & tam æqualibus, tam es inæqualis? Cur clientulo tuo irasceris? sustine paululum: venit *Mors* quæ vos pares efficiet. Pulchrè Augustinus. *Respice sepulchra, & discerne, si potes, victum à Rege, fortem à debili, pulchrum à deformi, memor vtiq; naturæ, ne extollaris.*

*Lib de Nat. & Grat.*

Tandem, ne vos detineam vltra condictum. E *Cineribus* suis repullulascens Phœnix à *Morte* vitam mutuatur. Huic se similem esse perhibet Iob: *In nidulo meo moriar, & sicut Palma*; alii legunt, sicut *Phœnix, multiplicabo dies meos.* Vtinam & nos frequenti *Cineris* nostri meditatione à peccati *Morte* ad vitam gratiæ, tanquam è *Cineribus* repullulascentes, vt nouæ alites resurgamus.

*Iob xix 18.*

NOTÆ

# NOTÆ

## AD COMMENTATIONEM VII.

## MORS

## ADMINISTRA ARTIFICVM.

AD Symboli *huius picturam symbolam conferunt Concionatores, qui de Cineribus disserunt initio Quadragesimæ sed copiâ reliquos, quos peruolui, superat Io. Petrus Camusius, cui magnam eius partem debemus: habet tamen ex illis multa etiam Petrus Bessæus, qui fusiùs ea diducit.*

§. III. *Quod de Coruo refert Olkotus, qui Albertum nominat, quàm sit verum ignoro. Sed Symbolici est, ab alijs narrata sumere, non anxiè examinare. Nonnulli scribunt, Coruum ad nidum non redire, si quando vitri comminuti fragmina, & pulueres ei inspersi fuerint. Eodem vtitur Bessæus, & sic applicat. Ad solum* Cinerum *conspectum Dæmones fugantur, & eorum molimina subuertuntur. Nam vt Albertus Magnus, curiosus ille naturæ arcanorum indagator tradidit Lib. de Vegetabilibus, nunquam amplius Coruos ad nidum reuerti, si* Cineres *aut, fracti vitri pulueres eidem inspersos viderint.*

*Ita dico, Satanam, tartareum illum Coruum, fuligine infernali nigricantem, nunquam amplius in corde nostro nidum sibi, aut domicilium paraturum, si idipsum semel Cineribus, in quos post vitæ exitum redigendi sumus, conspersum viderit, id est: si fragilitatis humanæ (nam non nisi vitrei sumus: imò vitro fragiliores, teste Augustino in Sermonibus: quia vitrum etsi fragile, tamen seruatum diu durat) meminerimus.*

§. VI. *Vtilem esse* Mortis Meditationem *& præsentaneum remedium contra omnia vitia, Libro tertio demonstramus, allatis ad eam rem è Medicinâ Symbolis, & tractant hoc argumentum penè omnes, qui de Nouissimis meditantur, vel Homilias edunt.*

*Petrus Bessæus Concione* I *de Morte. Magnus ille DEVS, cuius esse infinitum est, cuius potentia æterna, & cuius Sapientia penitus admirabilis Israëlitis in deserto Sinai commorantibus olim præcepit, vt animalium DEO immolatorum* CINERES *coacernarentur, & loco mundissimo extra castra asseruarentur. Qui* Cineres *dum aquâ viuâ aspergebantur, omnem im-*

*munditiam, contagionem, & spurcitiam auferebant: &, quicúmq; immundi erant, his conspersi expiabantur.*

*In mysterij huius vmbrâ plenum puræ veritatis lumen videor intueri, firmitérque mecum statuo magnum illum Pictorem, Fictorémque nigrâ figuræ huius fuligine pallidam & tristem* MORTIS *imaginem depingere, atque edocere voluisse. Quamdiu in deserto & vasta mundi planicie commoramur, pallidæ huius Parcæ* Cineres *esse circumferendos, inque animâ velut in loco mundissimo custodiendos. Qui* Cineres *viuâ lacrymarum aquâ macerati tantæ virtutis sunt, & energiæ, tantísque virtutibus pollent, vt omnia mundent, & expient: ipsa quoque peccata, quæ mortalium conscientias, velut leprâ quadam inficiunt, auferant.*

*Lacedæmoniorum Rex Pausanias, vt refert Plutarchus Consolation. ad Apollonium cùm inani superbiæ typho inflatus in magna hominum frequentia à Simonide Philosopho petiuisset, sibi vt præclarum aliquod dogma, è Philosophicis eductum adytis, & profuturum sibi præceptum traderet, ad quod & vitam, & mores, totámque agendi rationem componeret: Simonides, pro ea quâ præditus erat sapientiâ, agnito Regis fastu, vt eum & modestiorem redderet, & sapientiorem, ac arrogantiam retunderet, suasit vt Mortem semper haberet in animo: sempérq; illud tacitus secum mente volueret, se viuere mortalem, ac proinde varijs obnoxium casibus, & breui moriturum. Sentiebat nimirum prudens Philosophus nullam legem sanctiorem: nullum salutarius monitum: nullum ad superbiam, & contumaciam retundendam efficacius remedium adhiberi posse, quam Cineream* Mortis *imaginem, si mentis oculis assiduè obuersetur.*

*Laërtius Lib* VII. *De vitis Philosoph. Cùm Zeno ab Apollinis oraculo sciscitaretur, ecqua ratione, vitam secundum virtutis præscriptum, instituere posset: & quanam esset mores optimè componendi compendiosa ratio, responsum tulit, vt mortuos consuleret: ab ijs quid agendum esset, exquireret: eorum sibi colores & schema coaptaret. Quid hoc aliud fuit, quam assiduam Mortis commentationem præscribere?*

*Augustinus Lib.* I *contra Manichæ. Nihil sic reuocat hominem à peccato, quam frequens Mortis Meditatio.*

*Seneca ad Lucil. epist.* XXV. *Nihil tam æquè tibi profuerit, ad temperantiam omnium rerum, quam frequens cogitatio breuis æui, & huius incerti. Quod totidem verbis exprimit S. Hier. Epist. ad Cypri.*

*S. Thomas in Addit. Q.* VII. *Art.* II. *quærit, quid ex mortuorum sepulchris nobis commodi obueniat? Respondet: tam mortuis, quàm viuentibus inde commodi aliquid emanare. Idcirco enim*

*nim dicitur* Sepulchrum, Monumentum: *id est*, monens mentem, *vti ait S. Augustinus Lib. De cura pro mortuis cap.* IV. *Sed, ad quid monet mentem? Respondet S. Thomas, vt pro defunctis oremus: rectè. Sicut enim pauperis conspectus, quamuis pauper taceat, eleëmosynam à nobis poscit: sic mortuus silens licet, petit à viuentibus sepulchrum spectantibus suffragium. Sed, quid ad nostrum vsum mentem monet monumentum? vt principij, finisque simus memores, quo nihil est ad eliminanda vitia, & virtutes animo inserendas vtilius.*

*Legendus Franciscus Labata in Apparatu Concionatorum Tom. II. Tit.* Mors *Propositione* v. Mortis consideratio conducit ad virtutem. *Quo fine Ecclesia ingeminat:* Memento homo, quia *Cinis* es, & in *Cinerem* reuerteris.

*Arborem inuersam olim Sapientes hominem appellarunt: quod à Sacris Literis non est alienum, in quibus Lignum dicitur, vel arbor Psal* I. *Iudicum* IX. *Ieremiæ* XVII. *& in canonicâ Iudæ Apostoli. Hæc denominatio corpus spectat: si animus attendatur, Ignis appellari potest. Hoc sapientium fuit iudicium, qui in Fabulari Theologia Prometheum celebrarunt, de quo Fulgentius in Mythologia. Nimirum fingebatur is in terrâ corpus humanum compegisse, cúmque vt illi vitam infunderet, apud homines nihil reperisset, in cælum conscendisse, & auxiliante Mineruâ, ex Iouis igne, particulam suffuratus, quo corpus illud animaret. Censebant igitur hi ingeniosi Fabulatores, hominem secundum corpus esse lignum: secundum animam Ignem: quæ si coniungantur, concipi poterit Homo, vt* LIGNVM ARDENS.

*A quo* Symbolo *non abludit, quod Sapientiæ secundo iactatur ab improbis:* Fumus flatus est in naribus nostris: & sermo scintillæ ad commouendum cor nostrum. *Quid enim ex ligno ardenti, nisi* fumum, *& scintillam expectes? Quocirca, sicut ignis accenditur flatu: sic Deus, vt hunc vitæ nostræ ignem accenderet insufflauit in faciem hominis spiraculum vitæ, cum primùm illum formauit, vt est Genesis* II. *Et sicut igne grassante in incendio pulsantur campanæ: ita in homine continuus est pulsatricis arteriæ tinnitus, eò celerior, quo febrium vis maior: nam tanto vehementius celeriusque pulsantur campanæ, quo maius est incendium. Denique, sicut ex incendio nihil aliud remanet, nisi solùm* Cinis: *sic ex vita hominis, quæ incendium quoddam est, quod superest, præter frigidum* Cinerem? *quod ijdem apud Sapientem fatentur illâ sententia* Extincta scintilla *Cinis* erit corpus nostrum. *An non ita se res habet? si dubitas, proficiscere mecum ad sepulchra*

*Princi-*

*Principum, Regúmque, quid remansit ex delicatissimis & tot impensis benè curatis corpusculis?* Cinis, *& ossa, quæ paullatim & ipsa in* Cinerem *abeunt.*

*Cuius Meditatio, quia ad omnem virtutem est potentissima, concinit quotannis Ecclesia:* Memento homo: quia *Cinis* es, & in *Cinerem* reuerteris. *Pende vocabulum* Memento, *non dicit*, scito: *quia nemo est, qui ignoret, se moriturum: sed huius rei habere* Memoriam *paucorum est, quia non nisi bonorum. Fit sanè vel Cacodæmonis astu, vel humanarum occupationum varietate: vel quia tetrica est istiusmodi* Memoria, *vt qui serio boni non sunt, eam ablegent.*

*Verè Monachus ille montis Oreb, quem anteà dissolutioris vitæ, graui deinde infirmitate decumbentem, emigrasse è corpore, vnius circiter horæ spacio refert Climacus, post duodecim annos à raptu illo suo rogatus aliquid dicere, dixit, haud dubiè cum gemitu, Indulgete mihi:* Nemo memoriam *Mortis* habens poterit peccare. *Ioannes Clim. Scal. parad. gradu* VI.

*§. VII.* Superbia curatur Cinere.] *Tractat hoc argumentum præclarè Philippus Bosquier. Lib. de finibus Concione* II. *Puncto* 2. *vbi docet, Mortem obtruncare superbiam.* 1. *Moriendi æquali necessitate.* 2. *Putrescendi similitudine. Habet etiam integrum Caput de hac re Franciscus Labata: cuius est*

*Propositio* II. Mortis consideratio conducit contra Superbiam.

*Psal.* LXXII. 4. Quia non est respectus morti eorum: ideò tenuit eos superbia. *S. Hieronymus legit ex originali: Non cogitant de Morte suâ, ideò tenuit eos superbia: Non dicit: ideò ipsi tenent superbiam: sed superbia tenet eos, quia superbi sunt valdè, quasi superbia compedibus ac catenis, tanquam mancipia tenet illos colligatos, ita vt ab eius dominio ac tyrannide se liberare nequeant. Vnde hoc? quia non cogitant de Morte.*

*Artifex lignarius sumpsit lignum, medium eius combussit igni, coxit pulmentum & calefactus est: reliquum autem eius* DEVM *fecit, & sculptile sibi, & adorat illud. Isaiæ* XLIV. *Inuehitur Propheta in idololatras, qui ex eodem ligno idolum faciunt, ex quo partem aliam in* Cinerem *conuersam viderunt. Quorum insaniam exprimit verbis sequentibus.* Nescierunt, neque intellexerunt, nec cogitant in mente sua, neque cognoscunt, neque sentiunt, vt dicant: Medietatem eius combussi igni, & super carbones eius coxi panes, coxi carnes & comedi, & de reliquo eius idolum faciam. *Quasi dicat: quæ maior stultitia, quàm id adorare, cuius pars in cinerem est conuersa? Lignum generis humani nos sumus: radix fuit Adam, radix Eua: pars magna huius arboris est in* Cinerem *redacta: Ingredere*

*gredere mortuorum sepulchra, quid præter* Cineres, *& ossa reperies? Nonne ergo delirat, qui reliquam partem adoratione dignatur? Superbus se ipse adorat, & manum osculatur suam: se sui facit idolum. Vnde insania tanta? quia non attendit, oblitus ne videat oculis suis, & ne colligat corde suo, vt dicat: Medietatem generis mei combussit* Mors, *& in* Cineres *conuertit, & de reliquâ parte idolum faciam?*

§. x. Acediosum excitat Cinis.] *S. Bernardus in Specul. Monach. Monachus tædio adfectus, componat se meditando supra petram, in quâ lauantur mortui: & cogitet apud se, quomodo tractentur ibi sepeliendi, quomodo nutet caput, cadant brachia, rigeant brachia; tibia iaceant: quomodo deferantur humandi, quomodo exponantur in tumulo; quomodo puluere contegantur; quomodo vorentur à vermibus: & quasi saccus putrefactus consumantur. Summáque est Philosophia, Meditatio Mortis assidua. Hanc quocúmque perrexerit secum portet, & in æternum non peccabit.*

§. xi. & xii Gulæ & Luxuriæ remedium Cinis.] *Obseruat Petrus Besseus Concione* I. *de Morte, Apostolum, Doctorum omnium Doctorem, cùm ad Corinthios scriberet, homines naturâ salacissimos (de quibus ait Strabo Lib.* VIII. *fuisse apud illos fanum Veneris, adeò locuples, vt plures quam mille habuerit sacrorum famulas meretrices, quas turpissimo monstro, viri ac mulieres Corinthiæ dedicarant) vitiaque carnis euellere, atque ad sanctiorem, neglectâ lubricitate, & libidinibus, vitam eos vellet traducere, alio argumento non essvsum, nec aliud ijs præceptum tradidisse, quàm, vt Mortis memoriam conseruarent.* Hoc itaque dico, fratres, *inquit*, tempus breue est: reliquum est, vt qui habent vxores, tanquam non habentes sint: & qui flent, tanquam non flentes, & qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui vtuntur hoc mundo tanquam non vtantur: præterit enim figura mundi huius *I. Corinth.* VII. 29.

*De eadem materiâ copiosius disserit Philippus Boskierius Concione* II. *Punct.* III. *vbi probat, carnis cupiditates* Mortis *consideratione debilitari. Contineri autem in cupiditatum prauarum ambitu comessationes, vestes, quæ ex Amoribus, & ad Amores, Risus, Lætitiam omnem inanem, Amores vetitos. Qui Cupidinis flammis æstuat Mortem seriò consideret, exclamabit:*

Cùm recordor quod sum *Cinis:*
Et quàm citò venit finis:
Sine fine pertimesco:
Et vt *Cinis*, refrigesco.

*Quod adscribitur D. Bernardo,* Mortis *contemplatori indefesso.*

§. xiii. *Auaritiam curat* Cinis.] *Auaritiæ* Symbolum *est* Hirudo

*ſangui-ſuga. Tradunt autem naturalium periti, Hirudines, ſi corpori humano nimis tenaciter adhæreſcant, ac nullo pacto auelli poſſint, deſinere ſugere, & quàm primum decidere, ſi* Cineribus *caput perfricetur.*

*Aliò hoc deriuat Petrus Beſſeus, qui ad peccatores conuerſùs, Hirudines illos vocat: quippe noxium vanitatum, & voluptatum ſanguinem, in Mundi corrupto corpore nimis auidè exſugentes, atque imbibentes, adeò, vt nulla ratione auelli poſſe videantur. Hi ſi* Mortis Cineres *capitibus ſuis inſpergerent, exſugere deſinerent, atque à nefarijs captis ſine dubio deſiſterent. Ipſa namque* Mortis Meditatio, *& habendi inſana cupiditas, tum etiam perditus erga Mundum adfectus in vnâ morari ſede, ac pariter conſiſtere nequeunt.*

*§. XIV.* MORS MONETARIVS, AVRIFAER.] *Locus communis:* Mortem *æquare omnia, ſceptra ligonibus: quem pertractat Franciſcus Labata in Apparatu Concionator. Propoſitione* XIII. Mors omnes nos æquales facit.

*In vitâ magnam inter diuites, & pauperes: dominos, & ſeruos: ſapientes & inſipientes differentiam reperies: hic enim delicatè, ille miſerè degit: hic ab omnibus honoratur, ille deſpicitur: hic dominatur, ille ſeruit. At in Morte, & per Mortem omnes in ſimilem conuertuntur* Cinerem. *Quis hæc ſeriò perpendens ſecum non frequenter occinat ſibi.* Quid ſuperbis terra & Cinis?

Quid Cinis & puluis, quid ſordida terra ſuperbis?
Cùm redit in Cineres, quod fuit ante Cinis.



COM-

# COMMENTATIO VIII.

# MORS BALLISTARIVS.

*Sagittat in obſcuro.*

Pſal. x. 2.

1. *Mortis inſidiatricis inopinus impetus ſignificatur imagine Balliſtarii: qui hoc tempore dicitur, Sclopetarius, & Bombardarius, poſt inuentas fiſtulas aneas. Quid Bombarda, Sclopus, Tormentum bellicum.*
2. *Bombarda Mortis, eſt illius poteſtas. Poteſtatis ſymbola, Vectis, Cuneus, Troclea. Admiranda vis tormenti bellici.*
3. *Maior Poteſtas Mortis in omnes, & vbique momentò proſternens quidlibet.*
4. *Puluis ad Bombardam Mortis idoneus, Homo ipſe. Puluis es, & in puluerem reuerteris.*
5. *Hominis definitiones variæ ex profanis, Ariſtotele, Plauto, Seneca, Triſmegiſto, Sophocle, Pindaro. Et è ſacris Auctoribus, Iſaia, Dauide, Salomone, Bernardo, vt breuiſſima, ſic optima deſcriptio: HOMO PVLVIS. Hæc præcipuum ad ſuperbiam retundendam remedium.*
6. *Homo, Puluis-pyrius ad ignem concipiendum facilis. Ignis cœleſtis eſt Amor DEI, quo æſtuant boni: infernalis Ignis, Amor Venereus, quo conflagrant improbi. Cupidinis Ignis è longinquo iaculatur.*
7. *Homo, Puluis-nitroſus. Quid Nitrum? Eſt ſalis ſpecies. Homo è ſale ſimulacrum, vxor Lothi.*
8. *Bombardario, Fomes eſt neceſſarius, Germanis Lunta. Fomes peccati in viſceribus ſingulorum. Hoc torquemur omnes. Chriſtus caruit.*
9. *In Bombardis, Silex, & Rotula. In homine, Rota natiuitatis. Iacobi III. Lingua modicum membrum inflammat Rotam natiuitatis, inflammata à gehennâ. Quid hæc Rota? Curſus vitæ, Tempus, Mundus, Perturbationes animi.*
10. *In homine Aures concipiuntur vt Rota, has tangit lingula inflammatrix: aguntur in gyrum hæ rotæ, & ignes irarum eructant.*
11. *Globus, ſeu Glans Bombardæ Mortis, quicquid in mundo eſt hominem interimendi occaſio: quattuor elementa, & quicquid in iis degit.*
12. *Fructus Symboli. Vt quiſque ſibi prouideat, nemo vitæ emendationem procraſtinet. Mortem Sclopo inſtructam ſemper, & vbiq; habemus inſidiatricē.*
13. *Mors peritiſſima artis eiaculandi. Inſignis quorundam Septentrionalium in bombardis tractandis dexteritas.*
14. *Mors nunquam aberrat: neminem prætereit: plures ſimul conficit. Myriades aliquot moriuntur ſingulis momentis.*

15. *Mors nulli Bombardam ostendit, vt fugiant homines, sagittat in occulto, improuisò iaculatur.*
16. *Factum ciuis Mutinensis: eiúsque bombardula admirabilis artificii. Bombarda dono missa. Mors donarii loco Bombardam offert, exonerat, pectus transuerberat.*

---

## *Admod. RR. Prænobiles, Gratiosi,* Ceteríque Ordinis Ecclesiastici *DD. Sodales,*

*Ars artium.* I. DICEBAM haud ita pridem, **Disciplinam disciplinarum esse, discere** BENE-VIVERE: Artem artium, scire BENE MORI: non autem esse procrastinandum Artis istius studium, tum ob alia, tum quod insopita semper omnibus, in occulto insidietur, atra illa, & mille proditionum architectatrix triuenefica, quam communiter, MORTEM appellamus. Cõfirmant hoc ad viuum expressæ imagines, quibus in *Theologiæ Symbolicæ* theatro MORS exhibetur, cui vnam adiungo, hactenus fortasse nullius penicillo depictam.

*Ballistarius.* FREQVENTER Ego *Mortem* efformo, tanquam BALLISTARIVM, vel SCLOPETARIVM, aut BOMBARDARIVM. Barbaris sæpè vtendum est vocabulis, vt *NOTA.* rem notam nobis, ignotam Latinis olim, commodè, & ad captum Auditorum *Sclopetarius.* exprimamus. Latinis *Ballistarii* dicebantur, qui ballistas peritè tractabant, & ijs *Bombardarius.* saxa iaculáque euibrabant, muros quassantes. Horum vicem implent in nostra militiâ, *Tormentarii,* qui muros deijciunt, sternúntque propugnacula validis ma- *Tormentarii.* chinis, quæ *Tormenta bellica* passim audiunt. Et sunt maiores vel minores fistulæ æneæ, puluere nitrato, & globis ferreis, aut catenis oneratæ: *Bombarda* barbaris à *Bombarda. Sclopi.* bombo, vel *Sclopi,* siue *Stopli,* quod minoribus bombardis accommodatur, à fictitio sono, qui, complosis buccis, editur. Hinc *Sclopetarii, Bombardarii.* Itaque *Mortem,* vt *Sclopetarium* concipiendum suadeo.

*Bombarda Mortis.* II. BOMBARDAM illius, voco *Potestatem,* quam habet longè maximam. Ita docet *Theologia Symbolica.* Nam inter *Bombardam* & *Potestatem* concinna est simi- *NOTÆ.* litudo. Ob quam causam, Instrumenta quædam, quibus omnia se posse profitentur ingeniosi artifices, vt *Vectis, Cuneus, Trochlea,* sunt in *Arcana-Sapientia* signa, vel *symbola* eximiæ potestatis. Quid autem non potest *Bombarda,* vel Tormentum bellicum longum, latum, profundum? impleatur puluere, oneretur globo ferreo, grauidetur saxis, aut catenis, deijciet momento temporis turres penè in cœlum euectas: solo æquabit muros altissimos, penetrabit valla, perrumpet aggeres, demolietur arces.

*Potestas Mortis.* III. MAIOR est potestas *Mortis,* quæ temporis punctulo, gigantea prosternit corpora, myriadum aliquot exercitum prosternit vno ictu, ciuitates exhaurit, vastat,

vastat regna, in potestatem redigit imperia. Vno semel momento quartam orbis partem sustulit: Abele à viuis sublato. Sed nunquam aliàs magis, quantæ esset potestatis *Mors* declarauit, quàm quando vitæ necísque Dominum, qui potestatem habet viuificandi omnia, aggressa, eum è medio sustulit. Nam & Christus Homo-DEVS mortuus est. Est itaque *Bombarda* huius *Sclopetarii*, vis eius, & potestas in omnes incredibilis.

IV. SED fortasse *Puluis* illi deest, sine quo inanis est Bombardarum ostentatio. Puluerem deesse Morti? Quum primùm in orbem terrarum, tanquam sibi destinatam iaculandi palæstram, ingressa est, audiuit homo, irreuocabili in se fulminatâ sententiâ, *Puluis es, & in puluerem reuerteris*. Multas ego hominis descriptiones legere me memini, sed nullam quæ melius illius ortum & occasum repræsentet, quam illa DEI, *Puluis es & in puluerem reuerteris*. *Puluis Bombarda.* NOTÆ. *Genes. III.*

V. HOMO, vt depingit illum Aristoteles: Est *fortunæ lusus, inconstantiæ imago, corruptionis speculum, temporis spolium*. Vt fingit Plautus: *Est Pila, quâ dadatim à Superis luditur*. Vt scribit Seneca: *Est imbecille corpus, fragile, nudum, inerme, alienæ opis indigum, ad omnem fortunæ contumeliam proiectum*. Vt asserit Trismegistus: *corruptionis vinculum, viua* Mors, *sensitiuum cadauer, sepulchrum circumuertibile, velamen opacum*. Vt Sophocles: *Tenuis vmbra*. Vt Pindarus: *Vmbra somnium*. Vt Philosophus nescio quis, *Mundi incola*: Sed cuius Mundi? qui, *dolorum est scrinium, schola vanitatis, forum impostorum*. Vt alius: *Est mancipium* Mortis: *Viator transiens*. *Hominis definitiones ex profanis.* NOTÆ.

Vultis etiam aliquid ex sacris Scriptoribus? Homo *est sperma fœtidum, saccus stercorum, esca vermium*, inquit Bernardus. Homo *est ludibrium Dei*, aiebat Zeno Imperator fugiens, auditâ suarum clade. Homo *est stilla situlæ, locusta, momentum statera, gutta roris antelucani, fœnum, flos inanis*, NIHIL, ex Isaia. *Vniuersa vanitas*, vt ait Psaltes. *Nuncius præcurrens*: *Nauis transiens*: *Auis transuolans*: *Sagitta emissa*: *Fumus*, *Lanugo*, *Spuma gracilis, Hospes vnius diei*, ex Sapiente, Sed nihil æquè hominis ortum, occasum, vitam & conditionem describit, quàm HOMO-PVLVIS. *Puluis es, & in puluerem reuerteris*. *Hominis definitiones ex sacris.* *Isa. XL. 6. 15. 17. 22.* *Ps. XXXVIII. 6.* *Sapient. V. 9. 6.*

ET TV superbis de natalibus, de formâ, fortunis, de ingenio, iudicio, memoriâ, dignitate, fauore hominum, firmâ valetudine, robore? Miser! *Puluis es, & in puluerem reuerteris*. Quid nobis multos annos spondemus? emendationem ex die in diem ducimus, mira nobis fingimus, futuri temporis securi, læti, pergræcantes, vitulantesque. O rerum ignari? *Puluis, & vmbra sumus*. Quantus ille ante menses aliquot *Superbiæ remedium.*

*Qui nunc iacet arida Puluis.* *Propert. lib. II.*

Itaque non deest *Bombardario* nostro *Puluis*.

VI. SED an ille etiam *Pyrius* ad ignem concipiendum aptus, quo fistulæ onerantur? Mihi nullum est dubium, *Hominem* concipi posse *Symbolicè*, vt, *Vas* plenum puluere tormentario, vel potius, vt massam ex istiusmodi puluere. Facillimè puluis humanus ignem concipit, & faciliùs multò quàm nitratus: Ignis duplex est in *Theologia Symbolica: cœlestis*, & *Infernalis*. *Amor* DEI castus, & rerum diuinarum, est *Puluis pyrius.* *Ignis cœlestis Amor DEI* *Cant. VIII. 6*

 Ignis

Ignis cœlestis: *Lampades eius, lampades ignis atque flammarum*: ardet, illuminat, coquit, purgat, liquefacit, indurat.

IAM, da mihi hominem in moribus à puero benè institutum, DEI famulatui vel ordinum titulo, vel beneficii iure consecratum, aspirantem ad alterius vitę delitias, spernentem terrena, ridentem ea, quæ quibusdam ad felicitatem prima habentur, diuitias, honores, prælaturas, clientelas, popularem auram, nugas alias: eundem verò, aut DEO vel in sacrificio Missæ per affectus, ac desideria inflammantia coniunctum, vel orationis tempore de Diuinis cogitantem, & ad superna aspirantem; incipiet paullatim, etiam extra hypocaustum, tepescere, calefieri, æstuare, ardere, amburi, vt exclamare cogatur, *O quam suauis est Dominus! In meditatione meâ exardescit ignis. Sat est Domine*: VROR. Idem (qui est effectus pulueris pyrii) in altum eleuabitur, non mente tantùm, & affectibus: sed corpore etiam nonnunquam, quia ignem concipit puluis. En puluerem tormentarium pro *Bombardario Morte*.

*Ps. xxxviii. 4.*

*Ignis infernalis Amor impurus.*

NVNC verò, considerate alium, qualem inter nos esse neminem omninò confido, & auertat huius congregationis Præses DEVS, hanc à nobis pestem: tamen cogitate aliquem, qui desertâ & cœlestium, & conscientiæ curâ, non nisi terrena somniet: vigilans non nisi carnem cogitet, voluptates ambiat, sordes appetat; inquirat, corde, linguâ, oculo, quomodo desideriis effrænatis possit nefariè satisfacere, homo nequam, sceleratus, venereus, labes status Ecclesiastici. Is nullo negocio, modò admoueatur flamma Cupidinis, modò Cypria manum porrigat, modò domina voluptas, vel scintillulam in sensualitatem coniiciat, feruebit, inflammabitur, ignescet, crepitabit. Quare? Est puluis pyrius, in quem ignis incidit, quid mirum, si flammam conceperit?

*Cupidinis ignis è longinquo iaculatur.*

VERVM habet iste puluis quidpiam, quo tormentarium communem superat. Nunquam ego vidi, vel relatione accepi, Puluerem tormentarium, ignem concipere, nisi ignis sit proximus: Philosophus diceret, immediatus: populariter, ignis illum attingat: si ignis distet octo, vel nouem passibus, puluerem non accendit. At *Homo-puluis*, ex remotissimo etiam loco, fœdæ ignem Cupidinis concipit. Dauid fuit inflammatus, licet inter ipsum & ignem, quo periit, interiecta esset area, platea, domus. Quot æstuant, qui è longinquo formam conspexerunt, quàm melius fuisset fimo obductam fuisse, quàm cerussâ vel stibio, aut ipsos fuisse cœcos. Habet itaque *Mors Sclopetarius* puluerem pyrium quo BOMBARDAM oneret.

*Puluis nitrosus.*

VII. IS *Nitratus*, vel *Nitrosus* etiam dici potest, ne quid desit in hac similitudine: Est enim *Homo* talis *puluis*, qui in nitrum facilè mutatur. Et cùm nitrum sit salis quædam species, concipere licet *Hominem*, velut *statuam* quandam ex *nitro*, vel *sale*, qualis fuit vxor Loth, quæ in statuam salis est versa, vt cuius generis puluis esset homo, sua formâ declararet.

*Fomes peccati.*

VIII. AT vnde *Morti* est *fomes*? Solent enim *Bombardarii* fomitem (*luntam* vocamus nos Germani) gestare, qui ignem conseruet, vt pulueri adiungatur? Misera hominis conditio. Is ipse Homo, ne vnquam sit tutus, *Puluis* est, & in eodem

dolio

dolio *fomitem* adiunctum habet, quo ignem subministrante, inflammatur, & exilit. Quis ex vobis non audiuit aliquando esse in nobis, quo Christus D. caruit, *Fomitem peccati*, qui ærumnarum humanarum est origo, ignis infernalis pabulum, sensualitatis nostræ irritamentum, cupiditatum seminarium. In hoc igitur *Fomite* inest ignis, quo facillimè puluis humanus accenditur.

IX. SED non omnes *Sclopetarii*, fomite indigent. Sunt enim *Bombardæ*, quæ filicem habent, & rotulam cuius gyratione, chalybis vi, ignis prosilit è silice, *Homo-puluis*, præter fomitem, *Rotam* in se habet, & silicem, è quo facillimè ignis elicitur. Facit huc, quod habet S. Iacobus in Epistola sua cap. III. *Lingua modicum membrum est, quantus ignis, quàm magnam syluam incendit!* En ignem semper nobis adhærentem. Dicebat olim Ben-Sira. Iudæus Rabbi Linguam esse, *Nur dakk, mak id gedisch hinsagyn*: Ignem ardentem, succendentem aceruos multos, frugum scilicet optimarum. *Deuorat*, inquit Isaias, *stipulum lingua ignis*; quantò magis puluerem tormentarium? *Bombarda rotata.* *Isai. v. 24.*

SED eadem lingua (subdit Iacobus) *Inflammat* ROTAM *natiuitatis nostræ, inflammata à gehennâ*. En *Rotam Bombardæ*. Quid in nobis est, *Rota natiuitatis*? Est vitæ curriculum, inquit V. Beda, quod *Rota* instar assiduè voluitur. Id insinuatur Ecclesiast. XII. Sic etiam Syriacus innuit textus, qui habet: *Impellit genealogiarum nostrarum series, seu deductiones*, quæ sicut Rotæ *currunt*. Et valde congruit, ad rem nostram explicandam. Diximus enim, *Mortis Bombardam*, esse eius *Potestatem*: sed *Hominem esse puluerem pyrium*. Quod autem commodius instrumentum, ad eliciendum ignem, quo auferatur iste puluis, quàm curriculum vitæ, quod solùm sufficit, licet nullus interueniret morbus ad tollendum hominem è medio? Similis est interpretatio Isiodori Pelusiotæ, ad Martinianum, qui *Rotam* ait esse *Tempus*: est enim orbiculare, ac in se reuoluitur. *Rota natiuitatis.* *Cursus vitæ: NOTÆ.* *Tempus. Lib. II Epist. 158.*

PRÆTEREA, *Rota* natiuitatis, quâ, *Mors Bombardarius* vtitur, est *Mundus*, in quo, quæ infima sunt, paulò post summa fiunt, & à contrario, quæ summa, post modicum, erunt infima, vt exponit Rabbach Schemoch Huius *Rota* gyratione ignis excutitur è silice cordis humani, qui puluerem accendit. *Mundus.* *Rab. pag. 49.*

MELIVS fortasse S. Thomas, qui *Rotam natiuitatis*, interpretatur natiuam quamlibet perturbationem, quâ, tanquam *Rotâ*, huc & illuc agitamur, & circumuoluimur. Hæc satis est BOMBARDARIO ad mortiferum ignem eliciendum. Quot perturbationum feruore extincti sunt? Hæc *Rota* inflammatur à gehennâ: id est, Diabolo, qui cor libidine, iracundiâ & scelerum facibus incendit. *Perturbatio.*

X. ALIA fictione, & ad alium finem, *Bombardam* concipit in hac Iacobi sententiâ non-nemo, qui in hunc ferè modum imaginem delineat. Homo naturâ durus est, ceruix eius quasi neruus ferreus, frons ærea, plenus puluere in hac domo pulueris, hoc est, philautiâ, philotimiáque: ROTÆ instar sunt aures, huiuscemodi quoque figuram præseferentes: vt primùm verò quis linguâ illa excitatrice flammarum attigerit aurium *rotam*, ilicò hæc in gyrum actæ, *Aures rotulæ* *Isa. XLVIII. 4.* *Micha. I. 10.*

actæ, ac allisæ, ignes irarum eructant, & flammas præferuidas indignationum. Hoc si ita dicatur, quasi Apostolus alluserit ad tubum ex ære, seu ferro fabrefactum cum *rotâ*, ex quâ summa vi vibretur conceptus per tormentarium puluerem inclusum, & admotam cum silice ligulam ignis, reprehensionem meretur auctor, quis enim nesciat Sclopeti, vt vocant, recentiorem esse inuentionem? Si autem, vt vis sententiæ Apostolicæ melius animo obiiciatur, similitudo hæc, vt tot aliæ, per accommodationem adducitur, cur displicere magnopere debeat, non intelligo.

XI. Habemus igitur haud ineptâ, vt putamus, imaginatione pro Morte Sclopetario, Bombardam, puluerem, rotam, ignem, fomitem.

*Globus, glans.* Quibus autem *Globis* oneratur à *Morte* fistula? Nam nisi globus pulueri adiungatur, editur instar surdi, crassique tonitrûs, ingens quoddam *boha*: hinc dici solet: tormentum sine glande. Nihil est in mundo, quod *Morti*, tanquam *globus* deseruire non possit, & soleat, vt eo bambardam suam oneret, & hominem interimat. Ignis, aqua, terra, aër, candelæ fumus, calcis odor, strepitus foliorum, spina piscis in gutture, leuis distillatio è cerebro, risus, fletus, gaudium, tristitia, iracundia, clamor, concitus gradus, sexcenta alia huiuscemodi, *globi* sunt quos iaculatur *Sclopetarius Mors*, neq; vnquam his instrumentis destituitur.

*NOTÆ.*

*Fructus Symboli.* XII. Redeamus iam ad orationis caput, quo spectare volebam, hæc omnia. Non est procrastinandum in Arte discendi *Bene-mori*. Nam *Mors* agit *Sclopetarium*. Quæ hæc connexio? Finge, quæso te, *Bombardarium*, qui quocunque proficiscaris, ambules, consistas, tua insequatur vestigia, nunquam, siue solitarius agas, siue cum aliis, te deserat: sit post te, in conuiuio, in templo, in lecto, siue ores, siue comedas, siue te recrees, & paratum semper habeat *Sclopum*, eúmque oneratum, & in te assiduè collimet, adposito ad rotam silice, vel fomite pulueri admoto, essésne securus vnquam? auderésne procrastinare, quod expediendum ante supremum diem velles negocium? Multosne tibi spondere posses annos? & prolixa rebus pertractandis, temporum spacia? Hæc nostra est conditio. Ita *Mortem* mihi propono, bene-ne, an secùs; vos iudicate.

*Sclopetarius imperitus.* XIII. At fortasse est imperitus *Sclopetarius*: nihil magnopere ab ipsius collimatione metuendum. Hactenus non vidit mundus, nec videbit peritiorem *Morte Bombardarium*. Discipulorum nomen non merentur, magni celebratique in hac arte Magistri, quos laudat Olaus M. vbi refert, cùm pleraque tormenta bellica sphæricum globum emittere consueuerint: esse in Aquilonari plagâ, quorũ concauitas, & spiraculum triangularis sit formæ, vt ferri massa triangularis emittatur: tam peritè autem agere, illarum machinarum præfectos, vt à tribus passuum millibus, rectam ducentes lineam in caput hominis globum mittant, imò in hostilis machinæ spiraculum. Morti nullum est interuallum tam dissitum, quod eiaculatum globum intercipiat.

*Olaus li. IX. cap. 4. 5. 6.*

*Neminem præterit Mors.* XIV. Sed fortasse aberrabit in me, te, illo. Inanes cogitationes, stulta persuasio, quæ nec puero in mentem veniant. Percurramus seriem mortalium, in quolibet ordine, statu, conditione, hominum, Pontificum, Imperatorum, Principum,

pum, Episcoporum: alios his adiungite ex vestris Ecclesiis, Præpositorum, Decanorum, Doctorum, quorumlibet tandem aliorum: nullum præteriuit, à nullo aberrauit, ne quidem, cùm collimaret in Filium hominis, Filium DEI, CHRISTVM, & te habebit eximium? te non tanget? vt magnum Iouis incrementum, quem te ipsum facis?

XIV. AT enim, fortasse aliis conficiendis intentus, fatalis *Sclopotarius* spatium mihi dabit effugiendi. Æquè delira est hæc persuasio. Apud nos etiam maiora tormenta multos discerpunt, imo integram sæpe phalangem auferunt. Quid non faciat *Bombarda* potentissima *Mortis*? Tam facilè est peritissimo illi *Bombardario*, vnico momento, millena aliquot capita, quam vnicum interimere: vnicâ glande numerosissimum exercitum traiicit. Existimo ego Mortem singulis momentis hominum myriades aliquot certissima iaculatione è medio tollere. Refertur in Franciscana Historia reuixisse mulierem, quæ narrauerit cùm ad DEI tribunal adducta fuisset, fuisse simul LX. animarum millia, quæ eodem tempore *Mortis* glandem exceperant, & ex iis omnes tribus exceptis, damnatas. Parum hoc est. Ex alia relatione habeo, descendere quotidie ad inferos animas tam densè, quàm niuis flocci, cùm cadunt spississimè. Celebratur ingeniosus, qui tres quatuórue sclopettorum machinas ita compegerat, vt vna à malleolo silicis, rotarum ferrearum circumactu percussa, simul omnes superné, inferneque, dextrorsum, sinistrorsum, ac per quatuor latera globos emitterent. Non opus plures machinas coniungere, vna *Bombardario Morti* sufficit, globis tot referta, quot illi est volupe homines tangere.

*Plures simul interimit.*

*Maiol. Coll. XXIII.*

*NOTÆ.*

XV. VERVM, ostendet, dicis, *Bombardam Mors*, dabit significationem aliquam vt sit tempus fugiendi: Erras: præmittit quidem nonnunquam prodromos suos morbos, vt bellum indicant: sed nunquam iaculationis momentum significat: imò sclopum suum occulit, sicuti ipsa est inuisibilis. Ludit etiam fraudulenter, & muneris vice mittit quidpiam, quod non est aliud, quàm *Bombarda*, in quâ mortifera glans delitescit. Hoc artificium est, quorundam dolose iaculantium.

*Mors improuisò iaculatur.*

XVI. DICAM, quid contigerit Florentiæ ante annos aliquot. Nobilis erat ciuis Mutinensis, Lanfrancus Fontanus, hic vt arte necaret inimicum, machinulam sclopetariam confecit, haud maiorem nuce. Huius itaq; magnitudine pilam æneam fabricauit intus vacuam. A sex lateribus perforatis, prominebant, velut internodia arundinum, ad longitudinem, quanta est vnguis digiti, intra quæ locus erat capax pulueris tormentarii, globique plumbei, aut ferrei, quantus est cicer. inerat eidem pilæ, foramen perexiguum, quod chalybe à funiculo violentissimè detento, tegebatur. Pila igitur puluere plena, cùm scindebatur funiculus, chalybis ictu, è silice inibi locato, ignis prosiliebat, magnúmque fragorem emittens à quolibet internodio globulum vibrabat, supernè, infernè, & à quatuor partibus, tantâ vi, vt obuia quæque penetraret, hominemque interficeret.

*Ciuis Mutinensis facinus.*

HANC machinam eius artifex incluserat vasculo, illo ipso fune, qui chalybem detinebat, inuoluto, dat rustico rei ignaro, vt deferat homini noto.

Rusticum excutiunt, vt solent, in porta vigiles, arripiunt capsulam, & existimantes pretiosum quid inesse, funiculum scindunt: erumpit ignis, & fragor, eiiciuntur globuli, vulnerantur spectatores: inferior globus in ligno ignitum reliquit vestigium, superior in solario.

NESCIO vbi legerim, vel audiuerim simile quid contigisse Elisabethæ Anglorum reginæ, cui ferunt arculam dono missam, in quâ sclopi duo ita fuerint dispositi, vt aperienti cistam exitium adferrent: sed bona illius sors discrimen auertit. *Odi Danaos & bona ferentes.* Mors donarii instar, *Bombardam* apparat, nunc in pomo, nunc in nuce, nunc in florum fasciculo, & interimit: nam multos iis vel contactis sic obiisse scimus.

ITAQVE nobis prouidendum est sedulò, ne vnquam insidiator *Bombardarius* imparatos nos opprimat. Quod nunquam continget, si quod sæpius dicere cogor, benè & statui nostro conuenienter, vixerimus: Nam qui semper *benè* vixerit, nunquam *malè* morietur.

---

# NOTÆ

## *AD COMMENTATIONEM VIII.*

## *MORS*

# BALLISTARIVS.

SYMBOLVM *est* MORTIS IMPROVISÆ. *Fingitur, vt populariter repræsentetur, quam insidiosè, & repentè hominem inuadat.*

*§. I. Ballistarius.*] *A* βάλλω IACIO: *machina erat, qua & saxa, & sagittas iaciebat. Maior erat, & minor, dicta vtraque* Ballista. *De ea legendus Iustus Lipsius in Poliorceticis. Nominat eandem S. Hieronymus contra Iouinianum scribens, Ballista quanto plus retrahitur, tanto fortiùs emittitur.*

BOMBARDARIVS, SCLOPETARIVS.] *Inter bellica instrumenta, siue vt nunc vocamus Tormenta, primum locum habent machinæ metallicæ, quæ ignis incendio, & sulphureo puluere glandes æneas, flamméasque pilas & globosa grauiaq; saxa conuoluentes, imò & catenas ferreas euibrãtes horrisono fragore, ac tonitru implent omnia, muros ciuitatum quatientes & obstantia quæque facillimè demolientes.*

*Bombardæ à Bombo, aut sono, quem edunt, dictæ putantur: quasi bombizatio sit quædam ardens, vt disputat Robertus Valturius de re militari Lib. X.*

*Sclopus Latina est dictio, à sono, qui exi-*

*ex inflatione buccarum oritur. Persius.*

**Nec sclopo tumidas intendis rumpere buccas.**

*Vulgo appellatur* Arcus-busius: *ab* arcu, *cuius vicem gerit in bello* (*Quemadmodum enim olim* sagittarii *in primo aciei loco collocabantur, ita hoc tempore* Sclopetarii.) *& à* busio, *quod Italis foramen significat. Nimirum ignis per foramen in tubũ seu canalem prorepit, & globum incẽso pyrio puluere propellit.*

*Agunt de huius machinæ inuentione, aliisque ad eam spectantibus, Polydorus Vergilius lib.* II. *de Inuentio rer. cap.* II. *Petrus Ramus lib.* II. *Scholar. Mathemat. Stephanus Forcatus lib.* IV. *de Imper. & Philos. Gallor. Petrus Hispalens. sylu. variarum Lect. p. p. cap.* IX. *Nauclerus Anno MDDXII. Maiolus Colloq.* XIII. *Canicul. Guido Pancirolus, Libro* Rerum memorabilium nouiter inuentarum. *Henricus Salmuth Commentario in Pancirolum. Præfert hanc vnicam machinam veterum catapultis, ballistis, & omni alteri instrumento bellico Bodinus in Methothodo Histor cap.* VII.

§. II. Bombarda, Potestas.] *De violẽtiâ, impetu, potestate huius machinæ, multa ex variis Historicorum monumentis, & diuersorum relationibus colligit, iucunda admodum & admiranda Philippus Camerarius Centuria* II. *operar. subcisiuarum cap.* 28.

§. IV Puluis tormentarius.] *De pulueris huius confectione agit Langius lib.* II. *Epist.* 32.

§. V. Hominis definitiones.] *His miseriæ humanæ exprimitur magnitudo, nunquam satis declaranda. Homerus, Homines, vt folia decidua habet.* Martinus Delrius *Lectione sacra X.* De notitia sui: *Certè, nec folia tam caduca sunt, quam homo. Certum illis, ac definitum tempus viriditatis: hominibus vitæ certum momentum est nullum. Sophocles* vmbræ *similem dixit hominem. Sed vmbra stabilior est, nec loco prior mouetur: nec sole lucente vis vlla illam potest impedire, ne corpori suo sit comes: hominem vel pusilla, vel languidulæ res possunt tollere; etiam, cùm ætas eius floret & valida iuuenta, quædam, quasi vitæ meridies ei refulget. Æschylus, hominem nuncupat* Vmbræ somnium: *rectè, quòd nec vmbris exæquet, sed* somnio, *nec somnio rei solidæ, sed rei leuissimæ,* vmbræ: *vt intelligas, vanissimam vanitatis imaginem in homine conspici. Nihilominus quorundam somniorum aliqua veritas est: omnis autem homo vanitas & mendacium est:* spolium temporis, ludus fortunæ, imago inconstantiæ, trutina calamitatis, *specimen clarissimũ exiguæ felicitatis, & summæ infelicitatis optimum exemplar.*

*Optima hominis descriptio est Iobi c.* XIV. 41. Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut

vmbra, & nunquam in eodem statu permanet.

*Aut illa Regij Canteris*: Vniuersa *vanitas* omnis homo viuens. *Psal.* XXXVIII.*9. Aut Ecclesiastæ ista cap.* I.*1.* Vanitas vanitatum, & omnia vanitas: *id est, vanarum rerum omnium vanitas: vanitatis omnis compendium.*

§. *IX.* Bombardæ rotatæ.] *Iacobi* III. Lingua modicum membrum, inflammat *Rotam* natiuitatis. *De* Rotâ *hac varie disputant Interpretes sacri. Græcus vocat* τὸν τροχὸν τῆς γενέσεως. *Gagneius obseruat legi posse* τρόχον *cum accentu in priore syllabâ, quo pacto significabit cursum. Oecumenius testatur in quibusdam codicibus esse* τὸν τροχὸν τῆς γεέννης, Rotam gehennæ: *explicat autem, quod lingua incendat contra nos, & irritet gehennam ipsam, ac faciat, vt quasi rotetur, ac deuoluatur in nos gehenna ignis.*

Isidorus Pelusiota *lib.*1.*Epist.*158. *Tempus rotæ speciem imitatur, nam in sese torquetur, & conuoluitur. Quo sensu Dauid Psal.* LXIV. 12. *nominat.* coronam anni, *ob orbicularem, rotundám-ue figuram.*

Fusius idē declarans, *lib.*IV.*Epist.* *1.* ideò sic nominari docet, *quia dies circūuoluitur septies in hebdomadā: hebdomas inmensē: mensis in annū.* (εἰς ἑαυτὸν, *quod vocabulū denotat circūuolutionem, vt &* Symbolum *serpentis ore caudam prementis*) *rursúmq; annus in eadem signa, quæ peragrauit. Item, quoniam quattuor horæ, seu tempestates anni; Ver, æstas, auctumnus, hyems inuicē quodāmodo manus connectūt, annūque circumuoluunt, ac ita optimā quandam choream ducunt & efficiunt* Rotā.

*Latini Interpretes, quibus facem prætulit V. Beda,* Rotæ natiuitatis *Symbolo docent indicari vitæ temporalis incessabilem procursum: quo à die natiuitatis, vsq; ad Mortem, velut semper currente* Rotâ *curriculi inceßāter agimur.*

§. *X.* Aures Rotæ. ] *Est hæc fictio Hilarij Nicuesæ, in Ideâ crucis P. P. Discursu X L V. Italicè: quam plus ingenij, quàm veritatis habere scribit Ioan. Lorinus: quod verum omninò, si auctor existimauerit alludi ad Bombardas, quibus modò in bellis vtimur. Quamuis nō desint, qui Bombardarum inuentionem ad Archimedem referant, & tempus, quo Marcellus Syracusas obsidebat. Sed hoc consensu scriptorum confutatur, qui nouitium hoc inuentum esse asserunt, & Germano adscribunt circa annum Christi M CCC LXXVIII.*

§. *X.* Sonus Bombardarum. ] *Vnde is oriatur ex Philosophorum placitis contra Cardanum disputat Iulius Cæsar Scaliger Exercit. CLXXX.*

*Glans, qua Bombardam Mors onerat, est res quælibet interitum adferre solita. Et quid est in rerum natura, quod alicui non fuerit moriendi occasio? Locus communis à multis pertractatus, exemplis è Theatro vitæ humanæ, & aliunde coaceruatis.*

*Gabriel*

*Gabriel Inchinus Concione* 1. *de Morte hæc collegit. Empedocles, Hercules, Plinius ignibus absumpti sunt. Policrates, Menippus, Gordianus laqueo vitam finierunt. Æsculapius, Zorastres, Antelemus, Iulius Hostilius fulmine icti expirarunt. Menander, Terentius, M. Marcellus aquis hausti interierunt. Curtius & Torquatus Romani, viui à terrâ absorpti fuère. Elpenor, & Philostratus ex scalis lapsi, obierunt. Æschilus Philosophus ex testudinis casu, quæ ex Aquilæ vnguibus in caput ipsius ceciderat, concidit, & exanimatus est. Euripides Poëta, Diogenès, & Heraclitus Philosophi, canum morsibus perierunt. Diomedes Rex, & Lucius Imperator, à proprijs equis delapsi, vitam amiserunt. Orestes & Cleopetra aspidum, ac serpentum morsibus è vita exturbati sunt. Basilius Imperator cerui cornu percussus, viuere desijt. Catullus Orator haustis carbonibus; Attilius Regulus cultro rasorio interitum sibi accelerarunt.*

*Seuerus, & Valentinianus Imperatores nimiâ crapulâ extincti sunt. Themistocles, Anaxagoras, Socrates, Seneca, Demosthenes, Alexander Magnus, Annibal Carthaginensis, Lucullus, & Diocletianus veneno enecti, occiderunt. Licophron, Anacharsis, Acron sagittis confixi, occubuerunt. Neocris, Demopholus, Licinia lapidibus obruti fato functi sunt. Iulius Cæsar popularium manibus concidit. Pompeius ab Ægypti proditore, Cicero ab Octauiani ministris sunt trucidati. Cleantes, Disippus, Democrates Philosophi: Brutus Cassius, Cato, & Antonius in Romana historia notissimi, sibimet manu violenta mortem consciuerunt. Eristhenes, Pausanias, Aristo Poëta. Thales, Aristarchus fame enecti, decesserunt. Tarquinius Priscus piscis osse, quod gulam illius transuersim occupauerat, præfocatus, vitam reliquit. Lucia M. Aurelij filia punctura acus, quam tenellus filiolus, quem brachijs suis gestabat, pectori eius infixerat, mortua est. Ruffinus Consul & belli Dux egregius pectinis dentem, quo caput læserat sensit mortiferum. Sophocles, Sotades, Anacreon, ex acinis vnius incautâ deglutione, vitâ orbati sunt. Fabius Prætor ex pili vnius cum lacte epoti transmissione è viuis abijt. Homerus Poëta ob immoderatam verecundiam, quod nescio quæ à rudibus proposita dissoluere non posset problemata, vitam posuit. Philippides Lacedæmon, & Diagoras ex nimia lætitia.*

*Alia sparsa sunt per Historias. Iouinianus Imperator fumo, siue nimio ignitarum prunarum calore, quæ in cubiculo ad arcendum ingens, quod inualescebat frigus posita fuerant, suffocatus est, vt ita, quæ via naturæ necessitati ex opibus succurrebat, ea ipsa via atque ab ipso remedio maiori naturæ necessitati succumberet. Fulgosus Lib.* IX. *Eborens. Tit. de Mort. non vulg.*

*Attila Hunnorum Rex ipsa prima nuptiarum nocte, manante è naribus sanguine prius est enectus, quam quisquam id præsentisceret. vt sic, cum Venereis delitijs studeret magis, quam propriæ saluti, inter eas Mortem latere & sagittare in obscuro experiretur. Fulgosus Lib.* I.

*Fulco Ierosolymorum Rex leporem insequens equo lapsus, ab equo est occisus. Guilhelmus Tyrius Lib. de bello sac. Fulgos. Libr.* 1. *Eborens. de Mor. non vulg. Petrus Hispal. in Vitâ Conradi.*

*Saxoniæ Dux Alberti Imperat sororius Aquisgrani in coronationis Imperatoriæ solemnitate, à multitudine oppressus, occubuit. Petr. Hispalen. in Alberto I.*

*Ludouicus V. Imp. cum veneratur, apoplexiâ tactus, equóque lapsus, statim expirauit. Petrus Hispal. in Ludouico.*

*Benno Episcopus Aldeburgensis in Ecclesia monasterij S. Michaelis consecratione compressus, & attritus à populo animam exhalauit. Albertus Krantius Metrop. Lib* III. *cap.* 51.

*Romæ dum quidam cum fele leniter luderet, illa leniter etiam momordit: quo morsu dominus interijt. Superest in æde D. Mariæ de populo, marmorea tabulâ, in quâ legitur epitaphium.*

Hospes disce nouum *Mortis* genus, improba felis
Dum trahitur, digitum mordet & intereo.

*Erat Baldo Iuris-consultorum Principi in delitijs Catellus Melitensis: cum hoc ludebat, vt fit, genio indulgens Baldus, morditur in labro: visa res de nihilo, sed fuit glans mortifera: nam post quartum mensem rabie ipse correptus, & hydrophobeticus, aquas fugitans, interijt. Matthiolus in Dioscoridem. Genebrardus in Vrbano V. Asclepius Medius Pompei M. frater, cùm annis* XX. *maria obnauigasset à Morte non fuit interceptus: at dum è puteo delitiarum causâ frigidam haurit, incautus in illum lapsus mergitur, vt qui maria securitate vicisset, angusto puteo oppressus mergeretur. Sæpe enim victor ac triumphans in eo occumbit, quod vicit.*

*Bibulus Romanus, cui Boni cognomentum fuit, cùm Romæ triumpho ex S.C. exciperetur, tegulâ è tecto in caput delapsâ, interijt: vt sic videatur triumphi pompâ oportuisse occidi, qui enim in illum tegula incidisset, si non triumphasset? Fides sit penes M. Aurelium Imper. in Epistola ad Domitium Capuanum, vt recenset Gueuarra in vita Lib.* III. *cap* 37.

*Cùm Mediolani magni nominis Astrologus Galeatio Mariæ Vicecomiti Mediolanensium Duci denunciasset, illum interiturum ex vulnere à suo vasallo infligendo, iracundia percitus Dux, ex Astrologo tunc quæsiuit, quod Mortis genus ipse esset obiturus. Cui Astrologus silenter respondit, se in publico ex casu*

*casu trabis excessurum: tunc Dux, vt falsas eius præsagitiones ostenderet, iussit illum capite plecti. Paratur locus, pulsatur campana, concurritur vndique ad funestum Astrologiæ spectaculum, occupantur fenestræ, onerantur tecta, oppleta via expectantium miserrimi Astrologi supremum opprobrium: educitur reus è carcere, ducitur ad certissimam necem. Dum ante Ducis ipsius ædes ingreditur è sublimi cadit trabs, & è viuis tollit Astrologum cum carnifice. Tunc enimuerò timere sibi Dux: populus malè ominari, & cruentam Ducis mortem expectare: nec falsus fuit. Die festo S. Stephani in Ecclesiâ eiusdem inuictissimi Martyris, vniuerso astante populo, spectantibus aulicis, Dux à suo vasallo multis vulneribus confossus interijt. Alexander de Angelis contra Genethliacos Lib.* IV. *cap.* 36. *qui egregiè probat, prædictionibus Astrologorum Genethliacorum nullam esse adhibendam fidem; cùm nihil certi ex arte de vitâ, aut Morte possint prædicere.*

§. XII. *Fructus Symboli.*] *Huc spectat omnis fictio. Vtuntur hoc argumento frequenter Concionatores, & qui illos instruunt Oratoriæ Christianæ Magistri.*

*Franciscus Labata in Apparatu Concionatorum*, *Tit.* Mors *Proposit. II.* MORS imprædmeditatos nos inuadit: *atque hinc tot pereunt. Statua illa, quam in somnis vidit Nabuchodonosor, caput aureum, pectus argenteum, pedes verò fictiles habebat. Si hieroglyphicè vitæ, Mortisque nostræ rationem depingere voluisset, nihil fingi potuisset accommodatius. Imago* [illegible] *in capite aurum, in pectore argentum, in vltima, & maximè distanti corporis parte, nempe pedibus, quod terreum est, habebat, & puluerem. Haud secus homines aurum & argentum mente ac pectore versant: Puluerem in quem tandem resoluentur, idcóque Mortem, procul à conspectu ablegant, & conculcant pedibus. Hinc Mors imparatos inuadit, & intercipit, quia non in capite puluerem gestamus.*

*Melius saluti suæ consulunt, qui* Mortem *ceu Sclopetarium semper sibi insidias struere mente versant, vt nunquam in imparatos iaculetur. Talis fuit senex ille, quem laudat Simon Maiolus Colloquio* XXIII. *Canicularium, qui cum vix ex ephebis esset egressus, in tantam Mortis sibi imminentis contemplationem sese erexerat, vt pictam Mortis effigiem spectandam sibi in cubiculo quaquà versus appenderet. Et primò quidem, vt migrare magis probum hominem cogitaret, quàm mori, hoc carmen subiecerat:*

Viuens sæpe morere, vt mortuus semper viuas.

*In altera conclauis parte, vt* Mortem

tem *contemnere sibi in animum induceret, hunc sub* Mortis *simulacro versiculum scribi curarat:*

Ne morare, opus est *Mortem* præcurrere *Morte.*

*In alio deinde latere, vt humanarum rerum contemptum, inanémque omnium voluptatum, honorum, opúmque spem animo eijceret, eidem imagini sententiolam hanc adpinxerat.*

Semina nequitiæ languidiora facit.

*Addit Maiolus, hunc ad extremam senectutem peruenisse, auctum multis honoribus, hilaritate præcipua, locupletem quoque fuisse, quasi hac cogitatione contemnenti omnia, quæ ab hominibus æstimantur, omnia accessissent. Ita fit, vt* Mundus, Diabolus, *&* Mors *ipsa tunc vincantur, cum in contemptum assidua præmeditatione veniunt.*

*Qui autem* Mortis *memoriam amandant procul, his ait accidere, quod Iuris-perito, & Artium doctori Germano, qui his facultatibus fidens cùm breui se Romæ ad amplissimas fortunas peruenturum non dubitaret, contra euenit, vt ad extremam redactus inopiam in nosocomio vltimum diem exegerit, relicto posteris à se conscripto epitaphio:*

Hic iacet Iodocus,
Qui fuit Romæ coquus,
Doctor in partibus,
Magister in artibus,
De gratiâ speciali
Mortuus in Hospitali

§. XIII. *Sclopetarius imperitus.*] *De peritiâ iaculandi ex his tormentis & multiplici illorum formâ iucunda lectu habet Maiolus Colloquio* XXIII. *Canicul. quod continet* Memorabilia. *Dicit ibi Philosophus, eo peruenisse in genus humanum sæuiendi artem istam, vt vnica machina triplex corpus habeat, triplicíque impetu desæuiat, sæpè iaculando semel, bis, tertio, non successiuis instructionibus, sed cùm triplex sit concauitas, & tria spiracula, triplex quoque sit eiaculatio. Quin & septem vidimus compactas concauitates, ac spiracula: quales bombardæ in mole Adriani Romæ visuntur.*

§. XIV: Mors neminem præterit.] *Locus communis: Mors nulli euitabilis. Didacus Lopez in* Mensa spiritualium ciborum pro Concionatoribus, *Tit.* Mors *Num.* 48. Mors omnes inuadit, & subdit. *Et Franciscus Labata, Propositione* XV. Mors ineuitabilis.

Mors vno tempore plures Glande mortifera traiicit.] Hieronymus Platus *Lib. 1.* De bono status Religiosi *cap. 5. In Franciscanis historijs legimus, non longè, post eius Ordinis initia, cùm Bertoldus, vir eiusdem familiæ insignis in Germaniâ, inter prædicandũ Dei Verbum acrius in vitium quoddam inuectus esset, mulierem, quæ eo vitio tenebatur, pœnitentia,*

*tiæ, ac contritionis vi, in mediâ concione mortuam concidisse. Verùm, cum omnibus in preces procumbentibus paullo post reuixisset, narrauit mortis caussam, iussámque se ad corpus redire, vt peccatum illud confessione expiaret.*

*Adiecit etiam tum alia multa. tum illud imprimis horribile, & dictu etiã memorabile, cùm ipsa ad* DEI *tribunal apparuisset, adducta simul esse sexaginta animarum millia, qui in omnibus mundi partibus, fidelium, & infidelium, varijs casibus excessferant ex hac vitâ: atque ex his tres tantùm addictas purgatorio: reliquas omnes ad ignem æternum damnatas: Vnum autem ex Franciscanis fratribus, eodem ipsum quoque temporis articulo defunctum, per purgatorij quidem locum transisse: sed tamen non modò ibi diutius non commoratum; verum etiam par animarum, quæ præcipua cum eo amicitiâ coniunctæ fuerant secum in cælum abduxisse.*

Geminum huic est, quod refert Doctor Iacobus de Paradiso Carthusiensis: *Illâ hora qua B. Bernardus de hac vita migrauit, triginta millia hominum decessisse: inter quos fuit Decanus Ecclesiæ Lingonensis, laudabilis vitæ, dum vixit. Hic mundanos honores fugiens, vitam solitariam elegerat in quadam eremo, in qua* XXV *annis egit.*

*Post mortem autem apparuit Lingonensi Episcopo cum magna gloria: dixitq; Episcopo: Age pœnitentiam, emenda vitam, corrige conscientiam, dimitte superbiam simul, & auaritiam, aliter nunquam habebis cælestem gloriam. Non enim tam facile est, saluari hominem, sicut credunt. Quoniam cùm ego præsentarer tremendo* DEI *iudicio, adfuerunt ibi triginta millia animarum, de quarum numero vir B. Bernardus, & ego sumus saluati, tres descenderunt in purgatorium, alij omnes ceciderunt in infernum.* Narrat hoc exemplum Vincentius Ord. Prædicat. Sermon. VI de Septuagesima. Et Martinus Polonus, eiusdem Ordin. in Promptuario Exemplor XVIII.

*Maiorem numerum exprimit Exemplum, quod subiungo. Legitur in Libro de Ortu Carthusiensium: Innocentium* VI *Papam, cùm adhuc esset Cardinalis, visitare solitum, Sanctum quendam Eremitam. Ad quem cùm veniret quodam tempore cum suis domesticis; & pulsarent fortiter, non est audita vox vlla, vel strepitus. Irruerunt itaque famuli in cellam, & postquam solitarium acriter concussissent, exclamauit ille voce magna, & dixit.*

*O mi! ô mi! vide mirabilia. Sciscitante Cardinale, quænam vidisset, respondit: Ductus ad infernum, vidi incidere animas, sicut* NIVES *densissimas, aërem obnubilantes. Ad purgatorium verò sicut niuem rarissimam. Sed ad Paradisum tantùm tres introire vidi animas, illius scilicet Episcopi,*

*& illius Prioris Carthusiensis, ac illius viduæ Romanæ, singulas nominans personas. Cardinalis de veritate sollicitus, missis nuncijs, comperit, animas illas eodem tempore, corpore solutas. Atque ita Cardinalis, qui prius nonnihil verebatur, ne nimius esset rigor Carthusiensium, maximè ob abstinentiam à carnibus, permotus sanctitate Prioris, magis adfectus ad Ordinem sacrum, nouæ domûs pro ijs procurationem suscepit. VVernerus Rolenuick Carth in Fasciculo temporum ad ann.* MCCCXLIII.

*Alium modum suggerit ingeniosus Poëta, quo* Mors *plurimos necat, dum vnum glande traijcit.*

Ian Binder. li. III. Epig. LXXXI.

*Sæua barbaries cruenta* Parcæ,
*Nunquam* vulnere *tot peremit vno.*
*Nam quo vulnere Principem petiuit:*
*Omnes barbara* Pauperes *peremit.*

# COMMENTATIO IX.

## *MORS*

# FVR.

***Adueniet dies Domini, vt* FVR.**

**II. Petri III. 10.**

BREVIARIVM.

1 *Furis venturi prædictio terrorem parit, ac cautelam: & tamẽ sæpe fallit.*

2 *Cur non idem in animis hominum efficit certissimò aduenturæ Mortis annunciatio, quæ nunquam decipit? Hæc mortalium est insania.*

3 *Mors Furem agit. Dies Domini, vt Fur Quis Dies Domini? quis hominis? Mortis tempus, Dies Domini, ab ipso sancitus.*

4 *Mors Fur est vniuersalis fures, quas elegit, species Genus Furum multiplex, vt Mercatorum. Sunt Marsupiarij, Pecuarij, Lintearij, Mapparij, Culirarij Gemmarij.*

5 *Mors omnia aufert. Nihil domino relinquit, ne mappam quidem, aut mortuale linteum. Nudi nascimur, nudi denascimur.*

6 *Immobilia etiam Mors furatur fundos,*

dos, regna, imperia. Saladinus interulam circumferri iubet, ceteris orbatus. Constantinus palmos aliquot terræ mortalibus adsignat: plus sanè, quàm Mors relinquat.

7 Mors Fur vniuersalis, quo ad loca. Fures Balnearij, Forenses, Domestici, Vrbici, Pagani, Hortenses. Mors vbique Fur est: domi æquè ac foris. Nulla est latebra, in quam sese non insinuet.

8 Mors Fur vniuersalis, quo ad Tempus. Semper Morti sunt nundinæ: amplius vbique mercatus. Nulla dies funeribus vacua.

9 Mors Fur vniuersalis, quoad Homines. Apud Mortem non est personarum acceptio. Non magis opulentos quam pauperes furto destinat. Tetrum nefarii Sacerdotis facinus.

10 Mors astutissimè furatur. Hermogenis mapparii Furis incredibilis dexteritas. Is vinctis manib. eripiebat. vbique ad furta promptus, & metuendus.

11 Maior astus Mortis. Ab hac nemo cauere sibi potest. Venit, & non videtur. rapit abdita æquè, ac exposita: quia omnia illi sunt in propatulo.

12 Diuites manu opes concludunt: dormiunt somnum suum, & nihil inueniunt in manib. suis. Mors arrepit ad ceruical, soporem longum & lethargicum conciliat, rapit oĩa. Diues Epulo, gutture, & manib. inanis.

13 Anima, & Vita portatur in manib. Psal. CXVIII Iob XIII. Sed ad quid tãta custodiendi solicitudo? an ignoras Furem Mortem, qua manu circumferuntur eripere vniuersa?

14 Thesauris potissimùm inhiant fures: Darius, Hircan. Herodes, Rhãsinitus. Habemus thesaurum in vasis fictilib. II. ad Cor. IV. Animã in corpore. Ne dubites: Mors illũ educet.

15 Fures ingrediuntur per fenestras domus: ascendunt aliunde Ioan. X. I. Ascendit Mors per fenestras nostras, ingressa est domus nostras Ierem. IX. 20.

16 Mortis velocitas, & violentia, non expectantis donec reseratur ianua. Vnum illi foramen ad irrependum sufficit.

17 Mors in fenestris turrium & propugnaculorum frequentius: id est, in Magnatûm ac Principum palatiis: illorum imminet capitibus.

18 Mors Symbolica, Peccatum, per patentes sensũũ fenestras impetũ facit.

19 Fructus Commentationis, Mortis viua repræsentatio. Ea summi momenti ad peccati fugam & vitæ emendationem.

20 Tempus contemplandi Mortem peculiare, Quadragesima; & in eâ Sãctior hebdomas. Baiulãda Crux est, etiam ab Ecclesiasticis, etiam à Prælatis, etiam ab Episcopis, Principib. Regibus. Multi refugiunt, opinione, aut fictione suâ delicatuli, re fortes, ac robusti ad potandum, ac scelera. Portare Crucem est Mortis Memoriã se affigere, sensu Chrysost. Qui non accipit Crucẽ, & nõ sequitur CHRISTVM, nõ est CHRISTO dignus.

# RR. & AA. DD. SS.

*Finis venturi prædictio.*

I. SI *Tibi* prædiceretur à viro fide digno, decreuisse astutissimum Imperij totius *Furem*, habito cum furunculis, sodalibus suis, consilio, vnâ quapiam noctium clam in domum tuam irrepere, & auferre, ad puluisculum vsque, quicquid in eâ argenti vel auri, facti, seu infecti; quicquid vestis stragulæ; quicquid stanneæ, æreæ, aut ligneæ supellectilis: denique, quicquid in eâ opum, fortunarúmque tuarum, aut seris occlusum, aut palam expositum habes, ne relicta quidem culcitra, vel conopæo: nec discessurum, nisi direptis etiam, quibus cotidie vteris vestibus; dormirésne in vtramque aurem noctium illarum aliquâ? An non, quoties ad stratum te reciperes, vererereris, ne nox insequens esset decretoria? ideóque vigiles disponeres, aut ipse vigilares? moneres quoque domesticos, vt diligentem domus commissæ curam haberent: vt ad omnem tumultum è plumis se eijcerent: vt nihil negligerent eorum, quæ necessaria ad hoc, ne imparati opprimerentur. Omnium communis est hic sensus: cunctorum prouidentia ad rem familiarem conseruandam.

*Mortis certissima prædictio.*

II. AT ego Tibi prædico fide Christiani, hominis DEO sacri, Religiosi: melius hoc enunciauero, fide ipsius DEI, qui falli non potest, nec fallere, conspirasse totius orbis vaferrimum *Furem* cum suis assеclis, vt in domum tuam impetum faciat, nocte aliquâ: & non, vt externa solùm; quæ te remotiùs circumstant, eripiat, pecuniam, vestes, supellectilem: verùm etiam, quæ propiùs te attingunt; imò, à te non sunt diuersa, sanitatem, robur, &, quam omnibus præfers mundi bonis, vitam: nec illam temporalem solummodò; sed etiam, si improuidum opprimat, sempiternam. Et Tu, ac si res tua non ageretur, futuri mirificè securus, semper altùm dormis, stertis, ac sæpe somno, vinóque sepultus ronchos ducis: & de nulla re minus, quàm de *Fure* cogitas. An non hæc est insania? quis neget? Ita tamen insaniunt hominum pars maxima: fortasse ex nobis quoq; plurimi. Pater mi, *Parabolas* loqueris: ita est: non tamen *fabulas*. Parabolæ illius auctor est cœlestis Magister CHRISTVS, acutus Parabolizator: qui, vt MORTIS memoriam, hominibus, rerum suarum satagentibus altiùs infigat, SYMBOLVM fingit, aut pingit, quod allatis hactenus à nobis adiungendum est.

III. Mors Fvrem agit, seu imitatur. Non credas nisi Apostolorum, & Christi firmetur auctoritate. Petrus in Epistolâ suâ secundâ: *Aduenìet*, inquit *dies Domini, vt* Fur. Nimirum doctus erat à Christo, qui eadem vtitur imagine Matth. xxiv. 43. Luc. xii. 39. Quamuis autem omnis dies appellari possit, *dies Domini*: quia fecit omnem diem: fabricatus est enim auroram & solem: quia in illius est potestate, cum omnibus, ac singulis momentis: quia die quolibet ad beneplacitum vtitur: tamen magis propriè, ac Scripturis diuinis congruentius, *Dies Domini* dicitur tempus, quo homo, ita in Dei venit potestatem, vt extra suam planè constituatur, nec maneat illi amplius suis de rebus disponendi libertas. Quod fit, quando hinc euocatur. — *Dies Domini, vt Fur. 1. Pet. iii.* — Nota.

Itaqve, tempus Mortis est *Dies-Domini*, sicut etiam, tempus Iudicij. Dies omnes, quibus hîc mortales viuimus, nostri quodammodo sunt, dati, vt in ijs operemur pro arbitrio, & mereamur. Quo intellectu, dicebat Christvs, conuerso ad Jerusalem sermone: *Et quidem in hac die tuâ*, Luc. xix. 42. Dies *Mortis*, & *Iudicij* totus est Dei, quoniam non pendet vllo pacto à nostra voluntate: sed solius Dei. Illum Devs designauit, elegit, & infallibili decreto sanciuit. — *Tempus Mortis, Dies Domini.*

IV. Iam verò hic dies dicitur aduenire, sicut Fvr: quia in eo Mors, *Furis* instar callidam rapacitatem suam exercet. Et profectò bellissimè *Mors* Symbolo *Furis* exprimitur, siue adueniendi tempus, & modum; siue, quæ aduentum illius consequuntur, consideres. Qualem autem *Furem* censemus esse *Mortem*? Non particularem aliquem, & huius, aut illius reculę, sed vniuersalem, & communem. — *Mors, Fur.*

Quemadmodum apud nos Mercatorum genus est varium, ac multiplex: nec facilè reperias aliquem, qui ad omnem negociationem sit idoneus: sed quilibet certas merces habet, quibus coëmendis, ac distrahendis dat operam. Hic frumentum vendit, ille oleum alius ferrum, plerique telam, non-nemo gemmas: nemo omnia: Ita in *Furum* tribu, sunt alij, qui pecunias consectantur, & illis vbicumque possunt, struunt insidias. Hi appellari possunt *Fures Marsuparij*, vel *Bursarij*. Alij pecudes abigunt, qui dicantur *Pecuarij*. *Lintearij* verò, qui toralia, stragula, lintea, mantilia colligunt, & subinde carè vendunt ijsdem, à quibus gratis emerant. Sunt etiam *Mapparij*, *Cultrarij*, *Gemmarij*. — *Genus furū varium.* — *Marsupar. Bursarij. Pecuarii. Lintearii. Mapparii. Cultrarii. Gemmarii.*

Mors omnia aufert. V. AT MORS nihil solitariè sectatur, rebus omnibus vniuersè imminet. Si semel domum tuam ingrediatur, nullâ rei, vilis, aut preciosæ: magnæ, aut paruæ: custoditæ, aut expositæ differentiâ, auferet quicquid in ea fuerit. Nihil domino relinquit, ne mappam quidem, aut mortuale linteum, quod mutuo tantùm concedit, vt cadauer inuoluatur. Hæc sors filiorum Adam, diuitum æquè, Principum, Regúmque, ac pauperrimorum. MORS facit, vt qui nudi egressi sumus, nudi reuertamur in communem matrem terram. Cùm dormierint, quamuis opulentissimi, Morte interim ædes expilante, nihil secum auferent: aperient oculos, & nihil inuenient. Nihil intulerunt in hunc mundum, *Mors* facit, vt nec auferre quid possint.

NOTA.

Ouid lib. v. Tr. el. 11

*Diuitis ad manes nil feret vmbra suos.*

cantabat ille. & alter:

Prop lib. III

*Haud vllas portabis opes Acherontis ad vndas:*
*Nudus ad infernas stulte vehêre rates.*

Mors immobilia aufert. VI. Hactenus non sunt reperti *Fures*, qui agris, domibus, vineis, regnis, vno verbo, bonis immobilibus possessores spoliauerint: nam istiusmodi res auferri non possunt. Sola *Mors* in ijs quoq; furtum committit, dum aufert clam, inuito domino, fundos, ædes, ciuitates, imperia. O *Furem* verè vniuersalem! Saladinum Sultanum Babylonis, & Damasci, Ægyptíque Regem, memorant interulam, quâ solâ cadauer suum cōdendum statuerat, lanceâ sublimem, per compita, vicósque Ascalonis ferri iussisse; clamaríque: Saladinum Asiæ nihil amplius à morte habiturum; spoliatum videlicet ab vniuersali *Fure* bonis omnibus.

NOTA.

Saladinus.

*Qui modò flectebas varias Orientis habenas,*
*Mortuus hoc tantùm in tartara sæue feres?*

Nimium præsumpsit relinquendum sibi Saladinus, dum interulam à communi *Fure* intactam fore existimauit: & hanc suam fecit *Mors*; sed precariò concessit inferendam in capulum.

Constanti. Plus etiam promisisse sibi videtur Constantinus, quàm *Mors* præstet. Cùm enim corporis humani perfectæ ætatis circumscriptam mensuram, hastâ, quam manu tenebat, humi impressisset; Omnes, inquiebat vitæ diuitias, & totius orbis opes, si domi haberes; tamen plus hoc à me circumscripto agello non possidebis; si & illud fortasse possederis. Nihil relinquit *Mors*, quod possideri possit, ne terræ quidem palmum: nihil, quod auferri possit. Est igitur *Mors, Fur*, vt dicebam vniuersalis, si res spectemus, quas clepere solent *Fures*.

Euseb. lib. v Vit. Const ca 20. & 30

VII. EST

VII. Est etiam *vniuersalis*, si *Loca* consideres. Apud Romanos erant *Fures Balnearij*. Siquidem qui lauabantur, vestes deponebant in apodyterio, & custodes apponebant: sed astutiores erant *Fures*, qui illis insidiabantur, & non rarò sublegebant. Sunt *Fures*, qui in foro artem suam probant, & *Forenses* dici possunt. Sunt *Domestici*, sunt *Vrbici*: vulgò, *Ciuitatenses*: sunt *Pagani*, qui in pagis & oppidis rusticorum obambulent; sunt *Hortenses*, qui flores, plantas, olera in hortis subducunt. *Mors* omnibus generalior, nullo locorum discrimine, vbique *Furem* agit, & hominem bonis, ac vita exuit. Nullibi à *Mortis* furtis est securitas.

*Fur vniuersalis quoad loca. Balnearii. Forenses. Domestici. Vrbici. Pagani. Hortenses.*

Mors *æquo pulsat pede*
*Pauperum tabernas, Regúmque turres.*

*Hor. l. 1. od.*

In palatijs Principum, in casis agricolarum, in mercatorum officinis, in frequentissimis, populosissimísque vrbibus, in desertis, ac ad solitudinem redactis villis, in diuersorijs, propugnaculis, foro, plateâ, cubiculo, thalamo, cella, eremo, campo, hortis, in aëre, terra, aqua, igne inuenit, quod arripiat, & secum deferat. Non est enim locus in vniuerso, vbi *Mors* non aliquando *Furis* instar, manus extenderit, & mortales expoliarit. Domi, forísque æquè occurrit. Frustra peregrinaris, vt effugias; domi sors te expectat in reditu, vt nobilem illum peregrinum, de quo Poëta recens

*Nota.*

*Nobilis peregrinus domi moritur. Iaco. Bidel. li. III. Epig. LXVI.*

*Quid mihi Nile tuas transmittere profuit vndas,*
*Vltráque extremos Persidis ire sinus?*
*Quid Syriam, & campos Solymæ vidisse ruinas?*
*Omnia, quæ vidi, me docuêre* MORI.
*Fracta suas monstrant Babylonia marmora clades,*
*Et sua contritus fata Colossus habet.*
*Pyramis aëreas feriat licet ardua nubes,*
*Ipsa tamen tumulum se videt esse sibi.*
*Ipse redux vitam patria inter limina perdo:*
*Et quæsita foris*, Parca *reperta domi est.*
*Vanum erat hoc tantis terrarum ambagibus vnum*
*Discere, Momentò patria me docuit.*

Quę latebra est, inquit Seneca, in quam non intret *Mors*?
*Quocumque ingrederis sequitur* Mors, *corpus vt vmbra.*

VIII. Quod si *Tempus* attendas, hîc quoq; vniuersalitatem quandam sibi *Mors* vendicat. Apud nos qui illius damnatę sunt artis, tempus ferè certum sibi deligunt, quod maximè suis imposturis opportu-

*Temporis vniuersalis*

portunum opinantur. Frãco-furti tempore nundinarum siue vernalium, siue auctumnalium, patibulum coronatur pẽdulis homunculis, nam tunc non minus *Fures*, quam institores ad mercatum conuolant. In vere grassantur *Fures herbarij*; in auctumno pomarij; in æstate frumentarij; hieme pecuari. *Morti* nullum est præscriptum tempus, extra quod non liberè euagetur. Omne tempus est illi nundinarum, ac fori. Menses anni omnes æquè sunt *Morti* opportuni. In Martio quidem magis timetur, & in auctumnalibus ferijs: sed est persuasio popularis. Quolibet mense patent cœmiteria, & vespillones cursitant: quia nullo non tempore *Mors* antiquum suum obtinet, & furatur.

*Hominum vniuersalitas.* IX. Nec *Hominum* illi ratio vlla peculiaris, vt sic quoque *Fur vniuersalis* dici queat. Cuiuscumque sint sexûs, conditionis, statûs, officij, professionis, gentis, ordinis, absque differentiâ, ad furtum designatos habet. Non est eius ingenij, cuius apud nos reperiuntur nonnulli, qui vnum aliquod genus hominum, opulentos plerumque, suis destinant insidijs. Qualis ille, quod pudet penè efferre, Sacerdos, furandi arte insignis, deprehensus in Raceburgensi diœcesi. Hic digesta habebat per vrbes singulas nomina locupletum, quos debitorum titulo inscribebat libro suarum rationum. vbi furta expleuerat, eos persoluisse notabat, adiecto numero. Omnis generis supellectilem, & vasa, ac vestes hoc pacto comportarat. Verùm tam vafrè rem suam instituebat, vt Wismariæ diu commoratus, Curio illius loci officia diuina illi committenda iudicaret. Deprehensus tandem in Schonenberg carceri inclusus perijt. Sed *Morti* æqualis est de egenis, ac opulentis cura. Non est apud *Mortem* personarum acceptio. Apud omnes abundè satis inuenit, quod auferat, ac furetur.

*Nota.*

*Sacerdos, Fur.*

*Albert. Cranz. lib. XII. Metro. cap. 18. A. MCCCC. LXXI.*

*Fur è manibus subducit.* X. At quomodo? astutissimè. Quo superlatiuo complector omnes *Furum* technas & imposturas. Aliquas *Morti* accommodemus. est enim omnium peritissima. Depingit artificiosè *Furem mapparium* Martialis Poëta, cui nomen erat *Hermogenes*, quem fingit tam fuisse ingeniosum, vt licet vinctis esset manibus, mappam tamen posset eripere.

*Lib. XII. 25.*

*Hermogenes tantus mapparum Pontice fur est,*
*Quantus nummorum vix puto Massa fuit.*
*Tu licet obserues dextram, tenéasque sinistram,*
*Inueniet mappam quâ ratione trahat.*

Cerui-

*Ceruinus gelidum sorbet sic halitus anguem:*
*Casuras altè sic rapit iris aquas.*

Narrat deinde, quomodo in ludo gladiatorio, in clamore populi ac tumultu amphitheatrali quattuor mappas rapuerit: quomodo in Circensibus mappam, vt signum à Prætore mittendum, abstulerit: quomodo stragula lectorum, in quibus ad mensam accubabatur discinxerit, lectósque toralibus spoliarit: quomodo eburneos mensarum pedes rapuerit: quomodo vela, in theatris ad vmbram inducendam expansa furatus fuerit: denique vbique artem suam ita probarit, vt dum appareret Hermogenes in portu, trepidi nautæ carbasa substrinxerint, & linteati sistratique sacrificuli, dum idem in fano conspiceretur, aufugerint. **Nota.**

XI. Magna fuit *Furis* huius astutia, mira vafricies, ars stupenda: sed cum *Mortis* calliditate comparata, dici potest stoliditas. Cauere sibi poterant Romani ab Hermogene, quem aduentantem cernebant, ideò fuga sibi consulebant plurimi, sícque non diripiebantur mappæ multorum. Mors aduenit, & non videtur, ac ideò cauere nemo sibi potest. Hermogenes, quæ exposita erant subducebat, vel diripiebat potius, ad illa quæ occlusa, non pertingebat. Nihil à *Mortis* oculis abscondi potest: omnia illi patent: vniuersa sunt in propatulo. Quamuis Hermogenes vinctis manibus excantare videretur mappas, non tamen, quæ aliorum manibus continebantur, clam eripiebat, quæ est *Mortis* astuties, à quâ auferuntur etiam illa, quæ ne amittamus, perpetuò in manibus circumferimus. *Mortis astu.*

XII. Concipit Regius Vates diuitum quorundam, eam in opibus conseruandis solertiam, vt cùm ad quietem se conferunt, thesauros suos ad lectum comportent, & manu stringant, ne à *Fure* clam sublegantur; sed ridet inanem solicitudinem, cùm *Mors*, quod in manu est, extrahat, ipsis dormientibus, aut etiam vigilantibus, & nihil sentientibus. *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Psal. LXXV. 6. Quem sensum etiam admittunt illa Jobi Cap. XXVII. 19. *Diues cùm dormierit, nihil secum auferet; aperiet oculos suos, & nihil inueniet.* Nimirum, cùm iret cubitum, quicquid habebat opum, & commoditatum, non solùm sub puluinari collocarat, quod solet fieri in diuersorijs, propter *Fures*: verùm etiam manibus arctè constringebat. Arrepit tacitè *Mors*, soporem huius vitæ, sopori copulat alterius: aufert illicò omnia. Expergiscitur diues in inferno:

*Diuites manu diuitias retinent.* *Ps. LXXV. 6* *Iob. XXVII. 19.*

ferno: miratur manus vacuas: aperit oculos, & nihil inuenit. Cuius rei gratia, Gregorius XVIII. Moral. Cap. 12. vbi præclarè explicat, Diuitem auarum nihil inuenturum, cùm dormierit, in manibus suis; & seruando amitti, quæ largiendo seruantur: producit Epulonem in inferno aperientem oculos, vacuo & inani gutture ac siti arente, haud dubiè, etiam vacuis manibus. Monet autem S. Augustinus, qui desiderat in suis aliquid inuenire, post huius vitæ somnum, vt non contemnat manus inanes pauperum.

*Lu. XVI. 24*
*Aug. Psal. LXXV.*

*Anima portatur in manibus.*

XIII. Quanta mortalibus est cura de vitâ, pro qua conseruanda laboratur assiduè, ac nihil intentatum relinquitur. Sed metuunt sibi plurimi, & meritò, à fatali *Fure*, qui omnibus insidiatur, & hanc maximè gemmam diripere satagit. Quocirca, vt sint tutiores, eam in manu gestant, quo sic semper circumferant. Horum solicitudinem exprimit elegantissimè Dauid, phrasi non ab omnibus probè intellecta; *Anima mea* (id est, vita mea) *in manibus meis semper*, Ps. CXXIII. 109. i. multæ curæ, & graues de salute, & vita retinenda me solicitant. Habere enim in manibus, aut inter manus, idem Latinis est, quod tractare, ac diligenter videre, custodire, incumbere in rem, ne excidat, ne eripiatur, ne sublegetur fraudulenter. Quod profanorum etiam testimonio facilè comprobari potest. Clarum est illud Virgilij:

*Nota.*

*Ante oculos interque manus sunt omnia vestra.*

Et Liuij de bello Macedonico: *Et vos in manu & tutela non in seruitio debetis eas habere*: hoc est, de ijs, earúmque rebus valdè laborare ac curare debetis: oportet vos illas custodire, ac si manibus illas haberetis inclusas.

Sed vsurpare possumus omnes, quod est à Patiente alio fine dictum: *Quare lacero carnes meas dentibus meis, & animam meam pono in manibus meis?* Job. XIII. hoc est: Cur de vita mea conseruanda ac propaganda tam sum solicitus, vt illam semper & vbique in manibus circumferam? cur in eius custodia adeò laboro & discrucior? Cur tam anxiè illam cotidie tracto? An ignoro *Furem* mihi, DEI nutu insidiari, quæ quod manibus etiam conclusum teneo, tandem eripiet?

*Thesaurorum Fures*

XIV. THESAVRIS autem maximè infesti sunt *Fures*; quod vel ex Christi D. parœnesi intelligimus, monentis suos, ne thesaurizent thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi *Fures* effodiunt

diunt & furantur, Matth. vi, 19. Mirus autem est astus & auiditas *Furum* in thesauris expilandis. Exempla habemus in *Dario*, de quo Herodotus Lib. 1. Semiramidis monumentum penetrante, vt repositas inde pecunias acciperet; sed egregiè deluso: *Hyrcani*: qui, vt narrat Iosephus ex sepulchro R. Dauid tria millia talenta pecuniarum ex eo protulit: *Herodis*, qui exemplo Hyrcani incitatus, idem sepulcrum noctu ingressus est, & mundi preciosi ac auri vim magnam sustulit. Iucundam narrationem habet historia, quæ est apud Herodotum libro II. de *Rhampsinito* secundo Ægyptiorum Rege, post Proteum. Cùm enim ingentem pecuniarum vim, quàm tutissimè recondere vellet, ædificium extrui curauit longè munitissimum, sed Architectus, vt sibi viam ad furandum pararet, aptauit alicubi murum, vt lapis eximi posset, quo dempto, homo facilè admitteretur. hócque moriens filijs aperuit: qui commoditate vsi, multas inde pecunias exportarunt. Rex cùm integra signa animaduerteret, clausum ærarium, pecuniam tamen minui, laqueos disponi iussit, vt si quis manum immitteret, detineretur. *Fures* redeunt: protensa manu capitur vnus: cui alter, ne res proderetur, caput amputat, & truncum relinquit: ac miris deinde ludificationibus Regem, ob ingenium in sui admirationem rapit: à quo artificiosus *Fur* libertate donatus fuit, & muneribus.

*Darius.* *Hyrcanus.* *Herodes.* *Rhampsin.* NOTA.

Sed hoc solùm hinc colligebam, à thesauris potissimùm *Fures* solicitari, vt ingenium exerceant. Hoc commune est *Morti* cum reliquis. Habemus omnes (vt loquitur Paulus) *thesaurum in vasis fictilibus*, seu testaceis, aut figlinis; ita vocat corpora nostra, in quibus, tāquam in sepulcralibus vasis, est Anima, seu Vita, res immensi precij, ac summè æstimabilis, ad quem furtim educendum *Mors* artem omnem suam expromit. Sed nemo vnquam *Furum* tam ingeniosè thesaurum è sepulcralibus tumbis elicuit, quàm *Mors* vitam è corporum nostrorum mausolęis subducit. Experti fateri cogemur: & experiemur omnes.

*Thesaurus in vasis fictilibus.* II. Cor. II. 7

XV. Porro, *Furum* obseruatio est, quæ primis illius Artis sordidissimæ regulis continetur, vt vsitatum domus ingressum vitent, sed tentent aditum per fenestras, quæ si altiores sint, scalas apponant. Hac nota *Furem* deprehendi docet CHR. D. Ioan. x 1: *Amen, Amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ouile ouium: sed ascendit aliunde, ille* Fur *est &* Latro. Hanc autem esse *Mortis* consuetudinem, monuit Pro-

*Fures ascēdunt per fenestram.*

pheta Ieremias. Et percipite, quàm graphicè *Furem* depingat. *Audite, mulieres verbum Domini: & assumant aures vestræ sermonem oris eius: & docete filias vestras lamentum: & vnaquaque proximam suam planctum. Quia ascendit* Mors *per fenestras nostras ingressa est domos nostras.* Certè non per ostium, si per fenestras, Ergo ex CHRISTI D. optimi Dialectici, illatione, *Fur* est & *Latro.* Cauete: quia vt subdit Propheta; *disperdere* (venit) *paruulos deforis; iuuenes de plateis.* Hoc *Fure* per fenestras ingrediente, *cadet morticinium hominis, quasi stercus super faciem regionis, & quasi fœnum post tergum metentis, & non est, qui colligat.* Sensus planissimus est, & ad litteram, quem sua paraphrasi illustrat Christophorus à Castro. Mors irrepsisse iam videtur per murorum, turriúmque fenestras, & vsque ad domos nostras, Chaldæis ingredientibus, penetrasse, vt disperdat paruulos in vijs publicis colludentes, & iuuenes in plateis. *Morte* autem in ciuitatem aliquam sese, *Furis* instar, insinuante, cadauera decident tanquam stercus, per agrorum superficiem: ac veluti fœni manipulus post metentem, & nemo erit qui colligat.

*Iere. 11. 20. 21.*

*Mortis velocitas.*

XVI. AT continentur ijs Prophetæ verbis nonnullæ aliæ *Mortis* conditiones, seu proprietates quæ non videntur negligendæ, faciunt enim plurimum ad *Furis* huius vim, violentiámque melius æstimandam. D. Hieronymus, multique alij Interpretes, existimant voluisse Prophetam significare eo loquendi modo Symbolico, Chaldæorum, seu *Mortis* ipsiusmet fortitudinem, ac velocitatem, quæ tanta esset futura, vt non expectarent reserari fores, sed per fenestras & tecta conscenderent. Profectò non expectat *Mors* dum illi reseratur ianua; sat est illi quodlibet sensuum nostrorum foramen, per quod ingrediatur, & omnia diripiat.

*Fenestra turrium.*

XVII. Notat autem Franciscus Vatablus, quod adprobat Christophorus à Castro, non tam de fenestris quarumcumque domorum, nec de quibuscumque domibus sermonem esse, quàm de fenestris pugnaculorum, palatiorum, ac turrium altissimarum. Nimirum, *Mors* apud magnates potius, Prælatos, ac Principes, quàm plebeios, & pauperes *Furem* agit, & per fenestras ingreditur, nam hi minus sibi prouident: ac profectò ita quidam vitam instituunt, ac si essent immortales: illis *adueniet dies Domini, vt* FVR.

*Mors Symbolica.* NOTÆ.

XVIII. Verùm Sanctorum PP. plerique hoc oraculum transferunt ad *Mortem Symbolicam*, quæ est Peccatum, quod animam vitâ suâ, id est, gratiâ, ac DEO ipso spoliare solet. Nam & hæc *Mors Furem*

agit,

agit, ingreditur enim per fenestras, id est, sensus minus benè custoditos in animatam hanc vrbem nostram, & teneros fœtus, ac iuuenes fortes virtutum detruncat, atque omnia diripit: de quo alibi copiosius dissero.

XIX. Quis autem sacræ huius Prælectionis fructus? ne intellectus tantùm pascatur, & exsuccus maneat, atq; aridus affectus. Fructus sit, *Mortis* viua repræsentatio, quam magni faciendam semper existimaui, quia fallere non potest DEI Verbum: *Memorare nouissima tua, & in aeternum non peccabis*, nisi sis delirus, & stultorum insanissimus. Hoc si obtineam hebdomadarijs Commentationibus VIRI RR. vt *Mortis* memoriam in animis vestris renouem, sat fecisse videri potero. Tanti est *Mortis* simulacrum sibi semper habere ob oculos: sed hoc potissimùm sacro tempore, quod Cruci & Passioni Dominicæ dedicatum est. Fructus Comm. Eccl. vii. 40

XX. Quo audire mihi videor salutiferæ Crucis baiulatorem, minaci vultu intonantem, aut certo certius prædicentem: *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me non est me dignus.* hoc est: nominari non debet CHRISTIANVS. O CHRISTE! Ergo nominabitur *Christianus*, qui hoc ipso tempore, quo TV sputo, alapâ, flagellis deturpatus, in Crucem, vt furcifer ageris, & nostri caussâ pendulus in patibulo, furis instar, aut latronis, exagitaris, viuit dissolutius, comedit delicatius, cubat mollius, bibit liberalius, ridet effusius, iocatur petulantius, inebriatur liberius, pergræcatur impudentius: idem, qui semper, in templo inquietus, in choro curiosus, in sacrificio distractus, in cogitatis impudicus, in verbis lasciuus, in opere immodestus? Matt. x. 38.

QVI non accipit Crucem suam, inquit CHRISTVS, & non sequitur me, non est me dignus. Quid est, accipere Crucem? An baiulare patibulare lignum? Multi se id facere posse negant, etiam illi, qui latissimos habent humeros, Viri potentes ad potandum à mane in vesperum: scilicet, peccata peccatis cumulare possunt, & corpus toto anno Epulonis instar Euangelici farcire, Crucem vnâ hora circumgestare nequeunt. Sed est fortasse id contra dignitatem & decorum ECCLESIASTICORVM. Itáne? Non fuit contra decorum Filij DEI Regis Regum, Domini Dominantium in Cruce per extrema supplicia emori: & contra decorum vestri Ordinis erit cruculam, vix horulâ circumferre? Non est contra dignitatem Principum & Regum, qui diebus istis alicubi sacco velati Crucem libenter baiulant; & Quid sit, accipere Crucem.

erit contra dignitatem Ordinis clericalis, CHRISTVM exprimere.

*Accipere crucem, Meditari Mortem.*

XXI. Qui non accipit Crucem suam, & sequitur me, non est me dignus, inquit Dominus. Sed demus aliquid infirmitati, aut potius ignauiæ & superbiæ humanæ. Portanda tamen Crux est. Quid est, portare Crucem? D. Chrysostomus Homilia v. ad popul. *Hoc dicebat* CHRISTVS, *non (solùm) vt lignum Crucis super humeros feramus*: sed vt MORTEM semper ante oculos habeamus: hoc sensu; Qui non præ oculis semper MORTEM habet, eámque non meditatur assiduè, non potest meus esse discipulus. Propria igitur & vtilis est hoc tempore de *Morte* commentatio, quam vtinam ita excipiamus, vt tandem & de nobis verè occinatur; Beati mortui qui in Domino moriuntur: quod omnibus vobis enixissimè precor.

# NOTÆ

## AD COMMENTATIONEM IX.

# MORS—FVR.

OCCVRRIT *hoc* Symbolum *in Sacris nostris frequenter, Matthæi* XXIV. 42. Vigilate, quia nescitis quâ horâ Dominus vester venturus sit. Illud autem scitote, quoniam si sciret pater-familias qua horâ *Fur* venturus esset, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. Ideò & vos estote parati, quia qua nescitis hora Filius hominis venturus est. *Quo loco, Græcè est*: ποίᾳ φυλακῇ ὁ κλέπτης ἔρχεται: qua vigilia *Fur* venit. *Nimirum, quia dixerat Dominus paullò ante*, Vigilate: *id est, vt Maldonat⁹ interpretatur: agite excubias more militum, alludere videtur ad militare morem, quo solent milites, ne ab hostibus improuisi opprimantur, totam noctem in quattuor distributam vigilias excubare, nescientes, qua vigilia hostis venturus sit.*

*Similia sunt Lucæ* XII. 39. *Et* I. *ad Thessalonic.* v. 2. Ipsi diligenter scitis: quia dies Domini sicut *Fur* in nocte, ita veniet.

§. v. MORS Fur vniuersalis rerum intuitu.] *Omnibus spoliat. Ecclesiastæ* v. 14. Sicut egressus est nudus de vtero matris suæ, sic reuerte-

uertetur, & nihil auferet secum de labore suo. Miserabilis prorsus infirmitas: quomodo venit, sic reuertetur.

*Iob. I. 21.* Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc: *nempe ad terram, communem mortalium matrem, vt exponit S. Chrysost. in Catena S. Hieronym. epist. XX. Cyprian. Orat. de mortal. Prosper. 1. P. de prædict. S. Gregor. & Thomas in Iobum: quæ iditircò Παμμήτωρ, παντρόφος, πανδώρα, δημήτηρ dicta. Nam*, Omnia pergunt ad vnum locum: de terra facta sunt, & in terram pariter reuertuntur *Ecclesiastæ III. 20. quod de hominibus intelligit Chaldæus: qui legit*: Omnes habitatores seculi creati sunt ex puluere, & quando mortui fuerint illi, futuri sunt, vt conuertantur in puluerem.

Ἐκ γῆς γὰρ δὴ πάντα καὶ εἰς γῆν πάντα τελευτᾷ.

Nihil intulimus in hunc mundum, *ait Apostolus 1. ad Timoth.* VI. 7. haud dubium, quia neque auferre quid possumus.

*Iob.* XXVII. 19. Cùm dormierit, nihil secum auferet.

*Psalmo* XLVIII. 17. Ne timueris cum diues factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus eius. *Miratur S. Chrysostomus, & quærit, cur non dixerit*: gloriam hominis: *sed* gloriam domus. *Caussam dat: quia fontes ambulacra porticus, balnea aurum & argentum, equi, phaleræ, supellex, & istiusmodi sexcenta, sunt gloria domus, non hominis qui domum habitat: hominis autem gloria est virtus, quæ recedit vna cum possessore: manet autem domûs gloria: imò non manet, sed vnà cum domo dissoluitur.*

*Pergit porro Psalmista*: Quoniam cùm interierit, non sumet omnia: *id est*, nihil *sumet, ex interpretatione Chrysostomi, sed vniuersa* Mors *aufert, & distribuit.*

*Locus communis*: Mortem priuare hominem cunctis bonis corporis: *quem benè pertractat Franciscus Labata in Apparatu Concion. Tit.* Mors. *Propos.* XVIII. MORS terminus est bonorum temporalium. *Vbi perpendit illud Psalmi* CXLV. 3. Nolite confidere in principibus, in filijs hominum, in quibus non est salus. Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. *Cur dixit*, terram suam? *quia reliqua omnia aliena sunt. Mundi sunt, aurum, argentum, vestes, dignitates, agri, census, his hominem spoliat* Mors, *à qua mundo quod suum est restituitur. Vides hominem in diuersorio edentem è lance argentea, bibentem è scyphis aureis: dubitas an sint edentis vel hospitis & heri? abscedat inuitatus, si non ferat secum preciosam illam supellectilem, dicis, non fuisse abeuntis, sed domus, in*

*qua ipse hospitabatur: ad vsum verò tantummodò fuisse accommodatam. Si agas cum diuite, cuius domo nitet vasis aureis & argenteis, & quæras: cuiusnam sunt illa? Mea, inquit: sed fallitur. Si enim illius essent, decedens secum sumeret: sed relinquit, etiam nolens vniuersa, Morte manum iniiciente. Terra reuertetur in terram suam. Puluis es, & in puluerem reuerteris. Hanc supellectilem tecum feres: non Canonicatus, non Episcopatus, non cathedras, non Census, non fundos, non quicquam similium.*

§. VI. Mors immobilia aufert.] *Refert A. Gellius Lib* XI. *cap.* 18. *in Libro Sabini, cui titulus est De Furtis, id quoque scriptum esse, quod volgo, inquit, inopinatum est: Non hominum tantùm, neque rerum mouentium, quæ efferri occultè, & surripi possunt, sed fundi quoque & ædium fieri furtum. Hoc genus furti Mortis est proprium.*

*De Saladino id plurimi referunt. Paulus Iouius in Elogijs: Paulus Æmilius de gestis Francorum: Polydorus Virgilius Lib.* XIV. *Histor. Angl. Blondus Lib* VI. *Decade* 2. *Pius Papa* II. *in epitome Blondi libro nominato: Claudius Paradinus in Symbolis Hieroglyphicis, ex Enguirando Monstroletro: Iustus Lipsius in Exemplis politicis: qui similia refert digna posteritatis memoria, & Principibus opportunè narranda.*

SEVERVS *Imperator Romanorum, diu in ambitione, & ob eam bellis, senio confectus, & moriturus, vrnam ad se deferri iussit, in qua cineres (prisco illo more) erant recondendi. Et diu contrectans, & contemplans, vocem misit.*

Tu virum capies, quem orbis terræ non capit.

*Ita, ita*

—Mors sola fatetur
Quantula sint hominum corpuscula.

*Attollere in vità: manus & spes ab Oriente ad occasum mitte: illa contrahet & te intra coget.*

*Seuerus hoc sub mortem: diu ante eam* MAXIMILIANVS Primus *Imperator Austriacus. Nam ille memor fragilitatis huius, triennio (alij biennio) ante morbum non solùm mortem, capulum funebrem è querno ligno, arcæ viatoriæ inclusum circumferri secum iussit: cauitq; testamento, vt exanimum corpus suum rudi linteo inuolutum, sine vllâ exenteratione illi imponeretur, naribus, ore, auribúsque viua calce oppletis. Quid sibi voluit magnus vir? nisi monumentum illud assiduè in oculis habere, quod diceret,* Cogita mori. *quod amplius diceret:* Quid te dilatas & extendis? quid multa possides, plura appetis? Quem tot prouinciæ & regna non capiunt, loculus iste capiet. *Cur autem & calcem cauis illis partibus immisit? en aromata, quibus conderetur. Sed hoc spectauit, vt corpus putredini natum, à quoque*

*quoque exedente, & consumente materie, citiùs consumeretur, & iret in suam terram.* MAXIMILIANE *magnus fuisti! & res tua dicunt: tum & hac circa* Mortem.

*Sed amplius, ille idem, pluribus diebus ante* Mortem, *nil nisi* Maximilianus *appellari voluit.*

§. VII. Fur vniuersalis quoad loca] *Non est in orbe locus, in quo à Morte quis sit securus. Exempla petantur ex* Theatro vitæ humanæ, *Volum. II. Lib. 7. Vbi nominantur, qui perierunt per Ignem, & in Igne: Item in Aquâ, demersione, præcipitatione, illuuione, inundatione, natatione, naufragio. In mari, in lacu, in flumine, puteo, balneo, niue, glacie. In Terra, suffocati in sepulchro, arenâ, puluere, cœno, luto, fimo. In Aëre, penduli ex arbore, vite, ficu, trabe.*

*Anastasius Imperator, qui fatale sibi esse ex oraculo didicerat, vt fulmine interiret; Tholotum ædificium construxit, in eóque degere instituit: sed frustra. Nam cùm aliquando tonitrua horrendum in modum resonarent, & fulgura multa eliderentur, atque ipse perterritus è cœnaculo in cœnaculum descenderet: & alios atque alios thalamos subiret, in quodam regio cubiculo est inuentus mortuus. Ioannes Zonar. Tom. III. Annal. in Anasta. Dicoro.*

*Addit Cedrenus: Anastasius cùm oraculo edoctus esset, igne sibi pereundum, cisternam in palatio, quæ frigida dicitur, multis meatibus aperuit, quorum cuique cadus appositus est, conatus hoc pacto oraculum irritum reddere. Verùm nihil profecit: fulmine enim diuinitus est ictus. Vide Baronium Tom. VI. Ann.* DXVIII.

§. IX. Mors nulli hominum parcit.] *Euasit-ne quispiam illius vncinatas manus? Fortasse Enoch, de quo scriptum Genes. V. 24.* Ambulauit cum DEO, & non apparuit, quia tulit eum DEVS. *Sed audi S. Thomam in Epist. ad Hebr. cap. XI. Verùm est, quod nondum mortuus sit Enoch, sed tamen quandoque morietur. Quia sententia, quam Dominus primis parentibus peccantibus inflixit:* Morte moriemini, *in omnibus, quocumque modo nascantur ex Adam permanebit, etiam in* CHRISTO. Quis est homo, qui viuet & non videbit *Mortem? Psalmo* LXXXIII. 49. *Mors autem duorum dilata est, scilicet Enoch, & Eliæ: quia doctrina veteris Testamenti ordinatur ad promissa Noui, in quo nobis spes vitæ æternæ promittitur: & ideò data sententiâ Mortis, voluit Dominus ducere homines in spem vitæ. Vnde in primo naturæ statu dedit Enoch spem euadendi necessitatem Mortis: & in secundo, scilicet, Legis, in Elia. In tempore autem gratiæ in* CHRISTO *datur nobis effectus huius promissionis. Et ideò alij: scilicet, Elias & Enoch morientur per Antichristum iuxta Apocalyps. cap. XI.*

*Ante S. Thomam D. Chrysostom. in Genes. cap. V. Non immortalitatem*

largitus est ei DEUS, sed Morti in humanum genus ius suum reliquit, ne peccandi metum tolleret: sed obscurè, vt ita dicam, & latenter reuocare vult sententiam, quam contra Adam protulit, quia inuentus est homo, qui ad virtutis culmen ascenderet, & primi parentis peccatum reuocaret: non autem manifestè reuocat sententiam, vt timor illius emendationi seruiat: reipsa ostendens quia non volens Mortem humano generi inuehere propter transgressionem primum hominem condemnauerit, & ideò viuentem alium hominem transfert.

§ X. Hermogenes.] De eodem festiuè Martialis.

Nuper cùm Myrino peteretur missio laso
Subduxit mappas quattuor Hermogenes.
Cretatam Prætor cùm vellet mittere mappam,
Prætori mappam surripit Hermogenes.
Attulerat mappam nemo dum furta timentur:
Mantile è mensâ surripit Hermogenes.
Hoc quoque si deerit: medios distringere lectos,
Mensarúmque pedes non timet Hermogenes.
Quamuis non modico caleant spectacula sole:
Vela reducuntur, cùm venit Hermogenes.
Festinant trepidi substringere carbasa nautæ
Ad portum, quoties paruit Hermogenes.
Linigeri fugiunt calui, sistratáque turba
Inter adorantes cùm steteit Hermogenes:
Ad cœnam Hermogenes mappam non attulit vnquam
A cœnâ semper rettulit Hermogenes.

Ad quod Epigramma multa scribit Heraldus: sed eruditè & succinctè complectitur, quæ necessaria sunt omnia Matthæus Raderus.

§. XIII. Anima mea in manibus meis semper.] Varios huius versiculi sensus habet Ioannes Lorinus in Psal CXVIII. 109. & Ioannes Pineda Iob XIII. At Martinus de Roa laudat sensum, quem damus, cúmque promouet Lib. 1. Singular. cap 18. Cùm enim Hieronymus Hebraismum esse putet, quo vitæ periculum significetur, quia quod manu gestatur, aut excidere facile potest, aut in promptu est, vt eripiatur, Martinus ex eo elicit, non tam periculum, quàm periculi curam, & sollicitudinem illa dicendi formulâ significari. Vt animam in manu gestare nihil sit aliud, quàm solicitum esse, ac laborare de vita, & semper ante oculos habere propositam. Sic loquitur Xenarchus in Pentatlo apud Athenæum de Virginibus:

Quas nec licet videre, nec videntibus
Palam videre, semper at trementib.

Pauen-

*Pauentibus, in manúque animam gestantibus.*

*Sic Iudicum* XII. 3. *Iephte ad Ephraim cùm auxilium sibi denegasset, inquit:* Quod cernens, posui animam meã in manibus meis, transiuique ad filios Ammon, & tradidit eos Dominus in manus meas: *id est, statui apud me certamen esse pro vitâ, nec minus, quàm de ea dimicandum. Quod Nicol. Serar. illi interpretatur: meam in discrimen vitam dedi, periculo me exposui. A quo non abit Delrius Tom. 1. Adagio* CLVIII. *vbi copiosè de hac re.*

*Psal* CXVIII. 109. Anima mea in manib. meis semper, & legem tuam non sum oblitus. *Hoc est: tametsi me multa curæ, adeoq́; graues, vt non nisi de salute, vitaq́; solicitent, adhuc tamen in lege tuâ, curâ, & cogitatione versor: nec tam me, quàm illam tueri cõtendo. Quamquàm manus armis intentas habeo, operibus etiam legis vacant.*

§ XIV. Thesaurorũ fures.] Darius. *Herodot. l. 1. scribens de semiramide secunda Babyloniorũ Regina: Hunc machinata est dolũ: supra portas vrbis celeberrimas, atq; cõspicuas loco edito, atq; conspicuo sepulchrum sibi construxit, ac hisce litteris inscripsit. Cui Regum Babylonis post me futurorum fuerit pecuniæ penuria, aperto sepulchro sumet quantumcumq; libuerit, pecunia duntaxat indigens: aliter ne aperiat. Hoc sepulcrum tamdiu fuit immotum, dum regnum peruenit ad Darium: is indignum esse ratus, neq; quępiam his partis vti (ideò autem non vtebatur, quod supra caput ipsius transeuntis mortuus situs esset) neq; sumere pecunias repositas, & eas ipsum prouocantes, reserauit monumentum, in quo non quidem pecunias inuenit: sed litteras ita dicentes: Nisi pecuniæ esses inexplebilis, & turpis lucri cupidus, haud aperuisses vrnas defunctorum.*

*Iosephus lib.* XIII. *Antiq. c. 15. narrat Hyrcanum aperuisse sepulcrum Dauidis, & tria millia talenta pecuniarum inde protulisse.*

*Idem lib* XVI. *c. 11. Herodes audito, quod Hyrcan. recluso Dauidis sepulcro, tria millia talentorum argenti extulisset, superesseq́; multo plura, quæ possent quantumuis magnis sumptib. sufficere, multo tẽpore animum habuit idem aggredi. Tum verò noctu apertum sepulcrũ ingreditur: depositas pecunias, sicut Hyrcan. nõ inuenit: sed mundi preciosi, & aureorum ornamentorum vim magnam inde sustulit.*

*De Rhamsinito longa est narratio apud Herodo. l. 11. apud quẽ sunt alia generis eiusdem de astutis furib. nobis sat sit indicasse auctorẽ. plura cõgerit exẽpla Cõpilator Thesauri v. humanæ Volum.* VII. *lib. 5.*

§ XVIII. Mors per fenestras: *hoc est, Peccatum per sensus minus benè custoditos. Ita Gregorius Naz. Orat. 1. de Theologia, &* XXXVIII *de Christi natiuitate: ac longè optimè & latissimè Chrysostomus Homil. L1. in illa verba Matt.* Illud autem scitote, quia si

sciret paterfamilias, qua horâ *Fur* veniret, vigilaret vtique. *Ambrosius Lib. de fugâ sæculi cap.* 1. *& in Apologiâ posteriore Dauid cap.* 3. *& in Psalmum* CXVIII. *Sermone* V *ad versum* 37. Auerte oculos meos, ne videant vanitatem. *Epiphanius Hæresi* IX. *ad finem. Hieronym. Ierem.* x. *Gregorius Lib.* XXI. *Moral. cap.* 2 *ad illa Iobi* XXXI. Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de Virgine. *& in Ps.* IV. *Pænitent. ad versum*: A voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ.

)?(

# COMMENTATIO X.

## *MORS*

## FVR.

*Adueniet dies Domini, vt* FVR.
II. Petri III. 10.

### BREVIARIVM.

1. *Christi D Symbola abditis scatent sensibus, diligenter perscrutanda. Inter hæc eminet Imago Furis.*
2. *Furum fictitius Deus, Hermes, Mercurius. eius artes admiranda.*
3. *Maior & subtilior furandi Artifex, Mors: qua, vt esse cœpit, furtum commisit.*
4. *Furis tempus,* Nox. *Fur à furuo.* φὼρ: φέρω. *An Christus nocte ad iudicium venturus? Media nocte clamor factus.*
5. *Nocte venire dicitur, qui inexpectatò aduenit.* Nox *symbolica.*
6. *Mors semper noctu grassatur: quia subitò, repentè, extemplò, clanculùm.*
7. *Exempla Mortis subitaneæ, improuisæ, malæ, Iesabel, Baltassar, Filij Iob, Sisara, Ammon, Absalon, Aman, Amasa, Holofernes. Ecclesiastici malâ vitâ malè pereunt.*
8. *Mortis hora incerta, vt Furis. Eius quinque caussæ: omnes in hominis bonum.*
9. *Fures immutant res furto ablatas: ansas calicibus detrahunt: colorem aliū inducunt. Autolyci fraus insignis. Mors immutat, antequam rapiat. quæ pulchriora, fiunt magis deformia.*
10. *Isabella Caroli V. vxor ita Mortis attactu immutata, vt dignosci non posset,* Fran-

Francisco Borgia ad vitæ mutationem stimulus.

11\. Manus vncata Furum: imò picata: quicquid contingunt, hæret. Fur nominatissimus, cingulo vminato instructus. Furta per lancem & licium manifesta apud I. C. Mors Centimanus Briareus.

12\. Custodes sopiuntur à Furibus. Mors stupefacit sensus corporis, tanquam custodes: sagacitatem tollit. Nasus cur primò putrescat in cadauere.

13\. Fures personam mutant. Tot personæ sunt Mortis, quot Symbola, quæ sine numero.

14\. Prouocatio Furis. Eurybatus spectantibus prouocatoribus euadit. Prouocant Mortem potatores inclyti. Optandum, vt quidam potitarent sicut bestiæ: sic viuerent tanquam homines. Nunc, quia bibunt, & vorant vt homines, viuunt velut bestiæ. Paradoxum exponitur.

15\. Fures immobilia non auferunt: nec Mors fundo animæ inædificata, Opera, ac Merita, & Demerita. Opera sequūtur hominem.

16\. Diogenis in Crœsum apud inferos sarcasmus. Egens Crœsus: diues Diogenes.

17\. Diues cùm interierit non sumet omnia: id est, nihil. Mors spem aufert quidpiam recuperandi. Pereunt Morte cogitationes, & adinuentiones hominum.

18\. Fures necantur laqueo. Mortis fauces à fune, non constringuntur: nec gula illi frangitur. Furum supplicium dubium: sed quale, quale tandem sit, Mors illud euadit.

19\. Mors impunè furatur, imò licitè, quod aliis Furibus non conuenit. Furtum contra naturæ ius. Alciati hallucinatio. Apud Aegyptios & Lacedæmonios laudata furandi dexteritas.

20\. Fructus Symboli, Metus, Pudor, Cautela, Solicitudo, Vigilantia.



# Optimi Sodales.

## DEI *in* EVCHARISTIA *absconditi*, *& Virginis* DEIPARÆ *Cultores fœderati.*

*Christi symbola facta abditis sensibus.* I. DIXI in proximo Sodalium confessu, bellissimum videri MORTIS *Symbolum* FVREM, ab ipso cœlesti Magistro CHRISTO effictum: technas eius varias detexi: furandi artes descripsi: solertiam incredibilem repræsentaui: fructum denique, qui inde decerpi debet, exposui. Sed sunt tam fœcunda Doctoris CHRISTI emblemata, vt vnicâ commentatiunculâ satis explanari non possint. Itaque rem ipsam denuò à capite, ac si nunquam de FVRE dixissem, exordiar.

*Mercurius Furum DEVS. Martialis.* II. Fingebant olim fabulatores lauernionum, ac *Furum* Deum, qui ipsis *Mercurius*, vel *Hermes* dicebatur, ex quo Epigrammatographus fictum Hermogenis, quasi Mercurio-nati nomen ad celebrem suâ ætate *Furem* transtulit. *Furum* autem ille Princeps, seu DEVS ab ipso ortu ad eam artem natura factus dicebatur. Scriptum enim reliquit Lucianus, Mercurium etiamnum infantem à Vulcano suscè-*Dial. Apol. & Vulcan. NOTA.*ptum, instrumenta fabrilia illi surripuisse ex officinâ: Cupidinem eodem die natum, palestrâ superasse: Veneri, quæ illum ob victoriam complexa fuerat cingulum surripuisse: Ioui abstulisse sceptrum: cui fulmen etiam subduxisset, nisi vim timuisset flammarum.

Addebant tam insignem *Furem* eodem die natum, & boues Admeti Regis pascenti Apollini abduxisse: atque irato eidem ob furtum, sagittásque in illum paranti, pharetram euacuasse vt cantat Homerus.

*Editur hic mane: hic citharam pulsauit, & idem*
*Surripuit Phœbo vaccas mox Sole cadente.*

His fabulis antiqui Sapientes, vt vocari amabant, vel naturæ, vel morum inuoluebant arcana, vt videre est apud Natalem Comitem in Mythologicis Lib. v. cap. 5.

*Mors furando Artifex.* III. AT non opus erat idcircò, meo quidem sensu, nouum aliquem Deum effingere: *Mortem* nominassent: vno hoc nomine, & re per illud significata, melius, quàm Mercurij vocabulo furandi omnes

omnes industrias expressissent. *Mors* enim verè, eodem, quo in orbe terrarum comparuit, die, rapacitatem fraudulentissimam, & multiplicem exercuit: nec vnquam cum vllo egit familiariùs quispiam, quem non, vaferrimo conatu bonis omnibus expoliauerit.

IV. FVRIS est noctu aduenire. Quamobrem Hugo Eterianus Lib. de regressu animæ, ad illam D. Petri sententiam: *Adueniet dies Domini vt Fur*, nomen *noctis* adiunctum habet. Sanè *Fur* noctu libentius domum ingreditur. *Furis tempus Nox.* *Nota.*

*Quando hominum, pecudúmque genus sopor altus habere*
*Assolet* ——

Est nox fraudibus amica. An & hoc nomen artificis nefarij indicat? Dicitur enim *Fur* à furuo: id est: nigro, quia clam & in noctis vmbra ars illius viget. Quamuis alij à fraudibus appellatum volunt: siue à ferendo, vel auferendo: seu, à φωρ, quod nomen est à φέρω.

Hæc *Morti* minus conueniunt, inquies: nam sæpè claro die domum nostram ingreditur, & spoliat: ergo minus aptè *Furis* imagine repræsentatur. Cùm dicitur, *Fur* nocte aduenire, vt clarissimè, I. ad Thessalonicenses V. 2. *Dies Domini sicut Fur in nocte, ita veniet*: quidam arbitrantur, id omninò propriè esse accipiendum; ideóque colligunt CHRISTVM D. noctu venturum ad iudicium. Quod insinuari satis opinantur in narratione de decem Virginibus Matthæi XXV. Siquidem, *Media nocte clamor factus est: Ecce Sponsus venit: exite obuiam ei.* quæ est sententia S. Chrysostomi, & Euthymij. Quam confirmat S. Hieronymus ritu Ecclesiastico vetere, quo fas non erat, populum in Paschate ante noctis medium dimittere: eò, quod CHRISTVS, quemadmodum olim tempore mediæ noctis in Ægyptum, ad necem primogenitorum descenderat: ita eodem tempore ad iudicium venturus crederetur: & hoc ex Apostolica traditione. *Dies Domini sicut Fur in nocte.* *1. Thess. v. 2*

V. SED hæc alijs non minus eruditis in sacro Codice, ac pijs haud ita probantur. Et non desunt, qui existimant, CHRISTVM manè venturum: quia LVX est, ac lucis instar proferet in apertum omnia. Certè, quod est apud Euangelistam Matthæum: *Media nocte clamor factus est*, parabolicè, seu figuratè accipi potest, vt significet CHRISTVM, seu *Sponsum* venturum *media* nocte: hoc est, inexpectatò, ex improuiso, non cogitantibus de illius aduentu hominibus; quæ est expositio S S. Hilarij, Gregorij, aliorum. *Nox Symbolica.*

VI. MORS

*Mors semper noctu grassatur. Subitò.*

VI. Mors igitur, quamuis clara luce hominem aggrediatur, dicetur tamen aduenire, *tanquam* Fur *in nocte*; hoc est, subitanea, improuisa, clanculùm. Hoc significat aduerbium *Subitò: Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subitò enim veniet ira illius: & in tempore vindictæ disperdet te*, Ecclesiastici v. Hoc insinuat adiectiuum, *Repentina. Vocaui, & renuistis: Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis id, quod timebatis euenerit: cùm irruerit* repentina *calamitas*, Prouerbiorum I. Hoc innuit vocula, *Extemplò. Capiuntur homines in tempore malo, cùm eis* extemplò *superuenerit*, Ecclesiastæ IX.

*Eccles. v. 8.*

*Prou. I. 24.*

*Eccl. IX 12.*

*Exempla subitaneæ Mortis. IV Reg IX 30. Dan. v. 1 Iob. I. 9 Iud. IV. 19.*

VII. Experta id est Jesabel fuco illita è fenestra prospectans, & mox canum dentibus lacerata. Expertus Baltassar Rex, cui opipare cùm Principibus regni epulanti, scripta est confestim interitûs imminentis sententia. Experti filij Jobi vescentes, ac bibentes, & derepentè à domo oppressi. Expertus belli dux Sisara, soporatus lacte, & à muliere trucidatus. Expertus Ammon, Absalon, Aman, Amasa, Holofernes, Diues Euangelicus: & experiuntur cotidie hominum aliquot millia: non est enim dies, imò nec hora, in qua Mors, minimùm myriadem non spoliet, inaduertenter, quasi in noctis tenebris aduenıens. Vt enim ciconias nemo aduenire sentit hoc tempore, sed aduenisse: nemo discedere, sed discessisse, quod noctu clanculúmque faciant vtrumque: ita *Mortem* nemo animaduertit aduenire, sed aduenisse: vitam nemo discedere, sed discessisse, quia *Furis* instar nocte intempesta aduenit.

*Ecclesiastici malæ Vitæ, malè pereũt*

Itaque non tardes conuerti ad Dominum. Devs non irridetur. Noli irritare Omnipotentem. Quot ego recēsere possem, *Optimi Sodales*, Ecclesiasticos, sed heu! Ordinis sui probra, labes Reipu. orbis scandala; ebriosos, blasphematores, vanos, lasciuos, concubinarios, quos, cùm Devs per se, pérque suos multoties admonuisset, vt resipiscerent tandem aliquandò, attenderent ad finem imminentem, ad *Furis* certissimò venturi fraudes, cauerent sibi ab instanti corporis, animæque interitu: sed tardantes, & de die in diem pœnitentiam seriam, ac vitæ emendationem differentes, & Devm quodammodo habentes ludibrio, horrenda, quia improuisa, & mala Morte, ac proinde, omnibus metuenda, Svbito sunt abrepti?

*Quare Deus Mortem vt Furem esse voluerit. II. Thes. v. 2 I.*

VIII. At cur Devs, *Furum* ritu, Mortem grassari voluit? *Respondet* D. Chrysostomus ex eóque Theophylactus, ex vtroque Cornelius de Lapide in Epistolam Apostoli ad Thessalonicenses. *Primò*: quia

quia si nouisset homo finem suum vltimum, nihil non scelerum conaretur patrare alijs diebus; deinde, vitæ suæ fine appropinquante, baptizaretur. *Secundò*: plerique si nossent in crastinum V. C. se morituros, innumeris malis hostes suos afficere meditarentur, tanquam iam de seipsis desperantes, hostiúmque se explere sanguine cupientes, quod nunc non fit, *Mortis* incertæ eos terrore continente, ac retrahente vitæ longioris cupiditate. *Prætereà*; vitæ suæ amantiores aliqui, præ nimia tristitia, ac desperatione perirent, si *Mortis* tempus breui imminens compertum haberent. *Adhæc*: iusti non tantum mercedis consequerentur periculis obiecti, quoniam compertum haberent, se nunc non morituros, sed post multos annos, termino nunquam mouendo. Nunc autem, cùm incertum sit, euadént-ne periculum, vel secus, nec vel sic tamen Mortem euadere laborant, perspicua illorum est virtus. Quemadmodum tres pueri apud Danielem ea de caussa maiorem merentur laudem, quod cùm non satis nouissent, an ex igne essent euasuri, nec-ne: neque sic tamen statuam adorauerunt. Idcircò igitur obitus noster erit, tanquam *Fur* in nocte. II. III. IV.

Addit Rupertus Abbas Tuitiensis, exponens sententiam DEI in Adamum latam: *Donec reuertaris in terram de quâ sumptus es*: Mortis diem & horam homini incognitam esse voluit DEVS, vt dum nescitur quando sit, quæ sine dubio futura est, semper hominem solicitum reddat, sempérque suspectum superbire non sinat. Dixit enim indefinitè, *Donec reuertaris in terram*. Et non dixit: vsque ad tot annos, vel tot dies. Ita ergò viuere hominem voluit, quasi altera die iudicandum, & rationem de proprijs factis redditurum. V. *Rup Gen. III.19.*

IX. ADVENIET *dies Domini, vt* FVR. Est hæc *Furum* industria, vt rebus, quas furantur, illicò aliam inducant faciem, vel formam, ne deprehendantur. *Fures mutant res furto ablatas.*

Ob hanc caussam, hunc morem habent *Fures*, vt auriculas, nares, ansas calicibus & testis detrahant ac frangant: sic enim furti difficiliùs arguuntur. Meminit eius artificii Seuerus Cassius apud Senecam Lib. x. Controuer. 5. vbi dicit, eos, qui detracto verbo vel mutato, aut adiecto, putant se alienas sententias lucrifecisse, similes sibi videri *Furibus*, qui alienis poculis ansas mutant. Est hæc res summi momenti in *Furum* arte. Idcircò fingunt Poetæ, Autolycum, Mercurij & Telauges Luciferi F. filium, à patre cùm dono accepisset furandi artificium, hoc, velut palmarium, obtinuisse: vt quæ furto sustu- *Autolycū.* *Nota.*

lisset confestim peregrino colore posset obducere.

Eustat. Ilia. x.

*—Autolycus furtum ingeniosus ad omne,*
*Qui facere assuerat, patriæ non degener artis,*
*Candida de nigris, & de candentibus atra.*

*Mors immutat antequam rapiat.*

Sed superat in hoc ipso ingeniosissimos *Fures* MORS: quæ antequam rapiat, speciem, morborum violentiâ, immutare incipit; vt posteà nemo illam de furto appellare possit; certè non arguere. Nam iurata dicet, non esse rem eandem, adeò apparet diuersa. Aspice morientem alicuius sacrilegi, & titulo Ecclesiastici indigni hominis *focariam*, quæ *Domina* vocari solet, vel *Agapeta*, cùm sit *Furia infernalis*, peior iugulatrice *Medea*. Oculi lucentes, vt stellulę, occidunt in meridie: vel rotantur, cometarum instar scintillantes, vt terrorem incutiant: genarum purpura pallescit: frontis decus concidit: labia corallina liuescunt: os roseum fit putens sepulcrum: cuticula & caruncula nigrescit, ac tabo d fluit: vt exclamare cogatur admirabundus, qui præsens intuetur: *haeccine est illa Iesabel?*

*Isabella Caroli V. uxor*

X. Exemplum illustre dedit Isabella Caroli V. vxor: quam vt in tumba est contemplatus Franciscus Borgia, funeris curator, non est ausus eandem dicere, quæ fuerat: sed hoc in tabulas referri iussit, videri Isabellæ cadauer, cùm nihil omissum esset eorum, quæ à diligentissimo custode adhiberi possent. Idem nobis continget, dum esse desierimus, non erimus, qui fuimus; ipsâ etiam exteriori formâ ita diuersi, vt vsurpari possit ab aspiciente,

NOTA.

*——quantum mutatus ab illo?*

*Manus uncata Furū*

XI. ADVENIET *dies Domini, vt* FVR. Dicuntur *Furibus* vncatæ esse manus, vel visco infectæ: quicquid attingunt, hæret. Et, quoniam parum vna manu apprehenditur, plures sibi manus artificio parant, vt plura attrahant. Narrat Albertus Crantius de nominatissimo *Fure*, qui cingulum ferebat, vncis per ordinem in circuitu pluribus, vt eo incinctus haberet, quò plurima efferret, velut multis vtens manibus. Sic omne genus supellectilem, merces diuersas, vestes apud sartorem, nondum planè concinnatas, libros, & quicquid erat obuium congerebat.

*Lib. XIII. Vand. ca. 14.*

*Licium furum.*

Huc spectat, quod Iurisconsulti dixêre: Furta per lancem & licium

cium manifesta. Siquidem *Fures*, qui in alienas penetrabant ædes, plerumque licium ferebant, quo furta alligarent; & lancem præ oculis, ne innotescerent. Nota.

Haud opus est Morti alijs manibus, haud licijs, haud vnco: est ipsa multo magis, quam fabulosus Briareus Centimanus. *Mors centimanus.*

*Ægæon qualis centum cui brachia dicunt,*
*Centenásque manus, quinquaginta oribus ignem*
*Pectoribus arsisse ——*

Imò tota quanta non est aliud, quàm *Manus*, quà rapit, & tenet omnia.

XII. Adveniet *dies Domini, vt* Fvr. Quo securius domum expilent *Fures* sopire solent ædium custodes, quam primum illas ingrediuntur. Vnde fingitur à Poëta furunculus nescio quis medicatam secum offam adferre, quam tricipiti Cerbero projiciat Est hoc proprium nostri *Furis*: sopit illicò, vel obstupefacit omnes domùs nostræ custodes, sensus omnes, & animatas potentias: Morte enim ingressâ nihil amplius in animali vigilat. At hoc procurat imprimis diligenter, vt sagacitatem tollat, vel soporet. An non huius rei manifestum signum, quod nasus, solertiæ *Symbolum*, sit primum membrum, quod in hominis corpore putrescit? Nescio quid hic odorentur curiosi somniorum indagatores. Certè lego in Hieroglyphicis, & Onocriticis antiquorum: si quis ex morbo decumbat, & absque naso se esse somniet, vel imaginetur, fore, vt moriatur. Vel saltem præsagium esse imminentis *Mortis*, quod ea pars actutum abeat à cranio. *Custodes sopiuntur à furibus.* *Pier. lib. XXXIII. Hie.*

XIII. Adveniet *dies Domini, vt* Fvr. Sagax *Furum* est solertia. Vt artificiosiùs furentur, non semper eandem personam induunt: aliquando, vt mercatores obambulant: interdum, vt nautę: nonnunquam vt milites; quandoque vt opifices. Id egregiè Mors exequitur, cuius quot hactenus dedimus *Symbola*, tot personas explicauimus, quas scitè mutat, vt diuersos vario stratagemate intercipiat, semper eadem fraude, habitu alia, & alia. *Fures personam mutant.*

XIV. Adveniet *dies Domini, vt* Fvr. Prouocarunt aliqui nonnunquam *Fures*, vt arte suâ palam vterentur, quoniam fieri non posse videbatur, vt inspectantibus & proritantibus imponerent: sunt tamen falsi interdum nonnulli. Eurybatum sunt qui dicant, furem fuis- *Prouocatio Furis.*

*Eurybatus audax.* se astutia singulari. Is cùm deprehensus, captúsque seruaretur, custodes in conuiuio, animi caussâ, iusserunt, vt ostenderet, quibus nam modis consuesset domos conscendere.

Cúmque illum initiò renuentem scilic. tanquam inuitus facturus esset, rogarent vehementius, ac vix tandem persuasissent: ille aptatis spongijs, ac stimulis, ferreísque retinaculis, quas ἐγκεντρίδας Græci vocant, parietem cœpit conscendere. Porro suspectantibus illis, ac artificij nouitatem admirantibus, Eurybatus prehenso laqueari per tegulas aufugit, priusquam illi domum circumire possent: atq; hunc in modum delusis custodib. ostẽdit admirandam decipiendi peritiam.

Sunt qui prouocare audent MORTEM, vt technas in ipsos suas expromat. An non tales, qui cùm corpore valent optimè, ita vitam instituunt, ac si è ferro compacti essent, quib. nihil obesse posset: edunt & potitant, non vt bestiæ, sed vt homines. quæ phrasis iam inducta videtur à magnis Theologis, qui optant, homines comedere & bibere vt bestias, ac tunc fore arbitrantur, vt sapiant, tanquam homines. Cur ita? nam bestiæ non comedunt, aut bibunt, nisi quantum natura postulat: satisfaciunt quidem appetitui, sed non vlterius se onerant.

At homines non homines nouis confictis formalitatibus: *Ingratiam hospitis: In sanitatem Principis: In bonum omen victoriæ*, vorant & potitant, plus quàm natura ferat: quod bestiæ non facerent: tum noctem in diem vertunt: cùm noctu quiescendum esset, illi sese ingurgitant: cum ad diem Ecclesia incunda esset, dormiunt. An hoc non est MORTEM prouocare, vt artem suam probet? Quod facit cunctis inspectantibus, dum valentissimum sæpè confestim, nihil tale cogitantem abripit.

*Fures immobilia nõ auferunt.* XV. ADVENIET *dies Domini, vt* FVR Quare *Fur* aduenit? non nisi vt clàm auferat, quæcumq; deportare potest. Quæ sunt illa? Nuper diximus, esse omnia, quæ hominem circumstant, proximè, & remotè: bona corporis, & fortunæ, ac, quo nihil est homini carius, quia nihil magis æstimabile, vitam. Ergo nihil *Fur* ille generalis nobis relinquit? Nihil eorum, quæ deportare potest. *Fures* nostri deportare non possunt immobilia, ædes, fundos, palatia. Sed hæc quoque à *Morte* auferri, tunc probauimus. Habemus tamen quædam bona immobilia, ad quæ illius vncatæ manus non pertingunt. Nimirum, ea, quæ Animæ, in quam *Morti* nulla potestas, tanquã fundo inædificauimus. O-*Opera sequuntur hominem* pera nobis manent, & nos sequuntur, ex Ioannis oraculo, Apocalyp. XIV. 13. tum, quos operibus adquisiuimus virtutum, vitiorúmq; habi-

tus

tus, qui propriè nostri sunt: hos nobiscum etiam post *Mortem* deferimus: sicut & merita ac demerita: non pecuniam, non possessiones, non robur corporis, non splendorem vestium, non decus familiæ, non honores, dignitates, prælaturas.

DIVITES his omnibus relictis (inquit Chrysostom.) nudi migrant hinc, à *Morte* bonis omnibus exuti, tantum malitiâ vestiti, & peccatorum oneribus inde collectis. *Hom. XXIII in Gen.*

Ipsa est infelicitas hominum (vt pulcrè disserit August.) propter quod peccant morientes, hic dimittunt, & ipsa peccata secum portant. Peccas propter pecuniam, hic dimittenda est. Peccas propter villam; hic dimittenda est. Peccas propter mulierem, hic dimittenda est: & quicquid est, propter quod peccas hic dimittis; & ipsum peccatum quod committis, tecum portas. Ac proinde hortatur idem S. Pater Serm. XXXII. de verbis Domini, eodémq; adfectu S. Isidor. lib. III. de Summo bono cap. XLVII. vt quoniam transimus, aliquid, quod transire non potest, operemur, vt cùm transierimus, & illò venerimus, vnde non transeamus, opera nostra bona ibi inueniamus, quæ sine fine possideamus. Et monet maximè Magnates Isidorus, ac Reges ipsos, ne gloriam, quâ in hoc seculo sublimantur, aspiciant, sed opus, quod secum ad inferos deportant, attendant. Si amissuri sunt huius temporis gloriam, illa agant, quæ post finem, sine fine possideant. *Lib. 2. Homil. XLII.*

XVI. Itaq; *Mors* furatur omnia, præter hæc immobilia nostra: id est, animæ bona, quod Diogenem Cræso, apud inferos sarcasmo obiecisse, eleganti carmine exprimit Ausonius; *Diogenis in Cræsum Sarcasmus. Auson. Epig. LIII.*

*Effigiem Rex Cræse tuam ditissime Regum,*
*Vidit apud manes Diogenes Cynicus:*
*Constitit, vtq; procul solito maiore cachinno*
*Concussus dixit; Quid tibi diuitiæ?*
*Nunc prosunt Regum Rex ô ditissime, cùm sis,*
*Sicut ego solus, me quoque pauperior?*
*Nam quæcumq; habui mecū fero, cùm nihil ipse*
*Ex tantis tecum, Cræse feras opibus.*

Simile epigramma est Græcum incerti auctoris, quod recitat Elias Vinetus, scribens in Ausoni. in quo est ista Diogenis clausula;

*Πάντα φέρω σὺν ἐμοὶ Κροῖσε, σὺ δ' οὐδὲν ἔχεις.*
*Cuncta fero mecum, at Cræse tu nihil habes.*

XVII. Nimirum, *Mors* rapuerat omnia. Diues *cùm interierit, nō sumet omnia,* inquit Dauid, id est, nihil sumet. Cassiodor. legit: *Quoniam* *A Morte nihil recipitur.*

*cùm morietur, peribunt hæc omnia.* Psalterium Gallicanum, seu Ambrosianum, *Quoniam cùm morietur, non recipiet omnia.* hoc est, secundum SS<sup></sup>

NOTÆ. Summulas, *Nihil recipiet.* Quâ formulâ indicatur, nullam esse spem recuperandi quidpiam eorum, quæ à fatali *Fure* ablata semel sunt. Quo MORS superat mundi Fures omnes, qui si capiantur, reddere coguntur, quæ subduxerunt; quod olim fiebat in quadruplo. Si aufugiant, nunquam præciditur omnis omninò spes, aliquid iterum obtinendi, quàm diu res ablata existit. Contrarium est in *Mortis* furtis: nam capi non potest, absque capientis, & omnium, quibus cum agit, exitio.

*Furum supplicium.* NOTÆ. XVIII. Nec laqueo necari potest. Non est, quod metuat *Mors* Furum supplicium, de quo olim tanta fuit controuersia, vt subtilissimus Scotus existimauerit, illicitum esse illos vitâ priuare: & S. Thomas satis innuat, tantam pœnam suo tempore in vsu non fuisse. Nunc tamen communis est de illâ pœna consuetudo, maximè post Baldum, qui primus dicitur censuisse id expedire. Sed nunquam eâ vllibi fauces *Mortis* sunt constrictæ, nunquam illi fracta gula, impunè vbique grassatur, supplicij secura.

*Alciati error.* NOTÆ. *Furtũ contra Ius naturæ.* NOTÆ. XIX. Eruditissimus Juris-consultus Andr. Alciatus, negat, Furtum à natura probrum esse, eò quod vetetur in Decalogo: & quia licitum quondam fuit Ægyptijs; ac laudi ducebatur apud Lacedæmonios, cum non deprehendebantur. Miror equidem, quod non produxerit MORTEM, quæ DEI institutione, & adprobatione, furta liberè, impunéque committit cotidie. Sed hæc fuit viri Clarissimi hallucinatio. Quis enim vel mediocriter in Jure diuino peritus, ignorat, in Decalogo Jus naturæ contineri? Quod si argumentum de impunitate valet, transferri etiam potest ad Adulterium; quoniam Ga-

NOTÆ. ramantes, & Æthiopes communes vxores habent: & Libyæ superioris populi: Arabes quoque, & Persæ. Fornicationem etiam plurimi malam negarunt. Et quot scelera permittuntur in varijs rebuspublicis? quot vbique impunita peccata manent?

Solum MORTIS Furtum haud est malum, & iure committitur, quia iubente DEO, vitæ, ac necis arbitro Dominóq;. Qui de se quoque adfirmat: *Si non vigilaueris, veniam ad te tanquam* FUR; *& nescies, quâ horâ veniam ad te,* Apocalypsis III. 3.

*Fructus Symbolii. Metus.* XX. Porrò, valet hæc MORTIS cum FURE comparatio: *Primò* quidem ad incutiendum *Metum* mortalibus. Quis non timeat

dum

dum audit grassari *Fures* astutissimos, & nocentissimos, ac certo certius impetum in domum, quamuis benè custoditam, facturos? Vel Principem seuerissimum, ac vindictæ cupidum, *Furis* instar, dum minimè cogitas, lictorem missurum, qui tua diripiat, & omnibus te expoliet?

*Deinde*, conducit ad eliciendum *Pudorem* ob summam nostram socordiam. Nimirum, *Furem* tam diligenter cauent homines, ne rerum externarum iacturam faciant: nos in salutis procuratione sumus desides, pigri, somnolentissimi. *Pudor.*

*Vt iugulent homines surgunt de nocte latrones:* *Hor lib. 1. epist. 2.*
*Vt teipsum serues non expergisceris?*

*Præterea*, prodest ad *Cautelam*, vt semper simus parati, quia nunquam sumus certi de insidiatricis aduentu. Eleganter S. Hilarius: *Vt ignorantiam illam diei omnibus taciti, non sine vtilis silentij ratione esse sciremus*, Vigilare *nos Dominus propter aduentum* FVRIS *admonuit, & orationum assiduitate detentos, omnibus præceptorum suorum operibus inhærere.* Furem *enim esse ostendit* Zabulum, *ad detrahenda ex nobis spolia peruigilem, & corporum nostrorum domibus insidiantem: vt ea, incuriosis nobis & somnio deditis, consiliorum suorum, atque illecebrarum iaculis perfodiat. Paratos igitur esse nos conuenit, quia diei ignoratio intentam* Solicitudinem *suspensæ expectationis exigit.* *Cautela. Comm. Matt. XXVI*

Valet igitur tandem ad perpetuam in nobis excitandam *Vigilantiam.* Et hic præcipuus scopus fuit CHRISTI, qui ideirco toties ingeminat; *Vigilate*, quia nescitis diem, neque horam. Quò etiam collimat D. Paulus in Epistola sua ad Thessalonicen. vbi postquam docuit, Diem Domini venturum ex improuiso, sicut *Furem* in nocte: hortatur, vt nunquam permittant sibi Solem occidere, nunquam noctem fieri: vt nunquam agant in tenebris. Vel potius, gratulatur illis, quod in nocte non agunt, sed clarâ luce, quod vtinam de omnibus nobis quoque verè adfirmari posset. *Solicitudo.* *Vigilantia.* *1. ad Thess. v.*

*Vos autem*, fratres *non estis in tenebris, vt vos dies illa, tanquam* Fur, *comprehendat.* hoc est, estote bono animo: ignorantiæ, infidelitatis, criminum tenebras euasistis. Itaque feralis *Fur* dormientes non opprimet. Veniet ad vos, tanquam vigiles, & expectantes hospitem. *Omnes vos filij lucis estis*, id est, vel, vt vult Anselmus, CHRISTI, qui est lux vera; vel, vt alij, *Euangelij*, quo illuminati estis, & facti lucidi, fide, caritate, vitâ sanctâ & christianâ, ac qualem Ecclesiasticos decet. *Igitur non dormiamus,*

*mus*, veterno flagitiorum, desidiæ, ignorantiæ DEI, ac salutis nostræ. *Sed vigilemus*, vt qui *Furem* expectant: Excubias agamus, vt vigiles, & paratos inueniat: Et *sobrij simus*, abstinentes à voluptatibus, cupiditatibus, desiderijs immodicis, scientes, quia *dies Domini, sicut* FVR *in nocte, ita veniet*.

---

# NOTÆ

## AD COMMENTATIONEM X.

# MORS—FVR.

§ I. Mercurius Furum DEVS.] *Habet hoc Lucianus Dialogo Apollinis & Vulcani. Carmina Homeri sunt.*

Ἠῷος γεγονὼς μέσῳ ἤματι ἐκιθάριζεν,
Ἑσπέριος βοῦς κλέψεν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος.

*Fabulabantur item Batto pastori cuidam Mercurium vaccam largitum esse, vt taceret, qui solus furtum illud cognouerat. Deinde cùm hominis fidem vellet experiri, mutatis vestibus, duplici præmio pro indicando furto proposito, inconstantiam ac perfidiam Batti cognouisse, cúmque in saxum indicem conuertisse, vt habet Ouid. lib. II. Metam. Eum quia surripuisset armentum, tanquam pastorum* DEVM *coluerint antiqui, vt est auctor Pausanias in Corinthiacis, quem & gregem seruare, & augere posse putabant. Homerus in hymnis.*

Τοῦτο γὰρ οὖν καὶ ἔπειτα μετ' ἀθανάτοις γέρας ἕξεις,
ἀρχὸς φηλιτέων κεκλήσεαι ἤματα πάντα.

*Hunc superos inter post hæc retinebis honorem.*
*Latronum princeps diceris tempus in omne.*

§ IV. *Hugo Eterianus lib. de regressu animæ cap.* XXV. *legit in Petri sententia* ἐν νυκτὶ, *in nocte.*

Fur à furuo.] *Disputat de hac re A. Gellius lib. 1. Noct. cap. 18. & refert, Varronem scripsisse* Furem *ex eo dictum, quod veteres Romani,* furuum, atrum *appellauerint, & fures per noctem, quæ atra sit facilius furentur. Addit ipse: quod à Græcis nunc* κλέπτης *dicitur, antiquiore Græca linguâ,* φῶρ *est dictum hinc per affinitatem litterarum, qui* φῶρ *Græcè, Latinè* Fur *est. Sed ea res fugerit ne tunc Varronis*

ronis memoriam: an contra aptius, & cohærentius putarit, furem à furuo: id est, nigro appellari; in hac re de viro tam excellentis doctrinæ non meum iudicium est.

§. IX. Autolycus.] De hoc mira habent Fabulatores. Refert Zezes histor. CCII. Chiliad. 8. Autolycum omnium mortalium pauperrimum, artem furandi à Mercurio didicisse, atque ita euasisse ditissimum. Cùm optimum equum furatus esset, asinum scabie corrosum pro illo substituit, effecitq; vt eum recipientes id minimè sentirent. Alteri pulcherrimam sponsam rapiens, anum edentulam eius vice restituit. In commutandis mercibus eandem seruabat rationem.

§. X. Exemplum in Isabella.] Mortua est Isabella Anno MDXXXIX. decretum Cæsaris auctoritate, vti Frãciscus Borgia funus deduceret Illiberim versus: quod fecit ipse perquam diligẽter. Vt ventum est Illiberim, aperto loculo, nudatáque cadaueris facie, adeò deformis apparuit, vt spectantibus terrorem incuteret, graui etiam odore itineris comites fugaret: vt qui testificari auderet, illam ipsam Augustam esse, repertus sit nemo.

Hic tacitus secum Franciscus, & mæstus præsentiâ præteritis committens, cogitare: Haeccine illa sunt lumina, quæ omnium in se oculos conuerterant? hæc venustas illa, quæ aliarum formas extinxerat? Tûne Isabella? túne Augusta? Fallunt oculi? aberrat mens? sed non fallunt. Nimirum humanarum rerum hæc vicissitudo est. I nunc, fragile illud formæ bonum admirare.

Illud sanè verum, certúmque est, vno hoc breuiq; aspectu cadaueris, adeò immutatum, suiq; dissimilem redditum, & ipsum Franciscum, vt eundem esse negares. Iam tum enim diuinâ luce illustratus, longè diuersa meditabatur, animúmque seriò semel induxit, falsa hæc fluxáque bona, formam, diuitias, clientelas, honores, pro nihilo esse ducenda: vera illa, æternáque sectanda: cœlestia terrenis: diuina humanis anteponenda. Breuibus vitæ curriculum spacijs, angustisq; terminis circumscribi. Vnicum singulis animum cœlitùs infusum, qui morte obitâ, corporisq; vinculis liber, aut delictorum pœnas æternas dabit, aut virtutis præmia sempiterna consequetur.

§. XII. Per Lancem, & Licium.] A. Gellius lib. XI. cap. 18. Ea quoque furta, quæ per lancem, liciúmque concepta essent, perinde, ac si manifesta forent, vindicarunt. Sextus Pompeius Festus lib. X. de Verbor. Signif. Lance & Licio dicebatur apud antiquos: quia qui furtum ibat quærere in domo aliena, licio cinctus intrabat, lancémque ante oculos tenebat, propter matremfam. aut virginum præsentiam. Lege Alex. de Alexand. lib. VI. capite 10. Petrum Tholosan. in Syntag. lib. XXXVII. cap. 1.

§ XVII. Secundum SSræ Summulas.

mulas.] *Est ista Æquiualentia in SS<sup>is</sup> vsitatissima.*

*Lucæ 1.37.* Non est impossibile apud DEVM omne verbum.

*1.Ioannis III 6.* Omnis qui peccat non videt DEVM. *Ibid.* Omnis, qui in eo manet non peccat.

*Psalmo* CXVIII.113 Non dominetur mei omnis iniustitia.

*Genes.* IV.15. Non interficeret eum, omnis qui vidisset eum.

*Leuit.* XXI.11. Ad omnem mortuum non ingredietur omninò.

*Plura diximus de hoc loquendi modo Libro 1.* HYPERBOLES.

*Non est spes recuperandi quicquam à Morte.*

*Psal.* CXLV.3. Nolite confidere in Principibus, in filijs hominũ, in quibus non est salus: exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. *Quid sunt* cogitationes eorum, *aut, vt ex originali vertere licet,* eius? *Si homo dum viuit, facultates, honores aut prædia amittat: remanent tamen cogitationes, & adinuentiones eiusdem, quibus, quæ amisit vel omninò, vel ex parte recuperare potest, vti contigit Tobiæ, Iobo, & multis alijs. At in Morte, & per illam, pereunt non solùm bona temporalia sed etiam cogitationes, & adinuentiones omnes quidpiam recuperandi. Quod Epulonis Euãgelici exemplo docemur, qui cùm viuẽs epularetur quotidie splendidè, post mortem, adeò omnib. fuit destitutus, vt nec adinuẽtionem reseruarit, aquæ guttulam recuperandi ad linguæ refrigerium.*

*Optimum igitur est monitum Eccl. c.IX.10.* Quodcumq; potest manus tua, instanter operare, qa nec opus, nec ratio, nec sapientia erunt apud inferos, quò tu properas. *hoc est, nulla est calliditas, aut humana adinuentio accumulandi iterum bona quæ Mors rapuit. Legatus Franciscus Labata in Apparat. Concio. Tit.* Mors. *Proposit.* XVIII.

*§.* XVIII. *Furum supplicium.*] *De hoc disceptatũ olim. Theophil. in Iuris Ciu. Institution. l. IV. Tit. de perpet. & temp. Act. capitalem pœnam Furib. fuisse lege* XII. *tabular. indictam testatur A. Gell. l.* XI. *c.18. legem sic exponit: Furem, qui manifesto furto prahensus esset, tũ demum occidi permiserunt, si aut cùm faceret furtũ nox esset, aut interdiu se telo, cùm prahenderetur, defenderet. Ex ceteris aũt manifestis furib. liberos verberari, addiciq; iusserunt ei, cui furtum factum fuisset, si modò id luci fecissent, neq; telo se defendissent. Seruos itẽ furti manifesti prahensos verberib. affici, & è saxo præcipitari: sed pueros impuberes Prætoris arbitratu verberari voluerunt, noxamq; ab ijs factam sarciri.*

*In impubere distinguit Vlpianus L.* Impubere: XXIII. de Furtis, *num doli capax, vt furtum fecisse dicatur; modum tamen esse adhibendum: in infantes autem non cadere dolũ. Draco lege Athenis sanciuit, Furem cuiuscumq; modi furti supplicio capitis puniendum. Gell. l. b.* IX *c.18.*

Xeno-

Xenophon lib. I de dictis & fact. Socrat. Sancitum est legibus, illum morte adfici debere, qui aut furabatur, aut latrocinabatur, aut rapiebat, aut in ædes alienas irruebat, aut sacrilegium committebat.

Zaleucus Locrensibus legem statuit, deprehensum in furto oculis priuandum, teste Heraclide in Politicis. Quã tamen pœnam ad adulteros refert Valer. Maxim lib. VI. c. 5.

Actysanes Rex Ægypti & Æthiopiæ nares abscindi iussit furibus: deinceps in exilium relegabat, vbi ab ijs ædificata ciuitas, dicta Rhinoceros à naribus præcisis. Diod. Sicul. lib. II. Bibliot. cap. I.

Nunc in Gallia, non nares quidem, sed aurium fibra, seu auriculæ furibus pro primis furtis, post fustigationem abscindũtur. vt caueantur loco insigni ita notati. Vindicantur tamẽ & furta quædam morte, vt domestica seruorum, & domesticorum famulorum, quorum fides nobis maximè est necessaria, vt notat Papus in Rhapsodia arestorum lib. XXIII. Tit. VI. arc. 2.

Lex Insubrum, seu Longobardorum ita habet: Si quis quinque solidos valẽs, id est, triginta Veronenses solidos, aut plus fuerit furatus laqueo suspendatur: si minus, scopis & forcipe excorietur, & tundatur, seu tondeatur. Lib. II. Feudor. Tit. 27. Sed huius Interpretes Aluarot. in § Si quis quinque, & Bald. ib. Bartol. quoque in L. Capitalium, §. famosos de Pœn. tradunt illam constitutionem abrogatam esse contraria consuetudine, & constitutione Friderici de pace iuramento firmanda in § Iniuria.

Scot. in IV. Dist. XV. Qu. 3 sic habet: Constat, quod Deus in lege Mosis vel Euangelica explicitè non excepit peccatũ furti ab illo præcepto Nõ occides: vt scil. propter hoc peccatum liceat hominem occidere: & ideò nisi reuocauerit aliqua reuelatione speciali quod non habetur in Scripturâ; nec de Bulla super hoc descendente de cælo audiuimus; non video, quod lex aliqua iusta possit statuere hominẽ occidi pro furto solo. Dico autem solo: quia si est fur, & cum hoc inuasor, præsumitur homicida. Atq; ita vt constat Exodi XXII. fur nocturnus impunè occiditur.

Addit Scotus: Esto, quod aliquo modo licuisset Iudæis pro furto occidere, magis videtur per misericordiam Euãgelicam iste rigor reuocatus, quàm rigor contra adulterium, quia peccatum furti est multo minus, quam adulterium.

S. Thom. II. SS. Q. LXVI. Art. VI. ad 2. Pœnæ præsentis vitæ magis sunt medicinales, quàm retributiuæ: retributio enim seruatur diuino iudicio, quod est secundum veritatem in peccantes. Et ideò secundum iudicium præsentis vitæ, nõ pro quolibet peccato mortali infligitur pœna mortis: sed solùm pro illis, quæ inferunt irreparabile nocumentum: vel etiam pro illis, quæ habent aliquam horribilem deformitatẽ. Et ideo pro furto, quod irreparabile damnum nõ infert, nõ infligitur secundũ præsens iudicium pœna mortis, nisi vt

*furtum aggrauatur secundum grauem al quam circumstantiam : sicut patet de Sacrilegio, quod est furtum rei sacræ : & de Peculatu , quod est furtum rei communis , vt patet per Augustinum Tractatu L. in Ioan & de Plagio, quod est furtum hominis, pro quo quis morte punitur, vt patet Exodi XXI.*

*At hoc tempore ferè vbique obtinuit , vt Fures ob non exigui momenti furta capite luant. Inuentus est tamen Caluinista Ioannes Piscator, quo præside in Herbornensi Scholâ, & aulâ Comitis Ioannis Nassouici Senioris in Dillenburg valdè fuit agitata quæstio : An Fures quantumcumque furati sint morte plecti non debeant. Patrocinium furum suscepit Piscator, & tantum disputando valuit , vt nullus in illo Comitatu Nassouiensi fur suspenderetur, vt narramus in* Epistola ad Amicum Italum , De dissidio Protestantium Hollandorum. *Legendi de hac materia Plinius lib.* XIV. *cap. 3. Plutarchus Problem.* CLXVIII. *Lampridius in Seuero. Alexander ab Alexand. lib.* VI. *cap. 10. Cælius Rhodiginus lib* X. *cap. 6. Crinitus lib.* III. *De honesta discipl. c. 13. Anton. August. l.* IV. *De emendat. cap. 4. Iacobus Menochius I.C. lib.* II. *De arbit. Iudic. Centuria* III *casu 295. Et qui accuratissimè antiqua nouáque iura, legésque adducit Petrus Tholosanus lib.* XXXVII *Syntagmatis, præsertim cap. 2. vbi refert, sæpe vidisse se suspendi balantocomos istos , qui crumenas absciderant , in sacro principis Senatûs Tholosani palatio , etsi vix sex denarij in crumenis inuenti essent : quia studium , malitiáque furandi ; & loci sacrilegium , vindictam illam merentur , vt tutus ab hac improbitate locus sit.*

§. XIX *Alciatus.* ] *Initiò Commentariorum de Verbor. signific. & in L.* CCXXV. *Alia mens SS Patrum, & Iuris-peritorum aliorum. Furtum maximum & grauissimum peccatorum , dempto adulterio , sed per exaggerationem, scribit S. Chrysostomus in Psalm.* XLIV. *Scythæ quoque nullum scelus furto grauius ducunt. Iustinus ex Trogo lib.* II. *Paulus I C. lege naturali vetitum dicit l.* 1. §. final *de* Furt. *Vlpianus , Furtum & Adulterium natura turpia esse tradit L.* Probrum *XLII.* de Verb. sig. *Iustinianus ipse, contra rationem naturalem esse asserit.* §. Furtum , de oblig. quæ ex delict. nasc.

*De Ægyptijs* ] *Lex de Furibus apud Ægyptios iubebat eos , qui furari volebant , nomen suum apud Sacerdotum Principem scribere , atque è vestigio furtum apud eum deferre. Similiter quibus res furto erepta erat apud eundem rei sublatæ tempus , diem , & horam scribere tenebatur. Hoc modo facilè inuenta furto , qui rem amisisset, quartâ mulctabatur parte , quæ daretur furi : satiúsque lator legis esse duxit, cùm impossibile esset furta prohiberi, potiùs alicuius portionis , quã totius rei amissæ homines iacturam pati. Quæ ad*

ver

verbum habet Diodor. Sicul. lib. II. Biblioth. cap. 3.

De Lacedamonijs. Isocrates Orat. II. in Panathenaico: vbi scribit, illos barbaris inferiores: quod Barbari flagitium committentes, & furantes domesticis suis ac famulis, filios nequiores æstimant. At Lacedæmones, filios optimos arbitrentur, amplissimoque honore prosequantur, si artificiosè furati fuerint.

Samij Mercurio Charidotæ rem diuinam facientes, volenti & furari, & latrocinari permittebant: quia oraculo relicta insula cùm Mycalem migrassent, prædâ ac rapinis decem annis vixerant. Plutarch. in Problemat. circa finem.

De Garamanticis & Æthiopibus communes vxores habentibus Plinius lib. V. cap. 22. Mela lib. III. Solinus cap. XXXIX.

De Libyæ populis Aristot. lib. II. Polit. cap. 2. De Arabibus Diodorus lib. III. De Persis Agathias lib. IV. De bello Gothico.

§. XX. Fructus Symboli.] De his Concionatores, & Euangelij Enarratores varij. Franciscus Labata in Apparatu Concionat. Tit. Mors, Propos. II. Sicut Fur non intentat furtum, quando dominus domus vigilat, sed quando in vtramque aurem dormit: sic nos Mors quando maiori tenemur somno, inuadit. Quod illa vox ad Virgines attestatur, quæ media nocte facta fuit, quando scilicet sopor grauior opprimit nos, & profundiori somno grauamur. Vnde meritò CHRISTVS cùm de Morte ageret: Vigilate, inquit, quasi dicat; hic somni periculum maius, hic somnum timete.

Huius autem ratio est vitæ amor. Vitam diligimus & Mortem timemus, & horremus: & ideò Mortis memoriam procul pellimus, vitæ verò cogitationes amplectimur. Sed vincat adfectum ratio. Extremum periculum est Mortis obliuio. Sic imparatos nos arripit Mors. quod si imparatos, væ nobis. Itaque soliciti in re tanti momenti vigilemus, quamuis Mortis cogitatio, & ad illam præparatio, tristitiam ingeneret.

# COMMENTATIO XI.

## MORS APIS.

*Vbi est* MORS *victoria tua?*
*Vbi est* MORS *stimulus tuus?*
1. Cor. XV 55.

### BREVIARIUM.

1. *Epinicia carmina de Resurrectione Symbolis abundant, Mortem repraesentantibus. In iis Mors stimulo orbata ludibrio exponitur.*
2. *Stimulus, Aculeus,* κέντρον.
3. *Mortis imago, Apis aculeata. Mira Apum in pungendo pertinacia: quam experti, fures S. Medardi: Hermonax infans: Marcus Arethusius: Cupido: equus. Maior pertinacia Mortis.*
4. *Apes impetu, & cateruatim irruunt, glomerantur circa inuasorem. densantur vt nubes. vehementiori impetu Mors irruit.*
5. *Facilis est Apum insultus: facilior Mortis.*
6. *Apes lethifera: id dubium de animalculis, haud dubium de Morte.*
7. *Apes magno furore persequuntur lacessentes. Furiarum maxima, Mors: semper furibunda grassatur.*
8. *Promptissimè Apes inuolant* Promptissima *Mors est, vt infigat homini aculeum. Circumdederunt me sicut Apes, Psal* CXVII.12. *Sugit Mors ex homine vitam vel animam, sicut melleum è flore rorem Apicula.*
9. *Fremunt Apes dum fucos arcent, vel defendunt fœtum. Mors cum fremitu, sibilo, fragore aduenit.*
10. *Apis ast tia. Symbolum Impostoris, Adulatoris, Dæmonis, Mulieris, Voluptatis. At nihil ex his dolosius Morte.*
11. *Sauitia significatio latet in Apis imagine. Hieroglyphicum hominis efferi, & torteru dirs. Rex Assyriorum comparatus Api: Mors sauit, nullo noxij, aut immerentis intuitu: etiā in Christum ausa flagitium.*
12. *Apis animalculum irritabile. Quid non irritat Mortem? leuissimis de caussis petit iugulum.*
13. *Apis aculeus cum visceribus eximitur: hinc interitus. Mors perdidit aculeum in* CHRISTO. *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur: Mors illi vltra non dominabitur. Rom.*VI.9
14. *Mors, Vespa. In Christum vt in petram stimu-*

stimulum iaculata est: quid mirum quod confractus non sit vsui? vbi Mors stimulus tuus?

15. Iustis retusus Mortis aculeus, quia Mori expetunt: cupiunt dissolui, & esse cum Christo.

16. Vesparum agmen regiones depopulatur. Hoc Mortis est munus.

17. Vesparum malignitatem Crucis signo imminuit Friardus. Christus Mortis seuitiam Cruce contudit.

18. Oleo Vespa interit: Mors mortua, fudante oleum misericordia Christo: sed nullo aceto reuiuiscet.

19. Vespa ad vesperam venatur. Mors Christum capere aggressa cum maligna apud Iudaeos fidei lux esset.

20. Vespa è cadauere oritur. Mortis origo, cadauer hominis.

21. Vespa in partes diuisa, viuit. Vixit Mors dissecta in hominibus: pede Christi contrita, nullà sui parte spirat amplius.

22. Aculeus Mortis, Peccatum: maximè originarium. Hoc aculeo Mors facta est, non illum Mors fecit: sic lignum vitae: Arbor scientiae: Poculum Mortis. Peccati punctu mortificatum est genus humanum.

23. Mortis Aculeus, Corruptibilitas, Humorum intemperies, Morbi.

24. Mors in Christo, vt Apis in flore. Factus meditanti Christus dulcis, Mortis inJessu.

25. Apes amantur, quamuis pungant. Mors amanda. Cur ita? hominem in mellitum fauum conuertit, gustatui diuino dulcem. Christus fauos post fella gustauit.

26. Vrsus Apes irritat: hoc illi ad sanitatem proficuum. Irritemus & nos Mortem inedia, poenitentiae officiis, corporis afflictatione: sic ad fauum beatitatis peruenitur.



Prę-

# Præclariſſimi Viri

## *Eccleſiarum diuerſarum Canonici, vnius omnes* DEI, *ac* DEIPARÆ *Cultores eximij.*

*Epinicia Paſchalia.*

I. PLVRIMAS effingendi MORTIS imagines materiã copioſam, ac colores ſuppeditant Paſchalis ſolemnitatis Epinicia carmina, in quibus *Mors* non ſemel poëticè in ſcenam inducitur. Me autem ad ſe rapuit, &, vt inſidiatricem aſtutiſſimam ſemper præ oculis habeam, monuit illud ſchema, quo MORS prius ſtimulo armata terribilis, poſt, CHRISTI Triumphatoris virtute, eo deſtituta, ludibrio exponitur. De quo hoc tempore paullò fuſius agere eſt decretum. Attendite.

*Mortis aculeus.*

II. CVM *mortale hoc induerit immortalitatem* (inquit Paulus Apoſtolus) *tunc fiet ſermo, qui ſcriptus eſt: Abſorpta eſt Mors in victoria. Vbi eſt victoria tua? vbi eſt* MORS *ſtimulus tuus?* 1. ad Corinth. XV. Senſus planiſſimus eſt, quem paraphraſi illuſtrat Benedictus Juſtinianus: cùm corpus noſtrum in Reſurrectione naturam incorruptam aſſequetur, tunc vaticinium illud, quod eſt in *Sacris-litteris*, ipſo rerum euentu comprobabitur: *Abſorpta eſt* Mors *ad victoriam; Vbi tunc erit tua*, ô Mors, *victoria: vbinam tuus* ô Mors *Aculeus*? Pro *ſtimulo* enim Græcè eſt κέντρον, quod plerique *Aculeum* vertunt; vt ferè ſemper reddit Tertullianus. Itaque licet MORTEM pingere illius animalis formâ, quod aculeo aduerſarios inuadit, confodit, interimit.

*κέντρον. Lib. de Reſur. carn.*

*Apes pertinacia.*

III. IN quo genere celebratiſſima eſt APIS, quæ quia pungendo, & *aculeum* infigendo lædere ſolet, imò interimere, præclarum eſt *Symbolum* MORTIS, cui multa ſunt cum *Ape* communia. *Primò*, *Apes*, ſi in aliquem inuolent, non deſiſtunt donec aculeum impreſſerint. Ob quam cauſſam pertinacem Amorrhæi perſequutionem, Moſes, *Apum* ſimilitudine depingit: *Egreſſus Amorrhæus qui habitabat in montibus, & obuiam veniens perſequutus eſt vos; ſicut ſolent* Apes *perſequi.* Deuteron. 1. 44. Quid eſt, ſicut *Apes*? id eſt, inſtanter, pertinaciter, certâ

NOTA.

certa lædendi & interimendi destinatione: ita enim fugientes Hebræos insequutus est Amorrhæus.

Quem *Apes* semel inuadunt, non facilè deserunt, Pulchra est de hac pertinacia narratio, in vita S. Medardi, quæ tamen prodigij non parum continet. Fur nocturnus aluearia diripiebat (erant autem Ecclesiæ S. Medardi) At *Apes* collecto agmine furem aggressæ in fugam conuertunt aculeatis stimulis hominem pungentes, neque dimittentes, donec ad Sanctum vulneratus peruenisset, adhuc vndequaque *Apibus* circumdatus: nec recesserunt insidiatrices bestiolæ, donec Episcopali benedictione accepta liber abire permissus est. Huic infamiam procurarunt: alijs etiam interitum. *S. Medar. Nor. Sur. Tom. III.*

Hermonax infantulus in aluearí confectus *Apum* puncturis & morsibus miserè perijt. Sicut & *Cupido*, vt est apud Græcos Epigrammatographos. Non ignorarunt hanc peruicaciam atrocissimi carnifices, qui Marcum Arethusium, Juliano imperante, nudum melle illitum *Apibus* truculenter trucidandum exposuerunt, vt habet Theodoretus in Historia, & Suidas. Ab ijs pertinacissimè equum lacessitum, ac tandem interemptum refert Aristoteles, ac Plinius. *Hermon. Lib. I. Epig. Theod. Idyl. Lib. III. Histor. cap. 7.*

Hoc pacto MORS hostes suos, id est, viuentes omnes insequitur, insigni peruicaciâ, & obstinatione. Non recedit, quamuis aliqui fugâ se subducere conentur: non desistit, licet in latebras se abdent: non desinit persequi, tametsi ferro benè cinctos animaduertat, certa non referre gradum donec aculeo vulneret: tantæ Mors est constantiæ, vel contumacis peruicaciæ.

IV. VERVM, illam comparationem ab aculeatis *Apibus* desumptam, Episcopus Abulensis refert, ad impetum, & multitudinem. Solent enim *Apes* impetuoso volatu, & multis alijs in societatem aduocatis, adoriri aduersarios. Quod eleganter expressit Claudianus lib. II. in Ruffinum, fingens, illum plurimorum hostem, post obitum, ab animarum turbis, velut *Apum* examine cinctum fuisse exagitatum. *Impetu, & cateruatim irruunt.*

*Tunc animæ, quas ille fero sub iure peremit,*
*Circumstant; nigriq. trahunt ad Iudicis vrnam,*
*Infesto fremitu: veluti pastoris in ora*
*Commota glomerantur* Apes, *qui dulcia raptu*
*Mella trahit, pennásque cient, & spicula tendunt.*

Nubem vocat Statius in simili descriptione.

Stat lib. X. Thebaid.

*Sic vbi puniceo pastor rapturus ab antro*
*Armatas exegit* Apes, *fremit aspera nubes:*
*Inque vicem sese stridore hortantur, & omnes*
*Hostis in ora volant.* ——

Q. Cal lib. III.

Eodem schemate Q. Calaber, Troianos circum interempti Achillis cadauer acriter pugnantes, eóque potiri exoptantes comparat cum *Apibus*, aluearia defendentibus, & raptores vlciscentibus.

Mortis impetus.

Maiori impetu *Mors*, quàm *Apum* examen hominem inuadit, & prosternit ilicò: nec solitaria quemquam adgreditur: mille comitata pestibus, æquè, ac ipsa est, aculeatis circumuolat. Sociæ eius sunt, lues, tremor, pleuritis, & ingens febrium cohors, multo magis, quàm *Mors* ipsa metuenda: licet fortasse à *Morte* non differant, nisi nomine: sanè *Mortes* vocari possunt: quia non secus ac illa spiculis suis interimunt.

Facilis apum irruptio.

V. Placet magis Nicolao Lyrano, vt facilitatis habeatur ratio: itaque exponit, *Sicut solent* Apes *persequi*, id est, *faciliter* & *turmatim*. Non est auditum hactenus, quemquam tantâ facilitate, vel vnum hostem è medio sustulisse, quantâ *Mors* numerosissimas copias perimit. Centum millium exercitum aliquando momento penè temporis tollit: nec fatigata, eodem die, alibi, ciuitates incolis, regna & imperia habitatoribus viduat. Profectò, sicut *Apes* persequitur, *turmatim*, & *facillimè*.

Apes lethiferæ.

VI. Rabbi Selomò, eundem exponens locum, sermonem esse scribit de *Apibus* illius regionis, quarum spicula lethalia fuerint. Id nusquam alibi mihi lectum est, & putatur commentum Rabbinicum. Si quæ tamen *Apes* istiusmodi armatæ essent spiculis Mortem melius exprimerent, cuius *Aculeus* omnis est lethalis.

Notæ.

Apum furor.

VII. E nostris Scriptoribus, Cornelius à Lapide similitudinem deriuat ad *Furorem*: Sicut (inquit) *Apes* magno numero, & furore, persequuntur lacessentes: ita & hostes vestri Amorrhæi. Qui Mortem furore correptam, imò *Furiarum* maximam, furibundo semper impetu hominem inuadere & necare concipit, nihil alienum ab ipsius ingenio comminiscitur.

Promptè Apes inuolant.

VIII. Promptitudinem, & alacritatem in *Apum* inuasione multi ex Patribus considerant, dum exponunt illud Psal. cxvii.12. *Circumdederunt me sicut Apes.* quod Dauid vsurpabat de suis inimicis, qui *Apum* instar aduolabant, vt innocentem pungerent: sed intelligitur

tur

tur etiam de Christo D. à Iudæis in passione maximè lacessito. Cum autem dicitur, *Sicut apes*, inquit S. Basilius, *innuitur, quàm propensi fuerint inimici, & cupidi ad infestandum* Et S. Chrysostomus: *Per* Apes *promptitudinem, & magnam animi alacritatem significat*, nempe ad nocendum, vt deinde exponit Eodem modo Euthymius, *Per* Apum *similitudinem, vehementiam, & promptitudinem inimicorum significat* Apes *enim fauo mellis inuento, summâ vehementiâ, ac promptitudine illum circumdant, ac mellis succum exsugunt.*

Promptissima MORS est, vt hominibus aculeum infigat, ad hoc enim in orbem terrarum venit: hæc naturalis illius propensio, hoc vnicum munus naturæ illius est maximè consentaneum, an non igitur alacriter illud exequeretur?

Aduolat Mors ad hominem sicut ad fauum *Apis*; vel sicut ad florem, vt inde vitam, tanquam melleum rorem sugat: hoc enim etiam insinuat dicta similitudo: *Circumdederunt me sicut Apes*, quod nonnulli accipiunt de *Apibus*, mel conficientibus, vel fauum inuentum exsugentibus, vt exponunt Theodoretus, Apollinaris, Hieronymus in Commentario, Augustinus, Cassiodorus, Prosper. Estque antiqua lectio, quæ sic habet: ἐκύκλωσάν με ὡσεὶ μέλισσαι κηρίον: *Circumdederunt me sicut apes fauum*. Quæ sententia ita concepta est apud Euthymium, & in Codicibus Græcis Complutensi, Aldino, Regio, Vaticano. At deest vox *fauum* in vulgatis Biblijs, & Hebræo textu, vt notauit Delrius in suis Adagialibus. nec eam habent Hieronymus, aut Chaldæus Paraphrastes, aut Basilius, Arnobius, Richardus. Non est tamen damnanda illa lectio, quam explicant Beda, Haymon, Bruno, & nobis occasionem dat exornandi *Mortis Symbolum*; contemplando *Apes* inuolare summâ promptitudine, ac vehementiâ in fauum, & mellis succum exsugere. Quod *Fucorum* tamen est, in quos non minus inuehuntur, quàm in homines *Apes* aliæ, siue dum

*Mors ad hominem, vt fauum.*

*Delr Tom. II. Ad CXVI.*

NOTÆ.

*— agmine facto,*
*Ignauum fucos pecus à præsepibus arcent.*

*Premunt Apes.*

Siue dum fœtus suos defendunt: tunc enim

Οὐδ' ἀπολείπουσιν κοῖλον δόμον, ἀλλὰ μένοντες
ἄνδρας θηρητῆρας ἀμύνονται περὶ τέκνων.

*Neque relinquunt concauam domum, sed expectantes*
*Viros venatores, defendunt fœtus suos.*

IX. Posses quoque in allatâ comparatione fremitum attendere, quo in hostem feruntur, & qui *Apibus* est proprius: etiam dum Regem

*—admirantur, & omnes*
*Circumeunt fremitu denso, stipántque frequentes.*

Quanto cum fragore, fremitu, sibilo *Mors* adueniat, experiuntur, qui vel subitâ membrorum omnium concussione, vel hostilis exercitus inuasione ad extrema perueniunt.

*Apis Symbolum Impostoris.*

X. Adde, astutiam indicari & deceptorium inuadendi modum hoc *Symbolo* Sic enim *Apis*, quia mel fundit, & aculeo pungit, inimicum fictum & impostorem versipellem significat in *Theologiâ Symbolica*, vt docet Eucherius in sacris formulis, & exprimit S. Gregorius Homil. IX. in Ezech. Quapropter verba Psalmi *Circumdederunt me sicut apes*, nonnulli exponunt de *Adulatoribus*, qui linguâ palpum obtrudunt, & mellitis verbis lactant, factis autem aculeatis vehementius lædunt. Quod licet à mente Dauidis alienum putet Delrius, tamen adprobat Lorinus, cum multos istiusmodi Dauid expertus sit.

*Del. Tom. 2 Ada. CXVI. Lor. in Ps CXVII. 12.*

Quâ analogiâ, Richardus Eremita refert illud *Symbolum* ad *Dæmones*, & *Mulieres*, quæ, vt inquit, in facie ostendunt delectationem & blandimenta peccati, & post dorsum relinquunt iaculum, seu aculeum perpetui tormenti. Eodem vtitur ad *Voluptatis* dolositatem describendam Boëtius.

*Dæmonis. Mulieris*

*Lib III. de Cõs. Philo. metro. 7.*

*Habet hoc Voluptas omnis,*
*Stimulis agit furentes,*
Apiúmque *par volantum*
*Vbi grata mella fudit*
*Fugit, & minus tenaci*
*Ferit icta corda morsu.*

Sed neque Voluptas, neque Mulier, neque blandus Adulator, neque fictus amicus, imò nec Cacodæmon, tam dolosè inuadit & opprimit aduersarium, quam *Mors* hominem, dum quieta omnia putantur, & longissimam sibi vitam spondet, vt meritò tanquam *Apis* dicatur interimere.

*Sæui tortoris.*

XI. Ad hæc, Sæuitiæ significatio latet in *Apis* imagine: siquidem *Aculeum* infigit, quem gerit à tergo & hærentem visceribus. Quare hoc Hieroglyphico, Hominem crudelitate efferum exprimunt Symbolici. Nam neque quod agat, sæuiendo videt: & neque, si quem

si quem dignum pœnâ punit, id facit animo iuuandi, aut corrigendi, sed sæuiendi; vnde id visceribus furore venenatis facit, & alieno in corpore dum tormentum procurat, se ipse sauciat, ac interimit in animo. An idcirco Rex Assyriorum comparatur ab Isaia isti animalculo? *Sibilabit dominus muscæ, quæ est in extremis fluminibus Ægypti*, (hoc est Pharaoni) & Api, quæ est in terra Assur, nempe Sennacheribe Regi Assyriorum.

Quod bellè in *Mortem* quadrat, quæ sæuitia tortores omnes vincit, nec animaduertit, quem interimat, quia in omnes æquè impetum facit, etiam in immerentes, inter quos innocentum caput, CHRISTVS: quid enim ille meritus, quid fecerat, vt moreretur? verùm, dum furore rabida, in illum, in quem minimè debuerat, stimulum vibrauit, sibi fuit exitio. Itaque sæuitia sæuienti multo magis, quam alteri vlli damnosa fuit. Aculeum ipsa sibi, dum CHRISTO, lethalem infixit. *Isa. VII.*

XII. DENIQVE *Apis* animalculum est irritabile, vt vel ob vnicam hanc proprietatem *Mortis* possit esse imago, quæ leuissimis caussis irritata, robustissimis etiam molitur exitium. *Hi. II. XXII. Apes irritabiles.*

XIII. SED præter hæc omnia, aliud quidpiam spectasse videtur Apostolus, dum *Mortem* aculeatam inducit, & quærit vbinam sit eius *Aculeus*? Cuius rei gratia obseruo, quod habet Aristoteles lib. III. histor. animal. cap. 12. & lib. IX cap. 40. ac Plinius lib. XI. cap. 18. Non posse *Apis* aculeum eximi, absque viscerum eruptione, quib. cohæret: quo fit vt infixo, amissóque aculeo *Apis* intereat. Itaque lethale multis est, aculeum hostibus infigere. Quod notant Patres, dum comparant CHRISTI, & Iustorum persequutores cum *Apibus*: nam pungendo parum nocere potuisse probant, CHRISTO maximè, qui die tertia resurrexit; sed se potius euiscerauerunt, & suas animas perdiderunt: ac tandem videbunt in quem *confixerunt*, seu *pupugerunt*. Ita ferè Augustinus, Cassiodorus, Beda, Prosper in Psal. CXVII. & clarissimè Haymon: *Benè comparat eos* Apibus: *quia sicut* Apes *pungunt aliquem, & pungendo frangunt aculeum, & inde moriuntur, vel inutiles remanent ita persequutores iustorum, vel interficiunt se interius, vel excæcant ad tempus*. Similia habet B. Bruno. *Apis aculeum visceribus eximitur.* *Ioã. XIX. 37. Apoc. I. 7*

HVNC in modum perdidit aculeum *Mors*, dum illum CHRISTO infixit: simul enim se & euiscerauit & perdidit. Nam CHRISTVS *resurgens ex mortuis iam non moritur*: MORS *illi vltra non dominabitur*. *Mors perdit aculeum.*

*tur*. Rom. VI. 9. id est, non iterum illi infiget aculeum: amisit vim omnem, & potestatem: nam excitatus à mortuis Dominus, perfectissimam induit immortalitatem nullis stimulis amplius compungendam: vt meritò Victor exclamet, quod à nobis etiam resurgentibus vsurpari poterit; *Absorpta est* MORS *in victoria: vbi est* Mors *aculeus tuus?*

# MORS—VESPA.

*Mors. Vespa.* XIV. Hoc D. Athanasius gemino planè *Symbolo*, sed alio quodam colore, ingeniosè explicat: dum fingit aculeatam *Mortem* voluisse quidem in CHRISTVM immittere *Aculeum*, sed in ipso conatu fuisse confractum, quod CHRISTVS *Petra* sit durissima, quæ acuminatos licet stimulos non recipiat, sed obtundat. *Nota.*

*Athan. de Pass. & Cr. Dom.* *Quemadmodum* (inquit) *infestum animalculum, cui nomen* VESPA, *cùm impetit petram, non eam lædit incursu, sed potius perdit aculeum: Sic* MORS *vehementer falsa est incurrens in* Vitam, Petrámque, *quæ est* CHRISTVS JESVS *Non enim eum potuit tenere* Mors: *sed ipsa potius aculeum perdidit: adeò, vt, quos prius terrebat aculeus, nunc insultent, ac dicant:* Vbi tuus *Mors* aculeus? Non negat quidem Athanasius, quod negari nō potest, CHRISTVM verè mortuum: atq; ita sensisse *Mortis* punctionem: sed dicit, *aculeum* non hæsisse in CHRISTO, quia licet sit mortuus, tamen DEVS, vt loquitur Petrus Apost. *suscitauit*, illum, *solutis doloribus* inferni: *iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.* Nimirum, vt Chrysost. & Oecum. exponunt, *quia* MORS *illum detinens doluit*, vt *Apicula* amisso aculeo. *Ipse verò à periculo eius, quod periculum vocatur*, inquit Chrysost. dolor Mortis, *liberatus est: Sic resurgens, tanquam iam non moriturus, nec vllum amplius dolorem Mortis, aut conditionis mortalis experturus.* *Act. II. 24.*

*Iusti Mortem expetunt* XV. Deinde, ideò stimulum Mortis in CHRISTO retusum insinuat Athanasius, quod qui CHRISTO vniti sunt, non amplius terreantur Mortis acumine, quùm illud irritum esse sciant in suo Capite; ac proinde audeant *Mortem* conuicio incessere, & quasi per ludibrium interrogare: Vbi *Mors* aculeus tuus? Imò sunt, qui *Mortem* securè, ac generoso prouocent pectore, quia desiderium illis est *dissolui, & esse cum* CHRISTO: siquidem ipsis *viuere* CHRISTVS *Nota.*

est,

est, & in terris corpore, in cœlo conuersationem meliori sui parte habent.

XVI. Bellè autem Athanasius, *Mortem*, *Vespa* Symbolo exprimit: est enim hoc non minus accommodatum, quàm *Apis*, cui perquam simile est illud animalculum: cuius tanta vis, & importunitas, vt aliquando oppida incolis viduarit: nam Phaselitas *Vespæ* fugarunt, vt refert Ælianus. Nonne regna & imperia populis suis *Mors* orbare solet, & fugare numerosissimos exercitus? *Multitudo Vesparum.*

XVII. Sed *Vesparum* copiam abegit, & malignitatem imminuit Crucis signo Friardus inclusus; Cum enim, vt narrat Greg. Turonen. apud Nanneticã vrbem messores *vesparum* innumerabili multitudine aculeis infixis, vexarentur, Friard. oratione præmissâ Crucis flabello omnes fugauit; multo magis CHRISTVS Cruce suâ *Mortem*.

XVIII. Verùm hoc admirandum in *Vespa*, quod, auctore Basil. in Hexaëm. & Vincent. in Naturali hist. oleo infuso moriatur. Profectò, *Mors*, tanquam *Vespa*, mortua tunc est, quando oleum misericordiæ in Cruce, à viridi oliuâ expressum effusúmq; illam humectauit: At non est, q̃ acetum expectet, quo reuiuiscere *Vespam* ijdem auctores tradũt.

XIX. *Vespa* etiam vesperi ferè venationem suam instituere solet. *Mors* vt CHRISTVM caperet, dum crepera apud Hebræos fidei lux esset, egressa est: nec p̃dam suam cœpit, nisi cũ Sol occidit in meridie.

XX. *Vespa* à cadauere ortum habet: ex equi enim purulento, ac vitâ destituto corpore progigni Ælian. narrat: *Mortis* origo, cadauer hominis, equi instar sternacis, & Domino immorigeri. Quamdiu enim viuus fuit Adam, *Mors* non fuit: vt cadauer factus est per peccatum, vita gratiæ orbatus *Mors* prosilijt. *Ælia. lib. 1. Hist. cap. 29*

XXI. Si *Vespa* diuidatur, adhuc tamen seorsum viuit caput, ac seorsum corpus. Auctor Aristot. Ante Christi obitum diuisum sæpè fuit *Mortis* caput, quod est peccatum: ab eius corpore, quod est, *Corruptibilitas*; multi enim gratiâ diuinâ, à peccato fuêre absoluti: sed viuebat vtrumq; separatum: à mortalitate enim neminem exemit DEI beneficium: vixit mortalitas in multis, à peccato seiuncta. Itaque totam CHRISTVS pede potentiæ protriuit; hic *Vespam* interimendi est modus. *Vbi ergo* Mors *victoria tua, vbi nunc aculeus tuus?* *Arist lib. 11 Hist. Ani. ca. 7*

XXII. Sed quis-nam huius *Vespæ*, aut *Apis* Symbolicæ est ACVLEVS? Clarissimè hunc exprimit Paulus Apostolus, *Stimulus*, inquit, *Mortis Peccatum*. Tertullianus legit *Aculeus Mortis* *Aculeus Mortis. De Resur. Car. cap. 51.*

delin-

*delinquentia.* Si peccatum non esset, *Mors* aculeum non haberet, quo homines vulneraret. *Peccatum* igitur vocatur *Aculeus Mortis* quia vt loquitur Theophylactus illo veluti iaculo, seu telo vtitur. Quod quidem *Peccatum* S. Anselmus Commentario in Epist. ad Corin. h. interpretatur *Peccatū originis*, quo humana natura fuit obstricta, & *Morti* obnoxia. Per hoc enim *Peccatum*, *Mors* omnes occidit: pœna enim huius peccati, quam subierunt, etiam ij, qui peccatum illud non contraxerunt, vt CHRISTVS & DEIPARA, est MORS.

*Peccatum.*

*Quomodo Aculeus Mortis Peccatum.*

Acutè autem disputat Augustinus, quomodo *Mortis Aculeus* dici queat *Peccatum*, cùm illud *Mors* non fecerit, nec infixerit, sed potius à *Peccato Mors* prouenerit. *Manifestum est*, inquit Magnus ille Doctor, *& huius* Mortis *corporis, quæ resurrectioni carnis contraria est* Aculeum *fuisse* Peccatum: Aculeum *autem quo* Mors *facta est, non quem* Mors *fecit*: Peccato *enim morimur, non* Morte *peccamus. Sic itaque dictum est* Aculeus Mortis, *quomodo* Lignum vitæ: *non quod illud hominis vita faceret: sed quod hominis vita fieret. Et quomodo* Lignum Scientiæ, *per quod Scientia fieret hominis, non per quod suam Scientiam faceret homo. Sic ergo &* Aculeus Mortis, *quo* Mors *facta est: non quem* Mors *fecerit. Sic enim dicimus &* Poculum Mortis: *quo aliquis sit mortuus, vel mori possit*: non quod moriens, mortuus-ue confecerit. Aculeus *itaque* Mortis Peccatum *est*: *Peccati punctu mortificatum est genus humanum.*

*Aculeus, Corruptibilitas.*

*Humorum intemperies.*

*Morbi.*

XXIII. *Peccatum* igitur dicitur *Mortis Aculeus* remotè, quoniam *Mors* per peccatum, genus humanum perimit: nisi enim hoc esset *Mors* neminem læderet. Propinquius tamen *Aculei* rationem habet *Corruptibilitas*, corruptelam vocat Tertullianus, vel *Mortalitas*. Proximè, humorum, quæ in corpore sunt disproportio, si sic loqui liceet, radicalis humidi attenuatio: caloris defectus: denique, pleuritis, apoplexia, febris, senectus, quibus corpus humanum, tanquam aculeatis stimulis compungitur, & concidit, donec immortalitatem adipiscatur & inimico insultet post redanimationem, occinátque epinicium: *Vbi tuus* Mors *aculeus? Absorpta est* Mors *in victoriâ.*

*Mors in Christo. Apes in flore.*

XXIV. IAM verò considero ego *Mortem* tanquam *Apem*, CHRISTVM quidem aculeo suo vulnerantem, sed tamen ex eodem velut flore læsæo suauissimum succum colligentem, & nobis mellificantem. Ita enim ferè, cùm Augustino, Cassiodoro & Beda, exponunt Latini Interpretes illud Psalm. CXVII. 12, *Circumdederunt me sicut Apes*: quod

quod illi ad Iudæos applicant, qui in passione non sibi, sed nobis mellificauerint, dulcioremq; nobis CHRISTVM fecerint: pungendo autem parum nocuerint, cum tertiâ die surrexerit. Quod æquè commodè de *Morte* dici potest, quæ dulcissimum fecit nobis CHRISTVM, qui suauissimè bonis sapit dum passus, crucifixus, & mortuus meditationis piæ dentib. comminuitur, & interno gustu percipitur.

XXV. Præclara est illa Vrbani Papæ IV, obseruatio, quod *Apes*, etsi inferãt punctionis dolorẽ, amentur tamen, quia mellis dulcedinẽ administrant. Ita ille profitetur; se persequutores suos amare velle, & punctiones, quas ei amaris conatibus inferunt, contribulato spiritu tolerare, vt mellita iucunditas subsequatur. Idem nobis faciendum, quibus *Mors* in amoribus esse deberet, quoniam nos in mellitum fauum conuertit, quo DEVS delectatur. In cuius figuram Christus paullò ante ab *Apibus* in passione circumdatus, resurgẽs gustauit mellis fauum: *fauos post fella*, inquit Tertull. primo compunctus, tum satiatus: primo proscriptus in cruce; & minoratus citra Angelos: posteà, gloriâ & honore coronatus. *Apes amantur.* *Vita. in P. L.* *Luc vlt 4.* *Ter. de Corona mil. cap. 4.* *Ps. xxiii 8.* *Ps. viii. 8.*

XXVI. MORS amanda bonis, quia nonnisi ab illâ compuncti subleuantur ab huius vitæ onerosis occupationibus, & peccati vitiosum sanguinẽ mittunt, ac fauo Beatitatis fruuntur. Vrsum ferunt *Apes* irritare, aut alueare incessere salutis suæ causâ: vt nimirum *Apum* aculeis os vulneretur: atque ita emisso sanguine, remedium grauedini comparet, quâ multum laborat, vt habet Pierius Lib. I. Hieroglyp. Alij id facere putant, vt mel diripiat: delectatur enim plurimum mellis escâ, illudque auidius appetit, vt Solinus scribit. Idcirco scandit arbores, vbi examen apum syluestrium animaduerterit, à quo eum non retardant crebræ ac cruentæ *apum* punctiones: itaque datâ operâ venatores interdum obliniunt melle arbores, ac trabes, vt vrsum capiãt. Nec nobis refugiendæ sunt *Mortis* punctiones, si alterius vitæ melleis frui delitiis sit in optatis. Imò & prouocãda est *Apis* Symbolica variis corporis afflictationib. si ad hereditatẽ Sapientiæ, quæ *dulcis est super mel, & fauũ* peruenire velimus: vt sic, per pulchrã, quod ille aiebat, *Mortem* fauo felicitatis æternę, ad quem anhelamus, potiamur. Potiemur autẽ haud dubiè, si dum in hac vitâ mortales agimus, ita componamus mores, & officia virtutũ exequamur, vt postquã hinc migrauerimus, Triumphantium ritu *Morti* insultare possimus: *Vbi est* Mors *victoria tua? Vbi est* Mors *stimulus tuus?* Quæ felicitas erit nobis cum *Mors à bonis amplectenda.* NOTA. *Eccl xxiv. 27.*

Triumphatore CHRISTO communis, si cum eodem resurgamus. quomodo? à vitiis, & concupiscentiis. Dicetis, vos consurrexisse cum CHRISTO. vtinam verè dicatis: sed iuuat id credere. Itaque, *si consurrexistis cum* CHRISTO *quæ sursum sunt, quærite, vbi* CHRISTVS *est in dexterâ Dei sedens: quæ sursum sunt, sapite: non quæ super terram.*

Colos. III.

---

# NOTÆ

## AD COMMENTATIONEM XI.

## MORS

## APIS.

§. III. APis Mortis symbolum) *Est in Apibus certa quadam species, quæ magis quam alia Mortem repræsentat. Ioannes Bustamantinus, qui de Reptilibus verè animantibus S. Scripturæ libros sex edidit,* Apem, Furem *nominat, de quâ sic scribit Lib.* IV. *c.* VII. *pag.* 395.

EST APIS FVR *dicta Philosophis omnibus notissima, non solicita astruendi fauos, destruendi imò, fur nocturnus, Apicida latro, coloris tetri, sub pallidi, nigri, capacissimæ alui, longissimi aculei, noxia, lethalis, ociosa, hispida, largioris, vt illam describit Lib.* IX. *de histor. cap.* 11. *Ælianus lib.* 1. *cap.* 60. *Plinius, & alij.*

*Expressa* Mortis *imago* Fur. *Ad Thessalon. V.* Sicut *Fur* in nocte veniet. *Cum dixerint, pax & securitas, repentinus veniet interitus.* Nigra. *Hinc dictum,* vmbra Mortis: *Mors nigra, & pallida. Horatius*

Pallida Mors æquo pulsat pede
Pauperum tabernas, Regumque turres

*Sic etiam Iob.* X. Dimitte me, vt plangam paululum, dolorem meum, antequam vadam ad terram *tenebrosam*, & opertam *Mortis* caligine. Aculei longissimi; *nam ferit ab Adamo vsque nos.* Amplissimæ alui, *vt deglutiat, capiat, ingerat mortales.* Mors, latro. *Apis hæc nigra, quæ altius pungit, profundius, & acrius, viuum icit, vitam percussit, aggressa est Christum, stimulum liquit, amisit aculeum, viscera effudit cum aculeo simul, mortuum aggredi rata, quo illusa & delusa est Mors. Vbi est Mors victoria tua: vbi Mors stimulus tuus?*

Omnia

*Omnia, quæ* Aculeis *iciunt, si cadauera feriant, non altè, imò leniter pungunt, quippe subiecto rigido, indurato, stipato frigore, caloris absentia, mollis & humida substantiæ secessu, spirituum fugâ, & sanguinis tepidi defectu. At viuentes si percutiant, altè, ac profundè aculeum immittunt, molliori subiecto ac paratiori, & facile peruio: quo fit vt* Aculeum *ibi relinquãt, & intereant, visceribus relictis. Quod de Apibus testatur Aristot. lib.* III *de Historiâ animal. cap.* 12. *Plin. lib.* XI. *cap.* 21. *ex quo AElianus, Cælius, alij.*

*Exposuit se* CHRISTVS *puncti onibus Apis feralis.* Oblatus est, quia ipse voluit: vulneratus est propter iniquitates nostras, *Isa.* LIII. *Altè icit* MORS, DEVM, HOMINEM *profundè aculeum immisit. Sed illusa est: rata enim mortalem, mortuum se aggredi putauit, sed inuasit viuum: imò vitam ipsam icit, ferijt, pupugit.* Ego sum via, veritas, & vita *Ioan.* XIV. *Itaque amisit stimulum, effudit viscera, venenum perdidit. Ex illa hora illudere illi possumus, ac sciscitari Vbi est* Mors *victoria tua? vbi* stimulus *tuus? Ioan. Bustamantinus lib.* IV. *de Animant. SS. cap.* 7.

*Deuteron.* 1. 44. Persequutus est vos, sicut solent *Apes* persequi. *Putat hanc formulam sapere adagium Martinus Delrius Tom.* I. *Adag.* CXXII. *& aptè conuenit Amorrhais, qui terram melle manantem possidebant, colebant, armis tuebantur, sicut Apes fauos suos. Israëlitæ has Amorrhaeorũ aluearia inuadebãt. Amorrhæi eos inuaserunt, & terga vertere compulerunt. territis instabant, & necem moliebantur, & de Seir vsque ad Horma eos ceciderunt. Sed vt Apiculis lethale hosti infigere aculeum, sic animositas, & victoria Amorrhæis exitio stetit. Adagium vsurpatur de acri & infestâ multorum persequutione: vt solet accidere, quando victi ad desperationem adiguntur; aut victores incautè victoriam partam amittunt.*

*Narrationem de Apibus furem ad S. Medardi conspectum propellentibus habet Fortunatus Presbyter in vita S. Medardi apud Surium Tom.* III.

*Equum occidisse refert Arist. Hist. animal. lib.* IX. *cap.* 40. *Plinius lib.* X. *cap.* 18. *Fingunt Poetæ Cupidinem ab apiculâ ictum cum lacrymis matri conquerentem,*

> ὄφις μ' ἔτυψε μικρὸς,
> πτερωτὸς, ὃν καλοῦσι
> μέλιτταν οἱ γεωργοί.
> *Et me minuta serpens*
> *Pennata vulnerauit,*
> *Apem vocant coloni.*

*Anacreon. similia habet Theocrit. Eidyllio:* Cupido mellilegus, *Iulius Cæsar Scaliger Farrag. vertens ex Moscho. Alciatus in Emblemat. ex Græco Antipatri, & Bianori εἰς θάνατον.*

§. VI. Apes lethiferæ] *Legi tamen alicubi, Apes mel lethiferum parare. Plinius lib.* XXI *cap. Heraclea in Ponto Mella quibusdam perniciosissima exi-*

*ma existunt ab apibus facta. Venenati mellis signa sunt, quod omninò non densatur: quod color magis rutilus est, odor alienus, sternutamenta protinus mouens, quod ponderosius innoxio. qui edere abijciunt se humi, refrigerationem quaerentes, nam sudore defluunt.* Et mox. *Aliud in eodem Ponto gente Sannorum genus mellis, quod ab insaniâ quam gignit, maenomenon vocant, idque, cùm exitiale sit, non venditur. Sed & in Perside, & in Mauritania Caesariensis Getulia contermina Massaesulis venenati faui gignuntur. Haec ideò natura dedit, nec aliud sibi voluit, nisi vt cautiorem, minúsque auidum faceret hominem. Mirum tamen est Apes venena portantes ore, fingentésq; non mori: nisi quod illa Domina rerum omnium hanc dedit repugnantiam Apibus; sicut contra serpentes Psyllis, Marsisque inter homines.*

*§. VIII. Fucos arcent.*] Fucus Symbolum mortis, *non minus quàm vespa, quia* Fur, *& noctu grassatur. Aelianus* I. *de Animal. cap.* 10. *Fucus, qui inter Apes nascitur, de die in mellarias cellas abditus manet, nocte verò, cùm Apes dormire obseruauerit, eorum opera inuadit, vastátque alueolos. Haec illa cùm intellexerunt; plurimae enim apum dormiunt, nempe defessae, paucae excubant: si viderint furem, verberant eum modicè, ac leniter, expellúntque alis, & in exilium proijciunt. Iste verò non ob id corrigitur sua naturâ piger & vorax: itaque intra fauos se abdit. Vt verò ad pastionem Apes profectae sunt, ille rursùm opus inuadens, quod suum est, facit, confarcit se melle, & depopulatur thesauros dulces Apium. Eae à pastione redeuntes, cùm ei occurrerint, non amplius leniter eum verberant, neque tanquam in exilium eum essent eiecturae, sed asperè aculeis inuadentes percutiunt latronem: nec amplius mulctatur increpationibus: sed voracitatis & gulae nimiae poenas vitâ persoluit.*

*§. X.* Astutia Apum] *Hinc Adulatoris, & Meretricis est Symbolum,* Apis mella fingens. *Legendus Pierius in Hieroglyphicis, & Vlysses Aldrouandus lib.* I. *de insectis, Titulo, Hieroglyphica. Apis, inquit Iacobus Vitriacus ad illud Isa.* VII. *18. Api, quae est in terra Assur, dicta est Gentilitas propter mel carnalis voluptatis, adulationis, & seductionis, & aculeum iniquitatis. Habebant enim hypocritae & Philosophi illius gentis, mel in ore, sed aculeum in caudâ.*

*S. Hieronymus existimat quadragesimis Hebraeorum castris Ionathan contra detestationem patris gustasse mel intellectu mystico, quod scilicet destillat à labijs mulieris meretricis, & sorte deprehensum vix populi precibus liberatum.*

*§.* XIV. Mors-Vespa. *Proximae Apibus, ac earum generi Vespae sunt, quamuis nec mel, nec bonam ceram progignant. M. Varro: Vespa, quae similitudinem Apis habet, neque socia est operis,*

*est operis, & nocere solet morsu, quam Apes à se secernunt. De ea copiosissimè Vlysses Aldrouandus lib 1. de Insectis cap.6.*

Mors- Vespa *perdit in Christo aculeum: an non bellè in illam iactetur istud Poetæ recentioris*

*Nescis misella* Vespa *barbara hoc: quod non*

*Es amplius victura spiculo amisso?*

*Scalig. in Poemat.*

*§. XV. Mors ante Passionem Domini, quia stimulo armata, terribilis: posteà amisso aculeo, minimè metuenda. S. Chrysost. in Genesis cap.* XX. Dixitque de Sara Soror mea est. *Quanuis timor, ne mulierem amitteret, grãdis fuerit: quam sit namque hoc tolleratu difficile, sciunt, qui vxores habent: Vnde & Sapiens Prouerb.* VI. Furor, & zelus viri non parcet in die vindictæ: *tamen mortis timor illum expulit. Hoc sanè & in corporalibus afflictionibus contingere solet. Grauior dolor totos nos sibi vendicat: ita vt minorem dolorem non sentiamus.*

*Similiter iustus hic ob dolorẽ Mortis omnia acerba toleranda censebat. Mors enim ante Christi aduẽtum terribilis erat: nunc autem cõtemptibilis; ita, vt quam formidabant illi virtute clari, & tãtâ erga* DEVM *fiducia freti, nunc derideant & iuuenes, & teneræ virgines. Nihil n. Mors est, vltra quã* Somnus, & Peregrinatio, & Transmigratio *à deteriorib. ad meliora. Mors n. Domini immortalitatẽ nobis donauit, & Mortis dissoluit neruos, & robur destruxit: & quod ante terribile erat, nunc contemptibile fecit; adeò, vt multi exiliant, & festinent, cum hinc migrandũ: vnde Paulus clamabat.* Cupio dissolui & esse cum Christo.

*Idem S. Pater rem eandem pertractãs sic scribit: Vide ex verbis, in quanto angore, & metu constitutus fuerit iustus: & nec turbatur animo, nec cogitat se derelinqui à Deo: sed vnum hoc curabat, quomodo arte aliqua posset Ægyptiorum manus effugere Et quia nõdum Mortis erat soluta tyrannis, proptereà in adulterium vxoris consentit iustus, vt Mortẽ effugiat. Erat adhuc terribilis facies Mortis: nondum erant æreæ portæ confractæ: nondum erat aculeus eius hebetatus.*

XVI. Vespæ populos fugant] *Ælianus Hist. libr.* XI *cap* 28. *Muscarum multitudo Megarenses sedibus pepulit. Phaselitas Vespæ fugerunt: Rhætienses exegerunt scolopendræ.*

*Scribit Nicolaus Lyranus Sapient.* XII *ex quorundã Interpretum sententiâ, quod ante ingressum filiorũ Israel in terram promissam, Dominus immiserit Chananæis Vespas habẽtes aculeos venenatos, quæ plures Chananæorũ interfecerũt. Sic interpretabãtur ad literã illud Sap.* XII. S. Misisti antecessores exercitus tui Vespas, vt illos paulatim exterminarẽt. *Sed alij figuratè* Vespas *accipiunt, pro acerrimis timoribus, quibus corda gentilium*

*pungebantur. Ioannes Lorinus cum Cantacuzeno, Olkoto, Osorio, Iansenio, rem vt sonat, interpretari mauult, quàm minimè necessariam figuram comminisci.*

*§. XVIII. S. Basilius Hom.* VIII. *Hexaë. & Vincent. Hist. natur. lib.* XX. *cap. 74. Si oleum infundatur Vespa moritur: aceto autem postea reuiuiscit. Lege Simonem Maiolum in Colloq. Canicular.* V.

*§. XX.* Vespa à cadauere ortum habet.] *Pierius Valerianus ex Horo docet, Vespam ex Crocodili sanguine, atque eius cadauere procreari: nostros autem dicere, illas ex equino cadauere nasci. Tamen apud Horum lib.* II. *de Notis hieroglyphicis leges, Vespas cùm volunt significare (Ægyptij) equi cadauer pingunt: ex eiusmodi enim cadauere plurimæ Vespæ generantur. An idcirco veteres Symbolici pugnacitatem Vespæ figura significabant, quod oriri existimabant ex corrupto sanguine equi, quod animal bello natum videtur?*

*§. XXVI.* Mors amanda bonis] *Locus communis, qui sæpe recurret. Legatur Ioannes Dadræus in locis cõmunibus similitudinũ, Titulo,* Mors, §. Mors iucunda bonis. *Franciscus Labata in Apparatu Concionat. Tom. I. Titul.* Mors. *Propos.* XIX. Quod *Mors* non sit horribilis. *Et Tom. II. Proposit.* IV. *Mors* non est à bonis timenda. *Et ibid. Prop.* XX. Iusti mortem desiderant.

*De Vrso mellis auido Columella lib. I. Et ex eo Vlysses Aldrouandus libr. I. de Insectis pag. 65 In vastis Sarmatiæ syluis, vbi in cauernis abietum sedes habent Vrsi mellis cupiditate in subrectum more felium ascendunt, domicilia Apum inuadentes. Aduersus hoc apiarij malleum ingenti, grauique põdere suspendunt ante Apum vestibula: Vrsus malleum amoturus, quo maiore impetu malleum repellit, hoc vehementius in reijcientem recidit, eóque remedio tuentur Apes.*



COM-

# COMMENTATIO XII.

## MORS

# SCORPIVS.

*Vbi est* Mors *victoria tua?*
*Vbi est* Mors *stimulus tuus?*

1. Corinth. xv. 55.

## BREVIARIVM.

1 *Stimulus Mortis, seu Scorpij. Inter omnia insecta stimulo signatè armatur Scorpius.*

2 *Scorpiacon aduersus Scorpios. Mortis Memoria aduersus Mortem. Scorpius magnum de modico malum.*

3 *Pusillum animal, Scorpius. Quantilla Mors? vix exprimi potest. Varia illius definitio.*

4 *Mors, Priuatio vitæ. Priuatio quid? Non ens, & nihil. quid hoc minus?*

5 *Mors modica origine. Mortis origo, & natales, Peccatum. Hoc tam modicum, quàm* Nihil: *imò ipsum, planè* Nihil. *Sine verbo factum est* Nihil.

6 *Peccatum non satiat, quia est* Nihil. *vorans, bibensque, vt aquam iniquitatem, non saturatur, quia* Nihil *in stomachum dimittit.*

7 *Diabolus insaturabilis, & nunquam dicit sufficit, quia vescitur peccatis.*

8 *Mortis principium,* Nihil. *Homo per peccatum,* Nihil. *Ego ad nihilum redactus sum, & nesciui. Psal.* LXII. 23. *Homo sine caritate,* Nihil 1. *Corinth.* XIII. 2.

9 *Imitando Adamum ad nihilum redigimur, corde confracti, & corpore diffluentes in voluptates: solus* DEVS *est, qui est, firmus substantiâ.*

10 *Mors modica, quia minima occasione hominem inuadit. Nihil tam exiguũ, quod Morti non sit sat magna sæuiendi occasio.*

11 *Mors magnum de modico malum. Priuat hominem omnibus commodis.*

12 *Exuit duplici regno, Mũdo, & Corpore.*

13 *Scorpium terra suppurat. Ex putri nascitur: terra vescitur. Mors è terrâ ortum habet: terra alitur.*

14 *Scorpio tot venena, quot ingenia. nullo momento meditari cessat, ne quando deserat occasionem. Mortis mira nocendi auiditas.*

15 *Mors*

15 *Mors vbique insidiatur: nullibi non est in procinctu, vt iaculetur, instar Scorpij. In mundo est, vt Anima in corpore, tota in toto: & tota in qualibet parte.*

16. *Est sub lapide Scorpius omni. Sub omni saxo Mors delitescit.*

17. *Exempla varijs in locis, ac occasionibus morientium. Ioan. Godefridus in Comitijs occidit.*

18 *Insensibiliter ad mortem tendimus, dum stamus, loquimur, ridemus, ludimus.*

19 *Scorpionum plura genera: Nec Mortis vnum, & simplex. Mors natura. Mors virtutis: Culpæ: Gehennæ: Raptus: Sensus: Gratiæ. Gloriæ, Mors Prima: Secunda. Immatura: Subita: lenta: violenta.*

20 *Scorpius de caudâ nocet. Cauda Mortis, Extremitas, & Fraus. Cauda vulpiū, Draconis, Locustarum.*

21. *Ferit Scorpius & obliquo ictu, & infixo. Per multas ambages Mors aculeum intorquet.*

22. *Æstus tempore Scorpius sæuit. Mortis familiare tempus, æstus. Æstus luxuria, Iracundia, Ebrietatis, Febrium, Pestis.*

23 *Fraudulentus naturâ Scorpius, & dolosus. Scorpij Libyci catenati ad hominem necandum aduolant. Fallacissima Mors, Morbis annulatim nexis.*

24 *Scorpij septena caudæ internodia sæuiora. Cauda aculeata Mortis, Peccatum, cuius septem compages. Septem hominis ætates Morti obnoxiæ.*

25 *Scorpio cum Crocodilo internecinum bellum: Morti cum CHRISTO.*

26 *Mors & vita duello conflixère mirando. Ambo eadem dimicatione ceciderunt: Sed victoriam tandem vita obtinuit, Morte interemptâ.*

---

## *Saluete hoc amœnissimo tempore Principes populi, Regalis Sacerdotij notâ vbique nobiles.*

*Stimulus Mortis, cum Scorpij.*

I. QVOD hisce continuatis festiuitatibus cantatur in Paschalibus odis: *Vbi est* MORS *victoria tua? vbi est* MORS *stimulus tuus? vel* Aculeus *tuus:* Theophylactus in Epistolam priorem ad Corinthios, atque è nostris Benedictus Iustinianus, & Cornelius de lapide, de *Morte*, tanquam de *Scorpio* dictum accipiunt: Vt enim SCORPIVS, inquiunt, licet paruus sit, per aculeum: ita *Mors* per peccatum omnes occidit, quæ sine peccato nihil poterat. Et sanè præclarum *Mortis Symbolum*, est SCORPIVS, cùm ad modum illius animalis, venenum transfundat, & ex Aristotele inter omnia insecta stimulo vel spiculo armetur. Sed non in vno aliquo consistit tam fœcunda comparatio, quam per partes illustrabo.

II. NEMO, quem ego quidem legerim, breuius, & accuratius

*Scorpij* malignitatem, & insidiandi modum descripsit, quàm Tertullianus, eo libro quem aduersus Gnosticos hæreticos *Scorpiacum* vocitauit: id est, aduersus *Scorpios* medicamentum, vel potio. Sic autem orditur. *Magnum de modico malum* Scorpium *terra suppurat: tot venena quot ingenia: tot pernicies, quot & species: tot dolores, quot & colores Nicander scribit, & pingit: & tamen vnus omnium violentiæ gestus de caudâ nocere; quæ cauda erit quodcumque de posthumo corporis propagatur, & verberat. Proinde* Scorpij *series illa nodorum venenata intrinsecus venula subtilis, arcuato impetu insurgens hamatile spiculum in summo tormenti ratione restringens. Vnde & bellicam machinam retractu tela vegetantem de* Scorpio *nominant. Id spiculum & fistula est patula tenuitate in vulnus & virus, quâ figit, effundit. Familiare periculi tempus, æstus, Austro & Africo sæuitia velificat.* *Tertulliani Scorpiacum.*

Desumpsit ferè ad verbum hæc omnia Tertullianus ex Plinio quod notat eruditissimus Pamelius, vt minus de veritate dubitemus. Singula autem perquam commodè ad *Mortem* transferri possunt, vt *Symboli* ratio postulat. *Scorpius magnum de modico malum.*

III. Inprimis MORS *magnum est de modico malum.* Quantilla res est *Scorpius*? Inter minima animalia, pusillum. Quantilla MORS? vix dici potest: nam ob paruitatem nullus est locus tam exiguus, vbi non possit delitescere. in apice acûs *Mors* tota sedet, nec maiorem sellam postulat. *Mortis* paruitatem ex eius definitione collige. Quid est *Mors*? plurimæ eius circumferuntur descriptiones, quarum optima, quæ minima: exactissima, quæ *Mortem* modicissimam facit. *Mors est natura animantium dissolutio*, inquit Lactantius, ex Platone, qui ὁ θάνατος, ait, ἐστὶ ψυχῆς καὶ σώματος διάλυσις. vel, *Corporis animæq; seductio. Sunt, qui discessum animi à corpore putent esse Mortem*, ait Cicero. sicut Solis ab aëre: Anima enim non aliter, quàm sol lucem diei, vitam tribuit carni, cùm venerit: Mortem efficit, cùm recedit. *Mors nihil est aliud, quàm dissipatio compositi*, scribit Themistius, per quam partes ingenerabilitatem: id est, in naturam suam recurrentes, reciprocantésque feruntur vniuersitati. Alij: Est *diuortium cōiunctorum: separatio animantis ab animato: Profectio in patriam.* *Definitione mortis.* NOTA.

IV. Sed longiores hæ sunt, quàm vt pusillitatem *Mortis* repræsentent. Quid ergo *Mors*? breuissimè, PRIVATIO VITÆ. Quid est *Priuatio*? est quidpiam tam modicum, vt ne res quidem dici possit. An inter entia referri debeat litigant Philosophi, & qui multum illi tribuunt, Ens faciunt rationis: Ego existimo, esse NIHIL, cùm sit nega- *MORS priuatio vitæ.*

tio, quam tam verè ens dicimus: quàm quod somniantes fingimus, cum nullam habeat sui consistentiam. Est ergo *Mors* quidpiam tam modicum vt NIHIL sit in rerum naturâ, quod ipsâ sit minus.

*Mors modica origine.*

V. Nec modica solum est MORS si illius substantiam, molem, vel corpulentiam (sic enim loquendum est) spectes: verumetiam si natales consideres, & originem. Quæ *Mortis* origo? quis pater? quæ mater? quis nutritius? *Peccatum.* Ex peccato ortum habet: peccatum illam proseminauit: peccatum peperit: peccatum lactauit: peccatum eduxit: per peccatũ adoleuit: per peccatũ ad maturitatem peruenit: à peccato illam, quam habet magnitudinem adepta est. Quid autem minus excogitari potest quam sit peccatum? quod planissimè est NIHIL. Nam si esset aliquid, fieret ab eo, qui fecit omnia: nec produci posset, nisi eo opitulante, qui quicquid est rerum efficit. *Omnia per ipsum facta sunt*: *Et sine ipso factũ est* NIHIL, id est *Peccatum.* Ita n. exponit alicubi illud Ioannis pronunciatum Augustinus, per affirmationem. Non quod existimarit NIHIL aliquid esse, vt perperam Manichæi colligebant, sed quod ipsum NIHIL, ipsam illam negationem boni voluerit adfirmari sine Verbo factum esse: vt sensus sit; Sine ipso NIHIL, id est, Peccatum esse, quod Nihil est. ita Tract. I. in Ioann. & Epist. CL. contra Arianos, disputans, & lib. Soliloq. c. IV. & V. interpretatur.

*Mortis origo, peccatum.*

*Nota.*

*Peccatum non satiat, quia NIHIL. Iob XV. 16.*

VI. ET quoniam *Peccatum* est *Nihil*: fit, vt homines impij, qui peccata peccatis cumulant, quamuis comedant & bibant quasi aquam iniquitatem, vt Iob loquitur, nunquam peccatis saturentur, & expleantur. Nunquam satiatur luxuria lasciuus, nunquam rapacitate auarus, nunquam voracitate gulosus, nunquam ebrietate helluo. Quid mirum? nam comedendo *Nihil* in stomachum transmittunt, bibendo, *Nihil* potitant: est enim peccatum NIHIL.

*Diabolus nunquam satiatur, quia vescitur peccatis.*

VII. Conceptio est Hugonis Cardinalis ad illud Prouerbiorum XXX. 15. &, 6. *Tria sunt insaturabilia, & quartum, quod nunquam dicit*, sufficit, *Infernus, & os vulua, & terra quæ non satiatur aqua: ignis vero nunquam dicit sufficit.* Nomine autem *Inferni*, præter Hugonem, V. Beda, Lyranus & alij non pauci intelligunt *Diabolum* (per continens, contentum: per regiam Principem) quòd hic, hominibus ad malum concitandis, & ad tartara deportandis nunquam satietur: est enim immensa eius ad perdendos quã plurimos homines auiditas. Quam vt depingat Salazarius, addit si quis cupiditatis illius latissima spacia

metiri

metiri vellet, animaduerteret quemlibet Dæmonem inferno ampliorem esse: citius enim inferni immensæ intercapedines damnatorum multitudine implebuntur, & redundabunt, quàm vniuscuiusque Dæmonis nefaria illa nostræ damnationis cupiditas expleatur.

At Hugo, vt insinuabam, hanc caussam dat propter quam Diabolus sit insatiabilis, quia peccatis ac sceleribus nostris pascitur, quæ cùm *Nihil* sint, ipsum minimè explere possunt. Itaque *Mors*, NIHIL est, & matrem habet, æquè ac ipsa, *Nihil*: matrem sequitur sua proles: modica mater, & infra nani staturam: modica filia.

VIII. QVOD si aliud MORTIS principium attendas: & hoc est NIHIL. *Mortis* principium est *Homo*, à quo nunquam *Mors* introducta fuisset in orbem terrarum, nisi peccando, *Nihil* factus esset. Non est meum hoc figmentum: sed pronunciatum veritatis à quâ docemur, hominem peccando, fieri NIHIL. Clarissimè Dauid personam indutus peccatoris: *Ego ad* Nihilum *redactus sum, & nesciui.* Quod in hunc finem examinat Iulius Mazarinus, addens: Peccatum est nihil, & in nihilum reducit hominem: & vt intellectus, dum in nihilo vagatur se ipse perdit, & impingit in vacuum infinitum, ita in peccato offendit damnum infinitum: magnum de modico malum. Quid manifestius illo Pauli Apostol. 1. Corinth. XIII 2. *Si caritatem non habuero:* id est, si peccauero: nam caritas à solo peccato, cum quo consistere non potest expellitur, NIHIL sum. Quod simpliciter intelligendum monet S. Augustinus lib. de vnico Bap. contra Petilianum, sic scribens: *Se dixit* NIHIL *esse, si caritatem non habeat: non sacramenta, & scientiam & prophetiam, & fidem, illa enim magna sunt: etiamsi ille* NIHIL *sit, qui sine caritate habuerit.* Fuit igitur Adam NIHIL, quando per illum *Mors* sumpsit initium.

*Homo per peccatum NIHIL.*

*Psal LII 23.*

*Mazar in Psal. L. Concio. XLI.*

IX. ET nos ad nihilum redigimur, dum primum illum Mortis auctorem imitamur. Ita sanctissimus vir Bernardus sermone de triplici cohærentia vinculorum, ait se ad *Nihilum* redactum, hoc est, ad peccatum, & nesciuisse, quia non erat ibi, cum primus parens deuorauit eũ morsu amarissimo: DEVM solũ esse, qui absolutè sit: iuxta illud, *Ego sum, qui sum.* Nos propter hoc *Nihilum*, corde confractos esse, & corpore diffluere in voluptates, in amaritudines: habere innatam culpam: pœnam cognatam: totos fluidos, & enerues esse: non videri participationem & conuentionem nobis, qui non sumus, vel qui

*Ad nihilum redigimur per peccatum.*

*Exod III. 4.*

*Nihil* sumus, ad illũ, qui verè est: tã diuersa nõ posse cõiungi nisi DEO adhæreamus. Hæc omnia, quã sit modicum quid, MORS, declarant.

*Occasio mortis modica.* X. QVIBVS adde, modicam esse, si occasionem perpendas, quâ hominem interimit, quicquid enim est in rerum naturâ, licet tam exiguum, vt videri vix possit, *Morti* sat est magnum, vt eo exitium homini procreet. Leuis pedis offensio, minima corporis agitatio, pauxillum distillationis è cerebro, spina in gurgulione, vel acinus, vmbra timorem incutiens, araneus in os sese insinuans, guttula venenata traiecta in stomachum & sexcenta similia hominem interimunt. Vbique audimus

*Nicander in Theria.*

Σκορπίος ἀπροϊδὴς ὀλίγῳ ὑπὸ λᾶϊ λοχήσας.

*Scorpius insidias parua sub caute tetendit.*

*MORS magnum malum.* XI. SED iam magnum istud de modico *Malum* considera. Non opus est exaggerare *Malum*, cuius Mors est caussa; satis illud mortales concipiunt, & magis sæpe, quàm expediat, æstimant. Negari tamen non potest, si naturã consulamus, *Mortis* magnũ esse malum, quo priuãtur homines diuitijs, honoribus, voluptatibus, amicis, propinquis, & quod gratissimum est, ac reliquis præferendum, vitâ: quantum bonum est, vita; tantum malum est *Mors*: priuationis enim mensura, est forma, quæ per illam recedit.

*Homo Rex.* XII. Magnum *Malum*, quod regem non vnius regni, omnibus exuit. Regis instar est homo quilibet, creaturarum Dominus, vicarius DEI: & duo potissimùm regna possidet. Vnum est *Mundus* hic visibilis, in quo rebus sublunaribus, tanquam sceptro & diademate spectabilis præest: subseruiũt illi terra, aër, aqua, animantes, metalla, homines, à quibus omnibus in *Morte* receditur, aut potius, à *Morte* expellitur, nudus, & egenus. Audite patientem: *Diues cum dormierit, nihil secum auferet: aperiet oculos suos, & nihil inueniet, apprehendet eum, quasi aqua, inopia, nocte opprimet eum tempestas: tollet eum ventus vrens, & auferet, & velut turbo, rapiet eum de loco suo.* Alterum Regnum, est *Corpus*, in quo quot potentiæ, ac sensus; tot sunt dynastiæ: quot membra, tot prouinciæ, quot partes, tot dominia. Hic dominatur Animus suis facultatibus, tanquam subditis, aliquibus quidem planè despoticè, aliis politicè. Hoc quoque regno *Mors* hominem spoliat: & vt Rege expulso, in regia est solitudo, aut hostes illam occupant; ita & hic in sella principis inueniuntur vermes, bufones, serpentes. *Detracta est ad inferos superbia tua* (inquit Isaias) *concidit cadauer tuum: subter te sternetur*

*Iob XXVII. 19.*

*Isa. XIV. 11.*

tur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Magnum profectò de modico Malum.

XIII. At vnde? De Scorpio pergit Tertullianus, Terra suppurat. Quod idem existimat Pamelius, cum eo, cuius auctor Plinius, lib. x. cap. 72. quod Scorpiones terrâ viuant. Verùm, Vlysses Aldrouandus, qui diligentissimè de Insectis nostro tempore commentatus est, scribit, needum se obseruasse, quo cibo Scorpij vtantur. Quare cùm suppurare idem sit, quod in saniem tendere, aut in apostema prorumpere; fortasse ortum Scorpij respiciebat, quod is velut apostema, vel sanies è terrâ prosiliat. Certe refert Albertus M. Auicennam scribere, quod amicum habuerit, qui, cum vellet, Scorpiones ex putri materiâ generabat. Alij tamen terrestres Scorpij ex vermiculis ouorum specie oriuntur, vt Arist. narrat. Terra suppurat. Suppuro Suppuratio.

Et à terrâ est symbolicus Scorpius, MORS, & terra viuit. E terrâ ortum habet: terrena habitatio est, quæ corrumpit, & corrumpitur: altera pars, sublimior, ac diuinior, Mortem ignorat: nutritur terreo isto coagulo, quo premimur. Verè, bestia terræ, cui dici potest, quod serpenti dixit DEVS: Super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. MORS. Gen. III. 14.

XIV. Incredibilem autem nocendi auiditatem, significat illud, quod habet Plinius lib. xi. cap. 25. Nullo momento meditari cessat, ne quando deserat occasionem: quo spectat illud Tertulliani: Tot venena, quot ingenia. Non est dies, non hora, non momentum, ex quo in hunc mundum venimus; imò, antequam huc venimus, post primum conceptûs nostri punctulum, in quo Mors non meditetur, quomodo, quàm primum nos tollat è medio. Tot illi venena, quot ingenia. Non expectat, donec fœtus ex aluo progrediatur: antequam fructus maturescat in arbore, sæpe illum, adhuc crudum durúmque excutit; imò iam cadere volentem intercipit: in ipso progressu animatam prolem, nondum prolem, aggreditur, & animam ipsi ac matri extorquet, vt moriatur, antequam in lucem veniat; occidat, antequam oriatur; desinat, antequam esse incipiat. Sed ex matris vtero, tanquam è primo tot mensium ergastulo, vitâ comite, prorepat. Iterum nullo momento meditari cessat Scorpius, ne quando deserat occasionem. Nocendi auiditas.

XV. At non vbique insidiatur. Erras mi homo. Nos fingimus Mortem corpulentiâ grauem, & mole circumscriptam, MORS vbiq.

quæq; ex vno in alterum locũ comeet velocissimè, vt negotiũ suum exequatur. Sed hoc est ludibrium semisopiti capitis: nec alio pacto explicare possumus infinitam quandam vim, & velocitatem *Mortis*. Non circumscribitur spaciis, nec definitur interuallis locorum hæc bestia, quam nos *Mortem* dicimus; sed vt Anima in corpore est tota in toto, & tota in qualibet parte: ita *Mors* est in mundo sublunari. Si iueris ad orientem, *Mortem* inuenies: si ad occidentem fugeris, *Mortem* ibidem reperies. Eadem est in meridionali, eadem in occidentali plagâ: supra, infra: ad dexteram, ad sinistram: intus, extra: vbique integra: nullibi nõ eadem, vt ad nocendum parata, ita ad interimendum expedita omni tempore.

*Scorpius sub omni lapide.*

XVI. Declarare id possumus à *Scorpio* desumpto adagio: quod Nicandri Commentator citat ex Captiuis Sophoclis:

ἐν παντὶ γάρ τε σκορπίος φρουρεῖ λίθῳ.

*Etenim sub omni lapide Scorpius excubat*

Quod ex Sophocle in Capti. alii ita exprimunt:

Ὑπὸ παντὶ λίθῳ σκορπίος εὕδει.

*Sub omni lapide* Scorpius *dormit*. Aut

*Est sub lapide* Scorpius *omni*.

De cuius genuinâ interpretatione litigant Grammatici. Ego ad *Symbolum*, quod explico, accommodatè sic declaro. Sub omni saxo, id est, negotiorum, actionum, rerum, genere, delitescere, & insidiari *Scorpium Mortem*. In omni loco occasioni intentam excubare, licet dormire videatur. Non esse rem vllam in vniuerso, è quâ *Scorpius* venenum non vibret. Ideóque nulli fidendum: nullibi sine *Mortis* cogitatione, & metu versandum: vbique illam sibi præsentem mente ac cogitatione, tanquam *Scorpium* iam iam imminentem effingendam.

*Ioan. Godefridus Episc. Bamberg. & Herbipol.*

XVII. Experti sunt, quod dico, plurimi mortales: magni, parui: nobiles, obscuri. Occidit haud ita pridem IOANNES GODEFRIDVS, duplici tiarâ visendus, DVX FRANCONIÆ & quidem in comitijs Imperatoriis, loco, vbi nihil minus, quàm *Scorpium* excubare in Domini caput existimabant eius Palatini omnes: Ipse fortasse, prouidus futuri, contemplabatur. *Plato* in epulo nuptiali ictus à *Scorpio* extinctus est. Fulco Comes Andegauensis dum leporem venatur, *Scorpium* venantem reperit. Auorum memoriâ *Cardinalis Columna*, dum ficus glacie tinctas auidiùs comedit, à *Scorpio* ferali ictus interiit.

*Caroli V.*

Idem accidit *Carolo Mansfeldio*, qui terror fuit Turcarum nostrâ ætate, dum

te, dùm æstuans, refrigerium quærit in melone. Medicus *Valla* in musto mortalem cicutam hausit. *Sapheius* in ouo liquido. *Fabius Maximus* in lacte. *Anacreontem* acinus vuæ extinxit. Duo *Cæsares*, pater & filius, Prætores dum se mane vestibus induunt insidiantem *Scorpium* experti sunt. Luc. *Lepidus* cubili egrediens, dum inopinatò pedem ad limen offendit, inopinato extinguitur: nimirum sub limine *Scorpius* occasioni intentus, operiebatur quem feriret. *Torquatus* in libo *Mortem* inuenit: *Decius* in prandio: Rudolphi II.

*Est sub lapide* Scorpius *omni.*

XVIII. Exempla eius generis innumera referunt scriptores rerum memorabilium, Theatri vitæ humanæ, Colloquiorum. Breuiter multa complexus est, & versiculis intexuit, vel rithmis historicus æui nostri illustris, vt illum celebrat Petrus Cotonus. Exempla vbiq; morientium. Petr. Coton. Medit. seu Concio. de Morte XVI.

*Insensibiliter ad* Mortem *tendimus,*
*Dum stamus, loquimur, ridemus, ludimus;*
*Eodem & tendimus, dum lecto stertimus:*
*Stertente vt nauta, nauis nat pelagus.*
*Nullo non opprimit funesta* Mors *Loco.*
*Regem Macedonem lauto in conuiuio.*
*Et Aristobulum lauantem in balneo.*
*Et Diuum Cæsarem senatu medio.*
*Philippum ad victimas; & dirum Apostatam*
*Castris in medijs, per sacram lanceam.*
*In specu pauidum Caium Caligulam.*
*Et Carlomannum dum persequitur feram.*
*Hic æquore enatans in fluuio occidit.*
*Quærens Macedonem* Mors *Neronem fugit.*
*Hanc Diuus Claudius in fungis inuenit.*
*Alter dum Veneri vacat hanc a repperit.* a recipit.
*Nullam non adhibet manum, dum feriat.*
*Erricum (credite) materna iugulat.*
*Vxor Alboinum scelesta illaqueat.*
*Ferus Baiazetum filius enecat.*
*Suorum insidijs Aristòn petitur.*
*Paterno Mustaphas ferro confoditur.*
*Fraterno (miserum!) Conradus figitur.*
*Suismet manibus se Cato vlciscitur.*

Quid?

*Quid? quot multimodis nos tollat artibus.*
*Nigrum Henricum bolus inhærens faucibus.*
*In cereuisia Rex mersus est Gothus.*
*Hunc fames necat, hunc sitis, hunc laqueus.*
*Se eius potentia fundit per omnia.*
*Per ignem, ventos, aquas & aëra.*
*Per ficus, acinos, pira præcocia.*
*Mus est exitio, musca & aranea.* Nempe,
*Est sub lapide* Scorpius *omni.*

Nec recedat sine salubri monito veridicus cantor

Athan. ex Carcino lib. XV.

*Subit quoduis saxum, Amice, Scorpius*
*Ne te feriat, caue. In ijs quæ abdita sunt fraus quæuis latet.*
*Ignorans igitur quo te* Mors *tempore,*
*Quáue ætate, loco velit opprimere,*
*Omni ætate, die, locóque hanc metue:*
*Nam præuisa minus nos solent lædere.*

Genera Scorpionum.

XIX. Iam verò *Scorpionum* plurima sunt genera. Ælianus nouem enumerat, quem reprehendit Aldrouandus, qui ex Nicandro octo statuit. Tertullianus *Tot pernicies, quot & species: tot dolores, quot & colores Nicander scribit & pingit:* similia ex Apollodoro adducit Plinius.

NOTA.

Plures sunt Mortis differentiæ, plura genera. Nam vt omittam illam partitionem, qua Mors alia dicitur *Naturæ*, alia *Virtutis:* alia *Culpæ*, alia *Gehennæ*, alia *Raptus* : nam totidem vitæ considerari possunt, *Naturæ, Sensus, Gratiæ, Gloriæ, Proiectionis* ad terrena nimiæ. De quibus copiosius alibi. Item, quâ *Mors* latissime in *Primam & Secundam* diuiditur: de quibus Apocalypseos Interpretes. *Mors prima*, siue Naturæ, quæ & corporea vocatur, aliquando est *Naturalis*, cuius plurimæ sunt species pro caussarum proximarum, & remotarum diuersitate: alia *Immatura*, alia *Subita*, alia *Lenta*, alia *Violenta*. Et huius, DEVS bone! quot sunt genera? ab aquâ, igne, terrâ, aëre, ferro, laqueo, & rebus aliis pœnè infinitis. Verum *tot* ab ea sunt *pernicies, quot species, tot dolores, quot & colores.*

Scorpius de caudâ nocet.

XX. TAMEN *Vnus omnium violentiæ gestus*; De caudâ nocere. *Id spiculum & fistula est patula tenuitate in vulnus & virus, quâ figit, effundit.* Sensus est: Quamuis diuersa sint Scorpionum genera, communis tamen omnibus nocendi modus est, per caudam, aculeum exerere.

NOTA.

*Caudam*

*Caudam Mortis* interpretor, vel ipsius *extremitatem*, quæ semper feralis, quamuis lentissimè adueniat: sic enim *Cauda* hostiarum sumitur in Diuinis literis, pro operũ fine. Vel *fraudem:* quo pacto in sacra Scriptura *caudæ vulpium* significant fallaciam hæreticorum: sicut etiam *caudæ locustarum* similes *caudis scorpionum*, de quibus in Apocalypsi; & *cauda draconis*. Fraudulenter semper Mors hominem inuadit. *Cauda Mortis.* *Apoc. IX.*

XXI. SCORPIVS ferit & *obliquo ictu* & *inflexo* (inquit Plinius) Tertullianus, & S. Hieronymus *arcuato impetu*. Per multas ambages *Mors* aculeum intorquet, vt eo minus timeatur, aut vitetur. Leuissimâ sæpe initiò tentat hominem febriculâ, illa recedente nihil amplius metuendum existimat salutis prodigus, sed inflexo, & obliquo ictu latus eius petet, donec tandem perimat. *Obliquus impetu inflexo Plin. cap. 25. lib XI.*

XXII. NEC tempus silet Tertullianus, quando maximè insidiari solet *Scorpius. Familiare periculi tempus*, æstus (inquit) Iterum: *certo tempore adornantur, nec alio, quam ardoris.* Notat etiam Plinius; solere *Scorpios* venena fundere *cùm incanduêre solis caloribus*. Quùm corpus æstuat, cibi potúsque intemperantiâ: cùm flagrat animus inordinatis cupiditatibus: cum vritur mens immodicis desideriis: cùm libidinis æstus hominem depascitur: tunc facillimè ebullit *symbolicus Scorpius*, callens eo maximè tempore, offendere, figere, occidere. Et verè paucos *Mors* nisi ardoris tempore configit, vix enim sine febri aliqua, quæ igneæ est naturæ, & ignis in visceribus æstuans, extinguuntur homines. *Æstus tempore Scorpius sæuit.*

XXIII. ILLVD quoque facit ad *Symboli* explicationem: quod fallax, insidiosum, & fraudulentum animal sit *Scorpius*: adeò, vt non abludat à vero, quod suspicatur Aldrouandus, ob dolos Pœnorum, Romanis tot annis notos, *Scorpium* Africæ fuisse symbolum, vt ex nomismate Adriani apud Pierium, & Baldum Angelum Abbatium liquet. Nec irritatus solùm, sed & sponte hominem inuadit, vt refert Ælianus, libr. VI. cap. 23. vbi eleganter describit, quàm argutè ac ingeniosè facta ex se & sociis catenâ homines in Lybia feriat. *Fraudulenti, inquit, natura Scorpij & dolosi existunt.* Etenim Lybici ab eorum multitudine metuentes, ad vitandos ipsos omnia machinamenta adhibent: soccos ferunt in lectis, cùm longè à pariete remotis, tum in excelso collocatis, tum fulcrorum pedibus in hydrias aqua plenas impositis, sublimes somnum capiunt. qua machinationis molitione factâ, sese quietè ac tuto somno vsuros arbitrantur. Atqui *Scorpius* *Animal fraudulentum.*

si quid vnde semetipsum in tecto suspendat, nanciscatur, ibi fortissimè forcipibus adhærescit, simul & emittit aculeum: secundus igitur è tecto descendens per primum serpit, atque suis itidem forcipibus ad illius aculeum adhærescit, & sublimem sinit esse suum aculeum: eodem modo à secundo tenetur tertius; à tertio quartus, quintus similem ordinem seruat: itémque cæteri omnes deinceps per priores decurrunt: postremus dormientem ferit, & per superiores recurrit: similiter ab illo secundus, tum ab vltimo tertius, reliquíque se subducunt, quoad, velut catenam soluentes, omnes se subtraxerint. Similia habet Clem. Alexandrinus lib. 1. Strom. disertè scribens, *Scorpium* in Lybia si ei non succedat, vt feriat hominem, abeuntem redire cum pluribus, alterum autem ab altero, instar annulorum in catenâ dependentem ita moliri insidias, non obscuro nutu bestijs vtentibus, nec figura tantum sibi, sed propria dialecto significantibus. O fraudes! ô insidias! sed à fallacissimâ *Morte* artificiosius, quàm à *Scorpio* frequentari solitas. Nonne MORS, si vno quempiam morbo è medio tollere non potest, abit, & sumit alios septem nequiores se, è quibus annulatim nexis, homini molitur exitium, vltimo aculeum infigente?

*Mors nectit catenam morborum.*

XXIV. Non reticendum, quod vt singulare animaduertit, Plinius, Tertullianus, alij: septem compages habere *Scorpij* caudam. Et constat, inquit Plinius, septem caudæ internodia sæuiora esse: totam hanc seriem nodorum venenatam appellat Afer. *Caudam* aculeatam *Mortis*, diximus proximè, esse *Peccatum*, ex Pauli descriptione, quod septem quodammodo nodis continetur: tot enim sunt capitalia, quorum singulis aculeus inhæret, quo homo perimitur. Nisi lubeat hic considerare septem hominum ætates, quarum singulis, *Scorpius* insidiatur. Est infantilis, pueritiæ, adolescentiæ, iuuentutis, virilis, senectutis & decrepitæ: omnes æquè Morti obnoxiæ.

*Cauda Scorpij septem compagum.*

XXV. ITAQVE dum Paulus Apostolus *Mortem* aculeo armatam facit, rectè cum Theodoreto, & doctissimis Interpretibus, illam vt *Scorpium* concepimus: *Scorpio* autem cum multis est naturalis quædam antipathia, & perpetua concertatio, sed summa cum Crocodilo. Certè *Scorpius* & *Crocodilus* genuino quodam inter se odio flagrantes, simul atque alter alterum conspexerit, in mutua funera sponte rapiuntur, ambóque eadem dimicatione occidunt. Quapropter

*Scorpius & Crocodilus.*

pter hoſtes duos in damna reciproca concurrentes, & pari conditione inter ſe dimicantes, ſignificare volentes Ægyptij, *Scorpium* & *Crocodilum* pingebant, vt refert Valerianus in Hieroglyphicis.

XXVI. At verò nunquam fuit maior diſcordia rerum inter ſe pugnantium, inter calorem, & frigus, album, & nigrũ, tenebras, & lucem; *Scorpium*, ac *Crocodilum*; quàm inter *Mortem* & *Vitam*, quæ eſt Christvs. Quid itaque mirum, hos duos capitaliſſimos hoſtes, dum in arenâ conſiſterent, in mutuum incitatos exitium? Itaque congreſſi fuerunt in Crucis orcheſtrâ; Mors & Vita *duello conflixêre mirando* Concipite *Scorpium* & *Crocodilum*. Pungit *Scorpius*, Cadit *Crocodilus*; in cuius viſceribus reſidet aculeus pungentis. Sed poſt paullulum *Dux vitæ mortuus, regnat viuus*: ferit *Scorpium*, & interimit, acclamantibus ad inauditum victoriæ genus ſpectatoribus, Angelis, & hominibus. *Vbi eſt* Mors *victoria tua? Vbi eſt* Mors *aculeus tuus?*

*Incaſſum caudâ conſurget* Scorpivs *uncâ*,

occidit, occidit. Quid mirum ad Chriſti conſpectum terreri *Mortem*, ſicut *Scorpius* viſo *Stellione* Galen. libro de theria. ad Piſon Phidas.

καὶ ἀσκαλαβώτην φθορεὺς κλώψ σκορπίος

*Et Stellionem perditor, fur* Scorpius

timet, & eum dum videt, redditur immobilis.

Nos, ſi feralem *Scorpium*, tanquam eius victores in poſterum volumus non timere, ſed detriumphare cum Christo, &, vt nobis non noceat, efficere, *Mortis* pro nobis à Christo obitæ memoriam quotidie in nobis renouemus. Hæc enim velut *pulueriʐatus Scorpius*, malo eius medetur.



# NOTÆ

## AD COMMENTATIONEM XII.

## MORS

# SCORPIVS.

§.I. VBI est *Mors* stimulus tuus?] *Tertul. legit ferè semper,* Aculeus. *lib de Resurrect. carnis cap.* XLVII. Vbi est *Mors* aculeus tuus? vbi est *Mors* contentio tua? *Eodem modo cap.* LI. *&* LIV.

*Aristoteles lib.* IV. *de partibus cap.* 6. *scribit inter omnia insecta stimulo, vel spiculo armari Scorpium.*

§. II. Scorpiacum] *Tertullianus scripturus contra Gnosticos, & omnes Martyriorum refragatores, libro titulum fecit,* Scorpiacon: *cuius caussam principio statim indicat, quod ij, velut* Scorpij, *multos simplices, & rudes in ardore persequutionis, argumētis aduersus Martyria, tanquam spiculis quibusdam, offenderent, figerent, occiderent. Itaque Gnosticorum Symbolum, quà Hæreticorū, putat esse* Scorpium, *quod Vigilantio etiam accommodat S. Hieronymus, nominans Tertullianum, qui cap* I. *sui libelli:* Tempus, *inquit,* admonuit, aduersus nostrates bestiolas, nostrate *Scorpiacum* stylo temperare: qui legetis, bibetis: Nec amarum, potiò, si eloquia Domini dulcia super mella, & fauos.

*De Scorpio Plinius libr.* X. *cap.* 72. *lib.* XI. *cap* 25. *& numerat naturalia remedia* LXII. *contra Scorpionū ictus. Verum quicquid ab antiquis, & iunioribus de Scorpio fuit proditū, id totum ferè in certa digestū capita habet Vlysses Aldrouandus libr.* V. *de Insectis cap.* II. *Præter quem lege Simonem Maiolum in Canicularibus, Colloquio V. & Petrum Berthorium in Reductorio Moral. lib.* X. *cap.* 92. *quod est de Scorpione terrestri: & libr.* IX. *cap.* 101. *de Scorpionibus maris.*

§. III. MORS variè definitur] *Mors, si accipiatur metaphoricè est res cuiusque, licet inanimatæ, interitus, quomodo Plinius lib* XXVIII. *cap.* 22. *vocat rerum omnium obliuionem, Mortem Memoriæ. Si propriè, varijs finitionibus describitur, quas habent nominati: Lactantius lib.* II. *Instit. cap.* 13. *Cicero libr.* I. *Tusculan. Plato in Phædone. Trismegistus apud Stobæum sermo.*

*sermo.* CXVII. *Corporis dissolutio: Corporis sensus abolitio. Themistius apud Ioan. Picum Mirandul. de Morte cap.* 2.

§. IV. Mors, Priuatio vitæ.] *Quid sit* Priuatio *disputant Philosophi* 1. *Physicor. Qui plurimum illi tribuunt, dicunt esse,* Ens negatiuum, *quid hoc aliud, quàm Non-ens, & Nihil? Lege Toletum, Conimbricenses, Rubium, Hurtadum Disp.* III. *Phys.*

§. V. Peccatum est Nihil.] *Acriter pugnant doctissimi Theologi cõtra sententiam Caietani, asserentis, Peccatum nõ esse meram priuationem, vel Nihil, si formaliter spectetur; & vtuntur eo argumento: quia alioqui DEVS propriè esset caussa Peccati. Legendi Interpretes S. Thomæ* 1. 2. *Quæst.* LXXI. *Gregorius de Valentia Disp.* VI. *Gabriel Vazquez Disput.* XV. *Ioannes Azor Tom. Instit. Moral. lib* IV. *Ioannes Salas Tract. in* 1. 2. XIII. *Disp.* II. *sect.* 3.

*Patres antiqui idem adfirmãt verbis clarissimis. S. Basilius Homil.* VIII. *Quod* DEVS *non sit Auctor peccati, seu malorum.* Malum, *inquit,* boni priuatio est. *Quam mali definitionem habet etiam S. Augustinus lib* I. *Soliloq. cap.* I. *vbi, Peccatum appellat, quod non est: & Tract.* I. *in Ioannem, ac sexcentis alijs locis, dicit esse Nihil, & priuationem boni, sicut cæcitas est priuatio visus.*

*Ioan.* I. *Sine ipso factum est* NIHIL, *id est,* Peccatum. *Alias huius loci expositiones habet Ioann. Maldonatus, qui datam nihilominus admittit. Eadem adducunt Concionatores.*

*Gabriel Inchinus Concione* I. *de Morte. Licet* DEVS *omnipotenti manu sua condiderit omnia* (omnia per ipsum facta sunt) *attamen Mortem non fecit. Est enim Mors, vti liquet, defectus quidam, siue priuatio tendens ad Nihilum.* Priuatio *verò, teste Philosopho* nihil est. Nihil *autem non fecit* DEVS: *sed factum est sine illo, dicente Euangelista:* Sine ipso factum est Nihil. *Ergo asserendũ est* DEVM *non fecisse Mortem.*

*Adiungit aliam rationem. Quoniam* DEVS *omnia creauit secundum rerum creatarum ideas & imagines, seu exemplaria, quæ in illo perenniter sunt, viuunt, & vitam habent: quemadmodum cælestis illa Aquila rectè ait: Quod factum est, in ipso vita erat. Quare si* DEVS *fecisset Mortem, oportet quoque ideam illius in ipso fuisse, & adhuc esse. In Deo autem non est, neque esse potest Idea Mortis. Vita enim & Mors sunt contraria, & iuxta Philosophum: duo contraria non possunt esse simul in eodem subiecto. Ergo cùm Deus sit summa vita, & ipsamet vita: ac omnia quæ in ipso sunt, secundum esse ideale viuant, non potest in ipso quicquam esse mortuum: multo minus Mortis ipsiusmet idea. Lege S. Thomam* I. P. Q. XV. A. 3. *vbi disputat: An omnium quæ cognoscit* DEVS, *sint Ideæ. Certè malorum, ac non entium*

*tium proprie Ideas non habet* DEVS: *imò nec rationem cognoscendi. Non Ideas, quia non sunt factibilia. Non rationem cognoscendi, quia non sunt cognoscibilia per se, sed solū in ordine ad aliquod bonū Sapientiæ* I. 13. *clarissimè dicitur:* DEVS Mortem non fecit: nec lætatur in perditione viuorum. *Nam Mors non est nisi pœna peccati, aut orta ex peccato. Ergo directè illam* DEVS *non vult, nec vt homines illam subeant.*

*Nihilominus benè dicit Ecclesiasticus* c. XI. 14. Mors & vita à Deo sunt. *Et* DEVS mortificat, ac viuificat 1. *Reg.* II. 6. *Tobiæ* XIII. 2 Creat tenebras & malum, *Isa.* XLV. 7. Occidit, & viuere facit, *Deut.* XXXII. 39. *Nempe ad peccati vindictam.*

*§. XIII.* Terra suppurat.] *De Scorpij ortu Aristoteles libr.* v. *de Histor. animal. cap.* 26. *Albertus libr.* XIX *de Animal. cap.* 18. *Auicenna lib.* XV.

*§. XVI. sub omni lapide Scorpius insidiatur. De hoc adagio Erasmus Chiliad.* 1 *Centuria* 4. *Henric. Stepha. apud Manutium in Adag. In omni loco Mors expectat. Locus communis sæpè pertractatus. Exempla suppeditat omnis generis Theatrum Volum.* II. *lib.* 7. *per plurimos titulos.*

*§. XIX Genera Scorpionum nouem habet Ælianus lib.* VI. *de Animal. cap.* 20. *Quod examinat expenditque Aldrouandus lib.* V. *de Insectis pag.* 574.

*Quis Mortis genera explicet? Vniuersè duo possunt statui, ad quæ reuocentur reliqua: Propria, & Figurata. Illa naturæ est, seu corporis: hæc virtutis, quæ & Philosophica. De qua Plato in Phædone Tota Philosophorum vita, est iugis commentatio Mortis, vt Cicero lib.* II. *Tusculan. exprimit.*

Porphyrius apud Stobæum Serm. CXV. *Altera Mors vulgo cognita cùm corpus ab animâ soluitur: altera Philosophorum, cum anima soluitur a corpore: & non necessariò, alteram sequitur alteram.*

Macrobius lib. I. in Somnium Scipion, cap. 13. *Ipsius animalis, hoc est, hominis duas asseris Mortes Plato, quarum vnā natura, virtutes alteram præstant. Homo enim moritur, cùm anima corpus relinquit solutum lege naturæ. Mori etiam dicitur, cum anima adhuc in corpore constituta, corporeas illecebras, Philosophia docente, contēnit: & cupiditatum dulces insidias, reliquásque omnes exuitur passiones. Mortem Gratiæ, Raptus, Gloriæ, reliquásque nominatas benè declarat Philippus Boskierius, De finibus bonorum & malorum Concione* 1. *Parte* 2.

*§. XX.* Scorpius caudâ nocet.] *Hoc proprium istius bestiolæ: atque idcirco* Symbolum *est occultè, & fraudulenter nocentium.*

S. Gregorius Hom. IX. in Ezechielem. *Si fortasse iustum quempiā, tanta iam virtutis inuenerint, vt ei loqui contraria nō præsumant: quia sub-*

*ace-*

*aerſores eſſe non poſſunt, ſtatim* Scorpiones *fiunt. Scorpio enim palpando incedit: caudâ ferit: nec mordet à facie: ſed poſterioribus nocet.* Scorpiones *ergo ſunt omnes blandi, & malitioſi, qui bonis quidem in faciem non reſiſtunt: ſed mox vt receſſerunt, derogāt: alios, quos valuerint, inflammāt: quæque poſſunt noxia immittunt: mortifera inferre occulti non deſinunt.*

*Legendus Vlyſſes Aldrouandus, Titulo, Scorpij Mores, Ingenium. Sidonius, inſidiatricem fortunam hoc Symbolo exprimit. Quæ virum, inquit, vt* Scorpius, *vltimâ ſui parte percuſſit. Quin & Mathematici vel D. Ambroſio teſte, percuſſorem, & ad inuadendum ex inſidijs promptum eum futurum dicunt, quem ſcorpius naſcentem exceperit.*

*§. XXI. S. Hieronymus lib. contra Vigilantium, contra Gnoſticorum perfidiam* Scorpiacum *ediſſe dicit: quòd ea hæreſis* Scorpij *in morem, arcuato vulnere in Eccleſiæ corpus venena diffunderet.*

*§. XXIII.* Scorpij catenati.] *B. Epiphanius Hæreſi* XXX. *Scorpijs ſimiles dicit Gnoſticos: quod ſicut* Scorpius *alter alteri implexus, catenam nectentes, decem aut plures de tecto, ſiue domo ſeipſos demittunt, & ſic cum dolo perniciem hominibus machinantur: ſic Valentinus, ac qui ab eo originem duxerunt, Gnoſtici, occaſionibus ab ipſo acceptis, alter ab altero doctus, poſt præceptorem, additionem erroris fecerit, & aliam hæreſim induxerit, ex priori dependentem: atque ita per ſucceſſionem in hæreſes diuerſas Gnoſtici ſint diuiſi: à Valentino tamen, & anteceſſoribus eius, occaſionibus velut annulis magnæ illius catenæ acceptis.*

*Aliam cauſſam dat Hæreſi* XXVI. *quòd ex Nicolao Hæretico, velut ex fœcundo ſerpentis, aut aſpidis ouo* Scorpii *ſint geniti.*

*Ad gloriam Virginis Deiparæ Patronæ noſtræ ſpectat, quod piè contemplatur Ioannes Buſtamantinus lib.* IV. *de Animalibus ſacræ Scripturæ ca.* VII. *Quamuis* Aculeum *Scorpij* Mortis *auulſerit, extraxerítque ſolus* CHRISTVS, MARIAM *tamen prius in ſe illum hebetaſſe, & obtudiſſe:* Ipſa conteret caput tuum, *dictum erat Serpenti. Defecit in Deiparâ ſtimulus infernalis* Scorpij, *obtuſus, hebéſque factus, vt dum iceret amantiſſimum filium pungeret leuius. Sic Mater amātiſſima* Mortis aculeum *retudit, ne Filio nimium noceret.* Vbi MORS Aculeus tuus?

COM-

# COMMENTATIO XIII.

## MORS

# COLVBER.

*Absorpta est* MORS *in victoriá,* 1.Corinth.XV.54.
*Præcipitauit* MORTEM *in Sempiternum*, Isaiæ XXV.8.

## BREVIARIVM.

1 *Mors absorpta in victoria. Mors præcipitata in sempiternum.*

2 *Duplicis Mortis congressus. Mors Christi voratrix. Mors Adami absorpta.*

3 *Præcipitare, absorbere, deglutire, deuorare, perdere, dissipare, cognatæ omnia significationis.*

4 *Mors Christi præualens. Mors generis humani succumbens.*

5 *Deceptus Diabolus, Christum Morte superare tentans: Mors enim Domini, Mortem inimicam deglutiuit. Athanasius.*

6 *In Cruce Mors Mortem superauit in æternum.*

7 *Mors Colubri instar vorans colubrum. Virga Aaron versa in colubrum deuorauit magicos colubros.* Exod. VII.

8 *Serpens AEneus* Christi *Symbolum. An potiùs Peccati? An* Christi, *quatenus peccatum tulit? An, quia similitudinem peccatoris gessit?*

9 *Serpens AEneus imago Mortis. A Serpente Mors, qui peccatum, quo mori mereremur, persuasit.*

10 *Peccatum & Mors Serpentis soboles. Inde similis denominatio.*

11 *Diabolus, Mors, Serpens serpendo malignitatem suam exerunt.*

12 *Serpenti præter venenum, inest antidotum. Mors veneno pestifero interimit: memoriæ pharmaco viuificat.*

13 Christi *Mors humani generis Mortem, tanquam virulentum* Colubrum *dẽtibus discerpsit, & absumpsit.*

14 *Comedere carnem populi: pellem excoriare: ossa confringere: deuorare plebem: pecus deglubere, similiáque perdere significant.*

15 *Carnibus alicuius saturari, amici est, & hostis capitalissimi.*

*Viri*

# *Viri Nobiles, & Reuerendi, Honori Diuinæ Eucharistiæ, & magnæ Dei Matris sponte vestrâ Addicti.*

I. QVOD Paulus Apostolus ad insultandum MORTI, & acclamandum CHRISTO Triumphatori, hunc in modum effert: VBI *est* Mors *victoria tua? vbi est* Mors *stimulus tuus?* apud Oseam ita redditur, ex Hebræo: *Ero* Mors *tua ô* Mors, *ero morsus tuus, Inferne.* LXX. autem Interpretes habent: *Vbi est caussa tua* MORS, *vbi est aculeus tuus, Inferne?* Similis est diuersitas in sententiolâ præcedente apud Apostolum: *Absorpta est Mors in victoriâ*: quæ Isaiæ XXV: 8. hac verborum complexione enunciatur: *Præcipitauit Mortem in sempiternum.* Quæ omnia bellè conuenire, & tot modis transfundi in Latinum sermonem potuisse, mihi exploratum est, & exactissimè ostendunt, præter Commentatores Epistolæ Paulinæ eximij, Benedictus Iustinianus, & Cornelius de Lapide, Interpretes Prophetarum doctissimi, Franciscus Ribera, Christophorus Castrius, & Caspar Sanctius. Ego, quod mei est instituti, mysticas aliquot *Symbolorum* rosas, ex spinoso litteræ occidentis senticeto colligam: vos sinum ad excipiendas expandite. *Diuersitas litteræ, non sensus* *Ose XIII. 14.*

II. AGITVR in vtroque vaticinio, de *Morte* non fugatâ modò, sed deuictâ omninò, penitúsque debellatâ: At vario *Symbolo*. In Isaiâ videtur delitescere imago duplicis *Mortis*, specie duorum animalium, quorum id, quod præualet, alterum deuorat; penitúsque absorbet. Horum alterum repræsentat *Mortem* CHRISTI deuoratricem: alterum, *Mortem* Adami, aut humani generis absorptam. Quod tum ex Isaiæ verbis colligo, tum ex Patrum quorundam antiquorum interpretatione. *Duplex Mors.*

III. Propheta ita loquitur: *Præcipitauit* Mortem *in sempiternum.* Quam enuntiationem eandem esse cum illa Paulinâ: *Absorpta est* Mors *in victoriâ*, insinuat S. Hieronymus, Haymo, & Forerius in Isaiam, nec sibi dubium esse inquit Sanctius: idémq; opinantur S. Thomas, Alphonsus Salmeron, Emmanuel Sa in Paulum. Et id verba originalia satis indicant. Quod enim Latinus habet, *Præcipitauit* (sic enim legendum in præterito, non *Præcipitabit* in futuro, Hebraicè est, בלע *balahh*. quod in vna coniugatione significat, *absorbere, & deglutire*: per metaphoram autem, *abscondere, operire.* At in coniugatione aliâ, *Præcipitare, absorbere, deglutire.* NOTA.

idem est, quod *perdere*, ac *dissipare*. Nonnunquam verò sumitur pro ingurgitare, & præcipitare, inde fortasse ductâ metaphorâ, vt suspicatur Iustinianus, quod quæ vorantur, in ima ventris præcipitentur, & ibi quodammodo abscondantur, destruantur, perdantur, ac pereant. Atque ita in Sacris-litteris pro eodem sæpe accipiuntur, *absorbere, deglutire, perdere, deuorare, præcipitare*. Sic lib. II. Reg. 20. *Quare præcipitas hereditatem Domini?* Iob x. *Et sic repente præcipitas me*: tandémque Dauid, *Præcipita Domine: diuide linguas eorum*. Est itaq; idem *Præcipitauit*, quod, *Absorpsit*, atque ita vertunt LXX. κατέπιεν. Sed Paulus dixit passiuè *Absorpta* est *Mors*: Nimirum, idiotismi Hebraici peritissimus, non ignorabat Hebræos præteritum actiuum interdum pro passiuo sumere ac collocare. Illud autem, *Insempiternum*, Hebraicè, *Lanethsach* לנצח idem est, quod, *in victoriâ*: quare ita conuertūt LXX. κατέπιεν ὁ θάνατος ἰσχύσας, quod Latinè ita sonat, *Deuorauit*, siue *absorpsit* Mors *præualens*, *aut* vincens.

*II. Reg. XX. 19. Iob. X. 8. Psal. LIV. 10.*

*Mors Christi deuorat Mortem nostram.*

IV. IAM verò, Patrum plerique hæc ita exponunt, ac si duæ *Mortes*, congressæ fuerint, & CHRISTI quidem *Mors*, nostram, id est, generis humani, deuorarit, sicque vires eius omnes extinxerit; quod clarissimè præferunt verba LXX. Interpretum: si enim deuorauit *Mors præualens*: ergo *succumbens* deuorata fuit, non ab aliâ, quàm à *Morte præualente*. Significant igitur victricem CHRISTI *Mortem*, humani generis *Mortem* deglutiuisse. Ita symbolū hoc efformasse Irenæum nemo ambiget, qui hæc eius verba perpenderit.

*S. Irenæus lib. V. cap. 12.*

*Si* MORS *possidens hominem expulit ab eo vitam, & mortuum ostendit: multo magis vita possidens hominem, expellet* Mortem, *& viuentem hominem restituet* DEO. *Si enim* Mors *mortificauit, quare* Vita *adueniens non viuificat hominem? quemadmodum Isaias ait*: Deuorauit MORS POTENS, *indicans Christum, qui est vera Vita, dum mori voluit, potenti sua* Morte *humani generis* Mortem *vorasse*. Igitur *Mors* Christi, vel Christus per *Mortem* suam absumpsit Adami, nostrámque *Mortem*. Quod planissimè significat S. Athanasius Orat. de Passione Domini, vbi inquit:

*S. Athan: Orat. de Passione.*

*Frustratum esse Diabolum, dum confligit cum* Vita, *id est, cum* CHRISTO. *Non n. cum* MORTE *superare potuit. sed potius aculeū suū amisit; vt quos anteà tenebat: ille stimulus: nunc ab illis conuicio incessatur, cum dicit*, Vbi Mors tuus stimulus? Vbi, Inferne, tua Victoria. *Ac rursum deuorauit* MORS *illa* POTENS; Sic enim Græca interpretatur Iustinianus, quod in codice

Athanasij

Athanasij Latino legitur *In deglutione* Mors *fuerat, postquam inualuerat.* Sed vtriusque idem est sensus: nimirum, *Mortem*, illam olim truculentam, & terribilem, perditam esse, penitusque à Domini *Morte* potente, ac præualente consumptam. Hanc expositionem postulat, quod LXX. habent κατέπιεν ὁ θάνατος ἰσχύσας. vbi non de quauis *Morte*, sed de *Morte* singulari, & aliquâ insigni sermonem esse articulus satis indicat. Quare ita clarissimè sensum concipit Ribera, *Absorpsit* MORS PRÆVALENS, id est, MORS *illa insignis præualuit alteri Morti,* quæ per peccatum introducta erat in mundum, & absorpsit eam: id est, exterminauit, & consumpsit. *Mors singulari.*

VI. Robur hæc accipiunt ex carmine Ecclesiastico, in quo locus etiam congressionis harum duarum, inter se congredientium Amazonum exprimitur. *Super omnia ligna Cedrorum tu sola excelsior, in qua* Vita Mundi *pependit: in qua* CHRISTVS *triumphauit*, & MORS MORTEM *superauit in æternum.* Fingit ergo Ecclesia, more Poëtico, per *Symbolum*, duas *Mortes*, in Crucis campo concurrentes, & vnam alteram deuorantem. *Antipho. ad Bened Inuent. S. Cru. III. Maij.*

VII. AT, quâ formâ concipiendæ sunt hæ bellatrices? Dum audio, vnam deuorasse alteram, in mentem mihi veniunt virgæ Aaronis, ac Magorum Ægyptiorum. Tulit Aaron virgam, quæ versa est in *Colubrum.* Et virgæ Magorum versæ sunt in dracones: sed deuorauit virga Aaron virgas eorum. Quid vetat *Mortem* CHRISTI, tanquam *Colubrum*, sicut etiam *Mortem* nostram cõtemplari: sicq; hanc, ab illâ deuoratam fuisse, animo concipere? *Virga Aaronis in Colubrũ. Exod. VII.*

VIII. Fictionem hanc promouent Patres, dum de *Serpente æneo* disputant. Stipes enim, siue furca, in quâ erectus fuit, Crucem repræsentabat: quem verò *Serpens* ipse? CHRISTVM hauddubiè; qui *symbolum* exponit, Ioan III. *Sicut exaltauit Moses serpentem in deserto: ita exaltari oportet filium hominis.* At quomodo *Serpens*, animal maledictũ, & abominabile fuerit figura Christi, disquirunt Doctores. Quorum aliqui existimant, illum non tam Christi, quàm Peccati in Cruce suspensi, gessisse imaginem: vel, Christi, quatenus peccatum tulit. Alij, ob eam caussam: quod, quemadmodum *Serpens æneus*, verè *serpens* non erat, licet videretur esse: ita Christus in Crucem sublatus, videbatur quidem peccator, sed reuera non fuit: vt egregiè explicat Nicetas. *Serpens æneus Num XXI.* NOTA.

IX. MIHI admodum probatur, quod scribit Theophanes

 Homil.

Serpens Symbolum Mortis.

Homil. in Dominic. ante exalt. S. Crucis. *Ex sententia sapientissimi Maximi suspensus* Serpens, MORTIS *erat* Symbolum, *cuius auctor, & procurator* Serpens *fuerat. At lignum, in quo eleuatus est, Crucem denotabat.* Nec displicere hoc potest S. Augustino, qui ita differit: *A* Serpente MORS *venit, qui peccatum, quo mori mereretur, homini persuasit. Dominus autem in carnem suam non peccatum transtulit, tanquam venenum* Serpentis: *sed tamen transtulit* MORTEM: *vt esset in similitudine carnis peccati, pœna sine culpa, vnde in carne peccati, & culpa solueretur, & pœna.*

S. Aug. lib. 1. de Peccator. Merit. cap. 32. Similia Serm. 101. de Temp.

Peccatum & Mors Serpentis soboles.

X. Illi quoq; qui *Serpentem* æneum Peccati typum esse volunt, plurimum nobis fauent: idcirco enim id adfirmari posse opinantur: quod *in Sacris litteris pater peccati*, Serpens *nominatus sit*, vt loquitur Theophanes, ex quo conficit, etiam id, quod ex hoc *Serpente* progenitum est, *Serpentem* vocari, eiusdem cum genitore suo, nominis: quod non minus *Morti*, quàm *peccato* conuenit, cùm tam illa, quàm hoc, *Serpentis* sit soboles.

NOTA.

Diabolus Serpens, & Mors, quæ serpit.

XI. Deinde, nomen considera: est *Serpenti*, magna cum *Mortis* artificio, cognatio, sicut & cum Dœmonis, quem idcirco Serpentem vocat Cyprianus Tractatu de Simplicitate Clericor. *Quia cùm latenter obrepit, cùm per pacis imaginem fallens, occultis accessibus* serpit (*vnde* Serpentis *nomen accepit*) *ea est eius astutia, ea est circumueniendi hominis cæca, & latebrosa fallacia, vt asserere videatur noctem pro die, venenum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub prætextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi: vt dum verisimilia mẽtitur, veritatem subtilitate frustretur, nam transfigurat se in Angelum lucis.*

Serpens sanat. Nicet. ad Orat. II. in Pascha Greg. Naz.

XII. ADDE, quod habet Nicetas, *Serpentem*, quem Moses sustulit, hac quoque caussâ figuram Christi gessisse: *quoniam, quemadmodum corporeus* Serpens, *non solùm venenum habet, per quod qui ab eo icti fuerint, extinguuntur: sed etiã vitæ pharmacũ, quo accepto, qui percussi fuerũt, ad vitam reuocantur: sic* (inquit) *ex interẽpto Adamo homini medicamentũ inuentũ est, quod est Domini Corpus, cuius vi, omne peccati virus à credentibus aboletur.*

Mors.

Haud sequus, *Mors* Christi, & nostra, non solùm venenum habet, quo infecti interimus omnes, verùm etiam, præsentaneum remedium, quo ad vitam reuocantur, à malo *Colubro* percussi. Christi quidem *Mors*, per meritum, quo humanum genus à *Mortis* æternæ captiuitate est exemptum: nostra verò, per sui memoriam, quod efficacissimum est pharmacum immortalitatis.

XIII. ITAQVE MORS CHRISTI, tanquã *Serpens* reliquorum

victor

victor, humani generis *Mortem*, ceu virulentissimum *Colubrum*, deuorauit: & *Mors Mortem* præcipitauit in patentissimam ventris sui lacunam, in sempiternum. Quid est *deuorauit?* id est, ita absumpsit, ita potestatem illius, & tyrannidem deleuit, ita vim omnem, & metuendas eatenus vires diminuit, vt non plus illius supersit, quam alicuius boli, quod à crudelissimâ ferâ, famis rabie instigatâ, dentibus manditur, & in ventrem, indéque in secessum mittitur. Hanc energiam habet vocula illa in Litteris diuinis.

*Deuorare quid.*

XIV. Quomodo Micheæ III. Principes Iacob, & duces domus Israel, dicuntur comedisse carnem populi, & pellem eorum desuper excoriasse & ossa confregisse, & concidisse, sicut in lebete, & quasi carnem in medio ollæ. Eadē similitudine Psal. XIII. exprobratur iis, qui operantur iniquitatem, reipublicæ magnatibus, quod deuorent plebem Dei, sicut escam panis: Symmachus, ὡσεὶ ἄρτον, tanquam panem: August. *sicut cibum*, quomodo est Psal. LII. 5. id est, cum tanta facilitate, voluptate, auiditate, quanta, panis fructum esuriens. sic, bibere sicut aquam, iniquitatem dicuntur impij Iob. XV. 16. scilicet, absque impedimento, ita vt nemo possit resistere, vehementissima auiditate, facile: vt Numeror. XIV. 9. Sicut panem ita possumus eos deuorare. Sic proximi sui carnem deuorare legitur apud Zachariam. Et Christus quoque reprehendit Scribas, quod deuorarent domos viduarū, simulantes longam orationem, id est, facultates earum absumerent. Ita monebat Tiberius: pecus non tondere, sed deglubere. Quod facientem egregiè, Homerus vocabat, δημοβόρον βασιλέα: populi voratorem Regem.

*Comedere carnem populi. Michea III. 1 2 3. Psal XIII. 4.*

*Zacha capi XI 9. Mar. XII 18, Luc XX 47. Suet. in Tiber.*

XV. Solennis etiam fuit illa Iobi querimonia, qua persequutores carnibus saturatos induxit, ac narrat, dixisse viros tabernaculi sui *Quis det de carnibus eius vt saturemur.* Quod quidam, pro ardentissimâ cupiditate fruendi illius præsentia explicant, alij de sæuitia Brasilis, & barbaris plerisque vsitata inuolandi dentibus in carnes inimici, & dilacerandi, ac manducandi, si non omnes, cor saltem, hominis compendium. Eodem ardore, concipio *Mortem* Christi, exertis, apri in morem, dentibus, terribili rictu, ore spumāti, & anhelo, in *Mortem* nostram fecisse impetum, eámque totam quantam, licet multum reluctantem, & ore, caudâ, stimulo, sese tueri conantem, deuorauisse: Nonne verè, ABSORPTA *est* MORS *nostra in* VICTORIAM? *præcipitata in* SEMPITERNVM?

*Carnibus saturari. Iob. XIX. 22. Iob. XXXI. 31*

 NOTÆ

# NOTÆ

## AD COMMENTATIONEM XIII.

## MORS

# COLVBER.

NOmen Symboli *formamus ex Sacra- Scripturâ: Exod.* VII. 8. Dixit Dominus ad Mosen & Aaron: Cùm dixerit vobis Pharao, ostendite signa: dices ad Aaron: Tolle virgam tuam, & proiice eam coram Pharaone, ac vertetur in *Colubrum*. Tulitque Aaron virgam coram Pharaone, & seruis eius, quę versa est in *Colubrum*. Proiecerunt que *Magi* virgas suas, quæ versæ sunt in dracones: sed deuorauit virga Aaron virgas eorum. *Vbi obserua: Cum S. S. dicat virgam Aaron versam in* Colubrum, *Magorum in* Dracones, *non significari diuersam animalis speciem. In Hebræo enim vtrobique eadem vox est,* תנין. Thanin. *& LXX vtrobiq; vtuntur vocabulo eodem* δράκοντ☉. *Atque est admodum verosimile, ne ars videretur dissimilis, similem fuisse ab impostoribus procuratum effectum.*

§. III. *Præcipitauit* ] בלע Balahh, *in coniugatione Rab, idem est, quod* absorbere: *in coniugatione Piel,* perdere. *Expendunt verbi huius significationem & energiam Interpretes Prophetæ, ac Apostoli, quos nominaui, & præter illos Ioannes Pineda Iob.* x. 8. Sic repentè præcipitas me? *quo indicatur casus omninò repêtinus & subitus interitus. Hebræum autem propriè videtur significare præcipitationem ex gutture, faucibúsque in imum ventriculum, qui est velut præcipitium ac locus perditionis, interitus, consumptionis: atque inde est quod idem sit, ac perdere, & destruere.*

*Sic Psalmo* V. 10. *dicitur:* Sepulchrum patẽs est guttur: *id est, præcipitium: quod fiat allusio ad ventriculum, qui est veluti perditionis, absumptionis, atque interitus locus, sepulchri instar, cuius ianua & aditus est ipsum os. Illud etiam significatur, cùm loquuturi, aperiunt os, comedere, deuorare, consumere. Quo spectat illud de detractoribus, ad Galatas* V. 15. Si inuicem mordetis, & comeditis, videte ne ab inuicem consumamini.

*Hinc* verba præcipitationis *Psal.* LI. 6. Dilexisti omnia *verba præci-*

*præcipitationis* lingua doloſa, *quaſi dicat, ô petulca lingua, alieni honoris gurges, & vorago, quam tibi dulcis eſt, alienæ fama, vitæque abſorbitio, & deglutitio, præcipitatio, interitus, abſumptio, deuoratio. Hieronymus legit:* Dilexiſti omnia verba ad deuorandum.

*Itaque, quod Iſaias dicit*, Præcipitabit *Mortem* in ſempiternum, *Paulus eodem verbo, clariori aliquantò oratione dixit:* Abſorpta eſt *Mors* in victoria. *Siquidem Præcipitatio illa eſt abſorptio, abſumptio, atque* deſtructio. *Nam eodem verbo dicitur* II *ad Corinth.* v. 4. Vt abſorbeatur, (*deſtruatur*) mortale hoc. *Et* II. *ad Corinth.* II. 7. Ne forte abundatiori triſtitiá abſorbeatur; *hoc eſt, pereat, obruatur. Eadem metaphora dictum eſt Matth.* XXIII. 14. Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia comeditis (*comedendo, & largè potando, abſumitis ac perditis*, domos viduarum. *Illud autem*, In ſempiternum, *idem eſt, quod, in finem, in victoriam, perpetuò: non erit rediuiua Mors ſemel abſorpta.*

II. *Reg.* XX. 19. *Abelina mulier ad Ioab:* Quare præcipitas hereditatem Domini? Et reſpondens Ioab ait: Abſit, abſit hoc à me, non præcipito, neque demolior. *LXX.* Vt quid demergis hereditatem Domini. Et reſpondit Ioab & dixit: Propitius mihi ſit *DEVS*, ſi demergam, & ſi corrumpam. *Itaque præcipitare eſt abſumere, corrumpere, perdere, demergere.*

§. *VIII.* Serpens æneus.] *Quomodo Serpens fuerit Typus Chriſti variè explicant Patres, vt inſinuo. illorum verba refert Iacobus Gretzerus lib.* I. *de Cruce cap.* 45. *S. Gregorius Nazianzenus Orat.* II. *de Paſcha, contendit non eſſe dicendum Typum Chriſti, ſed Antitypum. Rectè, ſi Serpentem vt pernicioſum, Mortiſque auctorem: Chriſtum autem, vt ſalutiferum, & vitæ largitorem conſideremus, quemadmodum commentatur Nicetas in Notis ad Orat.* II.

§. *IX.* Serpens Symbolũ Mortis.] *Seuerianus Gabalorum Epiſcopus Oratione de dedicatione Eccleſiæ Saluatoris, ſeu Crucis, vt habet Billius Annot.* I. *in lib.* I. *Damaſc. de Imagini.* Intelligis DEVM, ne fieret vlla ſimilitudo, præcepiſſe: quo populum à ſimulacrorum cultu, ad quem erat propenſus, auocaret, exaltatúmque *Serpentem* Domini cruciatuum, & MORTIS imaginem extitiſſe.

§ *X.* Theophanes.] *Fuit hic Cerameus Archiepiſcopus Thauromeniæ. Scripſit homil. in Dominic. ante Exaltat. Crucis, vbi hæc habet: Ne turbetur quiſpiam Chriſti amantium, cùm audit rationem tanti myſterij in tam inuiſum animal conuenire. Sicut enim in Sacris litteris pater peccati Serpens nominatus eſt: etiam id, quod ex hoc ſerpente progenitum eſt, Peccatum, in-*

quam

*quam, Serpens vocabitur eiusdem cum genitore suo nominis. At Dominum pro nobis factum esse peccatum testatur Apostolus* II. *ad Corinth.* V. *cùm nostram naturam peccatis obnoxiam adsumpserit: Eum qui non nouerat peccatum pro nobis peccatum fecit. Conuenienter ergo accommodatur Domino hoc ænigma.*

§. XII. Serpens sanat.] *Multa sunt de hoc Patrum testimonia, dum explicant sententiam Christi, Ioan.* III. 14. Sicut Moses exaltauit Serpẽtem in deserto, sic exaltari oportet Filium hominis: *clarissimum Theodoreti, Mortem nominantis in cap.* XXI. *Numerorum Postquam enim declarasset analogiam inter Christum ac Serpentem æneum, subiungit:* Sicut à serpentibus morsi Serpentem intuentes sanabantur: ita qui vulnerati sunt à peccato, Passioni Saluatoris nostri sine vlla dubitatione credentes, MORTEM superant, & vitam æternam consequuntur. *Legendi, Tertullianus lib. contra Iudæos cap.* X *libr.* III. *contra Marcion. capit. 18. Ambrosius lib.* III. *de Spirit. S. capit 9 & in Apologia cap. 3. Augustinus de peccatorum meritis c.* XXXIX. *Serm.* XIV. *de verbis Apost. Tract.* XII. *in Ioan. lib.* XII. *contra Faust. cap. 20. Prosper de Præd. ction.* II. *cap.* II. *Bernardus Tract. de Passione Domini. Nazianz. Orat.* II. *de Pascha. Chrysostomus Homil. de Crucis adoratione. Cyrillus Alexandr. cap.* XIV. *de Adorat. Epiphanius in hæresi Ophitarum. Damascenus lib.* IV. *de fide cap.* 12. *Ephrem. Serm. de Pœnit. Iustinus Dialogo cum Triphone. Andreas Ierosolymitan. Orat* II. *de Crucis Exaltat. Ex recentioribus Cornelius de Lapide, & Leonardus Marius Numerorum* XXI. 9.

§. XIV. Deuorare carnes, habitatores, populum.] *Frequenter occurrit istiusmodi formula. Significat* 1. *facilem, expeditámque perdendi rationem: Vt illud Comici*

Sicut volpes pyrum comest.

*Item*

Tam facile homines occidebãt, quàm canis exta edit.

*Simile est illud Xenophon. lib.* III. *rerum Græcar. Crudos velle deuorare ipsos,* καὶ ὠμῶν ἐσθίειν αὐτῶν. 2. *Demolitionem absque vlla commiseratione. Nemo enim boli panis miseretur* 3. *Perditionem cum auiditate, & desiderio, quemadmodum vescimur pane cibo maximè necessario ac salutari. Quo pacto, illud Psalm.* XIII. 4. Qui deuorant plebem meam sicut escam panis: *Apollinarius reddit;*

λαὸν ἐμὸν κατέδοντες, ὅπως εὐάλθεα σῖτον.

Plebem meam deuorantes, sicut facilè sanantem cibum.

4. *Denotat* celeritatẽ, *sicut*, panis, *desiderium ex interpretatione Cassiodori in Psalmum* LII 5. *Qui deuorant plebem meam vt cibum panis:* Scilicet, qui semper desideranter in

vsu

vſu eſt. Nam quamuis ſingulis quibúſque temporibus eſcarum varietate ſatiemur: iugiter tamẽ nobis panis edulium eſt. 5. *Deſignat guſtum, ac voluptatem, quam percipere famelici ſolent. Ita reſpondit Lacon coquus Dyoniſio Tyranno de Spartanorum nigro iure: optimum enim condimentum eſt fames. Legendus Ioan. Pineda Iob.* XV. 16. XIX. 22. XXXI 31. *Ioan. Lorinus in Pſal.* XIII. 4. *Martinus Delrius Tom.* I. *Adag.* CIII. *&* CV. *Nicolaus Serarius Ioſue* VIII. *Q.* 8.

# COMMENTATIO XIV.

## MORS PISCIS.

LVCIVS, LEVIATHAN, BEHEMOTH, DRACO, MORSVS.

*Ero* MORS *tua ô* MORS:
*Ero Morſus tuus Inferne.*

Oſeæ XIII. 14.

### BREVIARIVM.

1 *CHRISTVS concipitur deuorare Mortem, à Morte prius deglutitus.*
2 *Chriſtus, velut Serpens victorioſus, Serpentem mortalibus infeſtum abſorbet.*
3 *Quomodo Chriſtus Serpens? quo modo ſpecie peccator, ſine veritate peccati.*
4 *Piſcis à Tobiâ captus, in terram tractus, exenteratus. Quis ille Piſcis? Cetus-ne? At cuius ſpeciei? An Balena? an Crocodilus? an Callionymus?*
5 *An Lucius? à luce is dictus, luci fauens, & ſolaris. Eſt Chriſtus ille Piſcis.*
6 *Sed & Mors, Lucius, qui deglutitur, à Piſce piſcis: à Lucio Lucius.*

7 *Lucius, quasi λύκιος, Lupinus. Mors lupinâ rabie. Græcis à voracitate λάβραξ, voracißima, Mors Luci aduersa.*

8 *Christus momordit Mortem, illiusque carnes deglutiendo absorpsit. Absorpta est Mors in victoria.*

9 *Christus paßiuè Morsus, à quo? à Morte. Sed Morsus mordenti fuit exitialis, ventre eius dissecto. At quomodo Mors Christum mordens concipienda?*

10 *Vt Behemoth, & Leuiathan. De his fabula Rabinorum. Ingentia esse animalia haud dubium.*

11 *Mors, tanquam Behemoth in oculis capta: quia nouit & momordit.*

12 *Leuiathan, Additamentum significat. Mors velut culpæ additamentum. Corpus Christi, vt escam momordit Mors Diuinitas, vt aculeus perforauit. Hami linea series generationis Christi.*

13 *Pugnat Elephas cum Dracone. Elephas cadit: sed pondere corporis Draconem victorem elidit.*

14 *Draco Babylonicus à Daniele bolo ex pice & adipe enectus Mortis à Christo interemptæ imago.*

15 *Mors à Morsu dicta: quia eius à morsu venenosi Serpentis origo.*

16 *Mors prius Christum: Christus deinde momordit Mortem. In Morsu acris sensus doloris: & partium diuisio. Vtrumque & in Morte. Mors in Christo corpus ab animâ diuulsit.*

17 *Mors in resurrectione vniuersali omnimodo destruenda.*

18 *An Infernus pro Morte & Sepulchro accipi poßit? Propriè est locus mortuorum subterraneus: ex eo Christus, velut Morsu partem Electorum abstulit.*

19. *Christus exaltatus à terrâ omnia traxit, qui de Electis suis apud Inferos nullum reliquit.*

20 *Inuectiua S. Bernardi in Mortem ob Malachiam interemptum, & in vno illo innumeram hominum multitudinem. Mors iniqua, Inconsiderata, Indiscreta, Fatua, Crudelis, Furibunda.*

21 *Si Mors mortua, quomodo occidit etiānum homines? Si victa, quomodo præualet vniuersis? Damnationis eius definita, nondum promulgata sententia.*

22 *Mors velut Malleus cœlestis opificis. Terit electos ad vtilitatem: conterit reprobos in damnationem.*

23 *Christi Morte mortua Mors: Christi Morte viuificatus homo.*



Eccle-

# *Eccleſiaſticæ Sodalitatis Diuiniſſimi* SACRAMENTI, & SS. DEI PARENTIS, *Patres Conſcripti.*

I. NON erit minus elegans *Symbolum*: nec minus lucule[illegible] STI Triumphatoris inauditam, ſeculis antecede[illegible], victoriam ob oculos ponet; ſi, non MORS vna, *Mortem* alteram: ſed CHRISTVS ipſe, MORTEM indiſcriminatim deuoraſſe, à MORTE prius deglutitus, concipiatur. Quod dubio procul latet in ænigmaticâ illâ, perplexâque Oſeæ Prophetæ, paullò antè, recitatâ ſententiâ; quam dum euoluo, in veſtri gratiam, dictis meis aures, mentémque aduertite.

II. PRINCIPIO itaque, quoniam CHRISTVS ipſe deuorauit, ac deglutiuit *Mortem*: Sic enim loquitur Petrus, dum ait, nos purgatos per reſurrectionem IESV CHRISTI: *qui eſt in dexterâ* DEI (inquit) DEGLVTIENS MORTEM, *vt vitæ æternæ heredes efficeremur*: conſideretur et CHRISTVS, tanquam *Serpens* victorioſus, *Serpentem* antiquum, & mortalibus omnibus tam infeſtum, abſorbentem. Non facio, vt ſpero, Maieſtati tuæ iniuriam, DOMINE, dum TE *Serpentem Symbolicè* dico: Eodem iure, quo LEO diceris, qui rugiens, Dæmonis eſt ſymbolum, Serpentis nomen vſurpo. Et tua eſt, CHRISTE, illa comparatio: *Sicut exaltauit Moſes Serpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis.* Nimirum, iam tunc Moſes, *Mortis*, ſalutiferæ, in cruce pro nobis obitæ, vim intentabat, quâ *Serpens*, *Mors* & *Diabolus* publicabatur: & læſo cuique à ſpiritualibus Colubris, intuenti tamen, & credenti in Crucifixum DEVM mortuum, ſanitas morſuum Peccatorum, & ſalus exinde prædicabatur. Diabolus in Sapientiâ Symbolicâ, eſt Serpens & peccatum, quia ex hoc Serpente originem trahit: At Dominum factum eſſe pro nobis Peccatum, teſtatur Apoſtolus, cùm noſtram naturam peccatis obnoxiam abſumpſerit: itaque & illi Serpentis imago quadamtenus conuenit. Eſt argumentatio Theophanis Cerамei Archiepiſcopi Tauromeniæ.

*CHRISTVS deglutiens Mortem.* I. Pet. III, 22. Ioann. III, 14. Nota. II Corinth. V.

III. Sed attende, quod prudenter monet Ambroſius: CHRISTVM *in veritate quidem corporis, ſed ſine veritate peccati ſuſcepiſſe ſpeciem peccatoris, vt per lubricum infirmitatis humanæ, ſimulando* Serpentem, *depoſitis*

*Christus Serpens.*

Praef. Miss. *ſitis carnis exuuijs, veri deſtrueret* Serpentis *aſtutiam.* Quo verbo vtitur in hac ipſa re Eccleſia, dum canit: *Qui mortem noſtrā moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparauit. Quâ ratione* DEVS, *qui naturâ bonus eſt*, inquit Nicetas) SERPENS *dicitur? Quoniam iuxta nos liberâ voluntate malos per ſimilitudinem carnis peccatum factus eſt, & cum iniquis reputatus eſt.* Serpens *igitur* CHRISTVS *eſt, velut in ſimilitudine peccati, quia homo factus eſt.* Serpens ergo Serpentem deuorauit: CHRISTVS *Mortem*, cui minitatus fuerat per fecialem ſuum: *Ero* MORS *tua ô* MORS!

Ad Orat II. in Paſcha Naz.

IV. Sed lubet id alia imagine, & fortaſſe paulo magis idoneâ certè, haud minus venuſtâ exprimere. Cuius pictura vt vos oblectet reducite ad memoriam Tobiæ iunioris facinus: qui in Rhageno itinere, dum ad pedes eluendos Tigrim ingreſſus eſſet: *ecce piſcis immanis exiuit ad deuorandum eum:* ſed comitis Angeli præſidio tutus, illum apprehendit, protraxit, exenterauit, corde, felle, & iecore vſus ad medicinam. Quis fuerit ille *Piſcis*, ſi genus ſpectes, & certam ſpeciem, dubitatur magnoperè ab Interpretibus. *Cetum* fuiſſe, textus ſatis indicat, qui immanem vocat. At id nomen commune eſt: nam maiores omnes belluæ marinæ, ſic appellantur: vt ex Homero, Plinio, & aliis ſatis conſtat. Itaque volunt fuiſſe *Balenam* nonnulli, cum Theophylacto, aliqui *Crocodilum*, cum Carthuſiano: Serarius, *Callionymum*, cum Franciſco Valeſio. Neminem reprehendo, ſed fas mihi ſit, quod *ſymbolo* meo accommodatiſſimum eſt, & Auctoribus quibuſdam probatum, eligere, nullo verioris ſententiæ præiudicio.

Piſcis à Tobia captus. Tobiæ VI.

NOTA.

Odyſſ. IV. Plin. lib. IX.

V. Hebræorum igitur Sapientes, piſcem illum nominant *Lucium*, cuius fel ad viſum recuperandum valeat, quod abditâ naturæ proprietate, luci faueat, indéque LVCIVS fortaſſe denominatus ſit, idoneâ alliteratione. Addit Franciſcus Georgius Venetus, ſolarem eſſe piſcē, ac ſanitati fauentem, ſicut Solaria omnia. Sed nos Symbolica conſectamur. Quem ergo *Piſcis* ille Symbolicè ſignificat? Audiatur Auguſtinus Sermone IV. de SS. Apoſtolis, Petro & Paulo. *Eſt* CHRISTVS *Piſcis ille, qui ad Tobiam aſcendit de flumine viuus.* Verè *Lucius*, lucem inducens, luci fauens, mundum illuminans, ad quod alludit Auguſtinus, dum ſubdit: *cuius iecore per paſſionem aſſato, fugatus eſt Diabolus, per amaritudinem fellis afflatus eſt cæcus, & illuminatus mundus.* Eandem allegoriam celebrat Proſper lib. de Promiſſionibus, & Prædictionibus par. II. cap. 39. Hic autem *Piſcis* prædator eſt omnium, & ſe imbecilliores, incredibili auiditate, deuorat. Habemus *Piſcem* deuorātem.

Lucius piſcis

A luce.

NOTA.

VI. At

VI. At quis deuoratur? Mors: *absorpta est* Mors. *Ero* Mors *tua* ô Mors: quæ bellissimè per *piscem* eundem exprimitur, eatenus potẽtem; & in magni huius mundi pelago, in quo mortales, tanquam pisces natant, reptilium piratam; sed tandem à se valentiore deglutitum, Christus Iesus *in dextera Patris* Deglutiens Mortem: Piscis piscem: Lucius, Lucium. Sed alio modo *Mortis*, alio Christi, *Lucius* est Symbolum. *Mors Lucius.*

VII. Dictus enim putatur *Lucius*, retinendo vetere more, u. pro, y, quasi λύκι☉, id est, *Lupinus*. Quare & *Lupus* vocatur apud Martialem ac Horatium: & nunc passim ita audit: quod optimè in *Mortem* quadrat, quæ lupinâ planè rabie, ante Christi tempora, in omnes sæuierat: vt non tam homo homini, quam *Mors* viuenti *Lupus* dici debuerit. Græcè autem, à voracitate nimia, λάβραξ nuncupatur. Quod si *Lucium* à *luce* dictum velis; assere, *Morti* conuenire eam denominationem, per antiphrasin; quod minimè luceat; quod lucem maximè detestetur; quod luci insidietur; quod omnes excæcet, & luminibus obstruat. Ita lucium exornat Ausonius. *Lucius Lycius, λύκι☉. Martial. Lib. XIII. Ausoni. Mosella.*

*Hic etiam Latio risus præ nomine, cultor*
*Stagnorum, querulis vis infestissima ranis,*
Lucius, *obscuras vlua, cænóque lacunas*
*Obsidet.*

VIII. Sic igitur insidiatorem piscium decepit ἰχθὺς noster, qui in huius mortalitatis abysso natitans, reliquorum deuoratorem deglutiuit, vt dicere potuerit, in hunc mundum veniens: *Ero* Mors *tua* ô Mors *ero* Morsus *tuus Inferne.* Momordit *Mortem*: illiúsque carnes (habent enim, & pisces carnes suas) id est, eius substantiam, potentiam, vim, virtutémque masticando diminuit, & deglutiendo absorpsit. *Absorpta est* Mors *in victoriã*: præcipitata in stomachum omnipotentiæ, conuersa in excrementum, abiecta in sterquilinium, deportata in cloacam, obruta fimeto. Insultate Mortales capitali vestro aduersario, & dicite, adplaudentes Triumphatori Christo resurgenti, Vbi est Mors victoria tua? *Christus Mortem deuorat.*

IX. At latet aliud *Symbolum* Christi & Mortis, in particula Morsus. Quæ licet actiuè exponi posset, vt significet aliquod viuens quod mordeat, seu rem mordentem: quod hactenus sequuti sumus: tamen non minus commodè passiuam significationem admittit, vt denotet id quod mordetur ab alio. Vt Christus dicatur *morsus.* *Christus Morsus passiuè.*

 A quo?

A quo 'a *Morte*. Sed vt hic morſus mordenti fuerit exitialis: ventre illius magis ferali morſu diſſecto, quo mordens tandem interierit. At quomodo *Mors* concipienda quæ Chriſtum ita momorderit?

*Leuiathan im-mani[...]*

X. Effingit hanc imaginem Papa Gregorius, qui ad Diabolum refert, MORTIS auctorem, quod nos *Morti* cum Propheta & Apoſtolo tribuimus. Vocat autem illum cuius Morſus fuit Chriſtus *Leuiathan*, & *Behemoth*, quæ ſunt nomina animalium maximorum, de quibus fuſiſſimè agitur apud Iobum cap. XXXX. & ſingula *Mortem* aptè repræſentant. Certè Morti melius conuenit, quam vaſtiſſimæ molis iumento, cui nomen *Behemoth*, quod Rabbini narrant, tantæ voracitatis eſſe, vt vno die depaſcat herbas mille montium. Vnde illud Pſal. XLIX, *Iumenta in montibus & boues*: Hebræi legunt: *Behemoth in montibus mille*. Item, Leuiathan *piſcem* eſſe tantæ immanitatis, *vt circulo ſui corporis totum terræ ambiat globum, & ſolem ac radios apprehendere nitatur & deuorare*. Quæ licet Rabbinica ſint figmenta: tamen ad inexplicabilem Mortis voracitatem figuratè indicandã non ſunt planè inepta. Sub horum itaque typo cum *Morte* luſit Dominus, & illi ſe in eſcam proiecit, occultato in eâ hamo: quam dum auidius momordit, & deglutiuit, hamo captus, aculeo punctus, & acutiſſimo ſtimulo tranſuerberatus, interiit: vt veriſſimum ſit oraculum: *Ero* Mors *tua ô* Mors! *Morſus tuus Inferne!*

*Iob XL. 10 11. 12.*

*Apud Albertum & Dionyſium in Iob. Pined. Iob. XL.*

*Behemoth, Mors in oculis capta.*

*Lib. XXXIII Moral. c. VII.*

XI. Sed nemo hoc elegantius expreſſit Papâ Gregorio. Primò explicans, quod dicitur de Behemoth Iob XL 19. *In oculis eius quaſi hamo capiet eum. Quis neſciat*, inquit, *quod in hamo eſca oſtenditur, aculeus occultatur? Eſca enim prouocat, vt aculeus pungat. Dominus itaque noſter ad humani generis redemptionem veniens, velut quendam de ſe in necẽ* Diaboli *hamũm fecit. Aſſumpſit enim* corpus, *vt in eo* Behemoth *iſte, quaſi eſcam ſuã* Mortem carnis *appeteret. Quam* Mortem, *dum in illo iniuſtè appetit, nos quos quaſi iuſtè tenebat, amiſit. In* hamo *ergo eius* Incarnationis *captus eſt: quia dum in illo appetit* eſcam corporis, *transfixus eſt* aculeo Diuinitatis. *Ibi quippe inerat* Humanitas, *quæ ad ſe deuoratorem duceret: Ibi* Diuinitas, *quæ perforaret. Ibi aperta infirmitas, quæ prouocaret: ibi occulta virtus, quæ raptoris fauces transfigeret. In* hamo *igitur captus eſt, quia inde interijt, vnde deuorauit.*

*Et quidem*, in oculis ſuis: *quia & nouit, & momordit: cognouit prius quem pertimeſceret: & tamen poſt non timuit, cùm in illo quaſi* eſcam *propriam*, Mortem carnis *eſuriret*.

XII. De-

XII. Deinde, cùm eadem penè *Leuiathano* accommodat, addit nonnihil, quod elegantiorem facit hanc imaginem. Leuiathan *additamentum eorum dicitur. Quorum videlicet, nisi hominum? quibus, quia* DEI *donum, & innocentia immortalitatem addixerat, Peccatum, eiúsque auctor Dæmon* Mortem, *tanquam culpæ additamentum curauit. Sed* Leuiathan *iste* hamo *captus est: quia in Redemptore nostro dum* escam corporis *momordit* (ô Morsum Morti *exitialem!*) Diuinitatis *illum* aculeus *perforauit. Quasi* hamus *quippe fauces glutientis tenuit, dum in illo* esca carnis *patuit, quam deuorator appeteret: &* Diuinitas *passionis tempore latuit, quæ necaret.* Leuiathan Mors Lib XXXIII Moral. cap 9. NOTA.

*In hac quippe aquarum abysso, id est, in hac immanitate generis humani ad omnium* Mortem *inhians* Mors, *per peccatum in orbem inducta, vitam omnium per temporum interualla vorās, huc illúcque, aperto ore, vt Cetus ferebatur. Sed ad* Mortem Ceti *istius*, hamus *in hac aquarū profunditate caliginosa, mira est dispositione suspensus. Huius hami* Linea *illa est per Euangelium antiquorum Patrum propago memorata. Nam, cùm dicitur,* Abraham genuit Isaac: Isaac genuit Iacob: *cumque ceteri successores, interposito Ioseph nomine, vsque ad* Mariam Virginem *desponsatam describuntur, quasi quædam* Linea *torquetur, in cuius extremo* Incarnatus Domini, *id est,* hamus *iste ligaretur: quem in his aquis humani generis dependentem aperto ore iste* Cetus *expeteret: sed eo per sæuitiam morso, mordendi vires vlterius non haberet. Ne ergo iste hominum vitæ* Cetus *semper insidians, quos vellet vltra deuoraret;* hamus *hic raptoris fauces tenuit: & sese mordentem momordit.* Mors inhians ad omnium Mortem. Hami linea, series generationis.

*Incarnationem igitur* Mortémque *pro nobis sponte obitam, vnigeniti Filij fideli famulo indicans* DEVS, *ait*: An extrahere poteris Leuiathan hamo? *(subaudi, vt Ego: qui ad prædatricis* Mortis, Mortem, *Incarnatum vnigenitum filium mitto, in quo dum mortalis caro conspicitur, & immortalitatis potentia non videtur: quasi* hamus *quidam inde deuorantem perimit, vnde acumen potentiæ quo transfigat, occultat.* An non verè minatur, dum à *Morte*, tanquam à Ceto, diu expetitus bolus, ore anhelo rapitur? *Ero* Mors *tua ô* Mors, *ero* Morsus *tuus Inferne!*

XIII. Nescio, an æquè sint idonea Emblemata, quibus hæc CHRISTI de Morte reportata victoria ab nonnullis exprimitur, vt idem explicent epinicium. *Ero* Mors *tua ô* Mors! Apud Plinium exhibetur pugna Elephantis cum Dracone, Indicis belluis, quibus perpetuæ inimicitiæ. Dracones adeò vastâ mole esse dicuntur, vt nexu spiratum tantam belluam facilè complectantur, & quicquid in eo sanguinis, ebibant. Ita exsanguis Elephantus ruit: non tamen inultus. Pugna Draconis & Elephantis. Plin. lib VIII cap 12. NOTA.

Nam

Nam pondere suo victorē circumfusum elidit, & conterit. Sic commoriuntur duellantes.

MORS & VITA duello conflixêre mirando. MORS Draconis instar, Hirudinis more, sanguine mortalium saturari non potest, Immortalis etiam sanguinem expetiit. Sitiuit CRISTI, veræ vitæ sanguinem: sitiuit, & per membra omnia, venulásque minutissimas in Passione exhausit. Sed moriens CHRISTVS Vita, Draconem Mortem oppressit.

*Draco Babylonicus, Mors, Dan. vlt. 26.*

XIV. QVOMODO Daniel Draconi necem intulit, Draconi Babylonico omnibus metuendo? obiecit illi bolum ex pice & adipe. An non talis morsellus, vt loquuntur Scholastici, id est, bolus, CHRISTVS? ignosce humilitati comparationis Diuorum humillime, ad crucem vsque humiliate. Nonne Humanitas fuit instar picis denigrata? imò pix nigerrima, cui neque color, nisi aterrimus, neque decor. An non Diuinitas occultata fuit internus Adeps? *Draco* MORS, hunc bolum auidè deuorauit, & crepuit, ac diffusa sunt omnia viscera eius. Vbi MORS victoria tua? Non credebas comminanti: *Ero* MORS *tua, ô* Mors! *ero* Morsus *tuus* Inferne! Credis insultanti *Absorpta est* Mors *in victoria. Vbi* Mors *aculeus tuus? Vbi stimulus tuus Inferne?*

*Mors à Morsu.*

XV. AT perpendite, quo supremus Artifex ingenio MORTEM expulerit è mundo. Expulit per *Morsum*, quæ venerat per *Morsum*, & à *Morsu* nomen acceperat. Omnia succinctè complectitur Augustinus. Qui, *opinor*, inquit, *quod ideò* MORS *vocabulum hoc accepit, eo quod* morsu *quodam venenosi Serpentis, id est, Diaboli in paradiso Adam, quando per concupiscentiam mordere, hoc est, edere suasit illicita: & propterea* MORS *à* MORSV *nomen accepit, sicut & Dominus* MORTI *minitans dicit: Ero* Mors *tua ô* Mors, Morsus *tuus ero, ô Inferne!* Mors *&* Infernus *Diaboli personæ intelliguntur: Christus enim* Mortem *&* Infernum *destruxit.*

*Aug lib. 1. Hypogn. contra Pelag.*

*Mors quare à Morsu.*

XVI. QVOMODO autem MORS, fuit CHRISTI MORS, & CHRISTVS MORTIS? Vterque momordit, *Mors* prius Christum: tum Christus *Mortem*. Magna est *Morti* cum *Morsu* similitudo propter duo quædam potissimum. Vnum: quia vt *Morsus* est cum acri doloris sensu, ita & *Mors*, quæ rerum terribilissimum vocatur. Christus, cùm *Mortem* oppetiit, quos non sensit aculeos, quas non tristitiæ, pauoris & mœstitudinis acerbitates pertulit? Alterum: quia quemadmodum *Morsu*, pars aufertur, pars relinquitur: ita *Morte* corpus tantùm, non anima necatur: nullus *Mortis* in animam penetrat aculeus, quia est

*Arist. lib. III. Ethic.*

inuul-

inuulnerabilis, immortalitate secura. *Vt mundum ex quadam parte mortalem: ipse* DEVS *æternus: sic fragile corpus, animus sempiternus mouet*, inquit Latinus Orator. *Cicero lib. 6. de Repub.*

Mors à CHRISTO corpus abstulit, & sepulcro condidit: anima sui iuris & inuiolata, dominatricis instar, aliò concessit, & imperium obtinuit. At quomodo CHRISTVS *Mortem* momordit, vnam partem relinquendo? *Quomodo Christus Mortem momordit.*

XVII. OBSERVO. Quæ de *Morte* absorptâ, deuoratâ, ac deglutitâ apud Prophetas, & in Apostolorum scriptis leguntur, quâ significant omnimodam *Mortis* destructionem, cœpta fuisse impleri in CHRISTI Resurrectione: implenda autem perfectissimè in Resurrectione vniuersali, quando *Mortis* nulla amplius superetit particula. CHRISTVS tamen resurgens momordit *Mortem*: quia licet substantiam eius reliquerit: qualitatem tamen illius, tanquam alteram partem morsu præcidit. Mors erat olim tam amara: vt vel memoria illius horrorem incuteret: nunc dulcis est. Olim Mortem metuebãt, etiam fideles: nunc illam accersunt. Olim erat vilis: nunc preciosa: *Ero* Mors *tua, ô* Mors! *Ero* Morsus *tuus Inferne.* *Mors quando omnino destruenda.*

XVIII. AN fortasse peculiarem aliquem *Morsum* Infernus accepit? Posses hic nomine Inferni *Mortem* intelligere. Sumitur enim aliquando istud vocabulum pro *Morte* & *Sepulcro* vt exemplis productis probat Emmanuel Sa. Et vertitur alicubi *Infernus*, Θάνατος, quod non diffitentur SS. Interpretes eruditi. Iuuat tamen apud Prophetam, & Apostolum, *Infernum* interpretari, locum mortuorum subterraneum. de quo illam oraculi partem multi exponunt, vt sensus sit, quem exprimit Franciscus Ribera in Oseam, & Cornelius in Paulum. EGO CHRISTVS Mortem *interficiam, & disperdam moriendo, atque ad Inferos descendendo.* Mordebor *enim a te* ô Mors, ô Inferne! *deuorabis me vt* hamum, *sed tua viscera ferre non poterunt, cùm DEVS sim, atque à peccato immunis. Sic itaque vẽtre transfixo, ac dirupto, hamo Diuinitatis meæ, foras me emittes, & simul exibunt electi mei.* CHRISTVS ergo à mortuis resurgens, & animas sanctorum è limbo educens, ex Inferno, velut *Morsu* hanc partem abstulit: alteram damnatorum reliquit: vt exponunt Origenes Homil. XXII. in Euang. S. Anselmus in Epistolam priorem ad Corinthios. S. etiam Hieronymus licet obscurius: Rupertus exscribens Gregorium lib. III. de Operibus Spiritus- Sancti cap. XXIV. Et S. Augustinus Sermone CXXXVII. de Temp. qui non *Infernus.* NOTA.

S. Aug in Appendice Serm. LII. tam est Augustini quam aliorum PP. è quorum homiliis est concinnatus.

Ex Hom S. Greg XXII. & aij. XIX. QVOD ante passionem dixit, in resurrectione sua Dominus impleuit: Si exaltatus fuero à terra omnia traham ad me. Omnia etenim traxit, qui de electis suis apud inferos nullum reliquit. Omnia abstulit, vtique electa. Neque enim infideles quoque & pro suis criminibus æternis suppliciis deditos ad veniam Dominus resurgẽdo reparauit, sed illos ex inferni claustris rapuit, quos suos in fide & actibus recognouit.

Vnde rectè etiam per Osee dicitur. *Ero* Mors *tua ô* Mors: *Ero* Morsus *tuus* Inferne. Id namq;, quod occidimus, agimus penitus vt non sit. Ex eo autem quod mordemus, partem abstrahimus, partémque relinquimus. Quia ergo in Electis suis funditus occidit Mortem, Mors Mortis extitit. Quia verò ex Inferno partem abstulit, & partem reliquit, non occidit funditus: sed momordit Infernum. Ait ergo: *Ero* Mors *tua ô* Mors. Ac si apertè dicat: Quia in Electis meis te funditus perimo. Ero Morsus tuus Inferne, quia sublatis meis, te in a aij transfigo. parte *a* transfigo.

Inuectiua in Mortem. XX. SED quomodo Mors deuicta, cum cotidie eius confixi spiculis succumbamus. Habet hanc obiectionem S. Bernardus, illique satisfacit in funebri Oratione dicta B. Malachiæ, vbi primo sic in *Mortem* inuehitur. Dira profectò & inexorabilis MORS, quæ tantam hominum multitudinem vnius percussione mulctauit. Cœca & improuida, quæ Malachiæ ligauit linguam, impediuit gressus, dissoluit manus, oculos clausit. Illos, inquã, deuotos oculos, qui piissimis fletibus diuinã peccatoribus reconciliare gratiã consueuere. Illas mundissimas manus, quæ laboriosis & humilibus operibus exerceri semper amauerant: quæ dominici corporis hostiam salutarem pro peccatoribus toties offerebãt, & sine ira & disceptatione in oratione leuabantur in Cœlum: quæ infirmis multa beneficia præstitisse, signis varijs effulsisse noscuntur. Illos quoque speciosos gressus euangelizantis pacem, euãgelizantis bona: illos pedes qui toties fatigati sunt studio pietatis: vestigia illa digna, quæ semper deuotis osculis premerentur. Sancta denique labia illa Sacerdotis, quæ custodiebant scientiam: os iusti quod Sapientiam meditabatur: & linguam eius, quæ iudicium loquens, imò & misericordiam tantis mederi solebat vulneribus animarum.

Nec

Nec mirum fratres iniquam esse MORTEM, quam generauit iniquitas: inconsideratam, quam noscitur seductio peperisse. Nihil, inquam, mirum, si ferit sine discretione, quæ venit in præuaricatione: si sit crudelis & fatua, quæ ex antiqui Serpentis fallacia, & mulieris insipientia prodiit. Quid tamen caussamur, quod Malachiã ausa sit attentare, fidele equidem membrũ Christi, quando, & ipsum Malachiæ pariter & omnium electorum caput furibunda peruasit. Peruasit vtique immunem, sed non immunis euasit. Impegit in vitam Mors: & inclusit intra se Vita Mortem, & absorpta est Mors à Vita. Hamum sibi deuorans, inde teneri cœpit, vnde visa est tenuisse. *Mors iniqua. Inconsiderata. Indiscreta. Fatua Crudelis. Furibunda.*

XXI. AT fortasse quis dicat: Quomodo MORS à Capite superata videtur, quæ tanta adhuc libertate sæuit in membra? Si Mors mortua, quomodo Malachiam occidit? Si victa, quomodo adhuc præualet vniuersis, & non est homo, qui viuat, & non videat Mortem? Victa planè Mors opus diaboli, & peccati pœna, victum peccatum caussa Mortis: victus & Malignus ipse & peccati auctor Mortis. Nec modò victa sunt hæc, sed & iudicata, & damnata. Definita quidẽ, sed nondum promulgata sententia est. Denique iam Diabolo ignis paratus, etsi nondum ille præcipitatus in ignem, modico adhuc tempore sinitur malignari. *Mors superata sæuit.*

XXII. TANQVAM malleus cœlestis opificis factus est, malleus vniuersæ terræ. Terit electos ad eorum vtilitatem, reprobos conterit in eorum damnationem. Qualis ergo paterfamilias, tales & domestici eius, Peccatum scilicet & Mors. Nam & Peccatum licet simul cum Christo Cruci ipsius non dubitetur adfixum: adhuc tamen interim nõ regnare quidem, sed habitare etiam in ipso dum viueret Apostolo permittebatur. Mentior, si non ipse ait: Iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Sic & Mors ipsa minimè quidem adhuc abesse cogitur: sed cogitur non obesse. Erit autem cùm dicetur plenius, quod nunc tamen etiam concinimus: *Mors Malleus*

XXIII. VBI MORS victoria tua? Qui per Prophetam suum quondam tibi rigidus minabatur: *Ero* Mors *tua ô* Mors: *Ero* Morsus *tuus Inferne* illius *Morte* tu mortua es: illius *Morte* nos viuimus: deuorasti, & deuorata es. Dumque assumpti corporis CHRISTI solicitaris illecebra, & auidis faucibus prædam putas, interiora tua vnco dẽte confossa sunt. Gratias TIBI CHRISTE SALVATOR tua agimus Creatura, quod tam potentem aduersarium nostrum, dum occideres, occidisti. *S. Hierony. in Epitaph. Nepot.*

# NOTÆ

## AD COMMENTATIONEM XIV.

# MORS

# PISCIS.

§. II. CHRISTVS Serpens.] *Tertullianus libr.* III. *contra Marcion. & lib. contra Iudaeos. Moses post interdictam omnis rei similitudinem, cur aeneum Serpentem ligno impositum, pendentis habitu, in spectaculum salutare proposuit? An & hic Dominicae Crucis vim intentabat, quâ Serpens Diabolus publicabatur, & laeso cuique à spiritalibus Colubris, intuenti tamen & credenti in eum sanitas morsuum peccatorum, & salus exinde praedicabatur?*

*Theophanes Homilia in Dominic. ante Exal. S. Crucis. Verba lege Not. ad Comm.* XIII. §. *X.*

§. *III. Ambrosius lib.* III. *de Spiritu Sancto cap.* 9. *Non verus, sed areus suspensus est Serpens: quia in veritate quidem corporis: sed sine veritate peccati suscepit Dominus speciem peccatoris.*

*Idem in Apologia Dauid cap.* III. *In figura aereus Serpens, tanquam confixus Cruci, quia verus crucifigendus generi annũciabatur humano, qui Serpentis Diaboli venena vacuaret, in figurâ maledictus: in veritate autem, qui totius mundi maledicta deleret.*

§. *IV.* Piscis Tobiæ.] *De Cetis & Balenis libro integro agit Vlysses Aldrouandus, Tomo de Piscibus. fol.* 587. *exhibet figuram, qua depictus cernitur Dens Ceti marini, MORS dicti, in musco appensus.*

*Piscem Tobiae fuisse Balenam scribit Theophylactus in Ionam. Carthusianus in Tob. censet fuisse Crocodilum.*

*Franciscus Valesius de Philosophiâ sacra cap.* XL. *nominat Callionymum, de quo Hippocrates lib. de Affect. int. & Aldrouandus libr.* II. *de Piscibus cap.* 52. *vbi ex eo, quod fel Callionymi exacuat oculorum aciem, & suffusionum initia digerat, docet quosdam voluisse curatos Tobiae oculos piscis illius felle.*

§. *V.* Lucius piscis.] *de hoc Rondeletius, qui nomen ducit* παρὰ τοῦ λύκου, *à Lupo: alij à lucendo, quod noctu luceat.*

*De eodem Saluianus contra Franciscum Philelphum: & Massarius aduersus Simonem Genuensem, Bellonius*

quoque

*quoque lib. de Aquatilibus. Et Vlysses Aldrouandus in Historia Lupi: ac Lib. v de Piscibus cap.* XXXIX.

*Franciscus Georgius Tom.* VI. *Problemat. Sect.* v. *Prob.* 185 *Quo felle liniuit Tobias oculos patris cæcutientis? Nonne felle Lucij, vt Hebræorum Sapientes aiunt? Sed quid ad visum recuperandum confert fel huiusmodi piscis? An à naturæ proprietate fel eius fauet luci? Vnde & Lucius forsitan denominatus est. An, quia Solaris est piscis, & sanitati fauens, sicuti Solaria omnia? An fel illud acutie suâ fauet oculis, albuginem corrodens, aut saniem, aut quodcumque oculorum impedimentum? Sicut de felle falconis, accipitris, aut hirundinis dicitur?*

§. X. Leuiathã, & Behemoth.] *Fabulas de his duobus animalibus recensuimus* P. *Parte Theologiæ Tit. de* Theologia fabulari Iudaicâ. *Legendus Dionysius Carthusianus, Paulus Comitolus, Ioan. Pineda, Ioann. de Iesu Maria in Iobi cap.* XL. *Forerius, & Gaspar Sanctius Isaiæ* XXVII. *vbi dicitur Dominus visitaturus in gladio suo duro & forti super* Leuiathan *Serpentem vectem: & super* Leuiathan *Serpentem tortuosum.*

*De Leuiathan fusè agit Ioan. Bustamantinus lib.* IV. *de Animantibus Sacræ-Scripturæ à cap. 6. vbi ait, sibi videri fuisse* Leuiathan, *draconem monstruosum, amplitudine immensum, ut fuêre gigantes in hominum genere.*

*Iob. XL.* 20. An extrahere poteris *Leuiathan* hamo, & fune ligabis linguam eius? *Ioannes Bustamantinus lib.* IV. *cap.* 7. *Promittitur Iobo venturus Christus, victoria, & triumphis illustris, frænator* Leuiathan, *Piscator Dæmonis, victor, redemptor, triumphator. Is Leuiathanū hamo Crucis inuestito humanitatis esca extraxit. Ratus Leuiathan Christum solum hominem esse, Diuinitate illusus, superatus & victus, ingessit hamum, Crucē: ingessit & Christum. Morsus tuus ero Inferne: sic Cruce rupit & disrupit viscera, superauitque Mortem:* Ero *Mors* tua ô *Mors!*

*Non secus ac* CROCODILVS *iuxta oras Nili superueniente ibi aue plausu laterum, & alarum scalptu consopitur: semel aluo grauata, & onusta ciborum copia, hianti ore, & dehiscenti, quo subit Enhydros Serpens mole minimus, etsi potentiâ maximus, vt ventris sarcinâ in escam vtatur superflua: qui semel cibo plenus erodit viscera, & lancinat, vt discerptis visceribus erosa exeat aluo incolumis & liber, auctore Physiologo lib.* II. *cap.* 6. *Magistro naturalium lib.* V. *cap.* 10. *Solino cap.* XV. *Quod ipsum refert de* ICHNEVMONE, *bestiola exili ac despicabili ex muris genere Plinius lib.* VIII *cap.* 25.

*Non aliter* CHRISTVS, *reputatus minimus Serpens: despectus & nouissimus virorum Isaiæ* LIII. 3. *descendit ad Inferos, & in ventrem* MORTIS *se immisit: Fuit Morsus Inferni &*

*Mortis absorpto Inferno & veterno, ac lethargo oppresso Aue Maria superueniente, & plausu laterũ Angelorũ cõsopitus, sepultus somno viscera rupit, & discerpsit Omnipotens, prædam auferens, animas Patrum, confosso* Crocodilo. *Quo triumpho, ac victoria illustris, peragrauit cœlos, exaltatus Serpens in deserto.*

*Iob XL.* 24. de Leuiathan, Núquid illudes ei, quasi aui, aut ligabis eum ancillis tuis? *Aucupes occulti & abditi, escâ arte parata inuitant, & solicitant aues, quas, antequam cibum concoquunt, multoties interficiunt, capútque auferunt, aut capiunt, & ad ludum ludibriúmque reseruant. DEVS abditus & latens, formam serui accipiens, humanitatis esca illusit* Dæmoni, & Morti. *Ingessit MORS tanquã escam, CHRISTVM, non concoxit, immutatum reddidit, integrum, illæsum: delusa ipsa, deuicta, capta est: caput* Mortis, *Peccatum, rescinditur, Leuiathan deluditur, ligatus traditur ancillulis, auium instar futurus ludibrium.*

*Leuiathan deluditur, ligatus committitur ancillis, auium instar ad ludendum idoneus. Dracones naturâ terribiles, superbi, indomiti: superbi, si vincantur, subduntur facillimè imperio fæmellarum, maximè virginum, quas ardentissimè deperire solent, sicque fiunt tractabiles, ac mites. Auctores Pausanias in Corinthijs, & Philostratus in vita Apollonij, Ælianus libr.* XXVI. *cap.* 29.

*Ita Mors postquam à Christo fuit superata, in ludum cessit paruulis, puerulis, virginibus, vt constat in tot Martyribus, qui Mortem habuerunt contemptui.*

*Iob. XL.* 26. Numquid implebis sagenas pelle eius? *Sagena est genus retis piscatorij, quasi sagulum aut sacculum dicta. Manilius.*

Excipiunt vasta circumvallata sagena.

*hac quodlibet genus piscium trahitur. Sensus igitur est: Poteris* Leuiathan *piscari, & extrahere, repleréque illius saginam? Non potuit Iob. potuit CHRISTVS, extraxit DEVS, duxitque.*

*Ezechiel.* XII. 13. Et extendam *rete* meum super eum, & capietur in *sagena* meâ. *Et cap.* XXXII. 3. Dices *Draconi*, qui est in mari: Expandam super te *rete* meum, in multitudine populorum multorum, & extraham te in sagena meâ: & proiiciam te in terram: super faciem agri abiiciam te: & habitare faciam super te omnia volatilia cœli, & saturabo de te bestias vniuersæ terræ: & dabo carnes tuas super montes, & implebo colles sanie tua, & irrigabo terrã fœtore sanguinis tui: montes, & colles implebuntur ex te. *Quæ omnia optimè conueniũt* Leuiathano, *vt est,* Mortis *Symbolum, sicut & istud.*

Abacuc

*Abacuc* I. 15. Totum in *Hamo* subleuauit: traxit illud in *sagena* sua, & congregauit in *Rete* suum. Super hoc lætabitur, & exultabit: propterea immolabit *Sagena* suæ, & sacrificabit *Reti* suo: quia in ipsis incrassata est pars eius, & cibus eius electus.

*Traxit* Mortem Reti *Diuinitatis, quod fuit ex Humanitatis filis contextum. In Sagenâ ex se debili, at Diuinitate fultâ, insolubili, firma, insuperabili. Sic potens fuit Humanitas extrahere* Leuiathan, *eúmque superare, ac vincere, nempe* filo *Diuinitatis: ideò dicit* Reti suo: Sagenâ suâ.

*De* Behemoth *tractat copiosè idem Bustamantius libr.* IV. *à cap.* 12. *Iob.* XL. 10. Ecce *Behemoth* fœnum quasi bos comedet. *Hic cibus Symbolici* Behemoth. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quasi flos agri, *Isaia* IV. 6. *Lingua vt bos resecuit quicquid hactenus fuit fœni in agro vniuersi. Habet etiam integrum caput, quod est* XVI, *de* Behemoth, Hydra: *quare quæcumque de Hydra vel narrantur, vel finguntur apta accommodatione ad MORTEM transferri possunt.*

*§.* XIII. Pugna Draconis & Elephãti.] *habet hoc emblema Martinus Delrius Lectione sacra* XIII. *De Resurrectione Domini.*

*§.* XVIII. Infernus pro *Morte & Sepulcro* ] *Ita accipi multis exemplis probat Emmanuel Sa in Indice: & alij SS. Interpretes aliqui consentiunt, inter quos Ioannes Lorinus Actuum* XI. 24, *vbi & alibi Latinus Interpres Græcum* Θανάτου, *vertit* Inferni: *quia ante Christum coniuncta erant infallibiliter*, Mori, *& in Infernum descendere. Sed exactissimè, & fusissimè de hac re disputat Martin. Delrius Tom.* I. *Adagiorum in* Digressione secunda, *de vocibus* שאול ᾅδης, Infernus: *An pro Sepulchro aut Morte in S.S. sumantur, quod constantissimè magnâ probabilitate negat.*



COM-

# COMMENTATIO XV.

## MORS CARCER.

*Ego sum primus, & nouißimus, & viuus, & fui mortuus: & ecce sum viuus in secula seculorum: & habeo claues*
MORTIS & INFERNI.

Apocalypſ. 1.18.

---

BREVIARIVM.

1 *Mors pingitur vt Persona tragica: fingitur, vt locus: concipitur rectè, vt Carcer. Mors duplex, Corporis & Animæ. Christus habet claues Mortis, & Inferni, Apocal. 1.18.*

2 *Habere potestatem in Mortem, est 1. Dimittere peccata. 2. Posse occidere, & viuificare. 3. Ad Mortem damnare. 4. Mortem ac Dæmonem cohibere. 5. E subterraneo carcere detentos educere.*

3 *Morti, vt Carceri adfinguntur Portæ. Samson Gazæ Portas defert.*

4 *Christus Portas Mortis & Inferni.*

5 *Samson Christi Typus: Gaza Inferni. Mors destruitur à Christo resurgente.*

6 *Porta Mortis, & Inferni eadem. Mors & Infernus nonnunquam idem denotant.*

7 *Ire ad Portas Inferni: Appropinquare Inferno deorsum. Exaltari de Portis Mortis.*

8 *Porta Mortis Symbolicè. 1. Centrum terræ 2. Caussa corruptionis. 3. Pericula in mari. 4. Terræ voragines. 5. Vitæ discrimina. 6. Morbi lethales.*

9 *Fauces Mortis, quas ingredi incipit, qui venit ad extrema: Appropinquare vsque ad Portas Mortis.*

10 *In Portis apud Hebræos ius dicebatur. Porta Mortis, Iudices iniqui, Persequutores, Dæmones.*

11 *Porta Inferi, non præualitura aduersus Ecclesiam Matth. XVI.18. Diaboli potentia*

*potentia, Porta ærea. Vectes ferrei.*

12 *An eadem Portæ, fauces & ora patentissima tum Mortis, tum Inferni? Mortis Portæ bipatentes, Guttur vastissimum.*

13 *Per belli diras Portas Bellona egreditur: per portas suas Mors ingreditur, Vita egreditur. Porta Solis. Porta Vitæ. Regnum Inferorum.*

14 *Portæ Mortis tot, quot hinc migrandi viæ, ac Vitæ discrimina: imò, quot moriendi instrumenta.*

15 *Portæ Mortis, Peccata. De his Portis exaltat hominem DEVS. Portæ Ecclesiæ, Virtutes.*

16 *Peccata mortalia, Portæ Mortis æternæ. Via patentissima Mortis, Vitia. Appropinquat Portis Mortis, qui ad peccatum mortale tendit: ingreditur, qui illud committit.*

17 *Portæ Mortis, Sensuum organa; quæ & Fenestræ: per quas Mors ascendit.*

18 *Portæ Mortis, Cogitationes prauæ. Tenebrosa ostia, latentia mentis mala.*

19 *Portæ Mortis, Hæresis, Impuritas Vitæ, Consuetudo praua.*

20 *Clauis, Symbolum potestatis, auctoritatis, iuris, Possessionis.*

21 *Clauis domus Dauid, Suprema Pontificiæ dignitas, summa in administratione regni potestas.*

22 *Habere claues Mortis & Inferni, est posse ijs dominari, & quidlibet præscribere: posse includere custodia, ac emittere.*

23 *Cuiuslibet Mortis clauis penes Christum est; siue illa sit temporanea, siue æterna.*

24 *Inferni multiplex significatio: Christi est in omnem supremum imperium.*

---

## *Illustris Ecclesiasticorum Congregationis Sodales Optimi.*

I. DEPINGITVR interdum MORS in diuinis Litteris, tanquam *persona* tragica, non vno schemate, *Symbolicè* tamen semper, vt hactenus multis exemplis in medium adductis, demonstratum est: aliquando, vt *Locus*, in quem migrant, qui hinc abeunt, ibidémque detinentur, constringuntur, compinguntur, CARCEREM dicere possis, mortalibus omnibus destinatum, quem concludant ingentis altitudinis portę, muniant vectes ferrei, claues obserent. Ita non vno in loco exhibetur, vt nobilissimus Ducis nostri de MORTE reportatus triumphus, & in illam potestas figuratè describatur. Clarissimè Apocalypsis 1. vbi de se, post resurrectionem, gloriabundus, meritò edicit: Habeo CLAVES MORTIS, & INFERNI. Quo loco duplicis *Mortis* mentionē fieri existimat Rupertus, quarum vna est corporis, altera animæ: Vtramque esse instar *Carceris* subterranei, cuius CHRISTVS per *Mortem* suam, claues acceperit, vt sensus sit, quem ita effert Tuitiensis.

*Mors persona tragica.*

*Carcer.*

*Mors duplex, Corporis. Animæ.*

Ca II. Po-

II. POTESTATEM *habeo dimittendi peccata, peccata verò dimittendo*, MORTEM, *in me credentibus claudo*, Infernum *obstruo: siue* Mortis, *&* Inferni: *id est, duplicis* Mortis, *videlicet, animæ, & corporis*. Mortis *namque nomine dissolutio corporis:* Inferni *autem*, Mors *animæ, quæ æterna est, significatur: cuius vtriusque* Mortis *claues, id est, potestatem ipse habet, iuxta illud* 1. Reg. 11. 6. Dominus mortificat, & viuificat, deducit ad inferos & reducit. Itaq; *Primus* illius elogij sensus est: Christum habere potestatem liberandi homines à peccato, quæ *Mors* etiam vocatur, vt ex Philone, & Gregorio probat Blasius Viegas: consequẽter, habere etiam potestatem eximendi homines à Dæmonis iugo & *Inferno*. Quod placet Ticonio, Primasio, Bedæ, Ioachimo, Sixto Senensi.

Nota.

*Secundus*: Christum habere potestatem *Vitæ* ac *Mortis*, id est, viuificandi, & occidendi. Quod probant Arethas, Maldonatus, Pererius. *Tertius*: Esse in Christi potestate, Ecclesiæ hostes *Morte*, ac damnatione pessundare. Ita Andreas, Richardus, Serranus, Arias. *Quartus*: Posse Christum cohibere *Mortem*, ac Dæmonem, ne vltra sæuiat, quàm ferre possit humana fragilitas, vt disserunt Haymo, Anselmus, Glossa, Albertus, Thomas, & propius ad germanum sensum accedere scribit Alcazarius.

*Quintus*: Potestatem obtinuisse CHRISTVM educendi ex subterraneo carcere, & excitandi illos, qui inibi detinentur. Sic ferè Lyranus, Pannonius, & Franciscus Ribera: ac conuenit maximè cum *Symbolo* proposito. Quid enim concipiam aliud, dum audio, Christũ claue reserare *Mortem*, aut portas *Mortis*, & recludere: quàm locũ aliquem, in quo quidpiam continetur? Aperuit aũt hunc *Carcerem* Dominus, cum è Sepulchro rediuiuus se proripuit; quod idcirco est *Mortis Symbolum*, quia *Carceris* rationem habet.

*Samson Gazæ portas defert.*

III. Hoc intuitu adscribuntur *Morti portæ*, quæ claudantur & aperiantur ad Domini imperium. Cuius rei illustris est figura Iudicum XVI. vbi Samson ingressus Gazam dormiuit vsque ad medium noctis, & *inde consurgens apprehendit ambas portæ fores cum postibus suis & serâ impositásque humeris suis portauit ad verticem montis.* Agnoscit allegoriam S. Augustinus, qui in Samsone contemplatur CHRISTVM, in Gazâ, Samsonis custodiâ, *Mortem*, cuius *Portas* deportauerit è somno excitatus Dominus ad altissimi montis *Chebronis*, id est, cœlestis Societatis, vt Nicolaus Serarius interpretatur, cacumen.

*Iud. XVI. & XLVIII.*

*S. Aug. Serm. CVIII de Tẽp.*

IV. *Agnoscimus hoc loco*, inquit Augustinus, *Redemptoris nostri opera*, *postquam*

*postquam Synagoga, ad quam venerat a se per Diabolum separata est: posteaquam eum decaluauit: id est, in loco Caluariæ crucifixit, & ad inferna descendit: & inimici custodiebant locum dormientis; id est, Sepulchrum, & capere volebant, quem videre non poterant. Ille verò dormiebat ibi. Hoc ideò dixit, quia verè mortuus erat. Et quod dictum est: mediâ nocte surrexit, hoc significauit, quia in secreto surrexit. Apertè enim passus est: solis autem discipulis, & certis quibusdam resurrexisse manifestus est. Ergo, quod intrauit, omnes viderunt, quod surrexit, pauci cognouerunt, tenuerunt, & palpauerunt. Tollit tamen* PORTAS *ciuitatis: id est, aufert* PORTAS INFERNI. *Quid est* Portas Inferni *tollere, nisi* MORTIS IMPERIVM *remouere? Recipiebat enim, non remittebat. Quid autem fecit Dominus* IESVS CHRISTVS? *Ablatis* PORTIS MORTIS, *ascendit in cacumen montis. Nouimus enim eum & resurrexisse, & in cælos ascendisse.*

*Dominus dormit in sepulchro.*

*Porta Inferni.*

V. IN eundem ferè modum de Redemptoris è *Morte*, tanquam è *Carcere* egredientis, victoriâ, disputat S. Gregorius, dignus, qui præ aliis hoc amœno Resurrectionis tempore audiatur. Qui de Cruce descendere noluit, de Sepulchro surrexit. Plus igitur fuit de Sepulchro surgere, quam de Cruce descendere. Plus fuit MORTEM resurgendo destruere, quàm vitam descendendo seruare. Sed cum Iudæi hunc ad insultationes suas de Cruce descendere minimè cernerent, cum morientem viderent, eum se vicisse crediderunt: nomē se illius, quasi extinxisse gauisi sunt. Sed ecce clarificatum de *Morte* nomen eius per mundum creuit, ex quo hæc infidelis turba extinxisse se credidit. Et quem gaudebat occisum, dolet mortuum, quia hunc ad suam gloriam cognoscit peruenisse per pœnam.

*S. Greg. hom. XXI.*

*Mors destruitur à Christo resurgente.*

Quod benè in libro Iudicum *Samson* illius facta significant, qui cum Gazam ciuitatem Philisthinorum fuisset ingressus; Philisthæi ingressum eius protinus cognoscētes, ciuitatem repentè obsidionibus circumdederunt, custodes deputauerunt, & *Samson* fortissimū se iam cōprehēdere gauisi sunt. Sed quid *Samson* fecit, agnouimus. Mediâ nocte *portas* ciuitatis abstulit, & montis verticē ascēdit. Quē (fratres carissimi) hoc in facto, quē nisi *Redemptorē* nostrū *Samson* ille significat? Quid *Gaza* ciuitas, nisi *Infernū* (MORTEM) designat? Quid per *Philistæos* nisi *Iudæorum* perfidia demonstratur? Qui cum mortuum Dominum viderent, eiusq; corpus in sepulchro iam positū, custodes ilicò deputauerūt, & eū, qui auctor vitæ claruerat, in Inferni claustris retentum, quasi *Samsonem* in Gaza se deprehendisse lætati sunt. *Samson* verò media nocte non solùm exijt, sed etiam PORTAS tulit. Quia

*Samson, Christus.*

*Gaza, Infernus.*

Portas inferni fert Christus. videlicet Redemptor noster ante lucem resurgens, non solum liber de inferno exiit, sed & ipsa eius *Inferni claustra* destruxit. *Portas* tulit, & montis verticem subiit: quia resurgendo, *claustra Inferni* abstulit, & ascendendo cœlorum regna penetrauit. Hanc ergo Resurrectionis eius gloriã, fratres carissimi, quæ & prius demonstrabatur ex signo, & post patuit ex facto tota mẽte diligamus, pro eius amore moriamur.

Porta Mortis, & inferni eadem. VI. QVAMVIS autem S. Gregorius non nominet *Portas Mortis*, sed *Inferni*: tamen has nominando, illas etiam designat: Sunt enim vel eædem; vel, si sit aliqua diuersitas, seiungi non solent. Et licet aliquando hæ duæ personæ, MORS, ac INFERNVS, distinguantur in diuinis Oraculis; quomodo etiam interdum, vt duo loca disparamus; aliàs tamen, quasi eadem in Symbolicâ Sapientiâ inducitur, quæ & occidat & deuoret, ac idem locus continens, & includẽs, vt detineat. Nam, quod dicitur, Prouerbiorum I.12. *Deglutiamus eum, sicut Infernus*: tam de *Morte*, oris hiatum pandente: quàm de *Sepulchro*, fauces quasi dilatante; & de *Inferno* propriè, vtramque quasi mandibulam diuaricante, & immensam oris voraginem aperiente, potest intelligi. Sicut & illud Isaiæ. V.14. *Dilatauit Infernus animam suam*: hoc est, fauces diduxit, quâ spiritus, seu anima emittitur, vt quàm plurima absorbeat: Certè, cùm describuntur *Portæ Mortis* & *Inferni*, illas non distingui obseruat Alcazarius; cùm eædem *Portæ* sint, quæ alibi *Portæ Mortis*, alibi *Portæ Inferi* nominantur. Quas esse *Portas Mortis* docet S. Ambrosius in cap. IX. Luc.

Ire ad portas Inferi quid sit. VII. ISAIÆ XXXVIII. 10 Ezechias Rex, cùm iam iam sibi moriendum existimaret: *Vadam*, inquiebat, *ad Portas Inferi*: id est; proficiscar ad communem generis nostri *Carcerem*, cuius *Portas* lata à supremo vitæ Modimperatore de me sententiâ reserabit. Quod alia lo-

Eccl. LI, 9. quendi formula pronunciat Ecclesiasticus: *Vita mea apppropinquans erat in inferno deorsum*: id est, iam ad fores *Carceris* mox mihi pandendi

Psal. IX. 15. præstolabar. Prolongatâ aliquantisper vitâ, cantare potuit, *Benedictus* DEVS, *qui exaltas me de portis* Mortis, *vt annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion*. Nimirum, eleuatus, & sublatus in locum editiorem à loco infimo, in quo ad portas Mortis constiterat.

Porta Mortis. VIII. SED quidnam Symbolicè, *Mortis Portæ* significant? Disputatur de hoc *Symbolo* capite XXXVIII. Iobi. Vbi versu *16*. potentia diuinæ Sapientiæ deprædicatur, & arrogantia humana contun-

Centrum terra. ditur, celebri illo quæsito: *Nunquid apertæ tibi sunt* Portæ Mortis, *& ostia*

*tenebrosa*

*tenebrosa vidisti?* Quo loco Eugubinus scribit: Omnes consentire, *Portas Mortis* esse *Centrum* terræ. Sed falli Steuchum, ostendit Pineda, & satis constat consulenti alios Interpretes. Sanè S. Thomas existimat describi *Cælum*, cuius influxus efficientes corruptionem rerum, appellentur *Portæ Mortis*. Ingeniosa expositio: an sententiæ recitatæ conueniat, non disputo: hoc ex ea colligo, quæ corruptionis aut interitus sunt caussæ, *Portas Mortis* posse appellari. Caietanus de *Mari* interpretatur, in quod, qui descendit, & enauigat, videt, narrátque eius pericula, quæ sunt *Portæ Mortis*. Verùm, cùm *Mors* non minus in terra & aëre, quàm in aqua sedem habeat, vbique infra Lunæ concauum eius portas constituere oportet. At enim Ioannes Pineda *Terram* dici *Mortem* existimat. Est enim peculiaris terræ cum *Morte* cognatio, quod terra mortuos excipiat gremio: Specus autem, ac cauernæ speciem habeant sepulchri, &, vt Poëtę fingunt, sint terræ fauces hiantes in prædam mortalium. Putat igitur, *Mortem* esse locum mortuorum, in ipsis terræ visceribus profundissimum: secessus autem altissimos, voragines atque cauernas, quasi hiantes quasdam fauces dici *Portas Mortis*, quæ nulli hominum sunt apertæ, nisi dum ad *Carcerem* illum ablegatur, vt exclamet, *Veni ad portas inferi.* Quod autem additur: *Ostia tenebrosa*, superioris membri videtur declaratio. Hęc ostia, hæ *Portæ* discoopertæ sunt, vt originale verbum habet, Diuinæ Sapientiæ: quis hominum, dum in hac vita mortalis egit, illas apertas vidit? Eadem verò sententiâ, Christi D. triumphalem ad *inferos* descensum, & per easdem, virtute propria reseratas, ad superos reditum significari Iulianus, Chrysostomus, & Theophilus præ reliquis animaduertunt.

*Caussæ corruptionis.*

*Periculum in Mari.*

*Voragines.*

IX. At vniuersè, *Portæ Mortis*, vel *Inferni*, *Symbolicè* sunt discrimina præsentanea, morbi, maximè lethales, & extremi, quibus peruenitur ad *Mortem*, sepulchrum, inferos: atque ita, qui illis interit, dicitur *Portas Mortis* ingredi. Imò, vt monet Lorinus in Sapient. XVI. spiritus extremus, quem moribundus trahit, ita aptè vocatur: sicut, *Expiratio*, Mors. Ita Dauid, Deo supplex, illíque gratias agens: *Qui exaltas me de portis Mortis:* intelligebat se *Mortis* ereptum discrimini in loco edito, tutoque constitutum: vt idem sit: de *Portis Mortis*, quod de periculis *Morti* proximis: Latinus dicit; de faucibus *Mortis*. Eodem modo, cum agit de ærumnis corporalibus, pro quarum liberatione Deo sunt dicendæ laudes Ps. CVI, 18. ita cantat: *Omnē escam abominata*

*Portæ Mortis Vitæ discrimina.*

Ps IX. 15.

*Appropinquare ad portas Mortis.*

*est anima eorũ, & appropinquauerunt vsque ad Portas Mortis.* Nempe, quando tanta est stomachi deiectio, vt reiiciat cibum omnẽ & medicinam ventriculus, ventum est ad extrema: itaque continetur ijs verbis, descriptio lethalis morbi, quem *Mors* ilico consequatur: vt *Morbus*, sit *Porta Mortis*; *Mors*, *Porta Inferni*, si lubeat illa distinguere.

*Porta Mortis, Iudi. iniqui.*

X. PORRO, quoniam in *Portis* ius dicebant Hebræi, vt ostendit, allatis eius consuetudinis caussis S. Hieronym. in ca. v. Amos. Portæ nonnunquã accipiuntur pro Magistratibus; noua, & longius petita translatione. Quocirca, quod Dauid petit liberari, vel gloriatur se liberatum à *Portis Mortis*, explicat Remigius, de iniquis Iudicibus, de persequutoribus, de inimicis quibuslibet corporis, vel animæ, *Mortẽ* inferentibus, per quos tanquam per patentes *portas* ad *Carcerem*, qui *Mors* est, perducuntur. Et quoniam aduersariorum nostrorum principes, & nobis maximè infesti sunt Diabolus, ac eius asseclæ, hos *Portarum* imagine designari scribunt Cyrillus Alexandrin. & Cassiodor.

*Port. Inferi.*

XI. AN fortasse de his intelligendum, quod Matt XVI. 18. *Portæ Inferi non præualebunt aduersus eam?* id est, aduersus Ecclesiam, cuius perpetuam stabilitatem ibi declarat Dominus. Græcè est: καὶ πύλαι ᾄδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς. Hic per *Portas Inferi* omnem Diaboli potentiam significari, ambigi vix potest. At quare id fit *Portarum Symbolo?* Loquebatur, inquit Maldonatus de Ecclesiâ, tanquam de ciuitate aliqua Christus. Solent autem munitissima pars vrbium esse Portæ vt Psal. CXLVII. 13. *Quoniam confortauit seras portarum tuarum, benedixit filijs tuis in te*: & quia vrbes plerumque per portas expugnari consueuerunt: vt Genes XXII. 17. *Possidebit semen tuum portas inimicorum suorũm*: id est, hostium vrbes expugnabit. Eodem spectant illa Iudic. v. 8. *Noua bella elegit Dominus, & portas hostium ipse subuertit.* Lib. III. Reg. VIII. 37. *Si afflixerit eum inimicus eius portas obsidens.* Eadem de caussâ, non dixit fortasse, *Diaboli*, sed *Inferi*, quoniam de *Inferno* tanquam ciuitate Dæmonis, Ecclesiæ opposita loquitur: cuius descendens *contriuit Portas æreas, & & vectes ferreos confregit.* Adde, in Portis Concilium esse solere Iudicum, ac proinde Vrbis potentiam.

*Ps. CVI. 16.*

*Alcazar Apocalyp. I Ver. XVIII. Not. 15.*

SVBTILITATIS aliquid, & fortasse plus satis in hac interpretandi ratione notat Alcazarius: ipse tamen putat, simplicius illud Symbolũ ita exponi debere: vt per *Portas Inferi*, intelligantur fauces & patentissima ora, tum *Mortis*, tum *Inferni*: vt sensus sit, quãuis multa guttura pandat *Infernus*, ad Ecclesiam Christianam absumendam: licet

*Fauces inferni, Guttura Mortis.*

licet *Mors* bipatentes portas aperiat, vel potius fauces latissimas diducat, ad diglutiendos quam plurimos: deniq;, quamuis grauissimæ aduersus illam excitentur persequutiones, ad Christianũ nomen delendũ, vt dicere possit, se peruenisse vsq; ad *Portas Mortis*. Imo tametsi magna fideliũ pars in *Carcerẽ* per *Portas Mortis* detrudatur: victrix tamen semper, ac triumphatrix inde redibit. Nam & mortui incorrupti ac gloriosi resurgent: & quo plures *Mors* deglutiuerit, eo plures exorientur, cùm sanguis martyrum sit semen Christianorum.

XIII. Apvd Virgilium lego, *Belli diras Portas*, quas alij etiam celebrant, sic dictas, quod per illas Bellona egrederetur. An hac analogiâ nominari possunt *Portæ Mortis*? Non tamen quod per illas egrediatur Mors, sed quod egrediatur Vita: Morti aditus patefiat. Memini etiam, Homerũ alicubi nominare, πύλας αΐδαο & celebres fuisse binas *Solis Portas*: quarum vna erat *Vitæ*, altera *Mortis*: Deorũ vna; hominum altera, de quibus Macrobius. Sed tunc concipienda esset *Mortis* domus arx, vel regia, *Regnũ inferorũ* vocat Sacra Scriptura Sap. c. 14. Devs Mortem *non fecit: nec lætatur in perditione viuorum: neque* Inferorum Regnũ *in terrâ*: ex Græco vertere licet, *super terrã*; quia regnũ & regia domus, *Mortis* infra terrã ablegauit ibiq; fabricauit Carcerẽ. *Portæ Belli.* *Porta Solis. Vitæ, Mortis.*

XIV. Ceterum, quia in *Portis* caussę iudicabãtur; an non dici potest, ad *Portas Mortis* peruenisse, cuius præterita, quã mox finiturus est, vita iudicari debet? At cur numero multitudinis, *Portæ*? Nonne de vitâ egrediendi, & moriendi viæ sunt innumerabiles? Huic laqueus animam extorquet: hunc ensis transuerberat: istũ flamma, alium venenatus bolus; nonnullos inedia, plures crapula, aliquos gaudium, multos animi mœror, plerosque febris: plurimis distillatio ad Mortis regiam iter aperit. *Portæ Mortis plures*

XV. Sed sunt in hoc Symbolo, quæ mores spectant, ideò minimè negligenda. Egregiè S. Ambros. vbi scribit *Portas Inferi Portas Mortis* esse: subdit Portas Mortis, non posse esse Portas Ecclesiæ: Portas illas esse singula quæq; *Peccata*. Si fornicatus fueris, inquit, *Portas Mortis* ingressus es: si fidẽ læseris *Portas Inferi* penetrasti. Si peccatum mortale commiseris, *Portas Mortis* intrasti. Sed potens est Devs, qui exaltet te de *Portis Mortis*, vt annuncies omnes laudes eius in portis filiæ Sion. Sunt enim *Portæ Ecclesiæ*: sunt portæ castitatis. Sunt portæ iustitiæ, quas iustus intrare consueuit dicens: *Aperite mihi portas iustitiæ, & ingressus in eas confitebor Domino.* Sed vt *Porta Mortis Peccata* *S. Amb. in Luc. cap. IX.*

Porta

*Portæ Mortis, Portæ Inferi*: ita & *porta iustitiæ* DEI *porta est. Hæc enim* Porta Domini: *iusti intrabunt per eam*. Et ideò fuge pertinaciam delictorum, ne *Portæ* tibi possint *Inferi* præualere. Si enim dominatum fuerit peccatum in te, *Mortis Porta* præualuit. Fuge ergo contentiones, & dissensiones, strepitus, tumultúsque discordiæ, ne per *Portas Mortis* ingressus, incurras.

*Peccata Mortalia Porta Mortis æterna.* XVI. HVGO etiam Cardinalis, Appropinquare ad *Portas Mortis* interpretatur, vsque ad peccatum mortale per infidelitatem. Peccata enim mortalia, inquit, sunt *Portæ*, & introitus Mortis æternę. Vnde oramus pro defunctis: *A porta inferi, erue Domine animas eorum*: id est, à *peccato*.

*Porta, Via, Vitia.* Addit idem: *Mortem* æternam habere tot portas, quot vias: id est, quot Vitia. Esse autem misericordiæ diuinę, quod quis appropinquet solùm, & non intret. Cum enim homo est in peccato, est in via ad *Portas Mortis* æternæ, & quanto magis peccat, tanto magis propinquat. Cùm autem moritur in peccato tunc intrat *Portas Mortis*: & Dominus in sua misericordia multos reducit, qui iam vsque ad *Portam* appropinquauerant Sap. XVI. *Deducis* ad Portas Mortis *& reducis*.

*Appropinquare ad Portas Mortis.* Dicere etiam posses, *Appropinquare* ad Portas Mortis, *nondum* verò *intrare*, qui à peccato mortali parum abest, id adhuc non admisit: quíve consequenter propè interitum est, ac æternam damnationem, vel eius reatum, sed non incurrit.

*Sensus.* XVII. An-non etiam rectè conseperis sensus omnes, & potentias, quæ sunt in humano corpore & anima tanquam *Portas Mortis*, tam primæ, quàm secundæ? nam per omnes, tanquam patentissimas vias, *Mors* hominem, velut domicilium, ingreditur. *Ascendit*

*Ier. IX. 21.* Mors *per fenestras nostras: ingreditur domos nostras, disperdere paruulos de foris, iuuenes de plateis.* Quę fenestræ sunt patentes *Portæ*, quod designauit Symbolicè adolescens elatus extra portam ciuitatis.

*Cogitationes praua.* XVIII. Alio modo de *Portis Mortis* philosophatur Gregorius, qui ait, illas esse *Cogitationes prauas*, quas, inquit, DEO pandimus, quando illas in pœnitentia flendo confitemur. Quas etiam non confessas

*S. Greg. lib. XXIX Mor. cap. 8.* intuetur, sed confessas ingreditur. Tunc quippe viam sibi in *Portis Mortis* aperit, quando solutis prauis cogitationibus, ad nos post confessionem venit. Quæ Portæ Mortis idcirco vocatæ sunt, quia profectò via ad interitum per iniquas semper cogitationes aperitur. Simili

analogiâ,

analogiâ; *Tenebrosa ostia*, sunt latentia mentis mala, quæ & haberi intrinsecus possunt, & tamen videri ab altero non possunt. Quę tamen Dominus cernit, quando ea occulto respectu gratiæ destruit, scriptum quippe est: *Rex qui sedet in solio iudicij dissipat omne malum intuitu suo.* Prou. 10.

XIX. QVID si per *Portas Mortis* intelligas *Infidelitatem, Hæresin, Vitæ impuritatem, Consuetudinem prauam?* quas dum ex animis nostris euellit, nósque sic immutat, vt ad Ecclesiæ Catholicæ, Sanctæ, meliorísque, ac religiosioris vitæ montem ascendamus, nonne verus *Samson*, à somno excitatus, Portas Gazan reuellere, & ad verticem perfectionis Christianæ deportare dici poterit? Ita commentatur Nicolaus Serarius: Rationem *Symboli* subiungit, Cogita quanta in his omnibus vis, ac robur! quot repagula, vectes, ac seræ! quàm per ista omnia certò, tanquam per patentes *Portas* in sempiternum exitij barathrũ ab innumerabilibus introeatur: inde verò posteà, nunquam; nunc verò difficillimè, atque omnino rarissimè à perpaucis exeatur. De his fortasse *Portis* est illa Patris æterni ad Filium acclamatio apud S. Brigittam. *O Fili mi, qui humanum genus liberasti* Morte *tua de Inferno, Surge, & defende te: quia multi viri & muleres excluserunt te à corde suo. Ingredere igitur regnum sapienter, sicut Salomon, aufer de postibus summas portas, sicut Samson.* Porta Mortis Hæresis. Iud XVI. Quæst. 48. Lib VIII. cap 55.

XX. SATIS dictum opinor, quid per *Portas Mortis* intelligatur, quas in *Morte* tanquam subterraneo *Carcere* concipimus. At quid est habere eius *Claues?* CLAVIS *Symbolum* est auctoritatis, potestatis, iuris, possessionis. *Clauium* traditione, à ciuitatum optimatibus ius dominij significatur: horrei quoque potestas & possessio tradita censetur à Iurisconsultis: estq; ea antiquissima ceremonia, vt liquet ex Cicerone ac Liuio. Apud Romanos denique vxor à marito domũ ducta *Claues* accipiebat: atque ita matrisfamilias nomen ac potestatem: repudiata posteà, claues reddere cogebatur, iubebatúrque res suas habere. Quod ex Philippica II. ab Antonio factum habes. In Sapiẽtia sacra CLAVIS Symbolum est earundem rerum, sed summi etiam Imperij. Habere Claues. Cic Orat. pro domo. Liui lib. VII. de Bel. Tusc.

XXI. CELEBRATISSIMVS est locus Isaiæ XXII. 22. Vbi promittit Eliacim: *Dabo* Clauem *domus Dauid super humerum eius: & aperiet & non erit, qui claudet: & claudet, & non erit, qui aperiet.* Quæ Christo attribuuntur Apocalyps. III. 7. hac verborum formâ: *Hæc dicit Sanctus &* Clauis domus Dauid.

*Verus, qui habet* Clauē Dauid *qui aperit & nemo claudit: claudit & nemo aperit*. Per Clauem autem Dauid, siue domus Dauid: id est, Regum, hereditario iure Dauidi succedentium, quomodo iam dicitur, Domus Austriæ, Domus Bauarica, Domus Burgūdica, intelligit Franciscus Ribera supremam summi Pontificis dignitatem, Beda regiam potestatem Christi: Forerius, Adam, Arias Montanus, quos sequitur Alcazarius, summam in administratione regni potestatem.

*Clauis Mortis & Inferni.* XXII. Hic autem postremus & illud adiungit; *Claues Mortis* ac *Inferni* easdem esse cum *Claue* cœlestis Dauidis. Eadem nempe potestas suprema ad regni Ecclesiæ gubernationem dicitur *Clauis Regis*, tanquam Domini: & *Clauis* CHRISTI hominis, tanquam præcipui Ministri: & Claues *Mortis* ac *Inferni*, tanquam rerum illarum, quæ supremæ potestati subiectæ sunt. Itaque habere *Claues Mortis* & *Inferni*, est, habere supremam, quam adeptus est per Resurrectionem, in *Mortem*, & *Infernum* potestatem, vt dominari iis possit, imperare, & quidlibet præscribere. Deinde, quod propius accedit, ad hoc *Symbolum*, vt possit hunc *Carcerem* claudere pro beneplacito, & aperire: quæ duo sunt *Clauis* officia. Præterea, vt possit emittere quoslibet è *NOTA.* custodiâ, & alios includere. Sic Galli vsurpant, similem loquendi modum pro emittere ex carcere. Deniq; contrahere aut laxare habenas *Mortis* & *Inferni* in genus humanum sæuientium.

*Mortis variæ acceptiones.* XXIII. PORRO, quia MORS variè sumitur, aduertit rectè Blasius Viegas, quomodocumque tandem accipiatur, eius *Clauem*, id est, potestatem esse penes CHRISTVM, MORTIS Triumphatorem. Si accipiatur pro dissolutione animæ & corporis: CHRISTVS vitam potest dare & eripere: ac proinde, animæ & corporis, vel diuortium, vel colligationem facere. Si *Mors* sit peccatum, Is à peccato liberat. Si Dœmonem denotet, Idem Diabolo ad tentandum frenum contrahit, vel dilatat. Si æternam damnationem designet: quomodo aliqui illud exponunt, *Sicut oues in inferno positi sunt*, Mors *depascet eos*, & vocatur *Mors secunda*. *Ps XLVIII. 15.* Potest Dominus iure suo improbos supplicio sempiterno addicere. Demum, si *Mors* sit illa, qua quis peccato ac vitiis moritur: sic enim *consepulti* dicimur *per baptismum* Christo *in Morte*: *Rom. VI. 4.* CHRISTVS est, qui vitam gratiæ largitur, *Mortem* peccatis inferendo.

*Inferni multiplex significatio.* XXIV. HAVD dispari ratione: Quidquid per *Infernum* intellexeris, illius Clauis Resurgentis est Saluatoris. Significat *Infernus* Sepul-

Sepulchrum? Vt Psal CXIII.17. *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes, qui descendunt in infernum.* CHRISTVS, Sepulchra claudit & aperit: vitam donat, & eripit. Accipitur ne pro Limbo? vt Psal. XV 10. *Non derelinquas animam meam in Inferno.* CHRISTVS est, qui captiuam inde deduxit captiuitatem. Sumitur-ne pro damnatione perpetuâ, seu loco damnatorum? vt vulgariter: Iudex est Christus, qui torquẽdos æternùm sceleratos eò ablegat. Vsurpatur-ne pro ipso Dœmone? vt, quorundam sensu, Prouerbiorum XXX. *Tria sunt insatiabilia Infernus, Os vuluæ, Terra.* CHRISTVS est, quia Cacodœmonis violentiam coarctat, &, dum sic visum expedire, extendit, attingens à fine vsque ad finem fortiter disponens omnia suauiter. Prou. XXX. 16.

ITAQVE verè acclamamus in his triumphi Christiani solenniis. *Tu es Domine, qui* Vitæ *&* Mortis *habes potestatem, & deducis ad Portas Mortis & reducis.* Verè gloriaris: *Videte, quod ego sim solus, & non sit alius* DEVS *præter me: Ego occidam, & ego viuere faciam, percutiam & ego sanabo.* Verè, Tu Domine mortificas & viuificas: deducis ad Inferos, & reducis, TV NECIS AC VITÆ SVPREMVS ES MODERAROR. Sap XVI 13. Deu. XXXII I Reg II 6.

*DEVS, qui in Filij tui humilitate iacentem Mundum erexisti: fidelibus tuis perpetuam concede lætitiam, vt quos perpetuæ MORTI Seripuisti casibus, gaudijs facias perfrui sempiternis.*



# NOTÆ

## AD COMMENTATIONEM XV.

## MORS

# CARCER.

§. II. CLAVIS Mortis.] *De formula huius sensu Blasius Viegas Apocalyps. 1. Comment 11. Sect. 19. ex Philone lib. de Profugis, & Gregorio lib. IV. Moral. cap. 7. Maldonatus Matth. XVI. 19. Ludouicus Alcasarius in Apocalypsin. Pererius Apocalyp. 1.*

§ XIII. Belli portæ] *Virgil. 1. Æneid.*

— diræ ferro & compagibus arctis
Claudentur BELLI PORTÆ: furor impius intus
Sæua sedens super arma, & cẽtum vinctus ahenis.
Post tergũ nodis, fremet horridus ore cruento.

*Quo loco de Iani Portis clausis disputat eruditè Ioann Ludouicus Cerda: & quoties Augustus eas occluserit.*

*De Portis Solis Macrobius lib. 1. in Somnium Scipion. Descensus quo anima de cœlo huius vitæ inferna delabitur, sic ordo digeritur. Zodiacus ita lacteus circulus obliquæ circumflexionis occursu ambiẽdo complectitur, vt eum, qui duo tropica Capricornus & Cancer feruntur, intersecet. Hos Solis Portas Physici vocauerunt, quia in vtraque, obuiante solstitio vlterius Solis inhibetur accessio, & fit ei regressus ad zonæ viam, cuius terminos nunquam relinquit.*

*Per has Portas anima de cœlo in terras meare, & de terris in cœlum remeare credũtur. Ideo, Hominum vna, altera Deorum vocatur. Hominum, Cancer, quia per hunc in inferiora descensus est. Capricornus, Deorum, quia per illum animæ in propria immortalitatis sedem, & in Deorum numerum reuertuntur.*

*Et hoc est, quod Homeri diuina prouidentia in antri Ithacesii descriptione significat. Hinc & Pythagoras putat à lacteo circulo deorsum incipere Ditis imperium: quia animæ inde lapsæ videntur iam à superis recessisse: ideo primam nascentibus offerri ait lactis alimoniam: quia primus eius motus à lacteo incipit in corpora terrea labẽtibus.*

§. XVII

§ XVII. Portæ sensus.] *Huc facit illud Plutarchi de Calumniatoribus: Velut urbes* Portas *quasdam habent* nefastas, *& sinistri omnis, per quas educunt supplicio capitis destinatos, purgamenta, & sordes eijciunt: nihil autem purum, aut sacrum, per eas, vel ingreditur, vel egreditur: ita per horum aures nihil probum, aut laudabile trāsit: sed sermones de cædibus aditum inueniūt, atque ibi versantur, impuras & falsas de aliorū vitâ, & moribus fabulas componentes. Cuiusmodi certè digni sunt tragicis imprecationibus*

Malè pereas mortalium excerpens mala.

*Celebris Ierosolymis* Porta stercoris *de quâ II. Esdræ I.13 de cuius situ aliísque ad eam spectantibus agit Ioann. Bap. Vilalpandus in Apparatu Vrbis.*

§ XX. Clavis Symbolum.] *De hoc Sylua allegoriarum SS. Martinus Delrius To. I. Adagio* DCCXXXIII. Clauis super humerum. *vbi posse referri doces ad omnem potestatem aliquid faciendi, vel impediendi à gemino clauis officio; atque ita sumi*, Clauem putei abyssi *Apocalyps.* IX. I. & XXI. *Sic Galli vsurpant*, donner la clef des chāps; *pro emittere ex carcere.*

§. XXIV. In Infernum sceleratos æternum torquendos ablegat.] *Nam ex illo miserrimo cæcissimóque Carcere non est exitus. Æternitatis ingenti saxo hoc antrum clauditur, quod à nemine reuolui aut remoueri potest. Rectè Hieronymus:* Infernus est ciuitas firma & munita de qua *Ps.* LV. & CI. Quis *deducet me in ciuitatem munitam?* In qua clausæ sunt animæ mortuorum, & circumdata est firmissimis custodijs. *Domini mei: ex inferno nulla est redemptio, cauete: nullus inde est exitus:*

Cûm semel infernas intrarūt funera leges:
Panditur ad nullas ianua nigra preces.

*Agnouit hoc lascium poëta Græculus, & ad nostram confusionem cecinit vitæ breuitatem cum sempiterno carceris infernalis horrore conferens:*

πολιοὶ μὲν ἡμὶν ἤδη *Anacreon.*
κρόταφοι κάρα τ' ἢ λευκόν.
χαρίεσσα δ' οὐκ ἔθ' ἥβη
πάρα, γηραλέοι δ' ὀδόντες.
γλυκεροῦ δ' οὐκέτι πολλὸς
βιότου χρόνος λέλειπται
διὰ ταῦτ' ἀνασταλύζω
θαμὰ, τάρταρον δεδοικώς
ἀΐδεω γάρ ἐστι δεινὸς

 μόχος.

αυγαλέη forte.

μόχθος, † ἀργαλέη δ᾽ ἐς αὐτὸν
κάθοδος. καὶ γὰρ ἕτοιμον
καταβάντι μὴ ἀναβῆναι
Cana nobis iam
Tempora, capútque album.
Venustáque non amplius pubes
Adest: senésque sunt dentes.
Et dulcis non amplius multum
Vitæ tempus relictum est.
Propterea ingemisco
Frequenter, Tartarum reformidans
Orci enim est horrendus
Specus, & grauis in ipsum
Descensus. Nam patet
Ei, qui descendit nullus ascensus.

Iovi. Elog. in Actiolino.

*Facit huc CARCER Persis notissimus, in quem qui semel ingressus, regrediebatur nunquam, ideoque LETHE dicebatur. Et illi quos Actiolinus Patauinorum Tyrannus plures habuit, vt narrat Iouius omni miseriarum, ac cruciatuum genere infames.*



COM-

# COMMENTATIO XVI.

## MORS

# LICTOR.

## CARCERARIVS, VENATOR.

*CHRISTVM IESVM DEVS suscitauit, solutis doloribus Inferni (θανάτου) iuxta quod impoßibile erat teneri eum ab eo.*

Actuum II. 24.

BREVIARIVM.

1 *Impoßibile fuit Christum teneri funibus Mortis. Tendit Mors funes, vel tanquam Lictor, vel tanquam Carcerarius, vel tanquam Venator.*

2 *Mors, Lictor est Dæmonis: fasces ei præfert, & secures.*

3 *Vt Carcerarius vectes inferorum Carceri adponit. Vt Venator Mundum tanquam Syluam vnam funibus cingit.*

4 *Christus Triumphator funes omnes disrupit. 1. quibus tenebatur Corpus & anima. 2. Funes dolorum. 3. Funes quibus detinebantur animæ in limbo. 4 Funes venatorios, quibus mortuis insultabat Dæmon. 5. Funes, quibus in purgatorio stringebantur animæ.*

5 *Christus verè ad Inferos descendit: sed impoßibile fuit illum detineri.*

6 *Dominus factus inter mortuos liber, quia Mortis vincula nesciuit.*

7 *Horruit Infernus ad Christi aduentum: aduenit enim, vt potestate præditus, & tanquam Debellator. Exiens inde, vectes confregit.*

8 *Quomodo Christus in potestate Mortis? An non quia Dominus vltro se illi tradidit? quantus inde Morti dolor?*

9 *Vincula Mortis videri esse Pœnalitates animæ ac corporis: & quænam illæ?*

10 *Non doluit Christus post Mortem. Dolorum terminus Mors fuit, non exordium.*

11 *Christus Morte, ac omnibus eius vinculis superior. Posuit animam, quando voluit, recepit, cùm libuit: Immortalis quà DEVS, immunis à peccato, etiam quà homo.*

Huma-

## *Humanissimi, Ornatissimique Domini, Diuersarum Ecclesiarum Præsules* Sodales Optimi.

Triumphus Christi. I. AGI his verbis de glorioso CHRISTI Resurgentis Triumpho, quem MORTE superatâ egit, mihi non est dubium: sicut nec illud, latere in iisdem nouum quoddam, ad illam, vt à Triumphatore deuictam, repræsentandam, *Symbolum*. Quod vt formetur: obseruate, dici in Græco λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου; *solutis doloribus* MORTIS: quæ Syrus sic interpretatur: *Solutisque funes inferorum*: vt dicere possis, CHRISTVM soluisse *funes* Mortis. Concipienda est igitur *Mors*, vel *Lictoris* instar, funibus sibi addictos constringentis, vel *Carcerarij*, vinctos sibi traditos funibus nectentis: vel *Venatoris*, funibus syluam ad numerosam captandam prædam cingentis. Omnes hos *funes* dissoluit CHRISTVS resurgens, siue in se, siue in aliis.

MORS, Lictor. II. Agit MORS LICTOREM tartarei Carnificis, illum præcedit, illi fasces ac secures præfert, ad ipsius obsequium semper excubat: illi quàm plurimos, quos in sua torqueat officina, funibus innodatos adducit: & adduxerat ante Saluatoris aduentum ingentem integerrimorum virorum turbam, qui in subterraneo lacu, qui Limbus dicitur, conseruabantur: quos Acharonticus tortor sibi ad pœnam tradi peroptabat.

Carcerarius. III. CARCERARII etiam munus exequebatur, commissum suæ curę conclaue, vectibus muniens, & in eo conclusos funibus adstringens. Mundum vero vniuersum, vt vnam Syluam multiplici funium complicatorum circulo cingit, ne quis ex ea animalium se subducat: & sanè omnes ad casses eius veniunt. Sed tam varij artificis Venator. nodos vnus Christus, descendens ad Inferos, & resurgens à mortuis soluit, rupit, discidit, iuxta quod impossibile erat teneri eum, à *Morte*, vel eius funibus.

Varij funes Mortis. III. ITAQVE CHRISTVS DEVS-HOMO soluit *Primò* funes *Mortis*, quibus eius mortui partes, anima in Inferno, corpus in Sepulchro detinebantur, cùm tertio die, tum ex inferorum loco, animam; tum è tumulo corpus euocauit, iterúmque suâ virtute coniunxit.

Tunc

Tunc quoque pariter soluit dolores, quos in Passione & *Morte* senserat: verè propter grauitatem letiferos & aptos qui ad infernũ, id est, sepulchrũ perducerẽt. Soluit *deinde* funes, quib. eatenus detẽti fuerãt *Morte* tanquã *Carcerario* iij, qui cũ CHRISTO resurrexerũt, vt Interlinearis Glossator cõmentatur: vel certè animarũ iustarũ, quas *Mors* vsque ad illud tempus in Limbo veluti vinculis arctatas ne se inde commouerent, detinuerat. *Prætereà*, soluit funes, quos illi *Mors* quasi *Venator*; aut potius, *Dæmon* per sibi addictum mancipium tetenderat, nec in inferno ostentare, si fortasse detineri posset, desinebat. *Denique*, soluit funes, quibus à *Morte*, tanquam *Lictore*, Animæ in expiatorio ergastulo, constringebantur. Omniúm-ne? ita quidam existimat. Alij communiter, earum tantum, quæ satis erant expiatæ, ac benè dispositæ. Certè, non damnatorum: & multo minus, Dœmonum. Quod certa fide credendum V. Beda asserit, & probant, huius temporis Theologi Scholastici. *Matt. XVII. II.* NOTÆ.

*Aggratulationes Patrum ob solutos à Christo funes.*

V. MIRVM est, quantoperè Triumphatori CHRISTO gratulentur, & insultent *Morti* ac *Dæmoni*, ob rem tam præclarè contra generis humani *Venatorem*, *Carcerarium*, *Lictorem* actam, & soluta, immortalia eius, vt videbantur, vincula. Doctè S. Augustinus & ad Theologicam normam, Epistola XCIX. ad Euodium, quæsito ipsius ad hanc rem respondens. *Dominum carne mortificatum venisse in* Infernum *satis constat. Neque enim contradici potest vel Prophetiæ quæ dixit*: Quoniam non derelinques animam meam in inferno. *Quod ne aliter quispiam sapere auderet in Actibus Apostolorum Petrus exponit; vel eiusdem Petri illis verbis, quibus eum asserit*, soluisse Inferni dolores, *quibus* impossibile erat eum teneri. *Quis ergo nisi infidelis negauerit fuisse apud Inferos* CHRISTVM? *Quod si moueat aliquem, quemadmodum accipiendum sit* Inferni *ab illo solutos dolores, neque n. cœperat in eis esse, tanquã in vinculis, & sic eos soluit, tãquam si catenas soluisset, quib. fuerat illigatus. Facile est intelligere sic eos solutos, quẽadmodũ solui possunt* LAQVEI VENANTIVM, *ne teneant, non, quia tenuerunt.* *August. Epist. XCIX.* *Psal. XV.*

*Potest & sic, vt eos dolores eum soluisse credamus, quibus teneri ipse non poterat: sed quibus alij tenebantur, quos ille nouerat liberandos.* Itaque, *quod scriptum est, in morte* CHRISTI *factum*; solutis doloribus inferni: *vel ad ipsum potest intelligi pertinere, quod eos hactenus soluerit: id est, irritos fecerit, ne ab eis ipse teneretur, præsertim, quia sequitur*: In quibus impossibile erat teneri eum. *Vel si caussa quæritur, cur voluerit venire in Infernum, vbi dolores illi essent, quibus teneri omninò non poterat, quia erat, vt scriptum est*, Inter mor- *Psal. LXXXVII.*

tuos liber, *in quo Princeps & Præpositus Mortis non inuenit aliquid, quod supplicio deberetur: hoc scilicet, quod scriptum est*: Solutis doloribus Inferni, *non in omnibus; sed in quibusdam accipi potest, quos ille dignos ista liberatione iudicabat: vt neque frustra illuc descendisse existimetur: nulli eorum profuturus, qui ibi tenebantur inclusi: nec tamen sit consequens, vt quod diuina quibusdam misericordia, iustitiáque concessit, omnibus concessum esse putandum sit.*

*Christus inter mortuos liber. S. Ambr. lib. III. de Fide cap. 3.*

VI. EVNDEM sensum innuit S. Ambrosius lib. III. de Fide cap. III. disputans, quomodo Dominus factus fuerit inter mortuos liber. *Liber*, inquit, *qui* Mortis Vincula *nesciuit: non captus ab Inferis, sed qui operatus sit in infernis. Et quidem sine adiutorio, quia non per nuncium, neque legatum: sed ipse per se Dominus fecit saluum populum suum.* Similia habet V. Beda, citans verba textus Græci *Soluens per ipsum* Mortis *dolores*: nostri tamen codices non habent *per ipsum*: sed forasse intelligitur, *per se ipse* quia, vt loquitur Ambrosius, *sine adiutorio. Quomodo enim potuit adiutorium sui corporis quærere suscitandi, qui alios suscitauit? Ac licet alij homines quoque resuscitauerint, mortuum: non in suâ tamen virtute fecerunt; sed in* CHRISTI *nomine*: ille per se ipse Mortis Vincula soluit. Addit etiam Beda de doloribus pœnarum, quæ CHRISTVM attingere non potuerunt.

*V. Beda in Act. Gloss.*

*CHRISTVS ... III ... III Art. 4. S. Aug. Tom. X. Appen. de diuersis Serm. 52. Eusebij videtur.*

VII. VECTES nominat Auctor Sermonis, quem Augustini nomine citat S. Thomas in hac re, videtur autem consarcinatus ex sententiis alterius Patris, vel plurium. Ad rem nostram facit hæc pij contemplatoris narratio. Cum tenebrarum terminũ, quasi quidam deprædator splendidus ac terribilis attigisset, CHRISTVS, aspicientes eum impiæ, ac tartaricæ legiones, territæ, ac trementes inquirere cœperunt, dicentes: Quisnam est iste terribilis, & niueo splendore coruscus? Numquam noster talem excepit tartarus: nunquam in nostram cauernam talẽ euomuit mũdus. Inuasor iste, non debitor: exactor est, non peccator. Iudicem videmus, non supplicem. Venit iubere, non succumbere: eripere, non manere. Vbi iam ianitores nostri dormierunt, cùm iste bellator claustra vexabat? Hic si reus esset, tam potens non esset. Si eum aliqua peccata fuscarent: nunquam nostra tartara suo dissiparet fulgore. Si DEVS, vt quid venit? Si homo quid præsumpsit? Si DEVS, quid in sepulchro facit. Si homo, quare peccatores soluit?

NVNQVID cum actore nostro fœdus composuit, aut fortè congressus

greſſus & ipſum vicit, & ſic ad noſtra regna aſcendit? Certè mortuus erat: certè illuſus erat. Prᴂliator noſter neſciuit, quam hic ſtragem procuraret inferno crux illa: fallens gaudia noſtra, parturiens damna noſtra. Per lignum ditati ſumus: per lignum euertimur. Perit poteſtas illa ſemper populis formidanda. Nullus hic viuus intrauit: nemo Carnifices terruit. nunquam huic cœnolento loco, & nigra ſemper caligine cœcato iucundum lumen apparuit. Aut fortè Sol de mundo migrauit? Sed nec cœlum, nubes, aſtráque apparent: & tamen Infernus lucet. Defendere contra iſtum cuſtodiam Carceris noſtri non valemus. Malè intrauimus: lumen obtenebrare nequiuimus, inſuper & de noſtro interitu formidamus. Vnde eſt iſte tam ſplendidus, tam fortis, tam præclarus, tamque terribilis? Mundus ille, qui nobis ſubditus fuit, ſemper noſtris vſibus MORTIS TRIBVTA perſoluit, nunquam talia inferis munera deſtinauit. Quis ergo iſte eſt, qui ſic intrepidus noſtros fines ingreditur, & non ſolum noſtra ſupplicia non veretur, inſuper & alios de VINCVLIS noſtris abſoluit.

AN fortè ipſe eſt ille, de quo Princeps noſter paullo ante dicebat quod per eius *Mortem* totius mundi acciperet poteſtatem? Sed ſi iſte eſt, in contrarium eſt noſtri prᴂliatoris verſa ſententia, & dum ſibi vincere viſus eſt, ipſe potius victus, atque proſtratus eſt. O Princeps noſter hicne eſt ille, de cuius tibi ſemper futura *Morte* plaudebas? Quid eſt, quod egiſti? Liberum huc adduxiſti, & tot obnoxios perdidiſti.

POST iſtas crudelium miniſtrorum infernalium voces, ſine aliqua morâ ad imperium Domini, & Saluatoris N. omnes ferrei confracti ſunt VECTES: & ecce ſubitò innumerabiles Sanctorum populi qui tenebantur in MORTE captiui Saluatoris ſui genibus aduoluti lacrymabili eum voce cum obſeruatione depoſcunt. Aſcendo Domine IESV ſpoliato inferno & authore MORTIS ſuis vinculis irretito redde iam lætitiam Mundo.

D. Cyprianus eundem Chriſti victoris triumphum exornans *Catenas*, *Vincula*, & *Clauſtra* coniungit, ita ſcribens in Apoſtolorum Symbolum. Velut, ſi quis Rex pergat ad gentem, in quâ proprios habeat captiuitatis vinculo alligatos, deuictáque *Carcerem* intret, in quâ vincti detinebantur, ſoluat catenis vincula, & clauſtra comminuat, & vinctos in remiſſionem ducat, & eos qui ſedent in tenebris, & in

vmbra Mortis, Luci ac vitæ constituat. Ergo dicitur Rex fuisse quidem in carcere, non tamen ea conditione, qua ceteri, qui tenebantur inclusi: sed illi quidem vt pœnas soluerent, hic verò absolueret pœnas. ita diuina natura pro supposito cuius sunt actiones in MORTEM per carnem descendit: non vt lege mortalium detineretur à *Morte*: sed vt per se resurrecturus *Ianuas Mortis* aperiret.

*Quomodo Christus in potestate Mortis.* VIII. DIVERSO ab hoc modo S. Chrysostomus soluta *Mortis* vincula vel dolores significat per Domini resurrectionem. *Hæc enim verba*, inquit, Non erat possibile teneri illum ab eâ, *declarant, & ipsum vltro in potestatem* Mortis *venisse, & quod etiam ipsa* Mors *illum detinens doluerit, & graui passa sit. Dolorem enim* Mortis *Scriptura periculum vbique solet appellare: & quod sic resurrexit, tanquam non iterum moriturus.* Non solùm igitur à *Morte*, sed etiam à periculo *Mortis* Dominus se exemit.

*Hom. XXIV. in I Corinth.* Quemadmodum, inquit Chrysostomus, qui cibum accipiunt, quem continere non possunt, etiam, quæ ante comederunt propter illum euomunt: Ita in Christi *Morte* euenit. *Mors*, cùm corpus, quod corrumpere non poterat, accepisset, etiam illa eiecit, quæ comprehenderat. Siquidē, cùm Christum haberet, dolebat, & affligebatur, quousque eum vomuit. Idcirco, inquit Apostolus: *Soluens dolores Mortis.* Nec enim aliqua mulier cùm parit, ita dolet, vt illa cum corpus Dominicum comprehendisset, distrahebatur, & lacerabatur. Quodque in Babylonio Dracone factum est, quando accepto cibo crepuit medius, idem in hoc vsu venit. Non enim per os *Mortis* Christus erupit, sed medio Draconis ventre erupto clarissimus euasit. Alia id similitudine ob oculos ponit S. Cyprian. Serm. in Symbol. Apost. Sicut hamum esca conceptum si piscis rapiat, non solùm escam cum hamo non remouet, sed & ipse de profundo aliis esca futurus educitur. Ita & is qui habebat Mortis imperium, rapuit quidem in *Mortem* corpus IESV, non sentiens in eo hamum Diuinitatis inclusum: sed vbi deuorauit, hæsit ipse continuò, & disruptis Inferni Claustris velut de profundo tractus, trahitur, vt esca ceteris fiat.

*Pœnalitas animæ & corporis.* IX. S. THOMAS III. P. Quæst. LII. Art. 4. agens de Christi ad inferos descensu dicit CHRISTVM, vt nostras pœnas in se susciperet, voluisse corpus suum in sepulchro poni: ita etiā voluisse animā suam ad infernum descendere. Quæ dum explicat Caietanus, eo loco & Commentario in Actus Apostolicos, per *Vincula*, dolores-ve *Mortis*

NOTA intelligit pœnalitatem quandam animæ CHRISTI, nempe à corpore separari,

ſeparari, & eſſe in inferno: pœnalitatem etiam corporis nominat, eſſe abſque anima & in ſepulchro. His vinculis impoſſibile fuit Chriſtum detineri.

X. Non admiſerim equidem, fuiſſe in Christo poſt ſeparationem animæ à corpore ſiue huius, ſiue illius dolorem aliquem, quamuis neceſſe fuerit *Mortem* illius conſequi, quæ neceſſario poſt illam hominibus accidunt, vt ſunt effectus diſſolutionis compoſiti, & perfectionum quarundam carentiæ, quæ in tali ſtatu corpori, aut animæ non poſſunt ineſſe. Teneri autem in ſepulchro corpus exanime, non eſt alienum ab eius conditione, imò maximè conſentaneum: Anima verò Domini, ſi non ſubitò ad cœlum itura erat, vti non erat, Deo ſic decernente, locum magis idoneum, quam Limbum, ſuæ commorationi ſortiri non poterat. *In Chriſto poſt Mortem nullus dolor.*

XI. Quod ſi tamen illa, *pœnalitatum vincula* dicenda ſunt, ab ijs quam primum ſe exſoluit Triumphator, iuxta quod impoſſibile erat eum teneri ab iis. Superior enim *Morte* erat & omnibus illius vinculis. Sponte *Mortem* pro nobis ſubiit, nullus omnipotentem cogere potuit: poſuit animam quia voluit, recepturus eandem pro libito, verè inter mortuos liber. Quatenus Deus immortalis erat: qua homo ab omni immunis peccato, cuius ſtipendium *Mors*, & pediſſequa: nam per peccatum Mors intrauit in mundum. Impoſſibile etiam erat diuinis decretis obſiſtere, quibus ſancitum, vt *Mortis*, tanquam *Lictoris* funes, tanquam *Carcerarij* catenas & compedes, tanquam *Venatoris* laqueos, Christvs reſurgens ex mortuis, rumperet, amplius non moriturus. Ex quo colligit Chryſoſtomus, qui negociũ fecit Morti, plus haud dubiè poſſe nocere mortalibus, qui ſi benè cum Mortis trivmphatore cõueniant, eius alacres, quando ipſis moriendum, ſuſcipient imperia, ſequentúrque hilares præcedentem cantando etiam: *Vincula pœnalitatum.* *Iſ I. xxviii. 5.* *Rom VI. 23.* *Rom V. 12.* *Chryſ Act. 11.*

*Duc me parens, celſique Dominator poli,*
*Quocumque placuit. nulla parendi mora eſt.*

Imitati eum, qui *cum ſupra omnes eſſet, pro omnibus ſe obtulit Quẽ mori oportuit, vt cum eſſet fortior* Morte, *alios liberaret: factus inter mortuos, ſine adiutorio liber: ſine adiumento ſcilicet hominis, aut alicuius creaturæ liber à* Morte. *Et benè liber, qui ſeruitutem cupiditatum repulit,* Mortis vincvla nescivit. *S. Amb lib. VI in Luc. cap 9.*

# NOTÆ

## AD COMMENTATIONEM XVI.

## MORS

# LICTOR, CARCERARIVS, VENATOR.

Lictor *propriè Latinis dicebatur, qui fasces, ac secures præferebat Consulibus ac Prætoribus: nos pro illo etiam ministro sumimus, qui funibus reos ligat, & ducit.* Carcerarius, *qui &* Commentariensis, *Carceris præfectus, cuius diligentiâ carcer custodiebatur, & Carceratorum nomina in Commentarios referebat.*

Mortem *nominari* Lictorem *ab alijs etiam inuenio. Cornelius de Lapide, Epist. ad Roman.* v. 5. Effectus, & quasi filia peccati est *Mors.* Peccatum enim suum *Lictorem* procreat: culpa parit pœnam: crimen parens est & caussa *Mortis.*

§. I Syrus.] *sic habes* ושחרא חבליה דשיול vaschera chebla-ieha dasciul: & soluit funes Inferorum.

§. IV. *An Christus omnes animas è Purgatorio liberarit disputant, Suarez* III. *Par. Tom* II *Quæst.* LII. *Art.* 5 6. 7. *Pererius in Genes. Tom.* II. *Lib.* IX *Disput* 3. *Henriquez lib.* VII. *qui est de indulgentijs cap.* 8. *vbi ait, Christum liberasse animas Sanctorum Patrum, qui erant in limbo, & animas quasdã Purgatorij eripuisse; nempe quæ accidentalis meriti ratione habuerant specialem quandam deuotionem erga aduẽtum Christi. Colligitur ex S. Thoma* III. *P. Q.* LII. *Art.* 7. *Caiet. ib. Art.* 8. *Bonauent. in* III. *Dist.* XXII. *Q.* 5. *Bellarminus idem habet lib* II. *de Purgator. cap.* 18. *ad finem. & lib.* IV. *de Christo cap.* 16. *Atque insinuat Augustin. Epist.* XCIX. *ad Euod. & lib.* XII. *de Gen. ad litt. cap.* 33. *Gregor. lib.* XIII. *Moral cap.* 20.

*Neminem fuisse liberatum de Inferno ijdem docent: & qui explicant Epistolam Beati Petri* I. *cap.* III. 19. In quo & his, qui in carcere erãt, spiritibus veniens prædicauit, qui increduli fuerant aliquando. *De quo loco præter Lorinum in Commentario lege Bellarminum lib.* IV *de Christo cap.* 13. *Nec è limbo puerorum quemquam fuisse ereptum communis*

munis est opinio, pro qua multos auctores citat Henriquez lib. VII. de Indulg. cap. 9. littera L.

§. IX. PÆNALITAS animæ & corporis.] *Magister sentent. in* III. *Dist. 16. propter locum hunc Actuū 11. dubitat, an Anima Christi ab instanti separationis fuerit impassibilis plene, saltem ob effectum Mortis, & ratione loci minus decentis S. Thom.* III. *P. Q.* LII. *Art. 4. & Art. 5. ad 1. cum Augustino Epist.* XCIX. *exponit sententiam Petri, quia Christus Patres soluit pœna, quam ex dilatione gloriæ patiebantur. Quod alijs minus probatur, quia Petrus non de Patribus, sed de Christi gloria videtur loqui.*

*Bellarminus lib. II. de Purgat. cap. 16. Dub. 3. & lib. IV. de Christo cap. 8. explicat, solutis doloribus: id est, doloribus irritis effectis, & irriti fiunt laquei, ne teneant: non autem quia tenuerunt.*

*S. Chrysostomus, & Oecumenius, quia Græce est* θανάτου Mortis doloribus, *verum id esse dicunt, quia Christus resurrectione destruxit Mortem effectibus, & doloribus suis: quasi* Mors *Christum deuorans esset in dolore partus, donec Christum euomuit, vt Cete Ionam. Pater enim Christum suscitans, & honorans declarauit dissolutos iam esse effectus* Mortis.

*Arias Montanus Act. II. & Ribera exponunt illud idem de Christi corpore (id enim suscitauit Pater, quod per* Mortem *cecidit: de quo Ioannis* X. *Ego pono animam meam: S. Thomas* III. *P. Q.* XLVII. *Art 1. ad 1. & Q.* L. *Art.* III. *ad 1.) quod in sepulchro adhuc erat corruptioni obnoxium: Sed* DEVS *per resurrectionem dissoluit dolores: id est, effectus omnes* Mortis, *& absorpta est Mors in victoria. 1. Corinth.* XV. *Et iuxta Psal.* XV. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.*

*S. Thomas* III. *P. Q.* LI. *Art. 3. solutis doloribus* Inferni, *interpretatur,* Sepulchri: *quia dolor durus* Mortis *cum suis effectibus dicitur, dolor inferni. Psal.* XVII. *Dolores Inferni circumdederunt me, quos ibi vocat, dolores* Mortis.



COM-

# COMMENTATIO XVII.

## MORS

# ESCA.

POTIO, PHARMACVM.

*Eum, qui modicò, quàm Angeli minoratus est, videmus* IESVM, *propter passionem* MORTIS, *gloria, & honore Coronatum, vt gratia* DEI *pro omnibus* GVSTARET MORTEM.

Ad Hebræos 11. 9.

BREVIARIVM.

1 *Imago deuicta Mortis Esca.*

2 *Christus gustauit Mortem. Gustare ad quem sensum spectet. Gustatus vbi propriè: quanam percipiat: ad illum deferuntur esculenta, & poculenta: cibi, pharmaca.*

3 *Mors, Bolus medicatus: Medicamentum catharticum: Potio amara.*

4 *Christus Medicus gustat Mortem, vt gustare non horreat Christianus.*

5 *Gustum capere, suauiter affici. An sic affectus in Morte Christus?*

6 *Haustus sanitatis gustatur, & lentè transmittitur. Gustus quæritur à potatoribus, non satietas*

7 *Christus velox, vt Gigas extra Passionem: in eâ, cur tardigradus? An lentè Mortem oppetijt, vt magis eius sentiret amarorem?*

8 *Franciscus Xauier saniem suctu haurit. Pharmaca amara sorbet Franciscus Borgia: nempe Christum sibi proponebant Mortis poculum lentissimo ductu exhaurientem.*

9 *Iustis Mors sapida. quare? quia est dulce merum: bolus gemmeus ex margaritis contusis, & liquatis: fauus mellis.*

10 *Gustare Mortem propria phrasis N. T. In quâ tamen, Gustare Mortem nonnunquam ex idiotismo, idem est, quod mori.*

11 *Christus gustauit & deglutiuit Mortem non*

non illam comedit: delibauit amarum poculum: pitissauit leniter.

12 Gustare dona cœlestia Hebraor. VI. 4. saporem illorum percipere est, & gustatu discere quàm suauis sit Dominus.

13 Fideles iusti & Electi gustant solummodò Mortem: improbi, ac Reprobi comedunt, vorant, vertunt in succum, & sanguinem.

14 Quod ne fiat à Sodalibus, optamus, vouemus.

# Ampliss. DD. Sodales.

I. NOVIS, & apud sæculi Sapientes ferè inusitatis imaginibus emblematicis, depingit cœlestis Artifex, CHRISTI de MORTE, post passionem, reportatam victoriam. E quibus illas potissimùm vobis contemplandas proponere consueui, quæ, & Triumphatoris gloriam hoc sacro tempore amplificent: & ad *Mortis* memoriam, animis vestris, vel renouandam, vel imprimendam; ac subinde, aut minuendum timorem nimium, in quibusdam, aut salutarem eius metum incutiendum in aliis, conferre, non parum, posse opinor. Tale est in paucis, quod ex Apostolo Paulo desumo: qui significantissimâ metaphorâ scribit, CHRISTVM *gustasse* MORTEM. *Noua imaginis in SS. de uicta Morte.*

II. Ad Hebræos II. 9. *Eum, qui modicò, quàm Angeli minoratus est, videmus IESVM propter passionem* Mortis *gloriâ, & honore coronatum, vt gratiâ Dei pro omnibus gustaret Mortem.* Contorta sententia, obscurus sensus: est enim in verbis hyperbaton; quæ si hoc modo euoluas, clarior reddetur: IESVM *illum videmus gloriâ, & honore coronatum, qui modicò*, id est, paullò minus, *quàm Angeli minoratus est, propter* (nempe ad subeundam) *passionem* Mortis, *vt gratiâ Dei* (χάριτι, dono, beneficio, benignitate in humanum genus) GVSTARET MORTEM. GVSTARE ad sensum pertinet, qui saporum diuersitatem percipit, & diiudicat: quare ad illum esculentorum æquè ac poculentorum spectat discretio. Gustatus (inquit Cicero) qui sentire eorum, quibus vescimur genera debet, habitat in eâ parte oris, qua esculentis, & poculentis iter natura patefecit. Itaque gustamus, quæ dulcia, quæ amara, quæ acida, quæ saporis sunt alterius: quæ palatum afficiunt: à quibus abhorret: salutaria, & noxia. Hinc *Symbolum*, CIBVS, PHARMACVM. *Christus gustauit Mortem.* *Gustus; γεύσηται.* *Cic. 1. de Nat. Deor.*

III. ITA *Mortem* concipiebat Theophylact. CHRISTVM autem, vt salutis nostræ amantissimum, curatorem, non nescium, neminem ad veram, constantemq; sanitatem peruenire, nisi per hunc *bolum*: nulli vitam conseruari, nisi huius cibi participatione: nemi- *Mors bolus medicatus.*

 nem

nem purgari à vitiis, & concupiſcentiis, niſi per hoc catharticum medicamentum. Quod quia tam eſt amarum, vt ab amaritudine nonnulli *Mortis* nomen deriuent: Eſt enim vel amara eius recordatio. O Mors, *quàm amara memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantijs ſuis*, ne, qui ſunt infirmi, nauſeam conciperent, aut horrorem ſalutaris, & maximè vniuerſalis antidoti, ipſe prius guſtare voluit.

*Ecc. XLI.*

*CHRISTVS Medicus.*

IV. Quemadmodum MEDICVS (verba ſunt Theophylacti) cùm videt ægrotum faſtidire CIBOS, & PHARMACA, prior ipſe ea ſumit, vt ægrum ad eadem ſumendum inducat: ita CHRISTVS prior GVSTAVIT MORTEM, vt eam guſtare non horreat Chriſtianus.

*Guſtum capere.*

V. An etiam, vt vulgo loquimur, cum de cibo dulci, & guſtatui grato eſt ſermo, guſtum in eo habuit? Certè naturâ fuit non minus CHRISTO, quàm nobis amariſſima: quare cùm illi hæc potio in Paſſionis calice fuit oblata, naturaliter horruit: noſtri tamen amore, ita eam ſumpſit, ita poculum illud exhauſit, ita pharmacum illud abſorbuit, ac ſi fuiſſet mellitiſſimum.

*Hauſtus ſanitatis guſtatur.*

VI. QVANDO ſapidus aliquis hauſtus propinatur, maximè in ſanitatem alicuius amiciſſimi: ſi vinum odoramentis & pigmentorum illecebris fractum: ſi nectar, vel ambroſia ſit epotanda, tractim, & cum affectata lentitudine per guttur traiicitur, & complementi cauſſâ, vltimæ guttæ linguâ detinentur, labra linguntur, os motitatur, vt maior ſuauiſſimæ potionis guſtus percipiatur & indicetur. Sic antiquus gulo collum gruis optabat, vt maiorem vini per guttur tardiſſimè feſtinantis dulcedinem hauriret.

*CHRISTVS velox extra paſſionem.*

VII. MIRAMVR, cur CHRISTVS, cuius per totam vitam non fuère tarda molimina: quique in omnibus officiis virtutum exhibebat ſe, vti gigas ad currendam viam, circa finem, plumbeo planè paſſu tardigradus extrema cõſummarit. Nam quod Pilatus miratus fuerit, vt ſcribit Marcus, cùm audiret, tam citò mortuum eſſe CHRISTVM, ex ignorãtia ortum habuit: ſi ſciuiſſet, quam atrociter à lictoribus crudeliſſimis, conciſus flagellis fuiſſet, quæſiuiſſet haud dubiè, quomodo tam diu ſuperuixiſſet, tot verberibus in ipſo prætorio penè enectus.

*Marci XV. 44.*

*Cur Chriſtus lentè Mortem appetijt.*

Cur igitur, non ſubitò, vel in horto, cùm potuit, è vitâ exceſſit? ſed iam iam effugientem animam, penè violenter retraxit, & retinuit, lentiſſiméque tandem emiſit? Nimirum, ebibendum longo ſuctu, tractim, erat ſanitatis noſtræ poculum, quod illi nouerca Synagoga,

goga, infuso Mortis pharmaco, velut nouo tanquam aromatum, ex inuidiæ dolio spumante musto, adiunctis innumeris pœnarum acerbitatibus miscuerat, vt sic melius eius amarorem gustaret, & gustando in suauissimum nectar verteret, ijs, qui cum CHRISTO dissolui & esse peroptant.

VIII. HIC mihi in mentem venit, quod de *Francisco Xauerio* [illegible] illius scriptor, Horatius Tursellinus; eum, dum Venetiis [illegible]linario insanabilium operam daret, CHRISTI amore, & glo[illegible] gloriæ de se reportandæ gratiâ, manantem ex vlceribus ægri [illegible]m venereâ lue, ac tabe confecti saniem semel atque iterum [illegible]e. Quod delicatissimam virginem *Catharinam Senensem* longè [illegible]isse produnt Dominicani ordinis historiæ. De *Francisco* au[illegible]*gia* scribit Andreas Schottus, quod pharmaca ægrotan[illegible] [illegible] amara, sorbendo hauserit, vt amaritie diutius cruciaretur. [illegible]ia quoq; dentibus eadem de caussâ mandere solitus. Caus[illegible]atus, modestè respondebat, Belluam istam (sic enim corpus [illegible]bat, plorare iubeo; vt, quam delitiis voluptatem cepit pala[illegible]dem abstinendo amittat, expietque. Meminerim & ego [illegible]VM Saluatorem fel in cruce gustasse: dicere potuisset, eun[illegible]*rtis* amarissimum *Calicem*, nostri caussâ, lentissimo ductu, ex[illegible]e. Hæc potuerunt homines ex adfectu imitandi DEVM. quid [illegible]it DEVS ex adfectu saluandi homines?

Fran. Xauer. lib. 1. cap. 5.
Catharina Senensis
Fran. Borgia. Lib IV. vitæ cap. 1.
NOTÆ.

[illegible]X. HANC esse causam asserunt sacri contemplatores, quare [illegible] libenter *Mors* obeatur, postquam CHRISTVS illam subiuit: [illegible]nim illam tanquam suauissimum *potum*, quo se spiritualiter [illegible]t; vel instar *boli* ex vnionibus, & gemmis, longè, quàm Ægy[illegible]opatræ fuerint, preciosioribus, cœlestis pharmacopę, operâ [illegible] vel tanquam *fauum mellis*, qui & gustum delectet, & ad man[illegible]um alliciat. Meminerunt videlicet, in ore Leonis, quem dis[illegible] Samson, mellificasse apiculas, sibique mellitam inde potio[illegible]â suauiter in Domino soporentur, esse factam.

Iussu Mors sapida, quare?

[illegible] QVO circa non nisi post CHRISTI *Mortem* hunc loquendi [illegible]m vsurpari, vt *Gustare* quis dicatur *Mortem*, esséque propriam [illegible]menti N. phrasin obseruarunt nonnulli. Et sanè in vetere Te[illegible]o nullibi reperitur. Nescio tamen an semper hanc empha[illegible] Euangelio habeat, in quo aliquando ea formula occurrit. [illegible]Matth. XVI. 27. *Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt* Mor-

Noui Testam. phrasis Gustare Mortem.

rem, *donec videant Filium hominis venientem in regno suo.* Quo loco idiotismum solummodò esse notat Maldonatus. Quamuis enim Hebræi ament dicere, *Videre Mortem*, potius, quàm gustare Ps. LXXXVIII. 43. *Quis est homo, qui viuet, & non videbit Mortem?* Quoniam tamen *videre*, apud Hebræos, significat *experiri*, quod apud Græcos melius dicitur γεύεσθαι, *gustare*, hinc ille loquendi modus, tum apud Matthæũ, tum Lucæ IX. 27. tum Ioann. VIII. 52. *Tu dicis, si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit Mortem in æternum?*

*Experiri γεύεσθαι potius, quam ὁρᾶν.*

Quamuis autem non vbique vim dictam ea phrasis obtineat: tamen cùm *Christum gustasse* pro nobis *Mortem* audimus, rectè peculiare quidpiam, quod ea voculâ continetur, & ad saporem refertur, concipimus. Quod ipsum latere in *Deglutiendi* verbo, quo Petrus vtitur, in hac materiá, dum dicit: *Qui est in dexterâ DEI deglutiens Mortem*, existimat Hugo Cardinalis: eo enim factum esse scribit, vt Mors, mutatâ qualitate, quam prius habebat, nos nutriat, purgando, & puniendo, vt amara potio solet.

*Comedere Mortem.*

XI. Sed aliud quidpiam vtroque illo loquendi modo significari existimant aliqui, dum *Deglutire*, & *Gustare*, opponunt verbo, & actioni manducandi: quasi Christus non comederit, manducaueritque *Mortem*, sed solummodò gustauerit, quod obiter, & extremis labris fieri potest: vnde quibus ieiunij tempore, non fit potestas sæpius comedendi, datur sæpè facultas quidpiam iteratò gustandi, vt cocis, structoribus, ciborum diremptoribus. Sic quoque, si quis ad bibendum ab amico inuitetur, cùm non sitit, vt beneuolentiæ apud Germanos receptæ officium agnoscat, oblatum gustat vinum: gustatum tamen, si sit temperantiæ amans, & religiosus non bibit. Indicari itaque volunt *Symbolicè* ea formulâ, CHRISTVM non mansisse, imò vix hæsisse in *Morte*, vel *Mortem* in illo: ita vt videatur *Mortem* non hausisse, nec epotasse, sed *degustasse* solùm: statim enim, ne expectato quidem trium dierum noctiúmque integrarum curriculo, resurrexit.

Ita CHRISTVS in cruce, cùm accepisset oblatum sibi vinum, cum melle mistum, vt *gustauit*, noluit bibere; Quare *gustari* aliquid potest, etiamsi non comedatur, nec bibatur: imò quod ita *gustatur*, existimatur ne accipi quidem. Certè Marcus scribit Christum non accepisse potum illum, quem Matthæus eum gustasse asserit: nimirum non accepisse, est, non bibisse: quomodo S. Augustinus Euangelistas ad concordiam vocat.

*Matt. XXVII. 34. NOTÆ.*

*Aug. lib. III de Consensu Euang. cap. 11.*

XII. Hoc

XII. Hoc sensu, & illo altero superius insinuato, videtur vti verbo gustandi, Paulus Hebræorum VI. 4. vbi dicit impossibile esse: id est admodum difficile, vt qui semel sunt illuminati, & *gustauerunt* dona cœlestia, quæ fidelibus ac DEO gratis communicantur: id est, perceperunt dulcedinem ac suauitatem virtutum ac charismatum Spiritus sancti, & experimento quasi linguæ, & *gustatus* didicerunt, quam suauis sit doctrina euangelica: quanta sit dulcedo in vita, secundum virtutem ac religionem acta: quibus delitiis fruantur, qui DEO castè, innocenterque seruiunt: sed mox illud euomuerunt, deserentes viam virtutis, & vel à fide, vel religione, vel à studio pietatis apostatantes, rursus renouari ad pœnitentiam: id est, seriò, ex animo, & vt enormitas criminum postulat, pœnitentiam agere. *Gustare dona cœlestia.*

XIII. PORRO vt CHRISTVS D. dicitur *Gustasse Mortem*, quia illam quodammodo statim euomuit, id est, in illa non perdurauit, neque illa in CHRISTO: ita ipse per *Mortis* suæ meritum obtinuit, vt in eum credentes ac sperantes, si iustitiæ Christianæ dono exornati hinc decedant, nonnisi *Mortem gustent*: nam patefacto per resurgentem, & ascendentem Dominum, vitæ aditu, statim, si nihil purgandum in expiatoriis flammis habeant, vitæ beatæ fiant participes. Qui fructus est victoriæ à triumphatore CHRISTO de *Morte* reportatæ. Quo caruerunt veteris Testamenti quamuis sanctissimi viri, qui *Mortem* comedebant, & si ita loqui licet, eadem metaphorâ, in succum sanguinémque conuertebant, vt illam iterum nisi post multas annorum centurias, nō possent eiicere: hærebat enim in illorum visceribus fatalis hæc esca, quamdiu in subterraneo Limbi carcere detinebantur: à quo tandem, Christo nouam omnibus ibi degentibus lucem impartiente, educti, & ipsi, eiecta morte, ad vitam immortalem, triumphalem Imperatoris sui currū sequuti, euolarunt. *Iusti gustant solummodo Mortem.*

XIV. FAXIT victoriosissimus Triumphator CHRISTVS, Viri præstantissimi, & Reuerendi, qui tam sedulò, tamque constanter, & tantâ audiendi has sacras commentationes auiditate, ad ipsius recolendam de MORTE victoriam, conuenitis: spretis siue vanis respectibus, siue ambitiosis prætextibus, siue intempestiuæ euagationis delectamentis, siue mensarum in vespertinas horas hospites, velut visco conglutinantium, illecebris; siue symposiorum pomeridianorum lenociniis; siue fabulamentorum inanium & anilium nugamentis, quibus tot sacrati ordinis homines, quod pudor, & dedecus, *Votum Oratoris fausti.*

ab Ecclesiastico hoc consessu, in cuius album vel relati sunt, vel referri, vt tot Illustres DD. deberent, auocantur, emanent, detinentur.

Faxit, dico, Ordinis vestri Dux & Princeps à *Morte* rediuiuus, vt aliis, in eius cultu socordibus: MORTEM in metuendâ illâ decessûs horâ, iusto vindicantis se decreto, deuorantibus, & eum escâ, hamum in viscera suâ recondentibus, Vos illam, singulari Numinis fauore, qui Electorum est proprius, summis tantummodò labris, extremum oris amaricantem, mellitissima Beatitatis æternæ suauitate recreandi, degustetis.

# NOTÆ.

## *AD COMMENTATIONEM XVII.*

## *MORS.*

# ESCA, POTIO, PHARMACVM.

§. II. AD Hebræos 11. 9.] *De hoc legendus Franciscus Ribera, Benedictus Iustinianus, & Cornelius de Lap. in illam Epist.*

§ VI. Antiquus Gulo.] *Philoxenus Eryxius guttur sibi longius gruis collo dari exoptabat, quo diutius ciborum, & poculentorum sapore oblectaretur Arist. lib. III. de Mor. cap. 13.*

§. VIII. Saniem exsugit.] *Sunt plura eius generis exempla: illustre illud in Illustrissimo primùm, mox Religiosissimo adolescente Aloysio Gonzaga, de quo ita Virgilius Ceparius in Vita lib. II. cap. VIII. Initio valetudinis mandarat Medicus, vt ipse, atq; item alter, qui simili malo tenebatur, perquam amaram potionem haurirent. Alter ille operam dedit, vt fugiendæ nauseæ caussâ, suam quam citissimè sorberet, alijs etiam vt assolet ad id præsidijs adhibitis. At Aloysius, quo salutarem sibi molestiam faceret, perinde ac dulcissimum liquorem sensim totam obducere, neque vllum deinde perceptæ amaritudinis signum dare.*

§ XI. *De controuersia illa præter SS Interpretes agit Ioannes Bustamantinus Medicè lib. II. de Animantibus SS cap. 21: Loca diuersorum Euangelistarum*

*statum & si dissidere inter se videantur, rem tamen vnam eandémque omnia continent: cùm nullo ex his locis Christum ebibisse constet oblatos potus, solùmque illos degustasse referant chronici sacri. Matthæi enim* XVII. *militem vnum acetum spongiâ obtulisse enarratur his verbis:* Dabat ei bibere: *vbi non dicitur,* dedit: *ac si Christus exsuxisset; sed dabat quasi solùm illi offerebat. Marci* XV. *clarissimè:* Dabant ei bibere vinũ myrrhatum. & non accepit: *tum eodem capite solùm dicitur:* potum dabat ei. *Ex Lucæ* XXIII. *hoc tantum habemus:* Illudebant ei acetum offerentes. *Ioann.* XIX *accepisse acetum refertur; non sequius ac Matth.* XVII. *illud gustasse, at noluisse bibere. Psamo* LXVIII. *illum aceto potatum, at non, Christum suscepisse.*

*Idem autem est apud Ioannem* Accepisse, *quod apud Matthæum* Gustasse. *Est autem non leuis differentia inter gustandi actus, bibendíque & edendi opera. Hæ enim diuersis musculorum partibus, instrumentisque diuersis exercentur actiones. Summè compressis, vltimisque eorundem partibus applicitis deglutimus tam cibũ, quam potum: parum pressis, minúsque constrictis prioribus, degustamus. Id satis est, vt degustemus, etsi non sit satis, vt deglutiamus. In hoc enim maior compressio exigitur. Leuiter compressis, & detento alimento, aut potu gustamus, vt succus, cui sapor inest, interna subire valeat, gustúsque cauitates paullatim quibus sapor percipiatur, non deglutito omninò gustabili.*

*Gustauit ergo Christus retinuitque potum ore, non detulit, vt in bonum hominum torqueretur magis. Noluit bibere, cùm ne sitim restringueret, vitarétq; importunam, tum, ne euitaret molestiam ingestione, deglutitúque caussæ inferentis. Si enim biberet susceptum potum, trans gustus instrumentum deferret, horribilémque caussam tetri saporis deponeret, & transferret aliò.*

*Prætereà gustauit Christus amara nostra, fel nostrum, miseriam, & corruptionem hominum, iniquitates nostras tulit, in se recepit: & non bibit: non intrò, sed extra solùm scelera nostra tulit: vinum corruptum ex integro prius, at posteà in acetum mutatum noluit bibere.* Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. *Isaiæ* LIII. 4. *Posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrûm, non vt biberet, sed vt degustaret: non vt interna peterent, sed vt in summis labijs hærerent, quo cognosceret miseriam nostram, vt tanto occurreret lapsui & ærumnæ.*

COM-

# COMMENTATIO XVIII.

## MORS.

# TYRANNVS.

*Splendor eius vt lux erit: cornua in manibus eius: ibi abscondita est fortitudo: ante faciem eius ibit* MORS: *& egredietur Diabolus ante pedes eius, stetit & mensus est terram.*

Habacuc III. 4.

### BREVIARIVM.

1 *In triumpho ante currum Tyrannus deuictus. Ante quadrigam triumphantis Christi Mors.*

2 *In manibus Christi bellatoris Cornua. Cornu Rhinocerotis, Crux. Crucis brachia, Cornua.*

3 *Cornu Crucis trophaeum. In cruce abscondita Christi Dei fortitudo.*

4 *Mors currum Triumphatoris antecedit. Christus metitur terram. Funiculus vitae & occisionis.*

5 *Mortis Tyrannis. Cacodaemon Tyrannus.* 6. *Dominatus mortis.* 7. *Mors Domina, & Regina. Eius regnum.* 8. *Christus mortem prouocauit. Vita tamen illi à Morte tyrannicè erepta.*

9 *Duplex Tyrannorum genus. Iure Domini. Iniuria dominantes.* 10. *Mors iniustè dominatum inuasit. Mors homini non omninò naturalis.* 11. *DEVS Mortem non fecit.* 12. *Diabolus Mortis auctor.*

13 *Mors vocata ad regnum. Vocantur ad coronam Tyranni aliqui.* 14. *Impij mortem aduocarunt Sap. 1.16. Manibus & verbis accersiuerunt: sicque defluxerunt.* 15. *Adam & Eua allectarunt Mortem.* 16. *Adagium: Manibus & verbis accersere.*

17 *Accersunt Mortem, qui diutissimè viuere ambiunt.* 18. *Quomodo ergo accersunt? Voluntate interpretatiua. Mors accersitum malum.* 19. *Insania hominum, Mortem, ac perditionem accersentium.*

20 *Tyranni Nota Morti conueniunt. Falsi per simulationem Nero, Claudius, Caius, Tiberius, Romulus.* 21. *Mors visa*

*visa quibusdam amica. Simulauit initio longanimitatem.* 22 *Hinc tanta quorundam fiducia, vt cum Morte pacisci voluerint. Sponsio, pactum, fœdus cum Morte.*
23 *Pactum facere cum Inferno. Mors, Atropos, Pluto.* 24. *Flagellum inundans: mendacij protectio: vanissima promissa.* 25. *Diffluunt impij in scelera, contabescunt, velut cera liquescunt.*
26 *Tyrannus in Magnates sæuit. Crudelior Mors in Principes, & illustria capita.* 27. *Principum Mors dira.* 28. *Acerba Regum funera.*
29 *Bonorum Principum obitus difficiles, Philippi II. Hispaniar. R.* 30. *Alberti Austrij Belgarum Principis.*
31 *Tyranni lites serunt. Contentionum, rixarúmque architectrix Mors.* 32. *vtile Tyranno, vt rixentur subditi. Nulli plus ex subditorum contentionibus, quàm Morti accedit.*
33 *Mors, vt Tyrannus rerum agendarum potestatem aufert.*
34 *Suum, non Reip spectat commodum.* 35. *Symbola Tyrannorum, immanissima feræ: quæ omnes imagines Mortis, quã Christus debellauit.* 36. *Christus Mortem non fecit: Vita est, quâ vellet omnes viuere.*

## Reuerendissime & Illustrissime Princeps, Admodum RR. Prænobiles, Gratiosi, & Amplissimi DD Sodales.

I. ANTE triumphalem Imperatoris Romani currum, vt plurima visebantur ad populi oblectationem iucunda: ita illud erat ad sensum deuictorum hostium peracerbum, quod bello superatus Tyrannus traduceretur, cum opimis spoliis, ludibrium plebis, & lugubre ad commiserationem, vel insultationem, si sic arrogantia factiosi Ducis mereretur, spectaculum. Simile huic exhibuit mundo, Angelis, & hominibus CHRISTVS Triumphator, quando fugato Diaboli exercitu, fusâ MORTIS phalange, cæsis hostium quorumcúmque legionibus, cum duobus Tyrannis, MORTE & DIABOLO, aduersariarum partium capita omnia, detonsa, & situ, squalloréque lurida, egit ante quadrigam suam, quâ ascendens super omnes cœlos in aureum regni paterni capitolium est inuectus. Hoc enim est, quod in Epicinio suo canit diuinus Propheta Christo applaudens, Triumphatori pollenti, potenti, inuicto. *In triumpho ante currum Tyrannus deuictus.*

II. CORNVA *in manibus eius.* Sermo est de CHRISTO prælium gloriosi certaminis contra Mortem & Diabolum auspicante. Sensus simplex, & verus: Bellator interritus ita hostes suos disiiciet, vt tauri, & aliæ cornibus terribiles feræ solent iis minutiora animalia *Cornua in manibus Christi.*

# COMMENTATIO XVIII.

## MORS.

# TYRANNVS.

*Splendor eius vt lux erit: cornua in manibus eius: ibi absconditaest fortitudo: ante faciem eius ibit* MORS: *& egredietur Diabolus ante pedes eius, stetit & mensus est terram.*

Habacuc III. 4.

---

BREVIARIUM.

1 *In triumpho ante currum Tyrannus deuictus. Ante quadrigam triumphantis Christi Mors.*

2 *In manibus Christi bellatoris Cornua. Cornu Rhinocerotis, Crux. Crucis brachia, Cornua.*

3 *Cornu Crucis trophaeum. In cruce abscondita Christi Dei fortitudo.*

4 *Mors currum Triumphatoris antecedit. Christus metitur terram. Funiculus vita & occisionis.*

5 *Mortis Tyrannis. Cacodaemon Tyrannus. 6. Dominatus mortis. 7. Mors Domina, & Regina. Eius regnum. 8. Christus mortem prouocauit. Vita tamen illi à Morte tyrannicè erepta.*

9 *Duplex Tyrannorum genus. Iure Domini. Iniuria dominantes. 10. Mors iniustè dominatum inuasit. Mors homini non omninò naturalis. 11. DEVS Mortem non fecit. 12. Diabolus Mortis auctor.*

13 *Mors vocata ad regnum. Vocantur ad coronam Tyranni aliqui. 14. Impij mortem aduocarunt Sap. 1. 16. Manibus & verbis accersiuerunt: sicque defluxerunt. 15. Adam & Eua allectarunt Mortem. 16. Adagium: Manibus & verbis accersere.*

17 *Accersunt Mortem, qui diutissimè viuere ambiunt. 18. Quomodo ergo accersunt? Voluntate interpretatiua. Mors accersitum malum. 19. Insania hominum, Mortem, ac perditionem accersentium.*

20 *Tyranni Nota Morti conueniunt. Falsus per simulationem Nero, Claudius, Caius, Tiberius, Romulus. 21. Mors visa*

*visa quibusdam amica. Simulauit initio longanimitatem.* 22 *Hinc tanta quorundam fiducia, vt cum Morte pacisci voluerint. Sponsio, pactum, fœdus cum Morte.*

23 *Pactum facere cum Inferno. Mors. Atropos, Pluto.* 24. *Flagellum inundans: mendacij protectio: vanißima promissa.* 25. *Defluunt impij in scelera, contabescunt, velut cera liquescunt.*

26 *Tyrannus in Magnates sæuit. Crudelior Mors in Principes, & illustria capita.* 27. *Principum Mors dira.* 28. *Acerba Regum funera.*

29 *Bonorum Principum obitus difficiles, Philippi II. Hispaniar. R.* 30. *Alberti Austrij Belgarum Principis.*

31 *Tyranni lites serunt. Contentionum, rixarúmque architectrix Mors.* 32. *vtile Tyranno, vt rixentur subditi. Nulli plus ex subditorum contentionibus, quàm Morti accedit.*

33 *Mors, vt Tyrannus rerum agendarum potestatem aufert.*

34 *Suum, non Reip. spectat commodum.* 35. *Symbola Tyrannorum. immanißima fera: quæ omnes imagines Mortis, quã Christus debellauit.* 36. *Christus Mortem non fecit: Vita est, quâ vellet omnes viuere.*

# Reuerendissime & Illustrissime Princeps, Admodum RR. Prænobiles, Gratiosi, & Amplissimi DD Sodales.

I. ANTE triumphalem Imperatoris Romani currum, vt plurima visebantur ad populi oblectationem iucunda: ita illud erat ad sensum deuictorum hostium peracerbum, quod bello superatus Tyrannus traduceretur, cum opimis spoliis, ludibrium plebis, & lugubre ad commiserationem, vel insultationem, si sic arrogantia factiosi Ducis mereretur, spectaculum. Simile huic exhibuit mundo, Angelis, & hominibus CHRISTVS Triumphator, quando fugato Diaboli exercitu, fusâ MORTIS phalange, cæsis hostium quorumcúmque legionibus, cum duobus Tyrannis, MORTE & DIABOLO, aduersariarum partium capita omnia, detonsa, & situ, squalloréque lurida, egit ante quadrigam suam, quâ ascendens super omnes cœlos in aureum regni paterni capitolium est inuectus. Hoc enim est, quod in Epicinio suo canit diuinus Propheta Christo applaudens, Triumphatori pollenti, potenti, inuicto. *In triumpho ante currum Tyrannus deuictus.*

II. CORNVA *in manibus eius.* Sermo est de CHRISTO prælium gloriosi certaminis contra Mortem & Diabolum auspicante. Sensus simplex, & verus: Bellator interritus ita hostes suos disiiciet, vt tauri, & aliæ cornibus terribiles feræ solent iis minutiora animalia *Cornua in manibus Christi.*

ventilare, in altum attollere, in imum proiicere, vt multis probat Fran. Ribera Amos VI. num. 41. *Cornua Rhinocerotis cornua eius, in ipsis ventilabit gentes* Deut. XXXIII. 17. Quodnã est *Cornu* Symbolici Rhinocerotis, in virginis sinu cicurati? Haud dubiè CRVX, vt magno consensu Patres sancti interpretantur, imprimísque S. Cyprianus, lib. II. contra Iudæos cap. 21. & sermone de Passione Domini. Crucis autem duo brachia, quid aliud sunt, quàm cornua? quæ in manibus Christi prælantis fuêre; aut, per hysterologiam: manus eius in cornibus crucis, vt exponunt Titelmannus, Burgensis, & Castrius.

*Brachia Crucis.*

III. Per *Cornua* D. Hieronymus, Rupertus, & Haymo, vexilla ac trophæa crucis accipiunt, quod probatur Riberæ: sed & S. Augustinus: *Cornua in manibus eius, quid est nisi trophæum Crucis?* Eusebius verò, *Cornua* in manibus, Regni *insignia* ac *notas* exponit, quibus cornibus inuisibiles, atque aduersantes potestates repellens, & victas obtinens, abegit *ibi abscondita est fortitudo eius.* In Cruce (inquit Hieronymus) paulisper abscondita est fortitudo eius, quando dicebat ad Patrem: *Tristis est anima mea, vsque ad mortem: Pater, si possibile est, transeat à me calix iste. Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Nimirum, pugnabat occultè, occultata nõ se exerebat Diuinitas; doli boni, dolone iugulandus erat malus dolus: sicque vicit Diuinitas, exaltata est Humanitas, triumphauit Humilitas: *Vbi* MORS *victoria tua?*

*Trophæa crucis S. Hieron. in Abac. S. Aug. lib. XVIII de Ciu. cap. 32. Euseb. lib. VI. de Demon. c. 5.*

IV. ANTE faciem eius ibit MORS. Post victoriam triumphus, in quo victa, pudibunda, attonsa, catenis onerata, omnib. debebit ludibriũ *Mors*: quã sequetur Diabolus & ipse rudentibus inferni constrictus. Triumphator aũt CHRISTVS, vt victores solent, mensus est orbem terrarum, quemadmodum Iosue terram promissionis: *Data est mihi*, inquit, *omnis potestas in cælo, & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes.* Et paullo post, Spiritu de cœlis misso animatos suos asseclas, misit in diuersas prouincias, orbem, quem subiugauerat partitos, vt *exiret in omnem terram sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Mensus est terram, vt Dauid Moabitas, duplici funiculo, *vitæ* quidem eos, qui ipsius vestigia sequuntur; *occisionis* autem perpetuæ, qui semper sibi similes, vt patienti non sunt compassi, lugubri quadragesimę tempore; sic resurgenti nouæ vitæ canticis non sunt gratulati in lætissimis Paschæ solemnitatibus.

*Mors currum antecedit.*

*Christus metitur terram. Iosue IV. 9. Matt. XXVIII.*

*Lib. II. Reg. VIII. 2*

V. SED æstimari non potest, quanti momenti fuerit, hic de MORTE CHRISTI victoris triumphus, nisi illius in humanum genus

*Mortis tyrannis.*

nus tyrannis perpendatur. Quod tyrãnidem MORTIS nomino, facio id consentaneè conceptioni totius Ecclesiæ; consonè phrasi Pauli, de *Morte*, vt de Tyranno immanissimo disserentis; congruenter veterum, in Symbolicâ sapientiâ peritissimorum, emblematis, qui ita *Mortem* in theatrum adducere erant soliti.

Ecclesia, cùm CHRISTVM rediuiuum, tanquam *Mortis* debellatorem faustis acclamationibus excipit, Tyrannum deuictum nominat: *Mors Tyrannus.*

*Consurgit* CHRISTVS *tumulo,*
*Victor redit de barathro,*
*Tyrannum trudens vinculo,*
*Et reserans paradisum.*

Dicis, Cacodæmonem Tyranni appellatione designari: non abnuo, modò, *Mors* eâdem comprehendatur: nam statim illius quoque fit mentio:

*Quæsumus auctor omnium,*
*In hoc paschali gaudio,*
*Ab omni* Mortis *impetu,*
*Tuum defende populum.*

VI. Iam, quoties Paulus dominatum *Mortis*, non sanè iustum, ergo tyrannicum exaggerat? Epistola ad Romanos cap. v. 14. *Regnauit* Mors *ab Adam vsque ad Mosem, etiam in eos, qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ.* Quo loco, licet aliqui, *Mortem spiritualem* intelligant: id est, priuationem donorum spiritualium: tamen hos nullo modo audiendos, & absque vllâ dubitatione, de *Morte* corporeâ sermonem esse rectè Iustinianus admonet. Ea verò vsque ad Mosen regnasse dicitur, non quod vigente lege, vim suam non exercuerit: sed quod ante legem datam, vis *Mortis* non aliunde, quàm ex primœuo Adæ peccato pendere potuerit, quo diuinum præceptum violatum est. Nam *Mors* regnauit etiam in eos, qui non peccarunt actu, vti fecit Adam. *Dominatus Mortis.*

VII. Obseruat autem S. Hieronymus, quod huc facit, ex interpretatione Symmachi, MORTEM appellari DOMINAM. *Dominatorem*, inquit, *omnium populorum, siue faciem tenebrarum, super omnes populos, & telam, quæ ordita sit super omnes gentes.* Alibi ob eandem caussam dicitur MORS PRÆVALENS, quod nulli prorsus hominum, qui tyrannicus est genius, parceret. *Mors Dominat. S. Hieronym. Isai. XXV.*

Item eodem cap. versu 17. *Vnius delicto* Mors *regnauit.* Capite autem sexto hoc *Mortis* imperium tam latè extendit, vt illo etiam CHRISTVM, qui tamen immensus est, inclusum fuisse dicat. CHRISTVS inquit, *resurgens* (Græcè ἐγερθεὶς, excitatus à mortuis) seu rediuiuus, nempe vitam adeptus immortalem) *iam non moritur: Mors illi vltra non dominabitur.* Ex quo colligunt Origenes & Ambrosius, *Mortem* aliquando in Christum etiam dominationis ius extendisse. *Ergo* Mors *dominata est in eum*, inquit Ambrosius. *Vtique, qui dixit:* non dominabitur, *ostendit esse dominatam. Noli tantum amittere beneficium ô homo! propter te Christus dominationi* Mortis *se subdidit, vt te iugo dominationis exueret: ille suscepit* Mortis *seruitutem, vt tibi tribueret vitæ æternæ libertatem.*

Ad Rom. VI. 9. In Epist. ad Rom. Serm. XVIII. in Ps. CXVIII v. 7.

Christus Mortem prouocauit.

VIII. EST quidem verissimum, quod docent Athanasius, Eusebius, Chrysostomus, Cyprianus, Hieronymus & alicubi Origenes; CHRISTVM generosissimo animi impetu *Morti* obuiam iuisse, & cunctantem quasi aduersarium prouocasse, non autem coactum è vitis excessisse. Dixerat enim verissimè: *Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à meipso: & potestatem habeo ponendi eam: & potestatem habeo iterum sumendi eam:* ac proinde ipse se vltro rebus humanis eripuit, & sponte *Mortem* subiit. Negari tamen non potest, Saluatori, vi extrinsecus illatâ, vitam fuisse *Mortis* tyrannide ereptam. Quod si carnifices Iudæi in caput illud innocentiæ non sæuiissent: tamē paullatim florens illa corporis constitutio fuisset immutata, defecissent vires, spiritus vitales absumpti operationum vitalium defectum induxissent: sicque paullatim Auctor vitæ fuisset mortuus. Non quod primordialis peccati labe sordidatus Mortis dominatui, quà noxæ pœna erat, subiiceretur, vt præclarè ostendit Anselmus: verùm, quod ex conditione corporis ab eius tyrannide non esset exemptus. MORS igitur à Paulo, vt obseruat eius accuratus Interpres Cornelius, quasi *Dominus*, & *Rex*, addo, & *Tyrannus* inducitur, quæ CHRISTO omnibúsque hominibus fuit dominata: sed per CHRISTVM dominio omni exuta: & à tyrannide fideles liberati. Is postquam ad superos rediuiuus remeauit: *iam non moritur. Mors illi vltra non dominabitur*: nam resurgens perfectissimam adeptus est immortalitatem: quæ nobis etiam, eius beneficio, continget, si peccatis mortui in hac vita, iugum cacodæmonis excusserimus.

Ioan. X ca. 18.

Anselm. lib. I. cur DEVS homo cap. X.

Mortis diadema, sceptrum.

IX. PORRO, non Paulus modò, sed & prophani Symbolorum fabri

fabri, *Mortem* diademate & ſceptro metuendum, vt Regem, depingere ſunt ſoliti. Sed cuius nequaquam legitimum ſit in genus humanum imperium, at planè Tyrannicum. Eſt autem duplex Tyrannorum genus. Alij ſummam poteſtatem iure nacti ſunt, ſed eam, vitiis inquinati, violenter exercent. Hi verè ſunt Domini populorum, quibus imperant. Alij per vim, & iniuriam regnum inuaſerunt, hi Reges vocantur, non ſunt, vocari volunt domini, cùm nullum habeant iure dominium: haberi volunt Principes, cum principatu careant. *Duplex genus Tyrannorum. NO. 16.*

X. In horum tribu eſt *Satan* & *Mors*. Devs condito mundo, eóque rerum creatarum pulcherrimis formis exornato, hominem illi præfecit vt dominum, quem alteri, quàm ſibi ſeruire noluit vnus Devs, vnus Dominvs, viuendi iure illi attributo, quo in *Mortem*, vt ſibi ſubditam, poteſtatem acceperat. Quamuis enim homo, ſpectãdo naturam & elementa contraria, ex quibus compoſitus, eſſet mortalis: tamen Dei beneficio, decreto, ope, conſeruationéque perpetuâ, ante culpam commiſſam, mori non poterat eratque immortalis. Error enim eſt Pelagii, *Mortem* eſſe homini penitus naturalem, non pœnalem: nec minus moriendum nobis fuiſſe, ſi Adam non peccaret, quàm eo præuaricante. O ſi legis ille tenax, Deo fuiſſet obſequens! Inuidit nobis hanc ſortem Diabolus, & aſtu, regiæ vrbis cuſtode decepto, Peccatum cum numeroſiſſimo vitiorum ſatellitio induxit, á quo expulſa è domicilio imperatorio, Dei vicaria, Innocentiâ, Mortem collocauit in throno. Ex quo tempore ſupremam poteſtatem, deteſtanda illa orbis depopulatrix in genus humanum exercuit, nullo vel ſucceſſionis, vel electionis, vel delegationis iure in poſſeſſionem miſſa. *Mors qualis Tyrannus.*

XI. *Quoniam* Devs Mortem *non fecit* Sapientiæ 1. 13. Non fecit illam *Phyſicè*; cum ſit priuatio, & Nihil, ac proinde licet homines creati fuiſſent in puris naturalibus, Mortem ſic non diceretur feciſſe Devs, tametſi homo ex conditione elementorum, ex quibus cõſtat, fuiſſet mortalis. Non fecit *Moraliter*, quia moriendi neceſſitatem, dono ſingulari ſuſtulerat ab Adamo & poſteris, ea lege, vt non peccarent. Peccarunt; *Mors* illico imperium arripuit. Certe, *Mors, & perditio alienum opus eſt à* Deo Iſa. xxviii. proprium enim illius eſt miſereri ſemper, & parcere, vt ibi argumentatur Hieronymus. Ipſe *Mortem* non fecit, quia hominem non condidit obnoxium *Morti*, ſed priuilegio peculiari cõceſſit illi, vt, ſi abſtineret à peccato, poſſet non mori. Peccauit: *Deus Mortem non fecit.*

 *Tunc*

*Tunc macies, & mala febrium*
*Terris incubuit cohors:*
*Remotíque prius nulla necessitas*
*Lethi, corripuit gradum.*

In statu innocentiæ nunquam moriturus fuisset homo, si non deliquisset, quia esu ligni vitæ: eo, aut semel degustato, vt quidam opinantur; vel, vt alij, repetito esu, vitam propagare potuisset: sicque æternùm viuere, quæ est Patrum antiquissimorum sententia, quos nominat, & sequitur Robertus Bellarminus, docentq; scripturæ Interpretes Pererius, Cornelius, Delrius, Marius ad Genes. cap. II. Scholastici cum S. Thoma I. P. Quæst. XCVII. Chronologi insignes Augustinus Torniellus, & Iacob. Salianus.

*Bellar. lib. de gratia primi hom. c. 18*

*Inuidia Diaboli.*

XII. SED heu! *Inuidia Diaboli* Mors *introiuit in orbem terrarum.* Sap. *II.* 24. Diabolus inuidens felicitati parentum nostrorum, illos induxit ad peccandum. Decepta Eua ac seducta, momordit pomum vetitum: vxorem sequutus vir, ordine præpostero, & ipse præuaricatus est. *Ita per hominem Peccatum in hunc mundum intrauit, & per Peccatum Mors.* Romanor. V. *12.* Peccatum enim primi hominis fuit *Mortis* caussa, quam comminatus erat DEVS: *In quocunque die comederis ex eo morte morieris* Genes. II. 17. id est, infallibiliter, certo certius, nulla dissimulatione. Atque hoc modo negat Augustinus Diabolum aliter *Mortis* auctorem esse, quam per suggestionem peccati, ac vt pœnarum custodē, & exhibitorem. Sed, vt vt sit MORS inuasit Imperium, doctura, quid consiliariis duobus astutissimis, & truculentissimis Dœmone, ac Peccato stipata possit ad vniuersitatis exitium Tyrannis.

*Aug. de VE. Diminit, cap. 4 & 5.*

*Mors vocata ad regnum.* NOTÆ.

XIII. AT quomodo Tyrannus appelletur, quæris, cum vocata ad regnum venerit. Nam quidam *accersiuerunt illam*, vt est Sapientiæ I. *16.* Vidimus haud ita pridem Principem in Germaniâ potentissimum, aduocatione imò electione regnicolarum quorūdam alterius se maioris inuasisse sedem. Sequuta est acclamatio, coronatio, congratulatio. Sed non idcirco Regnum iure eum obtinuisse euentus docuit, & iudicium orbis: an-non & DEI?

*Curre per hostiles acies, inimicáque signa,*
*Et coniuratas non vnâ ex gente sarissas.*
*Nam tres sub signis populos, totidémque fauentes*
*Caussa nouercalis cogebat in arma* TYRANNOS.

*Purpu-*

*Purpureósque duces, & nomina magna, tribunos,*
*Emetire oculis, nil parti defuit illi,*
*Præter iustitiam: sed erant pro iure furores:*
*Si solas numeras vires, mala caussa triumphat.*
*Sensit, & hinc Magno fiducia creuit Achilli:*
*Quod solo impietas tegeretur perfida ferro,*
*Ceteráque ad vulnus miserè nudata pateret.*
*Explicat ergo acies, & prima in fronte locauit*
*Ante Aquilas, & signa,* DEVM, *iurísque petitum*
*Arce Satellitium. Quid narrem cetera?* VICIT,
*Et* VINCET, *quoties istis pugnauerit armis*
IVSTITIA.

Potest ergo Tyrannus esse, quamuis aduocatus ad regnum veniat, si alienum sit, si nihil in illud iuris habeat, si legitimum Principem excludat: si qui aduocant, Dominum alium eligendi potestate careant, si factiosi sint, si turbas excitent: si quod facere nefas, temerariè audeant, si præsumant quidlibet, iure ne, an iniuria non curantes. Videndum igitur, qui-nam tantum sibi arrogauerint, vt ad MORTEM legatione adornata, eam ad VITÆ regiam accersiuerint, & vt Reginam coronarint. *Tyrannus vocatus ad Regnum.*

XIV. LATERE non possunt, nam suis titulis describuntur à Sapiente, cuius hoc est programma: IMPII *manibus ac verbis accersierunt illam. Et æstimantes illam amicam, defluxerunt, & sponsiones posuerunt ad illam: quoniam digni sunt, qui sunt ex parte illius.* Hi fuerunt Ordines regni, *Mortem* aduocarunt, *Impij, Scelerati. Nefarij, Furiosi,* vno verbo, *Peccatores.* Quid his fuit iuris expellendi VITAM DEI munere in has terras, vt præsideret orbi, amandatam? proscribendi Innocentiam, profligandi iustitiam, exturbandi virtutem? An soli peccatores Senatum amplissimi Imperij constituunt? cuius pars sunt minima, vtinam essent nulla, certè, nonnisi plebei sunt à nobilitate, & patritiorum priuilegiis alieni. *Impij Mortem aduocarunt. Sap 1 16.*

Et tamen hi soli, rebellionis in DEVM, & Innocentiam principes, *manibus & verbis accersierunt illam*: Græcè est προσεκαλέσαντο *aduocauerunt.* Quos autem Impiorum nomine intelligi putas? Robertus Holcotus, ita simpliciter exponit: *Impij*, id est, primi parentes, à pietate, quæ est cultus DEI, recedentes: *manibus*, id est, operibus, comedendo pomum vetitum: & *verbis*, colloquendo serpenti, *accersierunt illam,* *Manibus & verbis accersere Mortem.*

*illam*, scilicet iniustitiam, vel trangressionem diuini præcepti: æstimantes eandem vtilem, & expedientem sibi, quia putabant se fore scientes, vt sunt Dij, iuxta fallacem promissionem serpentis. Itaque *defluxerunt*: hoc est, sponte præcipitauerunt in illam transgressionem, siue iniustitiam: vel, *defluxerunt*, id est, perdiderunt stabilitatem iustitiæ originalis. Et *sponsiones*, id est, pacta, promissiones, seu fœdera posuerunt ad illam, id est, Iniustitiam, & *Mortem*. Et quale pactum est? Certè tale: *quoniam digni sunt* Morte, *qui sunt ex parte illius*. id est, omnes, qui de primis parentibus obligatis iniustitiæ descenderunt, Adam enim commisit crimen læsæ maiestatis, ideo puniri debuit tam in se, quam in aliis. Ita Holcotus.

*Adam & Eua accersierunt Mortem.*

XV. Qui, quod primos parentes designari putat, mysticè loquitur: sic enim, dum manus extenderunt ad pomum, & verbis, quæ miscuerunt cum serpente, accersiuerunt, non solùm iniustitiam, vt ille insinuat, sed *Mortem* etiam: nec soli primi illi homines, sed omnes deinde sceleribus dediti. Qui eleganter finguntur à Sapiente, tum verbis & sibilo, tum manuum extensione, iactatione, reductione, variáque gesticulatione, ac si *Mors* tam fuisset remota, vt vocantium sonum non perciperet, *Mortem* aduocasse. Symbolicè duplex peccati genus innuitur, Oris, & operis: vtrumque Mortem aduocauit.

*Impij alij.*

*Adagium Manibus & verbis accersere.*

XVI. AT parœmialis oratio videtur, vt sentit Lorinus, & adprobat Delrius, *manibus & verbis accersere*, hoc est, diligenter, sedulò, magna curâ, & peruestigatione. Pro, *verbis*, legunt aliqui, *pedibus*, ineptè, quis enim pedibus accersit? Dicitur tamen commodè, quis, manibus pedibusque aliquò tendere: sicut *remis, velisque*: quocirca si, *accersere*, sumatur, pro, attrahere, posset dici, *Mortem* manibus pedibúsque attrahere, qui ruit sponte in exitium. Sed sacer textus habet, *verbis*. Et reuera, homines, nequam, improbitate, ac impietate suâ, quam factis, ac verbis produnt, DEVM blasphemando, conuiciando hominibus, latrocinando, omnia humana, diuináque iura violando, videntur quasi de industriâ sibi *Mortem* accersere. Similes vento Cæciæ, de quo extat apud Gellium, Plutarchum, & alios adagium

κακ' ἐφ' αὑτὸν ἕλκων ὡς καικίας νέφος.

*Sic mala sibi ipsi, vt Cacias nubes, attrahens.*

quod multis declarat parœmiographus.

XVII. SED illud obserua; Non qui ita *Mortem* aduocant, ex-

petere

petere illius præsentiam: sicut minimè à Diabolo abripi vellent qui pessima, sed receptissima, pro dolor! apud Germanos, consuetudine, sibi Malignum sæpissimè imprecantur: sicut etiam non voluissent tam citò aduolasse superioribus annis minutulos quosdam tyrannos, ij, qui illos aduocarant, experti, postquam inter mœnia illos recepissent, quod sit inter dominum, tyrannúmque discrimen.

Mortem accersunt qui viuere diutissimè cupiunt. Aduocata tamen venit, & tyrannidem vsurpat. Notus est Æsopicus aduocator Mortis. Senex incisa à se ligna cum ferret, multam ibat viam, ac ob multum laborem, deposito in loco quodam onere *Mortem* inuocabat: Sed Mors cùm adesset, caussámque peteret, propter quam se vocaret, perterrefactus senex ait, vt meum onus attollas. Lusit alius, fingens *Mortem* insequi ad forum properantes oneribus graues, repetito lemmate: *Venite qui laboratis & onerati estis.*

*Æsopicus senex mortem inuocat.*
*Æsopi fabula CXLVI.*

*Huc ades, & promptus vestigia nostra sequaris*
*Pondere qui fesso tergore tanta geris.*
*Iam satis es nummos pro merce forúmque sequutus:*
*Omnibus his curis exoneratus eris.*

Sed excipiunt omnes, séque excusant, dum *Mors* leuamen spondet, vt non ineptè apologum confecerit, faceti ingenij Philologus, in quo repræsentat DEVM creaturis adsignare munera propria, Morti autem viuentia occidendi: quod cum diu illa detrectasset, admisit tandem, quod polliceretur DEVS fore, vt omnes excusarent, nec ipsius opera quisquam vti cuperet.

*Apologus.*

XVIII. Quomodo igitur accersere illam dicuntur? Nimirum, est in hominibus voluntas quædam, vt Theologi vocant, *Interpretatiua*, quâ velle dicuntur quidpiam ij, qui id expressè non volunt, ita tamen se habent, ac si reuera illud vellent: nec abstinent ab iis occasionibus & periculis, quibus quod nolunt, esse adiunctũ, vel consequens haud ignorant. Sic DEI iram dicuntur prouocare qui peccant, cùm tamen plurimi DEO propitio ac beneuolo frui vellent, & simul peccata committere. Dictum erat Adamo: si comederis, morieris: de veritate comminationis dubitare non poterat: de certitudine euentûs ambigere non debebat: comedit, & *Mortem* timuit, nonne dici potest nihilominus *Mortẽ* manib. ac verbis accersiuisse? Idem contingit aliis improbis, qui quærunt, vocant, attrahunt *Mortẽ*, dum quæ *Mors* consequi solet, perpetrant, dum quasi sponte in interitum

*Voluntas interpretatiua.*

ritum ruunt: dum laxatis frenis, incredibili licentiâ quiduis audent, quiduis aggrediuntur. An non itaque *Mors*, est ἐπισπαςὸν κακὸν, *Accersitum malum*, vt loquebantur olim eruditi prouerbialiter, significantes malum, cuius ipse tibi caussam præbueris, vt Irus apud Homerum.

*Accersitum malum.*

*Hom. Odyss. vi.*

ἦ τάχα Ἶρος ἄϊρος ἐπισπαςὸν κακὸν ἕξει

*Næ mox Irus perditus accersitum malum quærit.*

*Sap. I. 12.*
*Eras. Chilia. IV Cent. II. Num. 5.*
*Prouerr. collect.*

XIX. Quo verbo vtitur Sapiens, monens μηδὲ ἐπισπᾶσθε, *neque adquiratis perditionem.* Quod profectò non est necessarium, cum malum etiam non accersitum sæpe velociter aduolet Διζημένοισι τ' ἀγαθὰ μόλις παραγίνεται· τὰ δὲ κακὰ, καὶ μὴ διζημένοισι. *His, qui quærunt bona vix accedunt: mala verò etiam non quærentibus.* Mala vel non quærentibus sunt obuia: bona etiam quærentibus auia ac refuga. Sed ita tamen insaniuerunt homines, vt *Mortem* aduocarint, illique diadema obtulerint. At non idcirco *Mors* Tyranni titulum non meretur, vt supra declaratum est. Quibus adde, *Morti* notas Tyranni bellè conuenire. Omnes enumerare nec est ocium, nec precium; pauculas exprimo.

*Prima nota Tyrannorum.*

XX. PRIMVM Tyrannidis signum existimant Politici, fallere per simulationem, speciem affabilitatis, amicitiæ, clementiæ, mititatis: ita se habere, vt nemo non amicum putet esse illum, qui omnium est hostis capitalis: insitam immanitatem aliquantisper tegere: crudelitatem, ac violentiam cohibere primis dominationis diebus. Hoc Neroni propositum, qui initio omnibus fuit amicus & gratus. Ita Claudius omnium sibi amorem principatûs exordio conciliauit. Eadem arte Caius hominum studia promeruit. Nec aliter subtilissimus simulandi dissimulandique magister Tiberiùs imperium auspicatus est. Similis fraus Romulum euexit, comem initio, sæuissimum postea. Aliorum Tyrannorum in re non dispari par fuit vafrities.

*Mors visa quibusdam amica*

XXI. QVID de MORTE pronunciat Sapiens? *Impij manibus ac verbis accersierunt illam.* Quare? *æstimantes illam amicam:* id est, beneuolam, fauentem, commodam, rationibus suis vtilem. O mortalium cœcitas! Et simulauit hæc initio, ac diutius sanè, quam vllus tyrannus. Neronis fictio quinquennium tenuit. *Mortis* aliquot secula, Adamum, primum suum aduocatorem nongentis triginta annis, non læsit. Cum Seth nongentis duodecim annis amicitiam coluit.

Ab Enos

Ab Enos nongentis quinquaginta annis violentas manus abstinuit. Caine vitam nongentis decem annis non attigit. Malaleelem octingentis nonaginta quinque annis eximium habuit. Mathusalemum nongentis sexaginta nouem annis blanditiis demulsit. Diutissimè etiam Iaredum, Enochum, Lamedem, Noachum impunè vagari permisit.

XXII. Hinc tanta quibusdã creuit fiducia, amicã existimãtibus, quæ tyrannidem popularitate adfectabat, vt ausi fuerint cum illa paciſci, stultissimi mortalium. *Sponsiones posuerunt ad illam*, inquit Sapiens, Συνθήκην ἔθεντο πρὸς αὐτὸν: nempe, Θάνατον, *Mortẽ*, vt monet Lorinus, non autem, iniustitiam, licet in quibusdam codicibus Latinis præcesserit, *Iniustitia autem* Mortis *adquisitio*: sicq; habeant Complutenses Regij, Glossographi, ac Interpretes alij. Sed ad ἀδικίαν, αὐτὸν referri non potest. Dicitur autem sponsionem, pactum, aut fœdus cum *Morte* inire, qui securus agit, nec *Mortis* retrahitur metu, quo minus flagitiosè viuat, quasi nunquam moriturus. Vel qui sibi persuadet, *Mortem* nihil in se tentaturam, nisi prius monuerit: aduolaturam etiam, si vocetur, antequam grauioribus prematur ipse malis, vel facile se, suauitérque moriturum; vt, cùm duxerit in bonis dies suos, in puncto expediatur, & ad inferna descendat. Paciſci cum Morte.

XXIII. Esse quosdam huius animi fidem facit Propheta Isaias cap. XXVIII. vbi inducit aliquos gloriabundos, & vocat illos, *viros illusores*, quibus nimirum probro erant Prophetarum oracula; & comminantibus Dei oratoribus, respondebãt audacter: *Percussimus fœdus cum* Morte, *& cum* Inferno *fecimus pactum*. ac si dicerent: Quid formidamus manes minas de repentinis casibus, improuiso interitu; intempestiuâ auocatione? sunt hæc puerorum terriculamenta: nobis conuenit certo ac stabili fœdere cum *Morte*, imò & sepulchro: nihil aduersi patiemur ab his confœderatis principibus. Viri illusores. Isa. XXVIII.

Existimat autem haud improbabiliter Gaspar Sanctius, quemadmodum gentes Mortem, quem nominabant Atropon & Infernum, quem Plutonem, vel ᾅδην, in Diis numerabant: sic gentilicium hunc ritum imitatos illusores, eosdem tanquam Deos fuisse veneratos, vt Tyrannos solent, qui illos aduocant: atque ita in eum errorem & væsaniam inductos, vt sibi persuaserint, neque ab *Inferno* neque à *Morte* sibi quicquam esse metuendum. Ideò subiungunt Mors Atropos. Pluto.

XXIV. *Flagellum inundans cùm transierit, non veniet super nos, quia* Flagellum inundans.

 *posuimus*

*posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus.* hoc est, in summâ ærumnarum inundatione, & diluuio, quamuis alios omnes malorum tempestas, & abyssus absorbeat, nunquam tamen nos nostráque continget. Quare? quia *Mendacium,* id est, quod vos molesti concionatores *mendacium* dicitis, nempe Idolum nostrum, MORS, ATROPOS, PLVTVS, cum quo pacti sumus, fidem suam nobis addixit, nec fallet. Hoc probabile. Nam qui fecit fœdus cum aliquo, confidit illi tanquam amico, & sine metu est. Quamuis aliqui per *Mendacium* significari putent Pseudo-prophetarum vanissima promissa, quibus omnia felicia promittebantur nimiũ credulo popello. Quæ tamẽ non vt mẽdacia habebãt, sed vt oracula venerabãtur illusores.

DECEPTOS esse probauit dies insequuta, quando depositâ personâ, MORS, quæ esset aperuit: nempe immanis bellua, ad omnium exitium destinata. Ita paullatim quid ipsis sit innatum, quid simulauerint, produnt Tyranni. Paullatim ad proscriptiones, carceres, equuleos, enses, Nero, Domitianus, Vitellius, Diocletianus, Iulianus & his antiquiores, Caligula, Tiberius, Romulus progressi sunt. Non statim Octauianus, illud proclamari iussit Moriendũ est: quod necem deprecantibus equitibus, quos atræ destinarat, postea tam crudeliter responderi voluit. Ad magna mala pedetentim fit progressus, tunc illicò fit impetus.

*Mors bellua immanis.*

XXV. QVOD à *Morte* factum insinuat Sapiens, cum ait, æstimantes *Mortem* amicam, *defluxerunt.* Græcè est ἐτάκησαν: id est, cùm tam liberè effrenatéque in quælibet scelera ruerent, ac si cum *Morte* fœdus iniissent ne se attingeret: contrarium paullò post experti sunt: nam ipsi contabuerunt, & velut cera colliquati sunt. Hanc enim significationem habet vocabulum Græcum: sumptâ metaphorâ, vt obseruat Cantacuzenus, ab ijs, quæ è cera finguntur, & ad ignem vel solem exposita colliquescunt. Et indicat facilem, velocem, ac penè momentaneum interitum. Quomodo Ps. LXXII. de impiis pronunciat Dauid *Sicut deficit fumus deficiant: sicut fluit cera* (Hieronymus, sicut tabescit, dissoluitur, absumitur) *à facie ignis: sic pereant peccatores,* ἁμαρτωλοὶ, impij, Dei & hominum inimici. Eia homines nefarij fœdus inite cum *Morte*, seruabit illa pactum vt Tyranni solent. Veniet breui tempus, quùm circumdati, & oppressi doloribus *Mortis* variisque calamitatibus, fidem desiderabitis. Flagellum inundans cum transibit, eritis in conculcationem. Et profectò, vt

*Defluunt impij.*

*Ps. LXVII. 3.* τήκεται.

*Ps. XVIII. 5.*

*Isa. XXVIII. 18.*

benè

benè subdit Sapien ; ex diuinæ iustitiæ decreto, *Digni sunt* Morte, *qui sunt ex parte illius.* Qui cum *Morte* pacti sunt, id præmij à Tyranno consequuntur, vt tanquam socij & confœderati, familiarius, citius, crudelius interficiantur. Hunc enim sensum faciunt, quæ habentur Græca ὅτι ἄξιοι εἰσι τῆς ἐκείνου (scilicet θανάτου) μερίδος εἶναι, vt adnotat Lucas Brugensis. Luc. Brugen. in Notat.

XXVI. IAM verò omnes prosternere Tyrannus quidem contendit, sed præcipuè in diuites, magnos, potentes impetum facit. Vox Tyranni est: *Quicquid excelsum in regno, cadat.* Atque ita Aristoteles signum Tyrannidis dicit, τὸ τοὺς ὑπερέχοντας κολούειν, καὶ τοὺς φρονηματίας ἀναιρεῖν: *Eminentes viros minuere: & prudentes ac magni spiritus homines è medio tollere.* Ita Periander Thrasybulo dum spicas eminétiores amputat; ita filio Tarquinius, vt faceret papauerum amputatione suasit. Id experta nobilitas Romana à Tyrannis toties pressa olim & demessa. Id in votis Regulo suggerenti Tyranno *Vniuersum senatum vna voce posse deleri.* Secundum tædium Tyranni in Arist. lib. V. Polit. cap. 11.

At non fuit Tyrannus ab orbe condito, etiamsi à Nembroto, qui primus tyrannidem exercuit, ad vltimum vsque texas catalogum, qui æquè ac *Mors*, hac arte familias, ciuitates, imperia exhausit. Id *Symbolicè*, indicatum existimat Petrus Cotonus *Diademate*, quo caput bestiæ coronatur, vt absolutum eius in orbem vniuersum significetur dominium & tyrannis: maximè in seculi huius potentes, in vrbes, prouincias, regna, monarchias: quas ante se de filo suspensas agit, & cum collibitum fuerit, præsecat Pet. Coto. Conc. de Mort.

*Omnia sunt hominum tenui pendentia filo:*
*Et subito casu, quæ valuère ruunt.*
*Dic vbi sunt Reges, olim fera fulmina belli*
*Quorum victrices cingebant tempora lauri?*
*Illorum totus parebat fascibus orbis.*
*Cuncta modò terris sunt obruta: & alta trophæa*
*Imperij septemgemino sunt monte sepulti.*

Vbi ille cuius cupiditati Mundus & quæ in illo tam multa, tam speciosa non erant satis, de quo Poëta

*Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis?*

iacet, & verissimè cantatum de se silens enunciat

*Cùm semel à figulis munitam intrauerit vrbem*
*Sarcophago contentus erit.*

Vbi Antigoni, Seleuci, Antiochi, Perdiccæ, Lysimachi, Cæsares, Octauiani, Pompei, Caij, Nerones, Vitellij, Galbæ, Ottones, Domitiani, Commodi. Et vt è sacris nominemus aliquot: vbi Saul, Dauid, Absolon, Salomon, Roboam, Achaz, Ezechias, vbi Constantinus, Carolus Magnus, Carolus V, Philippi Reges, Henrici Imperatores, Gregorij quindecim, Pontifices Maximi? vniuersalis Tyranni sica omnes exanimati desierunt viuere.

Vbi antiquissima, & vt putabantur, æterna tura imperia?

*Assyrij latè metuenda potentia sceptri*
*Persarum vi fracta iacet. Hos Græcia victrix*
*Subijcit: vt Macedûm vidit clarescere Reges*
*Donec in Ausonias orbis concessit habenas.*

Vbi superba Niniue mille quingentis circũcincta turribus? vbi vasta Babylon? Sapiens Lacedæmon? Bellatrices Thebæ? doctæ Athenæ? potens Carthago? sancta Ierosolyma? orbis triumphatrix Roma? Occidit, occidit: tyrannidem Mortis nulla euasit, vel euadet nobilissimarum vrbium.

Tyranni crudeliter potentes saniunt. XXVII. Nec communi modo mactare solent Tyranni potentes, quos è medio sublatos volunt: exquisita adhibentur supplicia, noui excogitantur torquendi modi; inusitatæ carnificum promuntur artes, vt & hic potentes potenter tormenta patiantur. Plebis capita falx leuiter demetit: vt Principum & illustrium palatinorum, ac optimatum, si in Tyrannorum manus deueniant, extorqueantur animæ, adhibentur fidiculæ, vinci, eculei, catastæ, claui, soleæ, craticulæ & mille excruciandi modi. Noti in historiis Seianus, Eutropius, Stilico, Belisarius, qui passi: noti, qui ab hac sæuitia Tyranni titulum ambierunt, Phalarides, Diomedes, Antæi notum

*Bistonij stabulum Regis. Busiridis ara.*

Ita Tyrannus in Tyrannum sæuit.

*Vidi cruentos carcere includi duces,*
*Et impotentis terga plebeia manu*
*Scindi Tyranni.*

Mors Principum acerba. XXVIII. Hoc Mortis proprium est, vulgares homines haud graui supplicio interimere: ad Principum Regumque carnificinam, quicquid vbique est pœnarum & acerbitatum accersere.

*Vin' scire Regum quo cadat potentia?*

En

*En vt in paterâ combibant toxica.*
*In crucem agatur hic. Hic gemat caueâ.*
*Hic tetro carcere: & hic culinariâ*
*En vt ad Mempheos portas exuuium*
*Principis pendeat auibus pabulum.*
*Vt Persæ Sapori scandenti ephippium*
*Valerianus sit curuus scabellulum.*
*Vt Dionysius Tyrannus Siculus*
*Corinthi pueros imbuat artibus,*
*Vt Chilpericus è Francorum Regibus*
*Tonsus sit Monachus regno depositus.*
*Vt nexus propria sit zona Gordius:*
*Collisus brachijs Phocas, & cruribus,*
*Diomedes equis in escam appositus.*
*Lycaon & canibus: Popiellus gliribus.*
*Dirum vt Salmonea fulmen exanimet.*
*Vt Theodoricum mania exagitat.*
*Vt Brunchildem equus per compita raptet.*
*Torques Inguemarum fulgida illaqueet.*
*Incudem vt Attalus tundat vulcaniam.*
*Bouem intra mugiat Phalaris aneam.* Iuu. Saty. X.
*Luporum Mempricus vt Violentiam*
*Cambyséque manum sentiat propriam.*
*Ad generum Cereris sine cæde & vulnere pauci*
*Descendunt Reges & sicca* Morte *Tyranni.*

Et, quæ illa tyrannis, ita torquere, vt quærant homines *Mortem*, & fugiat *Mors* ab eis?

XXIX. Nec

XXIX. Nec malos solum, & extrema meritos ita *Mors* excruciat: sed optimos quoque, & in exemplum virtutis mundo datos. Sat magna caussa torquendi est Tyranno, quod sint magni, quibus imperat. Expertus id est ante haud multos annos Philippus II. Rex Catholicus, Princeps commendatione omni maior: de cuius *Morte*, certè acerbissima, extat Commentarius à Medico, cruciatuum grauissimorum spectatore conscriptus, quem dum lego, exhorresco: & corpus humanum tot morbis fuisse capax, animum tot doloribus sustinendis parem, vehementer admiror. Sanè quicquid tormentorum in Iobum, patientiæ exemplar, exonerauit tartareus carnifex, in *Philippum* Regem fuisse à mortalium Tyranno *Morte* deuolutum conatur Scriptor ostendere. Sed certauit cum inferentis crudelitate, excipientis admiranda patientia.

*Mors Philippi II Hisp. Reg.*

XXX. A quâ etiam meritò commendatur *Albertus Austrius* Belgarum Princeps, quem *Mortis* tyrannide haud ita pridem nobis ereptum doluimus. De eo ita Miræus (liceat enim & mihi optimo Patriæ Parenti paucis parentare) Sapientissimum quemque æquissimo animo: stultissimum iniquissimo mori M. Tullius quamquam nulla Euangelij luce illustratus iam olim scripsit. Albertus de fatali hora imminente monitus, nullam omninò perturbationis, aut tristitiæ significationem dedit. Quin è contrario, sacris omnibus muniri alacer mox voluit, atque in summis totius corporis cruciatibus, consuetam animi constantiam, æquabilitatem, magnitudinem retinuit & ad extremum vitæ spiritum produxit. Itaque nec vllam querimoniæ vocem: nec vllum repugnantis, aut trepidantis animi signum dedit: vtque in vita; sic & in ipsa Morte sibi semper præsens constitit. Sed nec virtute tam heroica Mors placatur: nam acerbissimis chiragræ ac podagræ doloribus exhaustum interemit.

*Alberti Belgar. Princip.*

*Auber. Myræus in Comment.*

*Anno M.DC XXI. prid. Id. Iul.*

XXXI. Sunt plures aliæ Tyrannorum notæ, quæ facilè *Morti*, accõmodentur. Quis enim magis amicos, principé que & subditos inter se committit, quam *Mors*? quæ lites inter coniunctissimos serit, contentiones nonnisi ferro dirimẽdas excitat: patres inter ac filios: inter fratres ac sorores: inter vxorem & maritum diffidentias seminat, & ex his certamina in æuum perpetuanda procurat.

*Aliæ notæ Tyrannorum*

XXXII. ARISTOTELES lib. v. Politicorum cap II hoc vtile Tyranno iudicat: nempe, si inter se malè conueniant vnius Reipublicæ membra si sint discordiæ inter amicos; si ciues à nobilibus sint alieni

*Vtile Tyranno vt sint lites.*

alieni: hac enim ratione roboratur ac fulcitur, quæ ſuis eſt viribus infirma Tyrannis. Nulli autem Tyranno plus ex ſubditorum contentionibus, quam *Morti* accedit. Inde enim deprædationes, bellũ, latrocinia, quæ dum vigent, augetur *Mortis* ærarium. Experti ſumus in Germania, quæ nã Morte Principis vnius Iuliacenſis & Cliuenſis iacta ſint diſcordiarũ ſemina, & quã copioſam meſſẽ Orbis vniuerſi Tyrãno dederit: quotq; hominũ millia ea occaſione illi acceſſerint.

XXXIII. Tyrannidis quoque indicium eſt, vt vocat Ariſtoteles ἀδυναμία τῶν πραγμάτων, rerum agendarum ablata poteſtas: cui adiunge ademptam loquendi facultatem, audiendi vſum impeditum: ſcribendi quoque libertatem interceptam. Quibus omnibus momento temporis *Mors* hominem ſpoliat. *Venit nox*, inquit Chriſtus, à *Morte* nimirum inducta, *quando nemo poteſt operari*. *Mors* facit, quod Tyranni optant, ſed ſæpè non impetrant: vt homo aures habeat, & non audiat: nares habeat, & non odoretur: os habeat & non loquatur: manus habeat & non palpet: pedes habeat & non ambulet: quanta hæc tyrannis?

*Signum Tyrannidis, impedire actiones hominum.*

XXXIV. DENIQVE hoc differt Tyrannus ab optimo Principe, quod hic Reipublicæ, Regniq; vel imperij ſpectet bonum: ille vtilitatem tantum propriam: hæc illi curæ, cetera negligit. Quid *Mors*? modo ipſa ſe opiparè ſaginet, quid Reſpublica detrimenti capiat, flocci facit. Maximè intempeſtiuè idcircò mactat quoslibet: vidimus id proximè paruo interuallo, feſtinatis funeribus aliò translatis, PAVLO V. *Pontifice*, MATTHIA I. *Imperatore*, PHILIPPO III. Rege, ALBERTO *Archiduce*, IOAN. GODEFRIDO *Epiſcopo*, zeloſiſſimo Eccleſiæ, & Imperij propugnatore. Hic ſemper illi mos fuit, vt ſemper Tyrannum egiſſe agnoſcamus.

*Tyrannus vtilitatem propriam attend.*

XXXV. QVOD ſi ita eſt: quæ *Symbola* Tyrannum, eadem *Mortem* expriment, immaniſſimæ feræ, Tigrides, Vrſi, Panteræ, Lupi, aliæq; laniatu, ac raptu viuentes. tum fabularum integumentis inuoluta gentium diuerſarum monſtra, Geryones tricorpores in Hiſpania, Antæus in Libya, Hydra in Beotia, Chimæra in Lycia. Eidem adſcribi poſſunt, quæ Poetæ, vt exempla darent tyrannidis, adfinxerunt Diomedi, Phine, Eryci, Mezentio, Cyclopibus. Ad eundem referenda Tyrannum, quæ ſcribunt hiſtorici de Alexandro Pheræo, Dionyſio Syracuſano, Hannone Pœno, Elearcho Heraclienſi, Nabide Chalcedonio, Hipparcho Athenienſi, Tiberio Nerone, Domitiano Romanis.

*Symbola Tyrannorum immaniſſimæ feræ.*

XXXVI. TANTVS, támque immanis est TYRANNVS, quem CHRISTVS, spoliato Inferno, debellato Cacodæmone, superatâ *Morte*; abrogato, quod vtérque ex peccato adquisiuerat, iure, ascendens in altum, Triumphatoris trabeâ v.sendus, Angelorum stipatus agmine, captiuorum aliquot millium comitante cœtu, spectantibus cœli incolis, & se, ad rei nouitatem, effundentibus, ante triumphalem suum currum, sub furcâ, insequente virgato e, carnifice, coegit porepere. O pulchrum, & gratum mortalibus, ac immortalitate donatis spectaculum!

VERE DOMINE, TU MORTEM non fecisti, de quâ pessumdatâ, penitúsque concisâ, tam gloriosè triumphasti: nec lætaris in perditione morientium, qui velles omnes, qui Vita es, vitâ viuere. *Propter hoc*, DOMINE, *oramus* TE, *ne permittas do minari, quod non fecisti, huic creaturæ tuæ, quam fecisti. Si enim doles de perditione, quid* Te *prohibet*, DOMINE, *qui omnia potes, ne semper lateris de nostrâ saluatione*? Si vis, potes nos saluare. Si non vis, perimus. En Tyrannus instat, & vngulas expedit.

S. August. in Soliloq. cap. XXIV.

*Æterne* REX *altissime,*
*Redemptor & fidelium,*
*Quo* MORS *saluta deperit*
*Datur Triumphus gratiæ:*
*Ab omni* MORTIS *impetu*
*Tuum defende populum.*



NOTÆ.

# NOTÆ

## AD COMMENTATIONEM XVIII.

# MORS TYRANNVS.

§.I. ANte triumphalem currum.] *Agunt de hoc Scriptores Antiquitatum Romanar. fusissimè Franciscus Modius in Pandectis triumphalibus.*

*§.VIII. Quomodo Christus Mortem prouocauerit eleganter explicant Athanasius Q. LXXVII. ad Antioch. Eusebius libr. IV. Demonstr. Euang. cap. 12. Chrysost. Hom. LXXXIX. in Matth. Cyprian. Opusc. de Idolorum vanitate Origenes lib. II. in Celsum.*

*§.IX.* Duplex Tyrannorum genus.] *Ita Theologi distinguunt: qui dupliciter aiunt fieri posse, vt quis sit Tyrannus.* Primò, *ratione tituli si absque vllo iure principatum inuadat, vel occupet.* Secundò, *ratione administrationis, qui est verus Princeps, sed tyrannicè administrat. Lege S. Thomam in II. Sent. Dist. vlt. Q. II. Art. 2. ac L. I. de regim. Princip. cap. 9. Caietanum II. 2. Q. LXIV. Art. 3. Domini. Soto libr. IV. de Iustitia Q. I. Art. 3. Gregor. de Valent. Tom. III. Disput. V. Q. VIII. P. 3. Salon II. 2. Q. LXIV. Art. 3 ibidemq. Domin Bannez. Sylu. Sum. V. Tyrannus, Tolet. lib. V. cap 6. Aragon. II 2. Q. LXXXIV. Art. 3. Alphonsum à Castro libr. de Hær. V. Tyrannus, Leonar. Lessium lib. II cap. IX. Dub. 4. Nicola. Serari. Iudicum III. Iacobum Kellerum in Tyrannicidio, Apologetas innocentiæ societatis IESV in Gallia.*

*§ XIII. Vocari posse ad regnum, cui nullum in illud ius competit docuit seculi nostri calamitas. Adi Scriptores de Bello Bohemico, & Hungarico: & defensores Iuris Regij Imperatoris Ferdinandi II. Austrij. Peruolue etiam, quod huc spectat,* Trophæa parallela, siue veterum Boicæ Gentis Heroum, qui ante Christum natum claruerunt illustria facta, comparata cum Triumphis sereniss. Principis MAXIMILIANI Electoris Bauari. *Cancellariam Anhaltinam cum Notis: Lituram siu Castigationem Cancellariæ Hispanicæ lib. cui titulus Fides Bohemo-palatina: lib.*

*cuius Inscriptio Gloria Bellica Sereniss. & Potentiss. Princip.* MAXIMILIANI *Boij Electoris.*

*§. XIV. De his adagijs consule Adagia Manut. Chiliad.* 1. *Cent.* V. *Num.* 62. *Delrium Tom.* II. *Adag.* CCCLVI. *Lorinum Sap.* 1. *Gelli. libr.* 11. *cap.* 22. *Plutarch. Opusc. de vtil. ex inimicis cap.*

*§. XIX.* Notæ Tyrannorum.] *Quas Principum Magistri & formatores morum enumerant, ac declarant. Præter nominatos, legendus Petrus Ribadineira in Institutione Principis, & Adamus Conzen in eruditissimo Politicorum suorum opere lib.* 1. *cap.* 16.

# COMMENTATIO XIX.

## *M O R S*

# GIGAS– GOLIATH.

*Egressus est vir spurius de castris Philistinorum, nomine* GOLIATH *de Geth.*

1. Regum XVII. 4.

MORS & VITA duello conflixêre mirando:
Dux Vitæ mortuus regnat viuus.

BREVIARIVM.

1 *Dauidi Elogium pangit Ecclesiasticus. Dauid, Adeps separatus à carne: cum Leonbus lusit: Vrsos discerpsit: Goliathum trucidauit: Symbolum Christi cum Morte duellantis.*

2 *Goliath imago Dæmonis cum Christo congredientis.*

3 *Mortis figura Goliath.* 4 *Interpretatur, Transmigratio: Mors transmigratio animæ. Acheron, Styx, Cocytus.*

5 *Goliath, Gigas, Gigantum, & mortuorum communis nomen. Mors videntes se, interimit. In meretricum lustris mortui, & Gigantes.*

6 *Gigantes, Nephilim: illorum timore homines cadunt. Iidem, Ennim, tremere faciunt*

faciunt videntes.

7 Goliath, Spurius. Mors illegitima proles: à Deo minimè producta. Eius pater, Diabolus: mater, Inuidia Mors inducta per peccatum.

8 Mortis vastitas, corpus ingens ac deforme, cuius membra, morbi.

9 Altitudo sex cubitorum: id est, maxima. superior forma omni humanâ. Senarius perfectus numerus. Mortis in omnes ætates & motuum differentias dominium.

10 Cassis Mortis, Ius in omnes æquale. Lorica, Mortalitas. Clypeus, DEI decretū immutabile.

11 Hasta Mortis tot, quot caussæ interitus. Gladius eiusdem, temporis periodus, astutia, vafrities.

12 Armiger Mortis, Occasio, seu caussa pereundi.

13 Timor Goliathi magnus, maior Mortis. Hanc metuunt boni, malíque.

14 Metus Mortis in Abbat. Antonio, Elia, Hilarione. 15 Imò in Christo, vt Imperatore, à quo minimè alienum instio pugnæ commoueri & pertimescere.

16 Goliath bellator ab adolescentia: in omnibus belli artibus exercitatissimus: sed rudis collatione ad Mortem, quæ nunquam pugnare destitit, postquam semel incepit: incepit autem, quàm primum esse cœpit.

17 Belli Dux eligit locum congressioni idoneum: hæc magna pars victoriæ. Locus superior maximè idoneus: in subiectos tela vehementiùs descendunt. Prodest inuadere hostem, si p ocul sit à præsidijs.

18 Morti ad præliandum locus omnis commodus. Quolibet loco pugnat, & vincit, bellatrix experientissima.

19 Tempus etiam quodlibet Morti opportunum. Qualibet ætate hominem inuadit: in aliquâ infallibiliter mactat, diebus singulis ad certamen prouocat: imò interimit: nam cotidie morimur. Mortis victores erimus, si non imparatos inuaserit.

---

## Admod. RR. Prænob. Gratiosi, Ampliss. Viri; CHRISTI ΘΕΑΝΘΡΩΠΟΥ in Eucharistiâ latentis, & MARIÆ ΘΕΟΤΟΚΟΥ, cœli, terræque Imperatricis obsequijs sponte mancipati.

1. ECCLESIASTICVS, cuius liber in sacro est codice, putatúrque compositus ex sententiis à Salomone dictatis, collectore scriptoréq; *Iesu Sirach*, Elogium concinnat Regi Dauid, in quo, quot sententię, tot sunt gemmæ, è quibus diadema constat fortissimi Bellatoris: nulla autem illustrius rutilat, quàm, in quâ eius cum Goliatho duellum insculptum visitur. Audite, & animosissimo Principi adplaudite. *Auctor Ecclesiastici.*

*Quasi adeps separatus à carne, sic* Dauid *à filijs Israel. Cum leonibus lusit,* *Adeps separatus à carne Ecc XLVII.*

 *quasi*

*quasi cum agnis, & in vrsis similiter fecit, sicut in agnis ouium in iuuentute suâ. Nunquid non occidit* Gigantem *& abstulit opprobrium de gente? In tollendo manum, saxo fundo deiecit exultationem* Goliæ. *Nam inuocauit Dominum Omnipotentem, & dedit in dextera eius tollere hominem fortem in bello, & exultare cornu gentis suæ. Sic in decem millibus glorificauit eum.*

ILLVSTRE Encomium: quod est epitome totius historiæ, quâ certamen *Dauidis*, & *Goliath* narratur. Sed hoc ipsum *Symbolum* fuit, illius pugnæ, quæ pugnata in terræ vmbilico, propè Ierosolymam, supra montem Caluariæ, spectante DEO, Angelis & hominibus, indignante cœlo, mugiente tartaro, blasphemante Iudæo, anhelante Gentili, exhorrescente naturâ, expectante gratiâ, trepidante terrâ, complorante Sole, ingemiscente Lunâ, cadentibus Astris, quando *Mors* & *Vita* duello conflixêre mirando, DVX VITÆ est mortuus. Porrò, quàm bellè singula, quę sunt in imagine, transferri possint ad prototypon, paulatim elucidabimus.

*Goliath quorum figura. 1 Reg 17.*

II. Et nunc quidem de hoste tantùm agendum, cum quo Dauidi, & Christo fuit certamen. Is dicebatur GOLIATH, de GETH, *vir spurius, altitudinis sex cubitorum, & palmi.* Huius autem figuram descriptionémque Christi aduersario optimè conuenire, per eum q; significatum, doctissimi, sanctissimique Patres consentiunt. Ita S. AVGUSTINUS enarratione in Psal. CXLIII. exponens titulum, qui est, *Ipsi Dauid ad Goliath*, siue, *aduersus Goliath*: existimatur enim deuicto hoste illum Psalmum cecinisse. Cum, inquit, aduersus populum Dei alienigenæ dimicarent, prouocauit vnus vnum; *Goliath Dauid*, quo certamine voluntas DEI pro cuiusque partis victoria probaretur. Sed quid de victoria satagimus, quando prouocantem prouocatumque cernimus? Prouocauit impietas pietatem, prouocauit superbia humilitatem: postremo, prouocauit *Diabolus Christum.* Quid miramini Diabolum victum. Ille erat grandis staturâ corporis, iste autem staturâ paruus, sed fide magnus.

*NOTÆ*

*Goliath Mortis imago.*

III. Verùm ego non vnum *Diabolum*, sed omnes illos, quibuscum CHRISTVS in campo Caluariæ, duellum iniit, *Goliatho*, tanquam typo, repræsentatos existimo. At cum omnes humani generis hostes in illâ arenâ cœlestis prœliator superauerit; ii autem sint innumerabiles, quos sigillatim numerare velle, & cum *Goliatho* comparare infinitum esset, ceteris omissis, MORTEM euoco, cum quâ CHRISTO maximè cruentum fuit certamen. Huius figuram fuisse

ferocem

ferocem illum monstrosúmque *Gigantem*, facilè euincam.

IV. GOLIATH, si nomen spectes, idem est, quod TRANSMIGRATIO. Variè quidem MORS definitur, vel describitur apud Sapientes, vt alibi à nobis est declaratum, sed breuissimè, & ingeniosissimè dicetur TRANSMIGRATIO ANIMÆ, quod significatũ reor à Poetis illis antiquis, qui *Charontem* introduxerunt, malè compaginatâ cymbulâ defunctorum animas, per tria flumina, Acherontem, Stygem, Cocytum ad aliam ripam transuehentem: nimirum, significare erat in animo, dum quis *Mori* dicitur, transmigrare animam. Est itaque MORS, *Transmigratio, Goliath*: cuius conditiones aliæ *Mortem* exprimunt. *Transmigratio.*

V. Et primum, quod de *Goliatho* refertur in historiâ duelli, est gigantea corporis vastitas, erat enim reuera, & dicebatur *Gigas*. D. Chrysostomus, *Turrim carneam* vocat, ob magnitudinem: & hoc ad *Mortem* commodè referri potest. Quod vt intelligatis, obseruo: *Gigantes* in Sacris Litteris appellari, *Rephaim*, à radice *raphah*, quod est dissoluere, laxare, relaxare, & quasi languere, fortasse quod sui terrore, & aspectu laxare, languerèque videntes eos faciant, vnde *Gigantum*, mortuorúmque nomen sæpè in Diuina scriptura confunditur. Certè R. Abraham, in commentariis Genes. XIV. idem putat esse *Gigantum* & *Mortuorum* nomen: quia illis, inquit, qui videbant illos *Gigantes*, emoriebatur cor, & reputabant se cum mortuis, quam nominis rationem videtur approbare R. Mardokai. *Vastitas Goliathi.* NOTÆ. רפאים רפא.

NONNE hoc magis propriè *Morti* quàm Gigantibus conuenit? Vidit ne vnquã aliquis *Mortẽ*, qui cũ mortuis nõ sit deputatus? Prou. IX. 18. vbi agitur de falsis meretriciis illecebris, & verissimâ crudelitate, *Mortéque* certissimâ illius, qui meretrici fit præda, de vecordiss. iuuene, ait Salomon: *Ignorauit, quod ibi sint gigantes* (id est, mortui, interfecti) Tygurina versio habet: *Non nouit, quod mortui illic sunt*. Pagninus, & Regius Interpres: *quod Manes ibi sunt*, & statim sequenti particulâ, id exponitur. *Et in profundis inferni conuiuæ eius.* Additur autem in vulgatis quibusdam editionibus. *Qui enim applicabitur illi, descendet ad inferos, nam qui abscesserit ab eâ, saluabitur.* Eodem pacto Prouer. XXI. 16. *Vir qui errauerit à viâ doctrinæ, in cœtu* Gigantum *commorabitur*, id est, certo certius, morietur, & peribit. Vbi iterum Tygurina legit: *In cœtu mortuorum requiescet.* Clarè etiam, *Gigas*, pro mortuo, vel interfecto sumitur Isaiæ XXVI. 14. *Morientes non viuant, Gigantes non resurgant, pro-* *Mors videntes interimit.*

pterea

*pterea visitasti omnem memoriam eorum.* Vbi LXX. *Mortui vitam non videbunt.* Et Isa. XIV 9. *Suscitauit ibi Gigantes:* quod Pagninus legit, *mortuos*, alii, *mortuorum vmbras*; siue *Mortem apparentem*, quæ dum pingitur, vel imaginationi obuersatur, vastissima fingitur Hieronymus Oleaster, existimat *Gigantes* sic appellatos, à radice *Ruph*, quod vulgatus vertit, contremiscere, alij, rigescere. *Gigātes*, ait, sic dicti sunt, quod sint rigidi, aut quod homines ex conspectu eorum rigescant. Ego sanè nihil *Morte* rigidius existimo, nec rem vllā, ad cuius conspectum homines magis, quàm ad *Mortis* occursum, rigescant.

נפלים נפל VI. Alio nomine in Sacra linguâ dicuntur *Gigantes, Nephilim*, à radice *Nuphal*, quod significat, cadere, irruere, corruere, cadere facere, seu, prosternere, quomodo vocatos putat R. Mardokai ex Kinchi, quòd illorum timore homines cadant, aut, vt Complutenses Bibliorum Interpretes; quod irruat timor illorum super alios. Profectò nunquam *Gigantum* fuit maior, quàm *Mortis* timor, ad cuius conspectum cadunt omnia, & concidunt saxa etiam, & vrbes. Deinde appellantur *Gigantes*, *Ennim*, à radice *Aiam*, quod terrorem pauorē- que significat. Vocātur ergo *Gigantes* ait R Mardochai, quod tremere faciant videntes, quod sint terribiles, proprio *Mortis* epitheto, quæ *Terribilium Terribilissimum* dicitur à Philosopho. Habemus igitur in Goliatho *Mortis* imaginem.

אמים אים

*Mors spuria.* VII. ILLE autem, vt refert sacer Scriptor, erat *vir spurius*, quod non magis *Goliatho*, quàm *Morti* competit. Non est existimandum *Mortem*, cum aliis creaturis eandem habere Matrem, vt legitima dici queat. Est generata ex damnato concubitu, ideóque spuria. Cum de naturalibus *Mortis* disputaret Sapiens: *Deus*, inquiebat, *Mortem non fecit* Sap. 1.13 Et Isa. XXVIII. 21. *Mors & perditio peregrinum, & alienum est opus ab eo.* Quare cùm Dauid cecinisset: *Lætabitur Dominus in operibus suis.* Salomon quasi accinuit: *Non lætatur in perditione viuorum.* Quis ergo *Mortis* Parens? respondet Sapiens: *Inuidia Diaboli Mors introiuit in orbem terrarum*; *Mater* fuit *Inuidia. Pater, Diabolus*, ô bellam prolem! nisi velis *Diabolum* ex Euæ vtero illam spuriam produxisse, Inuidia obstetricante, & agente baiulam. Nam Augustinus *De Essentia Diuinitatis*, Mortis parentem, auctorémve *Diabolum* esse docet per suggestionem, quâ in Euæ auriculas & mentem, vt matricem immissa, generatus sit spurius ille fœtus.

NOTA. Psal. II. Sap. I XIII.

ERROR fuit Pelagianorum, de quo proximè dictum, *Mortem* legitimam

legitimam esse, & DEO genitam, quum docerent, *Mortem* hominibus esse penitus naturalem, non pœnalem, nec minus moriendum fuisse, quamuis Adam non peccasset, cuius proinde negabant ad nos peccatum originaliter deriuari. Non fecit *Mortem* DEVS, nam necessitatem moriendi dono supernaturali sustulerat. En itaque *Goliathum spurium*. At quomodo staturam sex cubitorum, & palmi armaturamque *Gigantis Morti* accommodabimus? *Pelagianorū error.*

VIII. PRÆCLARE equidem, si prius, quale sit Corpus & ex quibus membris compositum, constiterit. Vidistis quandóque depictam *Mortis* speciem, aut in scenis repræsentari, instar hominis, longi, exsucci, pallidi: ossibus solùm, neruisque obductâ leniter pelle, columnatis cruribus, vncatis pedibus, spiculo, contóque armatam, horrendo ad terrorem schemate, quæ idcirco puerorum posset esse terriculamentum, non virorum metus. Alia est concipienda figura, vt terribilium terribilissimum habeatur, & non indignus duello Vitæ aduersarius. Concipiatur igitur *Mors*, iis constans rebus, tanquam membris, quæ horrorem vel visæ iniiciunt. Corpus nō sit vmbra, sed ipsissimæ tenebræ: non enim minus *Mors* est priuatio luminis vitalis, quàm tenebræ, cœlestis: in quo corpore caput sit cephalæa, crines, bestiolæ serpentum in modum circumuolutæ: frons, stupor: aures, surditas: oculi, ophtalamia: nasus, fætor: os, cloaca: labia, pustulę: collum, angina: pectus, febris: latera, pluritis: brachia, luxatio: manus, chiragra: crura, tremores: pedes, podagræ. Corpus habetis, quod in *Goliatho* fuit altitudinis sex cubitorum, & palmi. *Corpus Mortis.*

IX. Altitudine dominium, & si ita loqui lubet, superioritas significatur, quæ, quum sex cubitorum dicitur, innuitur, esse perfectissima: senarius namque numerus ab omnibus perfectus iudicatur: quum non deficiat, sicut numerus diminutus, neque redundet, vt superfluus. Sed non sine mysterio, palmo altitudinem sex cubitorū superare scribitur *Goliath* spiritualis, quo denotatur, esse superiorem rebus omnibus, infra lunæ complexum existentibus: sex enim diebus omnia facta sunt, & in sexto die homo est conditus, quem altitudine *Mors* vincit. Sex fuêre ante Christum ætates, sed in his omnibus, vt superior *Mors* dominabatur. sex sunt motus generales, per quos fertur omnis generatio, inquit Clemens Alex. VI. stromatum, propè finem, disputans de senario. sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum: antè, ponè: sed ad omnes has locorum differentias *Mors* *Altitudo sex cubitorum.*

 facilè

facilè extenditur, quùm sit sex cubitorum, & palmi: Ætatum gradus sex sunt in homine, per quos ascendimus, Infantia, Pueritia, Adolescentia, Iuuentus, Virilis ætas, Senium: nunquam supra senarium euolamus. Itaque semper infra *Mortem* consistemus, quæ altitudinis est sex cubitorum, & palmi.

*Armatura Goliathi. Cassis.* X. Nunc *Armaturam Goliathi* nostri contemplemur. Duplici armorum genere benè instructus erat *Goliath*, defensiuo, & offensiuo. De defensiuis ita est in contextu sacro. *Cassis area super caput eius, & lorica squamata induebatur: ocreas areas habebat in cruribus: clypeus areus tegebat humeros eius.* Cassis idem est, quod galea. *Galea* autem, quâ *Mortis* caput tegitur, ita vt oculos quoque obuoluat, est inexpugnabilis illius, erga omnes æqualitas. Ita omnes, & singulos inuadit ac si obuelato capite cæcorum more, incurreret. *Mors* nullo diuitis, pauperis: magni, parui, domini, serui: Regis, subditi discrimine, nullo intuitu, rerum, personarum, statuum, conditionum imperium suum exercet, & nunquam in capite læditur, quamdiu tectum manet, quia cassidem æream impenetrabilem gerit.

*Lorica.* Lorica, quæ maiorem corporis partem, vbi cor, ac vitales partes, contegit, in *Morte* est ipsa *Mortalitas*, quam humorum intemperie, tanquam annulis quibusdam, siue squamis consertam, licet concipere. Hoc præcipuum est *Mortis* tutamen, quod nullius vires hactenus potuerunt perfringere. Coties à Medicis actum, vt eam *Loricam* herbarum ferríque acie pertunderent. Sed, *Contra vim Mortis non est medicamen in hortis.* *Clypeus.* Clypevs illius, in quo omnia tela, licet ignea, excipit, & retorquet, est impenetrabile Dei decretum: *In quacunque die comederis, Morte morieris. Statutum est omnibus hominibus semel mori.* *Ocrea.* OCREAE, quibus crura munit, eæq; æreæ, sunt pertinacia, & æstimatio, quibus ab orbe condito podagricas suas illas columnas ita inuoluit, vt nullius falce, quamuis acutissimâ, demeti potuerint. Et hæc sunt arma *Goliathi* defensiua.

*Hasta Mortis.* XI. De offensiuis ita legitur: *Hastile autem hasta eius erat, quasi liciatorium texentium: ipsum autem ferrum hasta eius sexcentos siclos habebat ferri:* Ingens profectò *hasta*, quę tantam ferri copiam poscebat: & acuta, quæ mucronem referebat illius instrumēti, quo textores licia solent transmittere, quod acutissimum est. *Gladius.* Præter hastam habuisse *Gladium* omninò certum est. Nam prostrato eo, Dauid, quum non haberet in manu gladium, cucurrit, & stetit super Philistæum, & tu-

lit gladium eius, & eduxit eum de vaginâ suâ, & interfecit eum. *HASTAE* quibus *Mors* exitium hostibus attulit, tot sunt, quot obitus caussæ, quæ penè innumeræ. *Hasta* Mortis est acuta febris, pungens pleuritis, interimens apoplexia, angina, asthma, diarrhæa, hydrops, gangræna, herpes, pestis, vlcus, cancer, gula, ebrietas, risus, dolor immodicus, *GLADIUS* autem *Mortis*, quo etiam, tanquam falce, vtitur, est temporis periodus, astutia, vafrities, diuturnitas.

XII. ARMATUS est *Goliath*, qui nunquam incomitatus venit, nam quod de Philistæo dicitur: *Armiger præcedebat eum*, & hic valet. Præmittit semper *Mors*, *Armigerum*, præcedit *Mortem*, quæ illi arma præfert, *Occasio*. vulgo dici solet, nec malè, *Mors vult habere caussam*. ita est: nunquam aliquis interiit, nisi caussa, vel occasio data, aut accepta fuerit. Est qui æstuante Sirio, haurit frigidam, morbo corripitur, decumbit, moritur: caussa fuit potus, *Mortis Armiger*. Sodalis meus proficiscitur, fatigat se longo itinere, & hospitij incommodis, redit fessus, languet, extinguitur. Mortuus est Titius: quæ caussa? peregrinatio. *Armiger præcedebat eum*. Callias diligenter litteris dat operam, quod potest; tempus seriis inpendit, à nugis abstinet: licet annis fessus, & confectus morbis, aut humorum improbitate occidat, dicitur, mortuus est; quid mirum? studiis se interemit, hæc occasio: *Armiger præcedebat eum*. *Armiger mortis.* *Occasio.*

XIII. IAM verò, *Goliath* ita armis instructus, cotidie pergebat, & prouocabat ad singulare certamen aliquem, tantóque replebat omnes metu, & timore, vt dicat sacer-textus, *Audiens Saul, & omnes Israelitæ Sermones Philistæi, stupebant & metuebant nimis*. Non intermisit diem vllum, à primo mundi die *Goliath* symbolicus, *Mors*, quo non processerit & ad duellum tota castra prouocauerit, & aliquem saltem pessum dederit, hæc erat Philisthæi, illius potentia, ad cuius conspectũ sermonéque stupebant idcirco omnes. Quis, quæso, post homines natos, ad *Mortis* conspectum non metuit? quis ad illius prouocationem non trepidauit? Bellicosissimus Dauid, ad *Mortis* intellectualem conspectum: *Cor meum* (clamabat) *conturbatum est in me, & formido* Mortis *cecidit super me. Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ*. Ille qui Goliath non timuit, *Mortis* aspectum horruit. Optimus Regum Iuda post Dauidem, Ezechias, nunciante Isaia, mandante DEO: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu & non viues*. Fleuit largiter, ac multa querens, *Mortem* est deprecatus: *Præcisa est, velut à* *Timor Goliathi.* *NOTÆ.* *Isa. xxxviii.*

*textente vita mea, dum adhuc ordirer, succidit me.* Paulus Apostolus ille generosissimus, in militiâ Christianâ heros. *Qui sumus in hoc taberna-*
II. Corin. V 4. *culo, ingemiscimus grauati, eò quòd nolumus expoliari.*

Timet mori Antonius. XIV. ANTONIVS ille vir DEO carus, Dœmonum terror, & qui in Philosophiâ Christianâ, quæ est *Mortis meditatio*, tot annis in-
Lib IV. Dial. cap. 47. sumpserat, vt refert Gregorius, facta ad eum voce de cœlo: *Paratus esto, quia Dominus iussit migrare te:* sumptus sibi deficere ad iter caussabatur: cúmque adiiceretur: *si de peccatis tuis agitur, dimissa sunt:* magno
Elias. nihilominus metu trepidabat. Quin & Abbas Elias, à sanctitate orbi notissimus tria quædam se perhorrescere, quorum *Mors* non vltimum fuit, inquiebat. Deus bone! Hilarionis Tabathæi terror ad huius *Gigantis* conspectum quantus! octuagesimum enim agens annum, multis ædificatis monasteriis, iámque clarus miraculis, cùm extremo penè spiritu conflictaretur, clamabat. *Egredere, quid times, egredere anima mea, quid dubitas? septuaginta propè annis seruisti Christo &* Mortem *times?*

Christus timet mortem. XV. Verùm, *Goliathum* non metuebant solùm gregarii milites, sed & ipse Imperator Israelitarum: Nonne imperterritus ad omnes incursus *Leo* de tribu Iuda, cœpit angi, pauere, mœstus esse? dixitne: *Tristis est anima mea vsque ad Mortem*, dum ad
NOTÆ. duellum *Goliath* prouocaretur? sed nimirum, hoc ipso, fortissimum egit Imperatorem Dominus, à quo minimè alienum est, ma-
Goliath. bellator ab Adolescentia. gnarum rerum initio commoueri, pertimescere, contremiscere.

XVI. AT, quæ caussa, cur ad conspectum, & prouocationem *Goliathi* Israelitæ, quamuis expertissimi bellatores, metuerent nimis?
ver. 33. videtur illam insinuasse Saul, qui offerenti se ad singulare certamen *Dauidi*, dixit: *Non vales resistere Philistæo isti, nec pugnare aduersus eum, quia puer es, hic autem vir bellator est ab adolescentiâ suâ.* Puerum vocat *Dauidem*, relatione ad *Goliath*, iam grandem natu, & corpore, quùm *Dauid*
Æneid IX. esset adolescens, vel iuuenis: quod vsitatum in Sacris-litteris, in quibus sœpe iuuenes vocantur pueri: imò, & apud profanos: Certè Euraylo, apud Virgilium, ait Ascanius:

*Te verò, mea quem spaciis propioribus, ætas*
*Insequitur, venerande puer, iam pectore toto*
*Accipio - - - - -*

eum tamen, & Nisum, iuuenes vocat eodem loco Alethes, exclamãs lætabundus;

*Dij patrij.* — —
*Non tamen omninò Troiam delere paratis*
*Cum tales animos iuuenum, & tam certa tulistis*
*Pectora* — —

*Dauidem* igitur, licet ætate, viribúsque pollentem, comparatum *Goliatho* vocat Saul puerum, illúmque bellatorem ait esse ab adolescentiâ scilicet versatissimum in re omni militari, in quolibet pugnandi genere exercitatũ. Insinuabat illũ posse congredi eminùs, cominùs: ferire punctim, cæsim, agere equitem, peditem: collato pede, præliari; manum stando conserere: ictus artificiosissimè excipere, dexterrimè auertere. Hæ erant artes *Goliathi*, quas multo melius callet, quæ vix vtero egressa, pugnauit, & nunquam non, ante Christi triumphum, victoriam reportauit, MORS, cui cognitæ omnes opportunitates, artes, technæ, hostibus, vel insidiandi, vel auertendi, vel profligandi, vel depellendi. Neque ab vllo aduersariorum calliditate, pugnandiq; artificio, vnquam vincitur, quum in omni occasione sit superior.

XVII. PRIMA periti Ducis bellici industria est, in deligendo loco ad pugnandum opportuno: magnum enim momentum ad victoriam adfert loci commoditas. Vegetius de re militari lib. *III*. cap. 13. *Bonum Ducem conuenit nosse, magnam partem victoriæ ipsum locum, in quo dimicandum est, possidere.* Vnde est illud eiusdem Magistri consiliũ: *Conserturus manum, primum auxilium capias ex locò, qui tanto vtilior iudicatur, quanto superior fuerit occupatus. In subiectos enim tela vehementius descendunt, & maiore impetu obnitentes pars altior pellit. Qui aduerso nititur cliuo, duplex subit, cum loco, & hoste, certamen.* Idem cap. x. *Bonus Dux collocat armatos suos ad transitus fluuiorum, ad præcipitia montium ad syluarum angusta, ad paludum, aut viarum difficultates. Prodest inuadere hostem, vbi procul sit à præsidij, & auxilij & commeatus loco.* Facillimè vincitur aduersarius loci iniquitate, vt tot, seculi superioris, præliis didicimus, & illo maximè, quo generosissimus iuuenis Sebastianus, Rex Lusitaniæ fortiter pugnando in Africâ interiit. Summę autem dexteritatis bellator haberetur meritò ille, cui perinde esset, quo tandem in loco, pugnam capesceret, cui nulla posset obesse loci iniquitas, cui omnis esset ad duellandum locus, conueniens campus.

*Quolibet ... Mors pug... & vincit.*

XVIII. TALIS bellatrix est *Mors*. Huic indifferens est locus quilibet, nullum aduersarius, quamuis astutissimus, occupat, qui

*Morti omnis ...uens.*

Kk 3 *Morti*

*Morti* sit incommodus, supernè, infernè, in valle, in monte: intus foris: peregrè æquè illi est ac domi opportunum, manum conserere, vbique victrix. Quæ latebra est, in quam non intret *Mors*, aiebat ille: addo ego, in qua non vincat *Mors*? *Quocumq; ingrederis sequitur Mors*. Non vbique *Mors* se propè ostendit, vbique tamen propè est. Odiosissima licet, apud omnes tamen, atq; adeò, intra omnes, ac semper, agit, irritat, vexat, ad duellum prouocat. Vbique parata, hospes & inuerecunda, & importuna: hæret pede pes. quis credat? in sanissimi sinu audet, belli signum erigere. Pugnauit cum *Morte*, & occisus est inter templum & altare Zacharias, qui locus asylum esse solet eorum, quos *Mors* infestat, in eodem tamen occidit Ioab, & Priamus. Quidam in foro; non nemo in senatu: plurimi in mari: non pauciores in aere. Onan in lectulo iuxta vxorem, occubuit: alius inter amicæ amplexus. Eupolis Poeta, Niciæ Atheniensi filius, primo nuptiarum die, lecto ruente, cum vxore est interfectus Hic *Mortis* campus erat, quis suspicatus fuisset? Quid videtur sedente securius? de sellâ tamen, in quâ sedebat, cecidit Heli sacerdos, & mortuus est. Filij Iob, & Simonidis conuiuæ inter pocula, ac in mensâ, tecto fatiscente, à *Morte* deuicti sunt. Præclara fuit M. Catonis Censorij vox: *Inter os, atque offam multa interuenire posse*: cui similis illa Græcorum:

*Multa cadunt inter calicem, supremaq; e labra.*

Terra licet firmissimum elementum, attamen & ipsa, aut tumens, aut hians, sæpè deuorat habitatores suos. Omnis locus *Morti* ad bellandum campus est peraccommodus.

Num. XIII.

*Tempus omne morti commodum.*

XIX. ADDO, & *Tempus* quodlibet esse opportunum. Captant studiosè tempora belli Imperatores, quia interest, quo tempore hostem inuadas, commodissimè noctu aggrederis somno vinóque sepultos: opportunè post longa itinera, fatigatos facilius vincis, si nondum curatis hostium corporibus insultum facias. sed *Morti* ex longissimo vsu, inueteratáque consuetudine, tanta est peritia, vt nullum non tempus sit maximè accommodatum: semper est parata, semper impressionem potest facere, victrix & gloriosa semper. Et, quod mirum, quum pugnet semper, & cum omnibus, nunquam fatigatur. Cogitate quot fuerint ab Orbe condito hominum, animaliúmque aliorum myriades, & quàm longum tot centuriatum tempus, cum omnibus tamẽ sine intermissione, quolibet tempore, certauit *Mors*, & semper adhuc vegeta, pugnare nunquam cessat cum ijs qui supersunt.

ſunt,& cotidie certat,& horis ſingulis certat,& momentis omnibus certat, nec deſiſtet,donec deuicerit.Magna equidem bellatrix *Mors*, cui tempus omne æquè ad militandum propitium.

XX. Toto vitæ tempore nobiſcum pugnat *Mors*, nullâ petitâ quiete, quum tamen nos inducias ſæpè flagitare cogamur. Quotidiè *Mors* vna, cum omnibus qui ſunt, & nobiſcũ ſola pugnat: quia quotidie morimur: quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, & tunc quoque cùm creſcimus, vita decreſcit. Quotidianus defectus corruptionis quid eſt aliud, quàm quædam prolixitas *Mortis*? Præclarè Antiſtes Hipponenſis. *Ex quo vita in illo corpore morituro eſſe cœpit, nunquam eo agitur, vt* Mors *non veniat. Hoc enim agit eius mutabilitas, toto tempore vitæ huius(ſi tamen vita dicenda eſt)vt veniat in* Mortem. Cuilibet *Mors* ſua quaſi ſaxum ſuum Siſypho impendet. Propter incertos caſus cotidie imminet,& propter breuitatem vitę nunquam longè poteſt abeſſe. *Memor eſto quoniam* Mors *non tardat*,ait Eccleſiaſticus.

*Quotidie morimur.*

*S. Greg. hom. 7. in Euang.*

*Aug. l. 3. de Trin.*

*Eccl. XIV.*

Hic ille Goliath,qui cotidie pergit, & quolibet momento prouocat ad ſingulare certamen aliquos. Caue, ne te imparatum præoccupet. Non metuas, ſi benè munitum, & aſtum Inſidiatoris vaferrimi præmeditantem inuadat. Victoriam reportabis è duello, quamuis alterâ tui parte occumbas. Hæc ſors eſt mortalium: hoc & vitæ Auctori accidit. Mors & Vita dvello conflixere mirando:Dvx vitæ mortvvs regnat vivvs.

*Trud. in Theomachia.*

*Vidimus horrendum membris animiſque* Golian
*Inualidâ cecidiſſe manu pueri lis in illum*
*Dextera fundali torſit ſtridore lapillum:*
*Traiectúmque cauo penetrauit vulnere frontem.*
*Ille minax,rigidus,iactans,truculentus,amarus.*
*Dum tumet indomitum, dum formidabile feruet,*
*Dum ſeſe oſtentat clypeo,dum territat auras,*
*Expertus* Pveri,*quid poſſint ludicra parui,*
*Succubuit,teneris* Bellator turbidus *annis:*

NOTÆ.

# NOTÆ

## AD COMMENTATIONEM XIX.

## MORS

## GIGAS GOLIATH.

§. I. ECclesiasticus.] *lege Bellarminum lib. 1. de verbo DEI cap. 14. Et Iansenium in Commentario. Encomium est Dauidis:* Quasi adeps separatus à carne, sic Dauid à filiis Israel. *quod præter Episcopum Gandensem, eruditè explicat Ioannes Pineda, libr. 1. de rebus Salomonis cap. 11. num. 2. Eiusdem est accurata Digressio de Gigantum re, & varijs appellationibus, ad illud, Iobi* XXVI. 5. Ecce *Gigantes* genuit sub aquis, & qui habitant cum eis.

§. II. Goliath de Geth.] *Historia scribitur lib. 1. Reg. cap. 19. Diaboli figuram gessisse, Patres passim docent. S. Ambrosius in Psalm.* CXVIII. *sermone 18. Et Sermo* LXXXVIII. *Theodoretus Q.* XL. *S. August. Sermone* CXCVII. *vbi,* De manu, *inquit*, spiritualis *Goliæ*, id est, de Diaboli potestate per Crucis baculum, nos liberauit Christus: Leonem & vrsum strangulauit, quando ad inferna descendens omnes de eorum faucibus liberauit. Quadraginta dies stant Israelitæ contra Philisthæos, propter quatuor tempora, & quatuor partes orbis terræ: dum illi (*dies*) vitam præsentem significant, in quâ contra *Goliath*, vel eius exercitum, id est, contra *Diabolum* & Angelos eius Christianorum populus pugnare non desinit. *Legendus S. Ambrosius libr. 1. Offi. ior. cap. 35. S. Chrysostomus Hom.* XLV *in Genes. & in Psal* L. *S. Maximus Sermone* XXVIII. *Nazianzenus Oratione* XL. *Cyrillus Hom.* III. *contra Ioannem Nestorianum. S. Augustinus Homil.* XXXI. *In Psalm. 134. Sermone* IV. *de verbis Apostoli S. Hieronymus Epist.* XI. *inter Epistolas August cap. 6.*

§. V. Gigas.] *Nazianzenus Orat.* XXX. *è Gigantum genere fuisse ait. Consentit Philastrius hæresi* XXXIX. *quæ de de Gigantibus.*

*Quinque sunt in sacris Gigantum appellationes, quarum singulæ peculiares habent notiones & etymologias. Prima est* Rephaim, *vel à* Rapha, *viro*

*viro Gigante, ac monstrosæ magnitudinis. vel ab eodem vocabulo, vt significat mederi, sanare, curare: quasi Gigantes sint sani, robusti, l. certosi: & per antiphrasim, mortui interfecti. Lege Pinedam in Digressione citata, & Thesauros ac lexica Hebraica. in quibus multa de hac radice.*

*Proue.* IX. 18. Et ignorauit quod ibi sint Gigantes. *Hebraicè,* Rephaim. *quam vocem Aquila & Symmachus ibi retinent. Pagninus, & Caietanus.* Et nesciuit, quod mortui ibi. LXX. Quod *terrigenæ apud ipsam pereant Scholiast.* Θεόμαχοι *pugnantes cum Deo. Clemens Alex. libr. III. Pædag cap. II.* Miser autem nescit, quod *serpentes* apud ipsam habitent. *Nomine* Gigantum, *Beda & Hugo,* Dæmonem, Mortis patrem *intelligunt. Caietanus & Rodolphus,* Mortuos. *Vnde vertunt aliqui.* Ignorauit, quod ibi Manes. *Sensum exprimit Quirinus Salazar: Non satis cognouit, eos qui ad Meretricis domū penetrant, perire & emori. Nā quot amatores illam circūstāt, tot cadauerib. hunc inde cingitur.*

*§. VI.* Nephilim.] *Genes.* VI. 4. *vox eadem vertitur Monstra Numero.* XIII. 34. Monstra quædam filiorum Enac. Emim, *Deuter. II. 10.* Emim primi fuerunt habitatores eius, populus magnus, & validus, & excelsus, vt de Enacim stirpe, quasi Gigantes crederentur. Denique Moabitæ appellant eos emim.

*§ VII.* Vir Spurius.] *Ita vulgatus Interpres. At Hebræum nomen.* Isc benaijm, *trifariam potest exponi.* Primò, *vt sit intermedius inter duas acies, inquiunt Rabbini: seu potius inter duos patres, seu plures vulgo conceptus, qui olim sine patre dicebatur (.S.P.)* Deinde, *filiorum, vel plurium, vt Rabbini aliqui commentantur; vel, duorum instar: ídque, vel magnitudine, cùm sex cubitorum, & amplius esset, vel robore, vnde à LXX. vertitur,* δυνατός.

*§. XIII.* Mortis timor.] *Locus communis,* De Mortis metu, *quem Theologicè, facundéque pertractat Ludouicus Richeomus, Libello de ratione migrandi ad meliorem vitam; cui titulus,* Valedictio animæ deuotæ. *In eo disputat contra Philosophos profanos* Mortē *non metuendam esse iactitantes: docétque contemptum* Mortis *absque ratione, vitiorum esse originem:* Morti *malum inesse, & naturam eam abhorrere: vanam esse veterum persuasionem de* Morte *non timendā: valere* Mortis *metum ad plurima: ciuem in Arles paralyticum,* Mortis, *vt maximè terribilis, apprehensione conualuisse: Quid sit* Mortem *timere: Duplex metuendi* Mortem *esse genus: Naturalem* Mortis *metum omnibus sensu præditis esse communem. Naturalem timorem* Mortis, *tanquam vitæ custodiam, accepisse animantes, hoc bestiarum*

*stiarum industriam admirabilem in periculis vitæ subterfugiendis satis demonstrare, quod confirmat exemplis duobus lectu dignis, altero leonis ab equo occisi, altero hominis ex vrsi vnguibus liberati. Addit tandem: quodlibet* Mortis malæ *genus, voluntario metu esse dignum.*

*§. XV.* Christus initio pugnæ cœpit pauere.] *Timor Mortis, qui à natura est, magnanimitati non repugnat. Alexander Macedo sub certaminis initium tremere erat solitus. Formido illa vitio non dabatur: imò laudi erat, quod eam animi magnitudine superabat, fortiter hostem aggrediens. Ille vituperandus miles, qui Mortem timens, acie excedit: qui è cõflictu dilabitur: qui finem certaminis post carecta, vel sepem latens, exspectat.*

*§. XVII. XVIII. XIX. De loco & Tempore omni, Mortis insidijs opportuno exempla petantur,* è Theatro vitæ, *per multos titulos Volumine* II. *lib.* VII. *Exemplo Gigantis Goliathi ad Humilitatem Christianos hortatur, carminibus recitatis Prudentius, quibus præmittit distichon:*

Peruulgata viget nostri sententia Christi:
Scandere cella humiles, & ad ima redire feroces.

*Eodem exemplo fiduciam in* D E O *locandã docet Paulinus metro natali V.*

Vana salus hominum, virtus mea, non mihi virtus,
Si caream virtute Dei. quò vasta Gigantum
Robora? quo Pharij Reges? vbi magnu' Hierîcus?
Omnibus exitio sua gloria, quâ tumuerunt,
Cassa fuit. neque vero suis virtutibus ista;
Sed magis infirmis diuina potentia fregit.
Ille *Gigas Pueri* fundâ *Pastoris* obiuit
Vt canis —— ——



COM-

# COMMENTATIO XX.

## MORS REX-TERRORVM,

### SATELLES DIABOLI, VESPILLO, CARNIFEX, TRIVMPHATRIX.

*Calcet super eum, quasi Rex Interitus.*

Iob, XVIII. 14.

---

BREVIARIVM.

1 *Mors tanquam Satelles Cacodæmonis calcat super impium. Rex interitus, Mors quia affert interitum. Item, Diabolus, quà Mortis auctor.*

2 *Mors animæ, Peccatum, calcat eum, quem non resistentem possidet. Regnat Peccatum in eo, quem dominio suo substernit.*

3 *Mors corporis, Rex formidinum, ad quem deducit impium, vana spes, & & cogitationes inanissimæ.*

4 *Rex terrorum, idem, quod, terror vehementissimus, potentissimus, maximus.*

5 *Deus detrudit impium ad Regem terrorum. Christus, Vir, & Rex dolorum. eadem analogiâ, Mors, Rex terrorum: ornatus Mortis terrorem iniiciens.*

6 *Calcare, ambulare, incedere, pedem ponere significationis affinis, ac sæpe, eiusdem.*

7 *Vespillo humum calcat, pede tumulum premit, exanime corpus conculcat, Mortis haud absurdum symbolum.*

8 *Carnifex, dum torquet, corpori subiecto pedem imponit. Id in Iaponia vsurpatur à fustigatore, in Europâ, & vbique à Morte.*

9 *Calcare, & inambulare est possidentis. ἐμβατεύω, pedē infero: circumeo: venio: introeo. Mors calcando possessionem capit. Homo Mortis fundus.*

10 *Calcare est victoris, & Triumphantis. Mortis, vt Imperatoris bellici exercitus ex Qualitatibus, Humoribus, Affectibus, Morbis. Huic homines se opponant, quorum duces, Medici, succenturiatis copijs pharmacorum, sed pro-*

 strato

*ſtiarum induſtriam admirabilem in periculis vitæ ſubterfugiendis ſatis demonſtrare, quod confirmat exemplis duobus lectu dignis, altero leonis ab equo occiſi, altero hominis ex vrſi vnguibus liberati. Addit tandem: quodlibet* Mortis malæ *genus, voluntario metu eſſe dignum.*

*§. XV.* Chriſtus initio pugnæ cœpit pauere.] *Timor Mortis, qui à natura eſt, magnanimitati non repugnat. Alexander Macedo ſub certaminis initium tremere erat ſolitus. Formido illa vitio non dabatur: imò laudi erat, quod eam animi magnitudine ſuperabat, fortiter hoſtem aggrediens. Ille vituperandus miles, qui Mortem timens, acie excedit: qui è conflictu dilabitur: qui finem certaminis poſt carecta, vel ſepem latens, exſpectat.*

*§. XVII. XVIII. XIX. De loco & Tempore omni, Mortis inſidijs opportuno exempla petantur,* è Theatro vitæ, *per multos titulos Volumine* II. *lib.* VII. *Exemplo Gigantis Goliathi ad Humilitatem Chriſtianos hortatur, carminibus recitatis Prudentius, quibus præmittit diſtichon:*

Peruulgata viget noſtri ſententia Chriſti:
Scandere celſa humiles, & ad ima redire feroces.

*Eodem exemplo fiduciam in* DEO *locandā docet Paulinus metro natali V.*

Vana ſalus hominum, virtus mea, non mihi virtus,
Si caream virtute DEI. quò vaſta Gigantum
Robora? quo Pharij Reges? vbi magnu' Hierîcus?
Omnibus exitio ſua gloria, quâ tumuerunt,
Caſſa fuit. neque vero ſuis virtutibus iſta;
Sed magis infirmis diuina potentia fregit.
Ille *Gigas Pueri* fundâ *Paſtoris* obiuit
Vt canis —— ——



COM-

# COMMENTATIO XX.

## *MORS*

# REX-TERRORVM,

## SATELLES DIABOLI, VESPILLO, CARNIFEX, TRIVMPHATRIX.

### *Calcet super eum, quasi Rex Interitus.*

### Iob, XVIII. 14.

---

BREVIARIVM.

1 *Mors tanquam Satelles Cacodæmonis calcat super impium. Rex interitus, Mors quia affert interitum. Item, Diabolus, quà Mortis auctor.*

2 *Mors animæ, Peccatum, calcat eum, quem non resistentem possidet. Regnat Peccatum in eo, quem dominio suo substernit.*

3 *Mors corporis, Rex formidinum, ad quem deducit impium, vana spes, & & cogitationes inanissimæ.*

4 *Rex terrorum, idem, quod, terror vehementissimus, potentissimus, maximus.*

5 *Deus detrudit impium ad Regem terrorum. Christus, Vir, & Rex dolorum. eadem analogiâ, Mors, Rex terrorum: ornatus Mortis terrorem iniiciens.*

6 *Calcare, ambulare, incedere, pedem ponere significationis affinis, ac sæpe, eiusdem.*

7 *Vespillo humum calcat, pede tumulum premit, exanime corpus conculcat, Mortis haud absurdum symbolum.*

8 *Carnifex, dum torquet, corpori subiecto pedem imponit. Id in Iaponia vsurpatur à fustigatore, in Europâ, & vbique à Morte.*

9 *Calcare, & inambulare est possidentis.* ἐμβατεύω, *pedē infero: circumeo: venio: introeo. Mors calcando possessionem capit. Homo Mortis fundus.*

10 *Calcare est victoris, & Triumphantis. Mortis, vt Imperatoris bellici exercitus ex Qualitatibus, Humoribus, Affectibus, Morbis. Huic homines se opponunt, quorum duces, Medici, succenturiatis copiis pharmacorum, sed pro-*

*strato hoste semper penes Mortem stat victoria.*

11 *Victum itaque calcat.* Hoc significatur *perfectum Mortis dominium. armis subiugati sternuntur, ac se calcandos prabent: Quid sit extendere calceamētum? quid, circuire terram? quid, calcare locum?*

12 Conculcatio, pœna reorum læsæ maiestatis Conculcatus à Michaele Balbo Thomas: à Morte Adam, de crimine læsæ Maiestatis conuictus.

13 *Mancipia pedibus substernuntur. Valerianus* Imperator: *Sapor Rex Persarum. Tamerlanus: Baiazetes Turca. Homines, vt mancipia Morti substernuntur. Ancilla climacides apud Cyprios.*

14 *Vanitatis documentum,* Conculcatio à *Morte. Hac Reges, Imperatores, Pontifices premet, & calcabit. ad Modestiam ergo ducit hoc Symbolum.*

15 *Submissionis indicium est, calcandum se prabere. Fridericus AEnobardus: Alexander III. Henricus II. Rex Angl. In terram prostrati mortales sponte à Morte calcandi, arrogantiam detestemur.*

16 Calcare deuictum, *graue est supplicium & enorme. Ponuntur pedes super colla Regum Iosua XI. Imprecatur sibi hoc* **tormentum Dauid Psal. VII. 6. Conculcet in terrâ vitam meam.**

17 *Victorum ceruices sub iugum currus triumphalis acta. Sesostris AEgyptius. Ammonitis tribulis dentatis conculcati. Triturare in plaustris ferreis. Seniores Sococ inter spinas comminuti.*

18 Conculcatur homo à Mortis carpento. *Sedet triumphatrix Mors in quadrigâ, quam trahunt, ceu caballi laureati, quatuor Qualitates contraria. Cauendum, ne Mors animam te conculcet, ne Diabolus.*

19 *Anima incuruata Satana, qua terrena concupiscit: terram semper intuetur, voluptati se substernit.*

20 Diabolus *calcat super hominem, qui acquiescit eius suggestionibus. Peccatum calcat, quando dominatur per consuetudinem.*

21 Fidelibus *data potestas calcandi supra serpentes, scorpiones, virtutem inimici, hoc est, Diabolum,*

22 *Ambulant iusti super Aspidem & Basiliscum: & conculcant Leonem, & Draconem. Qua Symbola sunt Dæmonis, Hæreticorum, Persequutorum, vitiorum diuersorum, Adfectuum, ac Passionum, quas, qui pede premit, Rex est, nulli quem timeat, praterquam Deo, subiectus.*

23 *Satan sub pedibus fidelium conterendus. Hostis semel calcatus animum addit victori. Iosue iubet calcari ceruices Regum.*

24 *Mortis potentia, audacia, fastus.* 25. *Christus resurgens Mortem, omnémque eius exercitum triumphali pede* **conculcat, & conterit. 26. A Christo victore conculcatus Dæmon, Caro, Sanguis, Mundus, vitiorum, ac tentationum agmina. Hæc si conculcauerimus, Mortem sublimium colla calcantem non metuemus.**

Viri

## Viri Sacrati Moguntinenses, Nomine, ac re de Sorte Domini, quia Clerici: quorumque Sors est Dominus, quia Ecclesiastici, Saluete.

I. TOT *Symbola* MORTEM obumbrantia latẽt in execratorio carmine, quo Baldad Iobi patientis exagitator molestus, Impij hominis memoriam lacessit. Addit his vnum Papa Gregorius, cui MORS, velut SATELLES CACO-DÆMONIS induci videtur. Nam, *hoc loco*, inquit, Interitûs *nomine ipse hostis generis humani, qui interitum intulit, designatur: qui per suum quendam* SATELLITEM *exprimitur: de quo ad Ioannem dicitur:* Nomen illi MORS. *MORS. SATELLES Cacodæmon. S. Greg. Lib. XIV. Moral. cap. 9. Apoc. VI.*

Iste itaque Interitus, in die exitûs, quasi Rex super impium calcat quia, quem prius blandis persuasionibus decepit, ad extremum violentis nexibus ad supplicium rapit, tantóque eum durius deprimit, quanto in prauis actibus vehementius adstringit. Qui hic quoque reprobi mentem dum possidet, calcat: quia quoties eam delectationibus pressit, quasi toties super eam pedes suæ tyrannicæ dominationis posuit:

Addit: Interitûs nomine intelligi posse non ipsum *Mortis* corporeæ Principem, Diabolum: sed *Mortem* animæ quæ est *Peccatum*, quo reprobi ad interitum trahuntur. *Talis autem Interitus, quasi Rex calcat mentem, cùm eam, quasi non resistentem possidet. Non enim potest in hac vita homini posito, tentatio deesse peccati. Sed aliud est, peccato tentanti resistere, aliud dominanti seruire. Iniquus autem quisque, quia resistere peccati suasionibus nescit; subiugari autem eius dominio non pertimescit, rectè de eo dicitur.* Calcet super eum quasi Rex Interitus. *Mors animæ calcat.*

*Huius quippe Interitûs regnum à discipulorum cordibus repellebat Apostolus, cum dicebat:* Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. *Non enim ait:* Non sit; *sed,* non regnet *quia non esse non potest: non autem regnare in cordibus bonorum potest. Quia ergo cum qualibet culpa cor iniqui pulsauerit, resistens illud nõ inuenit, sed suo dominio substernit, dicatur rectè:* Euellatur de tabernaculo suo fiducia eius, & calcet super eum, quasi Rex Interitus. *De tabernaculo suo ergo fiducia eius euellitur, quando peruersus quis-* *Peccati regnũ. Rom. VI.*

*que, qui multa sibi ad votum in hac vitâ parauerat*, REPENTINA MORTE *dissipatur*. Et calcat super eum, quasi Rex, Interitus: *quia vel hic vitijs premitur, vel* Mortis *suæ tempore, per hoc quod ad supplicia rapitur, potestati dæmoniacæ subiugatur*. Ita Magnus Pontifex hoc Symbolū declarat.

*Mors corporea*

III. Sed præstat illud, quod sensus litteralis postulat, de MORTE propria, quam corporeā dicimus, accipere, cui bellè omnia conueniunt. Et quidē ex originali sermone legere posses: *Deducet* ad REGEM FORMIDINVM. Quis quæ-ve deducet? Præcesserat proximè, *Fiducia eius*. An itaq; vana illa spes, magnorū honorū, suauissimę voluptatis, tot molestijs procuratæ dignitatis, sed nunquam adeptæ, longissimæ vitæ, copiosissimæ prolis, amplissimæ familiæ longe latéque diuulgandi nominis, opimi sacerdotij, ambitæ infulæ, & istiusmodi plurium, quæ dum somnia sibi fingunt vanissimi homines, se consequuturos existimāt. An corporis firma constitutio, pulchritudo, robur, opes, clientelæ, principum fauor, eloquentia, subtilitas ingenij, tenacitas memoriæ, maturitas iudicij, sapientia, eruditio: quæ figuratè fiducia dicitur, quod in ijs spes suas sitas habeant terrigenæ, deducet mundi & carnis mancipium ad *Regem fomidinum*? Ita Francis. Vatablus insinuat, qui sic legit. *Fiducia, & proprio consilio deueniet, & potestatem rei maximè terribilis*.

*Rex formidinum.*

IV. A quo sensu non abhorret Ioannes Pineda, qui monet, *Fiduciā* intelligendā hîc, non simpliciter, sed *cōuulsā, vanā, irritam. Regem* autem *formidinum*, aut *terrorum* phrasi Hebræâ dici, maximum, ac potentissimum terrorem, qui vniuersos alios caussa, magnitudine, grauitate vincit. Rursus terrorē maximū, sumi pro re maximè terribili, & formidandâ, eam autem videri *Mortem*, quæ est *Terribilium terribilissimum*: vt *Rex terrorum* sit *Mors* ipsa terribilis, aut *Mortis* terror: dicátque Baldad: Amissa recuperandæ spes sanitatis propter vim morbi insanabilis: seu de vitâ desperatio conijciet improbum in certissimæ *Mortis* sæuum quendam & implacabilem terrorem.

*Idiotismus Heb. Rex formidinum.*

*Arist. III. Eth. cap. 7.*

*Deus præcipitat impios*

V. VERVM alij, quos non refellit Didacus Stunica, verbi suppositum in illâ sententiâ putant esse, DEVM, quasi dixerit. Detrudat eum DEVS ad *Regem terrorum*. Quadrat id in imprecationē Suhitis. Quæ energiam maiorē habebit, si dicamus, illū confinxisse *Mortem*, velut *Regem*, seu potius sæuissimū Tyrannū quē appellarit, *Regem Interitûs*, vt vel interitùs sit possessiui casus est n. Rex, in cuius possessione nihil est, præter interitum, eiúsq; caussæ & instrumenta: hæc n. sunt

*Mortis*

*Mortis* thesauri: vel sit casus recti, idemq́; quod *Rex, Mors*; sed, *Rex terrorum seu formidinum*: eo loquendi modo quo Isaias

CHRISTVM vocat VIRVM DOLORVM, quasi REGEM DOLORVM, vt commentatur ingeniosus Orator. Nam si intendimus in illum oculos, non tantum Virum per excellentiam dolorum: sed verè DOLORVM REGEM esse cernemus. Rex dicitur à Pilato: appellatus est à cohorte prætoria, quam audiuimus dicentem: Aue Rex Iudæorum: sedet in purpurâ, in sceptro, in coronâ: hæc omnia Regem significant: sed qualem Regem? REGEM DOLORVM. Ludicra illa & sordida purpura, arundineum sceptrum, salutationes, appellationes in irrisionem fuerunt, atque contemptum: corona verò, si pro varietate materiæ, aurea, graminea, laurea, principatum quendam opum, virtutis, fortitudinis indicat, per Spineam certè Regem significabimus, dolorum Principem: & REX DOLORVM non nisi spineâ coronâ præcingendus fuisse iudicabitur. Ita ille probat Regem dolorum fuisse in Passione CHRISTVM. *Christus Rex dolorum. Isai. LIII 3.*

A simili ornatu in *Mortem* translato, describemus *Regem terrorum*, cuius caput, diadematis instar, circumdet vipera, spiris turgida: cæsaries sit, vt Medusæ, è serpentibus subsilientibus, lurida & tetra facies, oculi non oculi, sed mera cauitas: os bilingue, aut trisulca ipsa lingua, in manibus, aut spiculum pro sceptro, aut falx acuta: paludamentum sepulchralis sindon: corpus ipsum, vmbra, tenebræ, nox, cadauer. quis non horreat ad conspectum? *Mortis, seu Regis ornatus.*

VI. VERE *Rex terrorum Mors*, territans antequam adueniat, vel solâ imagine. At quomodo is calcare dicitur, sicq́; terrorem incutere, cum laneos videatur habere pedes, & gressu tam quieto incedat, vt venisse citius percipiatur, quam gradum facere. In Hebræo verbum est, quod ambulare significat, vel incedere, ita tamen, vt quidpiam subiectum habeat, quod prematur, id verò est calcare. Quare quàm est varia calcantium species, tam diuersa potest esse *Mortis* ab hac actione imago. *Calcare quid. צעד. Tsaghad. NOTÆ.*

VII. VESPILLO, cùm cadauer terræ mandat, vt redeat in puluerem, è quo formatum fuit, pręterquam quod ligone terrã inijcere solet & premere tumulum: pede quoque non raro trudit humum, & calcat exanime corpus. An ita concipere licet *Mortem*, formâ *Vespillonis* fœdam, hominem tumulantem? Certè grauissimus Interpres arbitratur Baldadum Sapientem imprecari impio, præter maximos *Vespillo. νεκροφόρος. Io. Pineda ib.*

ximos terrores, qui illum exanimenт, vt eum sepulturæ mandatum, humúmque ipsam desuper iniectam *Mors* ligone comprimit, calce etiam ossa comminuat, faciem deformet, deprimat & infringat costas pectoris. O crudelem cadauerum, aut potius viuorum funeratorem!

*Carnifex.* VIII. Idem, vt CARNIFICEM depingi *Mortem* putat, qui terrifico tormentorum & cruciatuum apparatu sontes afficiat, & per manus *Morborum* tanquam ministrorum suorum sibi traditum horrendis suppliciorum generibus conficiat. Addo, concipi posse *Carnificem*, homini, qui sic torquetur in extremis pedibus insistentem, & tum vanitatis humanæ confessionem, tum animam ipsam extorquentem.

*Nic. Trigaut. in Triumph. Iap. Lib. IV. cap. 3* Dubitas fortasse, an *Carnificis* sit calcare miseros? Lege acta martyrum: vel inspice imagines. Et ne remota scrutari sit opus, contemplare recentes Iaponum triumphos: reperies fortissimos illos heroas, post primam fustium pugnorúmque salutationem, funibus crudeliter adstrictos, & solo adflictos, calceis carnificum, luto infectis protritos: quæ res apud Iaponios, præter doloris sensum peracerbum, ignominiam habet singularem.

*Inambulare, & calcare.* IX. Quid si *calcare* referas, aut, quod est in originali, *inambulare* ad possessionis quandam vsurpationem? Est enim possidentis, fundum suum inambulare; calcare agrum; in vineâ pedem ponere.

*I.C. actus possessionis.* Et est sanè naturalis actus in acquirĕda possessione, pedum positio, vt Iuris-periti definiunt. *Adipiscimur* (inquit Paulus I. C. L. III. ff. de adquirenda possessione) *possessionem corpore & animo. Sed non ita, vt qui fundum possidere velit, omnes glebas circumambulet: sed sufficit quamlibet partem eius fundi introire.* Vetustissimus est ille mos, quem respiciens Cœlius scribit ad Ciceronem: *Firmus & Lentulus, quasi res eorum esset, vnà nobiscum circumierunt.* *Lib. VIII. Epist. in XI. fam.* Græci vsurpant, ἐμβατεύω: id est, pedem infero, pedem pono. Eiusdem significationis sunt in Sacra-Scriptura, verba, *veniendi, & introeundi.* Quo pacto quidam accipiunt illud Ioannis *Ioh. I XI: Act. XXV. 1.* I de Christo: *In propria veniet*: nimirum, tanquam legitimus possessor, heres, dominus. Et Actu. XXV. *Festus cum venisset in prouinciam*: vbi simplex quidem aduentus Præsidis exprimitur, vt notat Ioan. Lorinus: indicatur tamen etiam actus naturalis capiendi possessionem, vt sit venire, idem quod, suscipere prouinciam.

*Mors capit possessionem hominis.* An igitur MORS ambulat non solùm super impium, sed super omnem

omnem hominem, vt ostendatur, illam tanquam legitimam heredem possessionem capere, tum corporis in quo pedem calcans ponit: tum eorũ omnium, quæ in corpore, tanquam in domo, vel fundo ad se spectante reperiuntur? Ita sanè est: A quo tempore Adam paradisi possessione priuatus fuit, bonorum æquè corporalium, ac spiritualium ius omne vendidit, & illorum quidem in *Mortem* est illicò deuolutum, tanquam peccati primogenitam, & paternæ omnis possessionis heredem. tam amplam autem hereditatem, ne negligere videatur, cum totam simul obambulare non possit, partitim in singulis glebis, certis temporum interuallis, pedem ponendo, omnium possessionem adipiscitur.

X. SED enim, cùm *Mortem* vocari *Regem* audio, & eam *calcare hominem*, maius quid, quàm simplicem fundi alicuius dominã concipio: denotant enim calcandi & inambulandi vocabula, victoriam de hoste reportatam, & gestum *Triumphatoris*. Habet *Mors* tanquam Imperator vniuersi, quod subigere illi est propositum, militares copias, quibus aduersarios suos: nimirum, quæ infra Lunæ orbem sunt, res corporeas, omnes, sed animatas maximè, debellare conatur, & suæ potestatis facere. Producit in aciem, frigus, calorem, humiditatem, siccitatem. Cohortem habet prætoriam ex febribus: manipulum ex inordinatis adfectibus: phalangem ex membrorum singularibus morbis: turmam ex fame, lue, senio: alam ex aquæ, terræ, aeris, ignis, intemperie: sociales centurias ex bestiarum violentissimis ordinibus. Ex his conficitur *Mortis* exercitus.

*Calcare Triumphantis.*

*Exercitus Mortis.*

Contra quem pugnant animalia, sed homines potissimùm salutis conseruationisq; suæ apprimè appetentes omni armorum, auxiliariúmque genere. Tuentur se, quantum possunt, suis inclusi castris, vel in apertum progressi campum, ne animum despondere putentur, & insanum ac furiale morborum agmen, ac tot auxiliares copias repellere nitũtur vel vincere, aut saltem, si non aliud possint, vires diuertere iis copiis, quas ex numerosissimâ medicamentorum republicâ conscribunt, in qua sunt præseruatiua, curantia, conseruantia, & cuilibet morborum generi opposita, alexipharmaca. Pugnatur sæpe, conferuntur signa, concurritur. Impressionem facit *Mors* leuis armaturæ aliquot cohortibus, repellitur: immittit cataphractos, & ignita iacientes spicula è febrium æstuantissimarum catervâ: sustinetur impetus: venitur tandem ad triarios: accurrunt Medici,

*Hominum munimenta.*

dici, instaurant pugnam, discurrunt, fatigantur, ministrant arma: frustra: nunquam non *Mors* victoriam obtinet. Prostrato igitur hoste,

Documenta. XI. Calcat super eum quasi *Rex Interitûs:* hoc est, qui interitum illi attulit. Multa hinc documenta sumere licet, quibus mores componantur, temperentur adfectus, addiscantur virtutis artes. Est enim multarum rerum indicium CONCVLCATIO. Et *Primò* quidē reportatæ de hoste victoriæ ac perfectæ subiectionis. *Ambulare* super hostem, & pedem illius capiti, aut dorso imponere, argumentum est in belli Imperatore summæ victoriæ, ac dominatûs. Omitto veteres statuas, quæ id passim indicant. Nota est ex historicis mos antiquus Imperatorum, qui quos armis subiugarant, sterni iubebant, seq; aliorum pedibus calcandos præbere, & victoris maximè. Vsitatum id peculiariter Constantinopolitanis. Celebris hoc facto Michael Balbus, de quo posteà.

*1. Mortis perfectum dominium.*

Hinc spectant multa ex sacris, in quibus victores superatis hostibus pedem extendere, perambulare, conculcare vel terram, quâ potiti, vel hostem quem detriumpharunt, dicuntur. Illustris

Ps. LIX. 10. est locus Psalmo LIX. *In Idumaam extendam calceamentum meum.* Quod Hieronymus legit: *Super Idumaam incedam calceamento meo.* Chaldæus: *Super vincturam colli ceruicis fortium Idumaorum proieci calceum meum.* Sed expressius apud Nebiensem: *Super collum occipitij proceres Idumaorum conculcauerunt calcei mei.* Et Psalmo CVII. *Super reges*

Ps. CVII. 10.

Lor. Psa. LIX. (vel regnum) *Edom proyciam calceamentum meum.* Non esse autem opus concipere id factum calceamenti extractione, & iactatione: sed pedibus calceamento vestitis monet Lorinus. Deutero-

Deut XI. 14 nom. XI. *Omnis locus, quem calcauerit pes vester, vester erit.* Iosue I. *Omnem locum, quem calcauerit vestigium pedis vestri vobis tradam.* An fortasse hoc sensu dictum à Satana? Iob. I. *Circuiui terram, & perambulaui eam?* Quod ita exponit Didymus: *Cùm terrena & aërea subegerim: solus mihi Iobus aduersatur; ego illius deposcendi caussa venio.* Et illud Prouerbiorum XXIII. 10. *In agrum pupillorum ne introeas:* hoc est, non vsurpes tibi in illum ius: non possideas: non te dominum illius constituas.

*Iosue 1 3. Iob 1 7.*

ITAQVE MORS, velut *Rex* super mortales ambulat, illos pedibus proterit, conculcat, calce premit, vt se illos subegisse demonstret: vt sui esse iuris eos omnes, iactitet, vt perfectam se de iis obtinuisse

obtinuisse victoriam declaret. Vide miser, quem peccati demerito nactus sis Dominum, cui tandem corpus illud tuum, quod adeò excolis, fortunæq; omnes tuæ cedent.

XII. *Secundò* verò, conculcatione supplicium sumitur à læsæ Maiestatis reis. Ita criminis illius pœnas exegit Michael Balbus de Thomâ: *Quem arreptum compedibus Imperatori tradiderunt. Is morem, qui iam pridem Imperatoribus placuerat, receptúsque consuetudine erat, primo omnium seruans, porrectum in pauimento iacere iussit, ceruicémque eius pedibus suis calcauit: tum pedibus, manibúsque mutilatum, & asino impositum spectaculi loco, per castra circumduci iussit, nihil aliud vociferantem, quam; Miserere mei, qui verus es Rex.* Hæc narrat Gregorius Cedrenus in historiarum compendio ducentesimo primo. Subdit deinde Austasium Thomæ filium, postea eodem, quo patrem, modo tractatum. *II Conculcatio, pœna reorum læsæ maiestatis.*

Primus, quem sic calcauit *Rex Interitûs* fuit generis nostri parens Adam, qui postquam regnum adfectauit sibi minimè debitum, de crimine læsæ maiestatis conuictus, & accusatus, ad summum tractus est Principem, qui dedignatus vilissimum caput, pede, quo orbem, vt scabellum premit, calcare, è stipendiariis suis minimo, quem tunc velut *Regem* coronauit, & ei mortales omnes subiecit, id commisit. Quod *Mors* illicò est exequuta. *N*am eo ipso die quo peccauit præuaricator, à *Morte* fuit conculcatus. *In quocunque die comederis*, Morte *morieris*. Vt præuaricatio, ita conculcatio transijt ad posteros, qui meritò calcamur omnes. Hæc delicti est merces. *Adam læsæ maiestatis reus.*

XIII. *Tertiò*: Mancipia pedibus aliorum substernuntur, conculcationi Tyrannorum opportuna. Exemplum habet Romanum Imperium in Valeriano, qui post quindecim regni annos hoc expertus. Vt enim victus, viuú'que in manus hostium venit: Sapor Persarum Rex, ceu catenatum mancipium circumduxit, & quoties equum conscenderet, non manu eius, sed inclinati dorso, adiutus, innixúsque est. Ita magnum orbis planè vniuersi Principem deijcere subitò & calcare potuit per iustitiæ suæ exequutorem summus mundi Moderator. Quo decernente, *Mancipia conculcantur.* NOTÆ.

*Rarò antecedentem scelestum* *Horat lib. III. Carm. Ode 2.*

*Deseruit pede pœna claudo.*

Simili ludibrio Tamerlanum secum habuit Baiasites Turca. Idem hominum omnium est fatum, qui cùm Domini rerum essent, maiora suis viribus & conditione ausi, ad mancipiorum sortem detrusi sint. Et cui, vt mancipia substernuntur? *Morti*, qui calcat super eos vt *Rex Interitûs*. O miseram mortalium sortem, & deplorandam! Sed frustra gemimus: in hanc nati sumus, nec alia, sceleribus nostris id postulantibus, digni. Sumus non dissimiles Climacidum ancillarum apud Cyprios, quasi dicas, scalares, siue scalulas, & aliarum in insula Samo quas vocabant ἐπωερίδας in quibus vilissimæ fuit seruitutis subiectio, quā nos ex vtero trahimus, peccato & *Morti* ancillantes.

IV. Vanitatis documentum

XIV. *Quartò*. Ducat te hæc *Mortis* conculcatio in vanitatis humanæ seriam considerationem. Cerne opulentos, potentes, doctos, vtriusque Reipublicæ optimates, Barones, Comites, Principes, Reges, Cæsares, orbis Monarchas: Episcopos, Cardinales Pontifices, Sacrorum summum Hierarcham. Dum viuunt honorantur, coluntur, adorantur, meritò, DEI enim personam sustinent, cuius vices agunt. Ornantur purpurâ, diademate, sceptro, infulis: iure; decet præferre hæc potestatis insignia. Sunt formidabiles hostibus, terribiles exteris, omnibus venerandi. Benè habet. Sed agnoscant, qui sint, non se efferant: non se immortales putent, ius mancipij sæpè animo voluant. Et hos breui *Mors* calcabit vt *Rex Interitûs*. Calcantur, quos haud ita pridē sublimes venerabūdi vidimus, PAVLVS, MATTHIAS, PHILIPPVS, ALBERTVS, IOANNES GODEFRIDVS.

Sent. Thiesse Act III.

*Vos quibus Rector maris atque terræ*
*Ius dedit magnum necis atque vitæ,*
*Ponite inflatos, tumidósque vultus*
*Quicquid à vobis minor expauescit,*
*Maior hoc vobis Dominus minatur.*
*Omne sub regno grauiore regnum est:*
*Quem dies vidit veniens superbum,*
*Hunc dies vidit fugiens iacentem.*
*Nemo confidat nimium secundis.*
*Nemo desperet meliora lapsis.*
*Miscet hæc illis prohibétque Clotho*
*Stare fortunam. Rotat omne fatum.*
*Nemo tam Diuos habuit fauentes,*

*Crasti-*

*Crastinum vt possit sibi polliceri.*
*Res* DEVS *nostras celeri citatas*
*Turbine versat.*

Suadet ergo modestiam & Christianam humilitatem hoc *Symbolum* conculcantis omnia *Mortis*.

XV. *Quintò*: Est submissionis eximiæ opus, alterius se pedibus subijcere ad conculcationem. Quæ exigitur nonnunquam ab ijs, qui insignitè fuêre refractarij. Hoc nomine memorabilis fuit Alexandri III. Papæ magnanimitas, & Friderici Imperatoris demissio collum submittentis pedi Pontificis: cum hic interim diceret: *Super aspidem* & *basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*: & illi excipienti *Non tibi, sed Petro*: responderet, *Et Mihi, & Petro*. Ita narrat Gennadius Scholarius de Primatu Papæ, & ex illo Ciacconus. Quã certa sit historia docebit te Ecclesiasticæ historiæ Cæsar, Baronius.

*V. Submissionis indicium.*

*Friderici Imp. & Alex. PP. III factum. Ps XC 13.*

An non simile, & fortasse magis admirandum submissionis exemplum suspexit Anglia in Henrico II? qui suspectus de cæde B. Thomæ Cantuariensis Antistitis, eo se duci passus est, conscientiâ acriter stimulante, vt ad sepulchrum viri sancti, in terram effusus, manantibus vbertim ex oculis, lacrymis, porrectus iaceret in pauimento, calcandum corpus præbens. Nec eo contentus à Monachorum cœtu petiit, & multis tandem precibus impetrauit, vt à singulis eorum ordine virgis vapularet.

*Henricus III. NOTA.*

Et nos veniam non speramus insignitæ illius improbitatis, qua in DEVM rebelles, eius iugum excutere nefariè tẽtauimus, nisi sponte, summo rerum Arbitro sic iubente, in terram prostrati, abiectionis voluntariè signa dederimus, corpore, *Mortis* pedibus subiecto, vt ab illa mancipiorum instar, qualia reuera sumus, conculcemur. Quomodo igitur delictorum tibi gratiam fieri postulas, si obstipâ ceruice, cum ad hunc *Regem Interitus* citaris, illi te non submittere solùm recusas, sed & sistere?

XVI. SEXTO: Calcare deuictum supplicii genus est enorme, ac extremum, si vita simul eripiatur, quod ex ignominiâ doloréque est compositum. Hanc fuisse caussam Iosuæ, cur præceperit regum subiugatorum ceruices à Principibus exercitus calcari; *Ite*, inquiebat, *& ponite pedes super colla regum istorum*; est verisimile & notãt sacri Interpretes, sic enim meritas superbissimis hostibus pœnas infligebat. Hoc sibi supplicium imprecabatur Dauid, si, quod obiiciebatur illi,

*VI. Supplicium enorme.*

*Iosue X.*

verum esse probaretur, aut quod affectasset regnum Saulis, aut interfectionis eius auctor fuisset, aut tyrannicè, seu iniquè gubernasset, vnde rebellandi occasionem sumere iure potuisset Absalon.

Psal. VII. 6. *Persequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terrâ vitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat.* Hoc est: vt vile mancipium proterat, perpetuæ infamiæ condemnet: omnium me exponat ignominiæ: sanguinem meum conculcet, inquit Euthymius & Nicephorus, qui sanguis vitæ caussa est. Me penitus prosternat, vel occidat, ait S. Thomas, ita, vt cadauer conculcetur ab hominibus & bestiis, inquit Cyranus; conculcando interficiat scribit Caietanus.

Quid ad sensum acerbius, & ad ignominiam grauius, quàm terræ instar, in qua omnes pedibus insistunt, calcandum se præbere, & barbari hostis pede proteri? Certè, vt ostenderet eloquentissimus Propheta, quo ærumnarum atque contemptûs venissent Iudæi apud Babylonios, seu debellati à Romanis, satis habuit suggerere: *Dixerunt animæ tuæ*, hoc est, tibi, *incuruare vt transeamus & posuisti, vt terram corpus tuum.* Isa. LI. 23.

XVII. QVOD si alio etiam instrumento fieret hæc conculcatio adderetur ad ignominiam & dolorem plurimum. Sic enim victorum Regum ceruices sub iugum currus triumphalis egit Sesostris Ægyptiorum Rex, de quo Plinius, Diodorus Siculus, & Lucanus. Sesostris Rex.

*Venit ad occasum mundique extrema Sesostris,*
*Qui Pharios currus Regum ceruicibus egit.*

II. Reg. XII. 31. I. Par. XX. 3. Ita Dauid, vt legatis suis illatas iniurias vlcisceretur, super Ammonitas ferro domitos tribulas induxit dentatas, aut ferro, aut acuta silice, sicque illos conculcauit: imò haud aliter quam messem in areâ contriuit, atque dissecuit. *Populum, qui erat in eâ* (ciuitate Rabba) *eduxit, & fecit super eos tribulas, & trahas & ferrata carpenta transire, ita vt dissecarentur, & contererentur.* Quod fecisse etiam Regem Damasci Azael constat ex Amos cap. I. *Eo quod triturauerint in plaustris ferreis Galaad.* Contra Moab autem aut Bosra clamat Propheta Isaias, *Triturabitur* Moab *sub eo, sicut teruntur paleæ in plaustro: & extendet manus suas sub eo, sicut extendit natans ad natandū.* Hunc calcandi modum ad tormentum grauissimum seruasse videtur Gedeon, quando seniores Socoth, qui lassis militibus panem negauerant, inter spinas tribu-

Amos I. 3. Isa. XXV. 10. Iud. VIII. 16. Serar. Q. V. Sa. ct. in Isa. LXIII. 3.

tribulosq; deserti comminuit, vbi vt notat Serarius eo loco,& Sanctius in Isaiam, Hebraicum, Græcúmque verti potest, *triturauit*: quod conculcationem omnino lethiferam insinuat: ita vt homines vel nudi simpliciter, vel inter aut super spinas sternerentur, ac expanderentur, tum vero magno impetu protererentur, conculcarentur, triturarentur, tribularentur.

XVIII Ad similem conculcationem nos, DEO, iustissimo Iudice, sententiam ferente, condemnati sumus; nam *Mors* superioris imperio, homines inter peccatorum spinas, & mortalitatis tribulos, expansos, pede grauiter impacto, calcat: imò non pede modò sed etiam triumphali suâ quadrigâ, cui insidere fingitur, quando de mortalibus triumphum agit: quadrigâ dico, è quatuor elementis compactâ, quam quatuor qualitatum semper pugnantium, tanquam diuersorum colorum quadrupedes trahere perhibentur ab ingeniosis Philologis. Ex tam graui supplicio, criminis grauitatem pensemus. *Conculcatur homo à carpento Mortis.*

ET quoniam Mortis corporeæ conculcationem euadere non possumus: stat enim, nullius intercessione mutanda sententia, qua omnibus moriendum esse decretum est: hoc curemus sedulò, ne, *Mors* altera spiritualis super animam calcet, quasi *Rex Interitûs*: deinde ne etiam Diabolus. Nunquam hic calcabit: si illi nos non substrauerimus. Sed quot sunt, DEVS bone! in quorumlibet hominum sodalitiis, qui se sponte calcandos, tum Peccato, tum Dæmoni incuruant. Quasi hoc non esset vilissimorum mancipiorum, & extremæ ignominiæ, ac doloris supplicium. Dura sanè & miserabilis conditio: at non lugenda, quia spontanea. Indignor potius seruilis ingenij capitibus: cur nobilitatem suam non agnoscunt, vel illam non, vt oporteret, æstimant. *Mors animæ peccatum.*

ARRIDET hîc mihi, Ducis, in his præliis experientissimi, Hieronymi contemplatio, qui in hostium numero, à quibus calcatur anima, exprimit aduersarias potestates, nempe, aëris, & tartari. Hæ dicunt, incuruare, vt calcemus, & transeamus. *Adnotandum est*, inquit, *quod non eam incuruauerint, nec vim fecerint, vt prius erecta inclinaretur in terram: sed proprio arbitrio dereliquerint. Illa autem voluntate sua posuerit ceruices, vel dorsum, siue totum corpus suum non intus sed foris ijs, qui eam conculcauerint. Tale quid & in Euangelio legimus, quod decem & octo annis Satanas incuruauerat mulierem, quam Dominus ad statum pristinum erexit.* *Anima incuruata Satanæ. S. Hieronym. Isa. Li.* *Luc XIII.*

Non

Stans Anima. Greg. Homil XXXI. in Euang.

Non minus ingeniosè ac piè, copiosius etiam, optimus Moralium Doctor Gregorius: *Recta stat anima cum superna desiderat, & nequaquam flectitur ad ima: sed maligni spiritus, cùm hanc in sua rectitudine stare conspiciunt, per eam transire non possunt: transire namque eorum est, illi immunda desideria spargere. Dicunt ergo:* Incuruare, vt transeamus. *Quia si ipsa se ad ima appetenda non deijcit, contra hanc illorũ peruersitas nullatenus conualescit. Et transire per eã nequeũt, quã contra se rigidã in superna intentione pertimescũt.*

*Nos ergo, fratres charissimi, nos viam malignis in nobis spiritibus damus, cum terrena concupiscimus, cùm ad temporalia appetenda curuamur. Pudeat ergo terrena concupiscere, & dorsa mentium, ascendentibus aduersarijs præbere. Terram semper intuetur, qui curuus est, & quo præmio sit redemptus, nõ meminit, qui ima quærit. Potest ille dicere cum Psalmista.* Incuruatus sum & humiliatus sum vsquequaque. *Contemplationem namque cælestium perdens, si sola carnis necessaria homo cogitaret,* Incuruatus & humiliatus *esset: sed tamen,* vsquequaque *non esset. Quem autem à supernis cogitationibus, non solùm necessitas deijcit: sed etiam voluptas illicita sternit, non solum* incuruatus, *sed* vsquequaque incuruatus *est.*

Diabolus & peccatum calcant

XX. Ita cauendum nobis maximoperè ne *calcet* super nos *quasi Rex Interitus:* hoc est, vt interpretatur, sensu Magni Pontificis Hugo Cardinalis, *Diabolus*, qando ei non resistimus: vel *Peccatum*, quod est caussa duplicis *Mortis*. Impius hic culpâ moritur: in futuro ad æternam *Mortem* rapietur. Et, Nota inquit Cardinalis: Diabolus calcat super hominem, quando homo adquiescit eius suggestionibus. Quo spectat illud Isaiæ LI. *Ponam illum in manu eorum, qui te humiliauerunt, & dixerunt animæ tuæ, incuruare vt transeamus.* Tum quod est Apoc. VI. *Ecce equus pallidus, &, qui sedebat super eum nomen illi* Mors: *& infernus sequebatur eum.* Equus pallidus est peccator, qui caret virore virtutum, & fructu bonorum operum. *Mors* super eum *Diabolus*, qui intulit & quærit *Mortem* homini. Peccatum autem calcat super hominem, quando dominatur per consuetudinem. Ad Roman. VI. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Psal. CXVIII. *Non dominetur mei omnis iniustitia.* Exemplum habes in muliere, de qua Ecclesiasticus. *Omnis mulier, quæ est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur.*

Eccl XI.10.

Calcandus Diabolus.

XXI. Verum-enimuerò nobis haud debet esse satis, quod non conculcemur ab Erebi Principe, & eius Primogenitâ, *Morte animæ*: sed hoc omnibus modis est enitendum, vt iis nos pedem imponamus,

mus, & de ipsis gloriosè triumphemus. Possumus, modò magno simus & inuicto animo. Dedit enim omnibus suis Dominus potestatem *calcandi supra serpentes, & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici.* Luc. X, 19.
Quibus, *Symbolis*, Dæmones designari docent Irenæus, Cyprianus, Ruffinus, Basilius, Nicetas, Procopius, Chrysostomus, Beda, Theophylactus, Euthymius. Quam vt probabilem interpretationem probat Maldonatus: & extendit ad omnia pericula, quæ vel à bestiis, vel Dæmoniis imminere possunt.

XXII. Fideli cuilibet, & DEI amico dictum est: *Super* Aspidem *&* Basiliscum *ambulabis, & conculcabis* Leonem *&* Draconem. Magna promissio, quâ triumphus cum conculcatione addicitur. Quorum-nam autem? haud dubiè Dæmonum, & vitiorum omniũ. Certè Euthymius ijs animalium formis exprimi putat *Symbolicè, Calumniam, Inuidiam, Crudelitatem, Indignationem*: quæ vitia Iustus conculcet, nec ab iis lædatur. *Conculcare Leonem & Draconem.* *Psal XC. 13.*

Augustinus, quem imitatur Remigius, in *Basilisco* agnoscit *Diabolum*, Regem nimirum totius malitiæ; in *Aspide*, *Hæreticos*, per quos veneno doctrinæ incautos inficit: in *Leone*, apertè sæuientes: in *Dracone*, occultè insidiantes. At hæc omnia vnum putat esse *Symbolum* Cassiodorus: vt idem bonorum capitalis hostis, sit *Aspis*, cùm occultè percutit. *Basiliscus*, cùm palam venena disseminat: *Leo*, cùm innocentes persequitur: *Draco*, cùm negligentes impia voracitate deglubit. *S. August.*

Eundem triumphum spectat Bruno, Sidus Carthusiæ, qui quatuor numerat, quos Iustus pede premit: *Diabolum* imprimis latenter mordentem per suggestiones illicitas: tum *Ecclesiam malignantium*, exemplo fœtido operationis peruersæ alios ad *Mortem* trahentium: deinde, *Persequutores*, palam infestantes: tandem, *Hæreticos*, falsis rationibus incautos illigantes, attrahentes, & vltimo deuorantes. Est enim istud draconum: qui caudâ prius ligant animal, postea ligatum degluriunt. *S. Bruno.*

In eadem tabulâ Iustum triumphantis instar calcantem bestias contemplatur Bernardus: sed quas ille vocat *Obstinationem*, quæ *Aspidis* ritu obturat aurem: *Inuidiam*, quæ oculus nequam dicitur in *Basilisco* expressa, nam is in oculo venenum fouet; & Inuidia Diaboli *Mors* intrauit: *Timorem* inanẽ, qui corporalis necessitatis occasione animum turbat, quia *Leo* rugitu turbat terrétque bestias: *Iram* si- *S. Bernard.* *Matt. 20. 15.* *Sap. 11. 24.*

 milem

milem *Draconi*, flatu igneo animalia terræ & volucres cœli necante.

Dio. Rikel. Alias feras appellat Rickelius, quas Iustus proterit: *Inuidiam* notatam in *Aspide*: in *Basilisco, vanam gloriam*: in *Leone*, animi *ferociam*: in *Dracone, obstinationem*.

Hugo. Deut XXXII. 33 Iob. XLI 15. Efformat haud multo diuersam imaginem Hugo, in quâ pedibus subiicit *Peccatum* in Spiritum-Sanctum, cuius Symbolum sit *Aspis*, quia venenum illius est insanabile: deinde *Superbiam*, velut *Basiliscum*, quia Rex est Diabolus super filios superbiæ: adhæc, *Sæuitiam*, tanquam *Leonem*: postremò, *Dolum*, ceu *Draconem*.

Nec incommodè primæ feræ adsignat *Hæresim*: secundæ, *Persequutionem* manifestam, quæ visu interficit: tertiæ persequutionis *Crudelitatem*: quartæ, quæ flatu nocet, *Persequutionem* falsorum fratrū. Rursum, en quanta est fœcunditas Theologiæ Symbolicæ! *Aspidi*, *Adulatorem* dolosum, *vsurarium*, & *delectationem* mundi: *Basilisco*, *Antichristum*, *Hypocritam*, *Inuidiam*, *Leoni*, crudelem *Prælatum*, *Draconi*, hominem *luxuriosum*.

S. Hieron. Com. in Zach. cap 1. Diuus autem Hieronymus quatuor vulgo dictas *Passiones* nominat, *Tristitiam*, *Gaudium*, *Metum*, *Cupiditatem*: quas in quatuor animalibus Symbolicè significatas Iustus vt Rex calcat. Nam reuera

Seneca.

*Rex est, qui posuit metus,*
*Et diri mala pectoris:*
*Qui tuto positus loco,*
*Infra se videt omnia:*
*Occurrítque suo libens*
*Fato, nec queritur Mori.*

Rex est, qui refrenat libidines, spernit voluptates, iracundiam tenet, coercet auaritiam, ceteras animi labes repellit. Rex est, qui non vitiis, non casibus, non animi adfectibus, non MORTI ipsi, vt illam timeat, est subiectus. Hic

Hor.

*Intaminatis fulget honoribus,*
*Nec sumit, aut ponit secures*
*Arbitrio popularis auræ.*

XXIII. Ad hoc victoriæ ac triumphi genus alludit Apostolus optans vt DEVS *pacis conterat* Satanam *sub pedibus nostris velociter* Romanor. XVI. Quo loco Chrysostomus, & Theodoretus; *Satanæ* nomine *Diabolum* ipsum intelligunt: Origenes quemlibet contradicentem: Satanæ enim vocabulum apud Latinos idem est, quod

Satan sub pedibus fidelium

aduersa-

aduersarius: vtrumque sensum admittit Benedictus Iustinianus. Addo tertium, qui in superioribus continetur, Vitiorum agmen, quod maximè bonorum conatibus aduersatur. Huic pedem resistentiæ fortiter ac constanter imponamus, & adcrescet nobis animus, vt deinde nullos inimicos amplius siue corporis, siue animi reformidemus. Nam & illud à magnis auctoribus animaduersum inuenio: Si semel calcatus fuerit hostis quispiam ante à metuēdus alacritatem victori accedere, vt nullius vires deinceps metuat.

Hanc fuisse caussam, cur voluerit Iosue Princeps exercitus Israelitici, calcari ceruices quinque Regum, quos bello vicerant post Theodoretum animaduertit Serarius & Pineda: colligitúrque ex Iosuana exhortatione ad suos: *Nolite timere, nec paueatis: confortamini, & estote robusti: sic enim faciet Dominus cunctis hostibus vestris, aduersus quos dimicatis.* Hanc aduersus communem aduersarium alacritatem, vt Apostolis ingeneraret dedit CHRISTVS illis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, visibiles, ac inuisibiles. Noli metuere Christiane, DEO fide: *Negabunt te inimici tui, & tu eorum colla calcabis.* Quid vereris ô anima? *Conculca robustos.* Nobis facta est promissio: *Calcabitis impios, cum fuerint cinis, sub planta pedum vestrorum.* Et illi maximè calcabuntur: *qui iam conterunt super puluerem terræ capita pauperum.*

Theod. Q. XI. in Ios. Sera. Iosue X. Q. XXXVII. Pineda Iob. XVIII. 15. Luc IX. 19. Deut. XXXIII. 29. Iud V. 21. Mala h. IV. 3. Amos II. 7.

XXIV. SED ad *Mortem* propriè dictam tandem reuoluatur oratio. Quanta illius ex hactenus prolatis apparet potentia, quanta audacia, quis fastus tot regum colla calcantis? Quanta hominum stultitia in rebus terrenis spem collocantium, in perituris mundi bonis superbientium? Non animaduertitis, mortales, dum *Mors* super vitâ functum calcat, illam ludentis more, & subsannantis, vitam, vitæque superbiam conculcare & proterere: sícque gloriam illius vniuersam in puluerem deducere?

Mors iraudacia.

XXV. HINC iam CHRISTI gloriosè resurgentis ingens sese offert & incredibilis potestas, qui de tam valido hoste deuicto, illum pedibus subiectum calcat, vt tot ad nos ab inferis redeuntis imagines exhibent. CHRISTVS est, qui vi propriâ conterit *Satanam* sub pedibus: qui calcat super serpentes & scorpiones: qui ambulat super aspidem & basiliscum, ac conculcat leonem, ac draconem. Hoc enim de Triumphatore Domino accipiunt Patres grauissimi.

Christus resurgens calcat.

Et quidem Irenæus quattuor illis animalibus denotari existi-

Animalia conculcata à Christo.

Isra.lib.III. cap 38. Isid.in Gen. cap.3. mat *Peccatum*, MORTEM, *Anti-Christũ*, *Diabolum*: *Aspide*, *Peccatũ*, cuius vt venenatæ illius est frigida qualitas: *Basilisco* MORTEM, quę regnat, diademate illustris. *Leone*, *Anti-christum*, sæuientem, *Dracone* Diabolum, serpentem antiquum. Adprobat hoc ipsum Isidorus: mutat tamen Symbola nam *Aspidem Morti* tribuit, *Peccato*, *Basiliscum*. Habétque idem Eucherius scribens in Genesim. Euche. Gen. 3.

Tentationes Dæmonū. Haimo in Psal. 90. Paullo aliter Haimo, qui scribit CHRISTVM ambulasse super *Aspidem*: quia pressit occultam Dœmonis tentationem, quâ non potuit impediri: super *Basiliscum*, quia manifestè tentatus à *Diabolo* in *Morte*, nullo modo est superatus: vt *Leonem* habuisse se Dœmonem, quia ausus sit in CHRISTVM manum mittere, eúmque *Morti* dare: vt *Draconem* superatum dum *Morte* suâ eius destruxit potentiam.

Ambrosius Psal. 1. XXVI. Quadripartito etiam agmine hostium tentatum CHRISTVM, & omnes eius subiectos pedibus Ambrosius eleganter docet. Congressus enim fuit CHRISTVS cum *Carne* & *Sanguine*, quando transferri à se calicem petiit, nec fieri tamen, quod ipse: sed quod Pater elegit. Eidem obiecta diuitiarum tentatio, cùm omnia regna terræ ei iniqua conditione inimicus offerret. Fuit quoque illi colluctatio aduersus principes mundi: & in Passione certamen aduersus tentatores, qui falsa testimonia deferebant: aduersus eos qui dicebant. *Descendit nunc de Cruce & credimus ei*: quibus meritò adiungenda MORS. Hos omnes gloriosè superatos, calcauit Dominus: qui etiam ambulauit super *Aspidem* & *Basiliscum* in Incarnatione: cõculcauit *Leonem* & *Draconem* in Passione, penitus exterminandos in traditione regni, quod Patri tradet, *cum omnem euacuauerit Principatum*. Mat. XXVI. 39. Matt. IV. 8. Mat. XXVII 13. Mat. XXVII 42. 1. Cor. XV. 24.

Orig. Hom. XII. in Ios. Conemur & nos Spirituales nostros hostes conculcare ipsorum capitibus, ac dorso pedes imponere. *Oremus* (verba sunt Adamantij) *vt & nostri pedes tales sint, qui possint calcare ceruices inimicorum: qui possint ita caput calcare* Serpentis, *vt calcaneum nostrum mordere non possit*.

*Vtinam Dominus meus* IESVS CHRISTVS *Filius Dei mihi istud concedat, & iubeat me pedibus conculcare spiritum fornicationis, & calcare super ceruices spiritus iracundiæ & furoris, calcare auaritiæ dæmonem: calcare iactantiam: conterere pedibus superbiæ spiritum: & cùm hæc fecero, operis gesti summam non mihi: sed Cruci eius appendere sequenti Paulum dicentem*: quia *per ipsum* mihi mundus crucifixus est. O quam securus tunc expectarem illam, quæ de mortalibus omnibus triumphum agens, sublimium colla calcabit!

NOTÆ

# NOTÆ

## AD COMMENTATIONEM XX.

# MORS

# SATELLES CACODÆMONIS, VESPILLO, CARNIFEX, TRIVMPHATRIX.

§. VI Calcare, ambulare, incedere.] *Legendus Ferdinandus in Thesauro. Ioannes Pineda Iob 17. & XVIII. 14. Quirinus Salazar Prouerb.* XXIII. 10. *Petrus Berchorius Tom.* III *Repertory.*

§ *XIII.* Valerianus.] *Trebell. Agath lib.* IV. *Euseb. lib.* VII *cap.* 9. & *ex ijs Iustus Lipsius in Exemplis Politicis lib.* 1. *cap.* 4.

*De Baiasite, & Tamerlano, qui* Temir Chan, & Temir-lanous *à claudicatione vocatus fuit Paulus Iouius de Imper. Turc. Petrus Peron in vita cap.* IX. *Paul. AEmil. lib.* XI. *Iustus Lipsius Exemp. Pol lib.* 1. *cap* 4.

*Ancilla climacides apud Athenæum lib.* VI. *cap.* 16. *vbi Isaac Casaubonus: Eustat. Odyss. H. Plutarchus lib. de dignos. Adul. Valerius libr.* IX. *cap.* 1. *Adagiographus V.* Climacides. *Hesich. & Phauorinus.*

§. *XV.* Alexander III. & Fridericus Ænobardus.] *ita scribunt Gennadius Scholarius de Primatu Papæ sectio.* VIII. *Ciacconius in vita Alexandri III. At vt mendacissima, eadem arguit Baronius Tom.* XII. *Anno Christi M.CLXXVII. vocátque factum arrogans & penitus insuetum, quod humiliatum ad pedes Pontificis caput Imperatoris pede ipse presserit, atque insultauerit Alexander.*

*Abhorrens est, inquit, à tanti Christi vicarij mansuetudine turgens fastu facinus, penitúsque alienum ab ipsius moribus tot actionibus probè notis. Quanta enim fuerit animi demissionis, & moderationis, benignitatis, lenitatis, paternæque caritatis ad alliciendos ad pænitentiam peccatores, ad curandos ipsos pænitentes omni genere obsequij, & indulgentia, facilè est ex scriptis & factis in historiâ relatis elicere.*

*Siquid huiusmodi per Alexandrũ Papam fieri contigisset, quomodo referre prætermisissent scriptores illi qui minima quæque prosequuti sunt, quippe, qui præsentes cum essent, ea cuncta, singulaque totidem verbis, vt prolata sunt, summâ diligentiâ scriptis prodidère. Quomodo rem tantam, suâ magnitudine mirandam, nouitate singularem, indecentiâ monstruosam, etsi non ab aliis, certè æmulorum aduersariorum tubis perstrepentibus peruulgandam reliquisse potuêre silentio penitus obuolutam, vt quasi ex condicto, nullus illorum scriptorum, reliqua cũcta scribentium, de his verbulum fecerit?* Pluribus id stabilire conatur *Baronius*, argumento, ex prudentia & caritate Pontificis diducto.

*De Henrico II. Anglorum, quod contigit Anno D* M.CLXXIV. *Scriptores Britanni: è quibus I. Lipsius lib. Exem. politicorum cap. i. Monito* IV. *Exemp.* 5.

§ *XVII.* Sesostris Rex Ægypt.] *Hic quattuor Reges, equorum vice, currui suo subiungebat, quo vehebatur. In eo cùm sublimis sederet, Regum illorum vnus capite reflexo identidem rotam currûs aspiciebat, & capi, aut pasci videbatur. Quid rei sit* Sesostris *rogat: ille liberè,* Intueor volumen hoc assiduum rotæ, in qua vicissim, ima summa, & summa ima fiunt: quod exemplum capio, & applico nostræ fortunæ. *Bellè cur non addidit,* tuæ? *Sensit Sesostris sibi dici: itaque statim illos à iugo, se ab arrogantiâ absoluit. Plinius libr.* XXXIII *cap.* 3. *Diodor. libr.* II. *cap* I. *Lucanus lib.* X.

§. *XXI.* Calcare Serpentes, & Scorpiones.] *Dæmones intelligunt Irenæus lib.* V. *cap.* 24. *Cyprianus libr. ad Nouat. Ruffi. Exposit. in Symbol. Basilius Psal.* XXVIII. *Nicet in Orat.* II. *de Pasch. Gregorij Nazianz. Procopius in cap.* XLIX. *Isa. Chrysost. Hom.* XVII. *in Genes. Beda, Theophylact. Euthymius Luc.* X *videndus, Iansenius, Maldonatus, Regius, Toletus:*

§. *XXII.* Super aspidem & Basiliscum. *Psa.* XC] *Legendi Sermones, quibus hunc Psalmum illustrauit S. Bernardus. Conciones etiam Roberti Bellarmini super eundem Psalmum. Concione* X, *docet, Aspidem, Leonem, Basiliscum & Draconem quattuor summas atque atrocissimas persequutiones significare: Aspidem, Iudæorum: Leonem, Paganorum: Basiliscum, Hæreticorum: Draconem Antichristi. Addit, iisdem designari præcipuas quattuor tentationes, quibus Dæmon vel per se, vel per alios vnumquemque nostrum sigillatim oppugnat, & propter quas, Aspis, & Basiliscus, Leo, & Draco dicitur.*

COM-

# COMMENTATIO XXI.

# MORS SALTATRIX.

*Calcet super eum, quasi Rex Interitus.*

Iob. XVIII. 14.

BREVIARIVM.

1 *Saltatio Cynadica, muta turpitudo, flabellum vitiorum, fax concupiscentia, adolescentia pestis. Nunc saltatur Venus: olim Mars apud Prygis, & in Cra.*

2 *Mortis Saltus vtilis. ad eius aspectum diffugiunt Veneris saltatricula. Saltat Mors calcando cadauera: imò spirantes adhuc in fatali lecto. Carnifices in Iaponiâ saltando torquent. Mors saltat, & excarnificat.*

3 *Vita humana, Saltatio. similis choreis Italicis. saltatur solitariè, tedâ manu armatâ. Fax accensa, vita Symbolum.*

4 *Chorea Mortis. hac Prasultatrix: funem ducit, vnâ manu facem inuersam, & fumantem; alterâ arenarium horologium. Ludus antiquissimus, tedarum per Saltus traditio. Promethea. Vulcania. Panathenaica.*

5 *Prometheus ludi repertor, fur ignis, rotator tedarum. Prometheus in fabulis imago Dei, hominem vitali aura animantis.*

6 *Mortis Regia. hic Mors-Saltatrix per capita singulorũ choreas ducit. Quas si contempletur Ecclesiasticus à lasciuo saltu faciè sibi temperabit. Profani olim sacrificuli spectaculis & saltationibus dediti.*

7 *Detestantur id Patres, quid facturi in Christianis? quid in Clericis? Saltans meretricula extrema dat signa impudentia: quid Clericus?*

8 *Clericus saltans, Insanus. Genus insania, Saltatio, Scipio saltans delirus, Alfonsi Aragonum sensu.*

9 *Clericus saltans, Mulierosus. Friderici Imper iudicio. Molles, qui saltant. Plato saltare recusat.*

10 *Clericus saltans, Furiosus, censura Alfonsi R. Sibylla furore correpta edebant miracula.*

11 *Clericus saltans, Diaboli socius, aut discipulus. Ita Chrysostomus censet. Vbi saltus*

*ſaltus laſciuus, vbi Diabolus. Saltationum auctor Cacodæmon. Piloſi ſaltant Iſaiæ* XIII. 21.

12 *Clericis prohibita Chorea. Mortis ſaltus admirandæ efficacitatis, vt Phrygius tibiarum cantus. Mortis ſaltus ſpondaicus: adfectus ſedat, grauitatem inducit.*

13 *Mors in Choreis impudicorum coryphæam agit & regiam ſuam ſaltatores ire compellit. Hinc in puncto ad inferna deſcenditur.*

---

Nobiles Clerici Moguntini
Inclyta Reipublicæ vtriuſque, Eccleſiaſticæ, ac Politicæ, longè, lateque per Germaniam ſparſæ, & vno iunctæ Capite
IOANNE SVICHARDO
Principe incomparabili, congregationis huius veſtræ Magno, lucentiſſimoque Sidere, Columina:

*Saltatio Cynædica.*
*Clem. Alex. lib. II. cap. 10.*
*Chryſ Hom. IIX in Gen*
*Lucianus in Saltatione.*

I. DETESTOR ſaltationem *Cynoedicam*, quam mutam turpitudinem Clemens Alexandrinus: flabella vitiorum, quibus incendium concupiſcentiæ accenditur, Chryſoſtomus appellat: Ego, adoleſcentiæ peſtem. In eâ dum ſaltatur Venus, artes diſcuntur Veneris, turpitudo exercetur Veneris. Et quis eſt, qui ſaltat, à quo non ſaltetur Venus? Nec enim iam amplius viget ſaltationum illud genus decorum, & magnificum, quod auctore Rheâ, vt Lucianus prodidit, in Phrygia Corybantes, in Cretà Curetes exercebant, quo motus, qui fiunt in armis exhibebantur, vt ſe mouere ex arte, & ſecundum numerum contra hoſtes progredi futuri milites addiſcerent: in quo ſaltu nihil erat eneruatum, nihil molle, ſicut in noſtri temporis choreis ad laſciuiam, & delitias inconceſſas comparatis.

Quæ, vt ex orbe Chriſtiano eliminentur, quippe vel à Cacodæmone, ex orco, vel à meretricio lenone ex lupanari inductæ, laborant multum iuuentutis magiſtri, & varia vt id perſuadeant, accumulant argumenta: ego efficaciſſimum vnum ſuggero, vt attenta conſideratione ſpectetur MORS SALTATRIX. Hac in aulam genialem ingrediente, diffugient illicò molles ſaltatriculæ, vel *Mortis choreas*, deiecto in terram vultu, attonitæ, ſuſpiciēt, magno ad morū commutationem fructu.

II Nec

II. Nec alienum videri debet à *Mortis* grauitate Saltvs. Hunc ille frequentat, vt mortalibus magis insultet, sibique magis de victoriâ adplaudat. *Calcantem* ergo *Mortem* dum audio, concipio etiam *Salientem* super cadauera, imò nondum cadauera, sed in fatalibus distentos lectis, & extremum trahentes spiritum. Quod facit etiam vt *Carnifex*. Nam & hunc saltando torquere posse discimus ex Iaponensium suppliciis. Apud hos superioribus annis, tortores immanissimi, tibiarum ossa, intra octogona ligna duo arctissimè constringentes, ingentem doloris sensum in Martyribus prouocarunt, quam, vt augerent, supra ligna ipsa, extensóque solo saltitarũt. Quo supplicio, duo supra triginta torti feruntur, & nõnulli iterum, ac tertiò, tantâ carnificum rabie, si quem constantem reperissent, vt aliquoties ligna illa, tametsi crassiora, sub calcantium, saltantiúmque pedibus in frusta dissilierint. Sed ita quotidie *Mors* saltitat, sub qua premuntur, & gemunt gigantes illi nominati à seculo.

*Saltus Mortis.*

*Nicol Trigaut. De Iapo. lib. IV, cap. 3.*

III. At me rapiunt aliæ *Mortis choreæ*, minus terribiles, haud minoris tamen vtilitatis, si non raptim, nec aliò diuagante oculo, morosius inspiciantur. Existimant *Symbolices* periti, Vitam humanam perbellè exprimi saltationibus illis, quæ cum facibus peraguntur, quarum in Italiæ multis locis tempore Hilariûm, aliisq; animorum remissioni & lusioni destinatis diebus, est vsus. Conueniunt plurimi omnis sexûs & conditionis homines sub vesperam in spaciosam, & his choreis adsignatam aulam: occupant circumquaque sedilia: quisque suo considet loco, ac ordine: fit murmur, post, silentiûm. Tandem vnus quispiam in medium præsilit, & ad citharæ, vel testudinis sonum, pedes numerosè mouens, choreas auspicatur faculam flammantem manu præferens. Postquam aliquantulum solus in se omnium vertit oculos, & artificiosè subsultauit, alteri tedam porrigit, & sedem quieturus occupat. Tum alter, lumine, vt prior illustris, & facem rotans, succedit præcedenti, & saltationem producit: posteà, & hic alii faculam in manus dat, & ad sessionem se recipit: idque in orbem continuatur, donec singuli choreas duxerint. Saltatione hoc ritu peracta, ac si omnibus cantaretur; *O beliam satis est*, disceditur.

*Chorea Mortis cotidiana.*

*Vita humana saltatio.*

Præclarum vitæ nostræ Symbolum, inquit elegans inter Italos Orator. Fax accensa est vita præsens. Quando in hanc lucem venimus ingredimur in hanc saltationum aulam accensâ cum faculâ.

*Gab. Inchi. Par. 1. de Nom.*

Oo Hic

Hic videas patrem aliquamdiu choreas ducentem, dum currit, proficiscitur, negociatur, in spaciosa huius mundi area: sed is paullò post tanquam fatigatus, tantâ concussione, quietem quærit, & inuenit in sepulchro: hæc illi sella. Prius tamen de manu tradit alteri faculam. Exilit filius, qui cùm & ipse aliquantisper choreas produxit, residet, & parenti in sepulcrali fossâ copulatur, dimittens tedam posteris. Succedunt nepotes, his idem peragrandus est orbis: donec tandem orbi & suus imminebit interitus: tunc exsurgent iterum omnes, & ad sua se conferent domicilia, quæ operum ædificatione extruxerint: ac qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui verò malum, in ignem æternum.

*Trasultor.* IV. INTERIM ducuntur *Choreæ*, quas ego non tam *Vitæ*, quam *Mortis* esse dixerim: siquidem à Præsultrice nomen iis imponendū est. Nam *Mors* in his funem ducit, vnâ manu facem gestans, sed extinctam, & inuersam: alterâ, mensuram arenariam, vt ad effluentis modulum glareæ, tempus cuiusque metiatur, & facessere iubeat. nec licet vltrà moras nectere. Discedunt sponte, vel coactè omnes, dum *Mors* imperat.

*Lucr.* *Et quasi cursores vitai lampada tradunt.*

vt scribit Physicus Poëta, de animantibus agens, quæ successione propagantur, vitâ per vices ab aliis in alia transfusa. Quæ conceptio videtur fuisse Platonis, qui lib. de legibus VI. scribit: Ciues oportere liberis generandis, atque educandis operam dare, vt vitam, quam ipsi à maioribus acceperunt, vicissim quasi tedam ardentem posteris tradant. *Plat. lib. VI. de legib.*

*In ludis traduntur faces.* Hinc inter ludos antiquissimos, est tedarum per saltum traditio Symbolica de qua Aristophanes in Ranis

Λαμπάδα δ' οὐδεὶς οἰός τε φέρειν
Υπ' ἀγυμνασίας ἔτι νῦν.
*Iam nemo queat gestare facem*
*Quod non curant exerceri*

vbi taxat ignauiam atque inertiam ciuium. Addit autem inibi Scholiastes in tribus certaminibus solitos fuisse veteres gestare faces, id est, vt illi dicebant, λαμπαδουχεῖν. in *Prometheis*, in *Vulcaniis*, & *Panathenaicis*,

*Prometheus ludi magister.* V. PVTATVR verò *Prometheus* primus hoc ludorum genus instituisse hunc in modum, vt currentes facem ardentem gestarent.

Eam

Eam defatigatus proximo in manum dat. Is item defessus alij, ac deinceps alius alij, successione tradebant inuicem: historiæ Prometheæ, quasi simulachrum repræsentantes, quemadmodum ferulam, quâ cœlestem ignem exceperat ne rursum extingueretur perpetuo motu iactarit in terram deuolans.

Sed ostendimus in *Theologiâ Fabulosâ*, *Prometheum*, sufflantem arundinem solis rotæ admotam, quo immitteret vitalis animam spiritus in terram ab ipsomet vndis fluuialibus mixtam quam: *Prometheus Dei imago profanus.*

*Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum*,

significare haud alium, quàm DEVM, formantem de limo terræ hominem, in cuius faciem vitæ spiraculum inspirarit. Hoc enim *fabulæ* illius est argumentum, vt homines cum facibus discurrentes, non sint alij, quam mortales vitali spiritu animati, in orbem euntes, saltantium ritu: vel longo se ordine consequentes, donec tandem *Mortis* regiam diuerso tempore singuli ingrediantur.

VI. VBI videre est *Mortem*, per singulorum capita, nouo saltu *choreas* cum suis asseclis ducentem, & mortalium vanitati illudentem. Quod saltationis genus, si exhiberent, qui in theatris saltandi artem ad populi mores corrumpendos, histrionum & mimorum nequitiâ deprauatam, venditant, non tam seuerè Christianis scenæ frequentiam prohiberent Patres: non tam acriter inueherentur in saltatores & saltatriculas: non tam acerbè reprehenderent, non solùm ludiones ipsos, sed & spectatores. Meritò. quid enim magis dedecorosum in Christiano, quam quod ne in Ethnico quidem primi ferebant Christiani. Tulissent autem illud in Ecclesiastico, qui vt probrum obiiciebant idolorum sacrificulis? *Mortis regia.*

Sedent, clamat Arnobius, cum indignatione, & exprobratione, sedent in spectaculis publicis sacerdotum omnium magistratuúmque collegia, Pontifices Maximi & Maximi Curiones: sedent quindecim-viri laureati, & Diales cum apicibus Flamines: sedent Augures, interpretes diuinæ mentis, & voluntatis: nec non & castæ Virginis, perpetui nutrices, & conseruatores ignis: sed & cunctus populus & senatus, consulatibus functi patres, Dijs proximi, atque augustissimi Reges: & quod nefarium esset auditu, gentis illa genitricis Martiæ regnatoris, & populi procreatrix amans saltatur Venus: & per affectus omnes meretriciæ vilitatis impudica exprimitur imitatione Bacchari. Saltatur & magna sacris compta cum infulis *Pontif. et Ethnici spectaculis dediti.*

mater:& contra deeus illa Pessinuntia Dyndimene in bubulci vnius amplexu flagitiosa fingitur appetitione gestire. Ita Arnobius, nec cum minori acrimonia reliqui Patres, Tertullianus, Clemens Alex. Cyprianus, Augustinus, Chrysostomus, Lactantius, Saluianus qui hoc argumentum tractarunt.

Quid si illi audiuissent inter Christianos, hominem sacris destinatum, officiis mancipatum diuinis, Ecclesiæ deseruientem, ab Ecclesiâ altum, Ecclesiæ titulis decoratum, non spectare modò dictis similia in theatris, sed & agere in nuptialibus conuiuiis: de eo dici, quod de præsultore quodam scribit Lucianus: *Ipse persaltauit Veneris & Martis adulterium: Solem sui tiui concubitûs proditorem: Vulcanum insidias mœchantibus machinantem, & vinculis vtrosque, & Martem & Venerem illaqueantem.* At hæc desierunt, dicis, Quasi verò fœdiora non fiant ab iis, qui in saltatorium campum progrediuntur, dum mimicis gesticulationibus, oculorum, labiorumq; iactu, ac totius corporis effœminatâ contorsione, tum osculis, & fœdo capitis flexu, turpissima, quæ honestè dici non possunt, exprimunt.

Luc. in Salt.

Lucianus profectò in dialogis meretriciis, satis putauit se descripsisse Thaidem, dicendo: *Thais saltauit*, nudatis in multum vsque talis. Et saltationem appellat ex Cratonis sentẽtia, rem friuolam, ac muliebrem prisci seculi, mulierculas amatorias imitantem, nempe libidinosissimas Phœdras, & Parthenopas, & Rhodopas. Quid si dicatur igitur, *Titius Clericus saltauit.* Sat dictum est: sapiens ex hac notâ, titulum formabit: quem ego Ordinis sacrati & vestri, *Patres conscripti*, reuerentiâ non exprimo.

Saltans meretricula.

VIII. Exprimeret haud dubiè, quo erat zelo, Basilius, si hic Ecclesiasticis morum præcepta daret, & vocaret, *insanum*, sic enim excipit Christianum quemlibet è plebe, cui aliquid tamen in hoc genere à legibus permittitur. *Cantus profanos exerces, inquit, oblitus psalmorum & hymnorum, quos didicisti. Moues pedes &* INSANVS *saltas, choreas ducis imprudens, cum genua ad Dei & Domini* N. IESV CHRISTI *cultum flectere oportebat.* Est sanè insaniæ quoddam genus *Saltatio* iudicio Alfonsi Aragonum, qui gentis cuiusdam viros leues esse dicebat: qui quo magis ætate prouecti essent, eo magis saltationis insania se oblectarent. Ita refert Anton. Panormita. & Æneas Sylu. Idem audiens Scipionem saltatione animum relaxasse *Saltatorem* ab insano nihil differre dixit, nisi quod hic dum saltat, ille autem dum viuit, insanus est.

Saltans Clericus.

Bas. Hom. XIV Insanus.

Anto. Panor. lib. de reb. gest. Alfo. Æneas Syl. de dict. Alf.

IX. Ex

IX. EXPRIMERET Fridericus Imperator, qui *Mulierosum* appellaret *Clericum*: solebat enim is dicere, Venationem esse exercitationem virilem: saltationem muliebrem: notans mollitiem quorundam, etiam Principum, qui cùm se Hercule fortiores esse iactitent, & Hannibalis scientiam militarem sibi ipsis adscribant, maiorem tamen vitæ partem Sardanapalum imitantes, in conuersatione nobilium matronarum, virginúmque aulicarum reperiuntur, ludẽtes, molliterque saltantes: vt obseruat Æneas Syluius. Sensit idem Plato. Nam cum Dionysius tyrannus Syracusanorum in conuiuio iussisset, vt singuli in veste purpureâ saltarent, id facere recusauit, his trimetris vsus  Clericus mulierosus saltans. Æne. Sylu. Com lib. IV. de Alf.

Οὐκ ἂν δυναίμην θῆλυν ἐνδῦναι στολὴν
Ἄῤῥην πεφυκὼς, καὶ γένους ἐξ ἄῤῥενος.
*Muliebri ego haud quaquam indui queam stola*
*Vir natus ipse: & ex virili germine.*

X. EXPRIMERET Rex Alfonsus, qui *Furiosum* nominaret istiusmodi *Clericum*. Is mulierem quandam impudentius saltantem cùm fortè aspexisset: Expectate, inquit, mox Sibylla edet oraculum: sentiens, non saltare impudenter quemquam nisi furiis actum: Sibyllæ enim non edebant oracula, nisi furore correptæ. Ita refert Panormitan.  Furiosus Clericus saltans. Panorm. lib. 1.

XI. EXPRIMERET seuerius Chrysostomus, qui *Diaboli* vel socium vel discipulum indigitaret. *Nam vbi saltus*, inquit, *lasciuus, ibi Diabolus certè est.* Non enim ad tripudia hæc nobis præbuit Deus: sed vt modestè incedamus: non vt impudenter, camelorum more, saliamus: nec enim solum fœminæ, sed etiam cameli turpiter saliunt: sed vt in Angelorum choris consistamus. Quod si corpus deforme fit impudenter saliendo, quanto magis animam fœdari credendum est. His tripudiis *Diabolus* saltat. His à Dœmonum ministris homines decipiuntur. Rectè sanè. Siquidem Dœmones primos fuisse magistros impudicarum saltationum haud dubito: & ipsos choreas ducere, vt alios alliciant ad omnem turpitudinem non malè colligitur ex illo Isaiæ cap. XIII. *Pilosi saltabunt ibi, & respondebunt ibi vlulæ in ædibus eius, & Syrenes in delubris voluptatis.*  Diaboli socius. Hom. XLIX. in Matth. Dæmon. s Magistri impudicarum saltationum. Isa XIII. 21.

XII. AB his ebriosorum fœdis delirationibus (nam sobrius nemo saltat) facilè sibi temperarent, non *Clerici* modò, quibus lege Ecclesiasticâ vetitæ sunt choreæ: verùm Christiani omnes: si MOR-  Clericis prohibita chorea. NOTÆ.

TEM SALTATRICEM animo suo frequenter obiicerent. Habet *Mortis* saltus virtutem, quam harmonicus concentus & tibiarum modulatio, qua furentes in libidinem petulcos adolescentes ad grauitatem reuocauit Pythagoras, vt Cicero, Quinctilianus, Boethius referunt. Conuenerant Taurominitani aliquot nepotuli, insano inflammati amore, cantu quoque Phrygio tibiarum, quo mollescere, ac diffluere solet animus, instincti: atque ita mulieris pudicæ domũ obsidebant: fit clamor, euocatur: illa ad libidinosissimorum adolescentum illecebras surda, domi clausa se continebat; minantur illi, faces ostentant, fores perfringere aggrediuntur, cùm Pythagoras, cõtemplationi siderum intentus, detestans petulantiam iuuenum, monet tibicinam, vt mutato modulo, spondæum canat. Quod cum illa faceret, tarditate concentûs & grauitate canentis furentem illorum insaniam compescuit. Est Mortis saltus omnis spondaicus, quo nihil reperiri potest ad efferuescentis turpitudinis saltatricis impetus sedandos & comprimendos efficacius.

*Cicero apud Boeth. lib. I. Musi. cap. 1. Quinct. lib. 11. cap. 10.*

*Mortis in choreis impudicor.*

XIII. AD idem plurimum valet, considerare, MORTEM in choreis quoque istis libidinosorum, præsultatricem agere, & ad manũ saltantes ducere; atq; ita sæpenumero in gyrũ agere saltatores leuiculos, vt momento secum illos abripiat, nunquam ad mortalium choreas redituros. Quot enim sunt, qui *tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad sonitum organi: ducuntque in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt?*

*Iob. XXI. 12. 13.*

Exempla id docebunt.



EXEM-

# EXEMPLA.

## MORS FVNESTA CHOREAS DVCENTIVM.

I. PRIMVM hic locum suo merito habet Saltatrix filia Herodiadis, de qua Nicephorus Callistus in Historia Ecclesiastica. Furibunda, adultera, incestáque adeò illa, quæ quidem Herodis habebatur, reuera autem Philippi erat coniunx, vita longius acta, quùm prius filiam & saltatricem acerbo fato sublatam vidisset, deinde ipsa quoque discessit futuri sæculi iudicio, & supplicio reseruata, meras ibi quam citissimè diuinæ fæces, intolerabilisque indignationis Domini calicem haustura. filiæ autem eius (dignus enim est, qui memoriæ commendetur) talis fuit obitus. Eundum ei quopiam brumali tempore erat, & fluuius traiiciendus, qui cum glacie constrictus coagmentatus esset, pedes eum transibat: glacie autem rupta, idque non sine Dei numine, demergitur illa statim capite tenus, molliusque se mouens saltat, non in terra, sed in vndis: caput vero scelestum frigore & glacie concretum, deinde etiam conuulneratum & à reliquo corpore, non ferro sed glaciei crustis resectum, in glacie ipsa saltationem lethalem exhibet: spectaculoque eo omnibus præbito, in memoriam ea, quæ fecerat spectantibus reuocat. *Filia Herodiadis. Niceph lib. I. Hist Eccl. cap. 20.*

*Mergere Saltatrix: mollis fuerat tibi vita:*
*Vndarum tibi* MORS *debita mollis erit.* *Bern. Bembus. lib. I. Epigram.*

II. SECVNDVM. Imperante Henrico II. anno salutis humanæ millesimo duodecimo, cum Rupertus Presbyter Ecclesiæ sancti Magni martyris in Saxonia primam in nocte Natiuitat. Domini Missam inchoasset, quidam Othertus laicus cum alijs viris quindecim & fœminis tribus choream ducens in cœmiterio, secularibusq; perstrepens cantilenis celebrantem non mediocriter distractum fecit. Quibus cum Sacerdos mandaret per æditūum, vt tacentes ab huiusmodi leuitatibus in nocte tam sancta desisterent, illique præcipienti non obtemperarent, commotus ille stans ad altare sacro sanctum *Othertus.*

ctum dixit: faciat Omnipotens Devs, vt per vnum annum totum sic saltantes manere vos oporteat. Mirabile dictu, quia temperantis vocem sequutus est illico effectus, ita per totius anni spatium saltabant sine intermissione die ac nocte, non edebant, absq; somno manebant, non pluuia super eos cecidit: non frigus, non labor eos non lassitudo affecit. Nulli, quantumlibet interroganti, quicquam loquebantur, vestimenta & calceamenta non trita. Et primo quidem vsque ad genua, deinde vsque ad femora, terræ sub pedibus conculcatæ videbantur immersi: filius quoque ipsius Sacerdotis cum sororem suam accepto brachio de medio saltantiam vellet cum violentia educere, brachium eius de corpore abstulit: illa autem quasi nihil passa nec doluit, nec emisit vocem, nec vna quidem gutta sanguinis distillauit, sed choream continuauit cum reliquis inceptam. Anno tandem euoluto sanctus Heribertus Archiepiscopus Coloniensis ad cœmeterium venit, & saltãtes à maledicto absoluit, introductosque in Ecclesiam Domino reconciliauit. E quibus fœminæ mox obierunt. virorum quidam in breui, qui etiam miraculis post mortem claruisse feruntur, quippe qui duram satis pœnitentiam egerint. Reliqui verò quibus viuere diutius licuit, tremore membrorum quid passi fuerint, ostenderunt: Ioann. Trithem. in Chron. Hirsaug. Alber. Cranz. lib. VI. Saxon. cap. 3. B. edembach. libr. I. collat. cap. 59. Genebrar. IV. Chron. anno 1012.

III. Tertivm. In villa quadam Brabantiæ (vt mihi frater Ordinis Prædicatorum narrauit) mulier procax & vana erat, quæ in omni festo choreas coniungere consueuerat. Et factum est, vt iuuenibus ad saltum iuxta choream ludentibus, vni eorum pilam ferire conanti, baculus de manu sambucalis euaderet, & dictam mulierem ducentem choream percussam in capite mox necaret. Hæc vt viderunt omnes confusi sunt, & corpus ad domum propriam detulerũt, & in feretro posuerunt. Presbytero autem cum clericis dicturo vigilias veniente, ecce taurus nigerrimus, imò dæmon pessimus, cum mugitu accurrens, feretrum cum corpore deiecit, cornibusque illud dissipans membratim confodit, ita vt visceribus hinc inde dispersis, fœtor intolerabilis spargeretur. fugientibus ergo cunctis, cadauer laceratum vsque in crastinum solum relinquitur, quousq; scilicet euaporato fœtore proximi eius intrare possent ad corpus, & sublatum extra cœmeterium sepelire. Thomas Cantipra. lib. II. Ap. cap. XLIX. p. 23.

IV. Quar-

QVARTVM. In Galliâ iuxta Laudunum, ſicut à Presbytero villæ percepimus. quidam choriſantes ſaltibus ſupra pontem diſrupto ſubito ponte fortiſſimo, in aquis validis totaliter ſunt ſubmerſi. Vidi & ego adhuc puer, in choreis procaciſſimam ſaltatricem, quæ me præſente poſt choreas inſolenter cum adultero luctabatur, & cum ceſſaſſet, ſubitanea morte percuſſa miſerabiliter expirauit. Thomas Cantipra. lib. II. cap. XLIX.

V. QVINTVM. Cum aliquando dies natalitius beati Petri Apoſtoli haudprocul Nouiomenſi oppido in vico quodam celebraretur, beatus Eligius illic ſuo more conſtantiſſimè prædicabat verbum Dei:] dicebatque profligandos & exterminandos eſſe cunctos dœmonum ludos, nefandas ſaltationes atque choreas, vanas quoque & impias ſuperſtitiones. Sed ea verba præcipui huius loci habitatores indigniſſimè ferebāt, quod legitimas, vt ipſi putabant, conſuetudines eorum abolere vellet. Tractarunt tum quidam impij inter ſe, præſertim è familia Erichouoaldi, qui erat palatio præfectus, de nece Sancto Eligio afferēdâ, ſi pergeret ipſorum nugas inſectari. Quod vbi ille comperit, martyrij incenſus deſiderio vno duntaxat Diacono, & duobus Clericis ſibi adiunctis, reliquis domi manere iuſſis, ocyus eo profectus eſt, & per medias turbas tranſiens, in edito quodam loco, ante baſilicam, maiori inſtantiâ prædicabat, acriter obiurgans illum, quod ſpretis ſalutaribus monitis vſqueadeo Dœmonum ludibriis dediti eſſent. In ijs verbis admodum commoti, conuicijs & contumelijs eum proſcindebant, mortem ei minantes, atque dicentes: Nunquam tu, Romane, licet crebro eas taxes, noſtras poteris abrogare conſuetudines: ſed eas nos mordicus retinebimus, nec vllus mortalium tollet nobis gratiſſimos ludos.

TVM ille nihil ſe proficere cernens rei indignitate permotus Dominum Ieſum toto pectore orauit, vt permitteret homines improbos, qui tam audacter contra eius præcepta venirent, & Dœmonibus petulanter obſequerētur, ab ijs ipſis obſideri: vt vel ſic cognoſcerent, quorum operibus delectarentur, & hominis fides propenſius laude & prædicatione ipſius Chriſti nomen efferret. Dixit, & confeſtim permulti ij præſertim qui manus ei inijcere moliebantur, à Dœmonibus arrepti multis modis debachari cœperunt. Ea re valde territi omnes, qui aderant, ad hominis DEI ſe veſtigia abijciebant, veriti, ne ſimilia paterentur: promittebantque ſe dictis eis omnibus audientes fore.

Ad quos vir beatus: Ne timueritis inquam, sed iustum Dei iudicium laudate. dignum est enim, vt qui eius iussa contemnunt, ad tempus illis traditi, quos amant, sentiant Magistros suos quos colunt. Vos autem si Christi præceptis libenter parere vultis, nihil timeatis hos latrunculos. Multis autem rogantibus, vt pro eis Dominum deprecaretur: Sinite, inquit, reipsa experiri illos, quibus hactenus morem gesserint. Atque ita illo anno vsque ad anniuersarium eius solennitatis diem, manserunt illi obsessi à dæmonibus. In ipsa autem solemnitate, iussit eos omnes exhiberi palam, porrigensque eis aquam benedictam, illico curauit illos. Erant sane homines amplius quinquaginta: cumque eos probe instituisset, & grauiter obiurgasset, sanos à se dimisit. In vita S. Eligij Episc. Nouiomensis lib. II. cap. 20. Surius I Decemb. ex Audeno Præsule Rothomagensi.

VI. Sextvm. Sæpenumero accidit, vt sponsi diuinũ matrimonij sacramentum, vti oportet, excolant, & ij, qui nuptias eorum celebrant, culparum nexibus sese illaqueent. Vnde in eos diuina prouenit vltio, cum Dei gratia sponsis affulgeat. Agebantur Qualenses in Lubica nuptię, aderatque frequentissima virorum mulierumque multitudo choreas ducens: ignis incognita origine domum inuadit perimuntur ab eo centum octoginta vtriusque sexus: soli sponsi nudi è lecto euasere incolumes. Vnde datus est prouerbio locus, Nuptiæ scilicet Qualenses. Albert. Cranz. libr. XII. VVandal. c. 14. Maiolus Coll. IV. Anno 1440.

VII. Septimvm. Ludouicus Marchio Misnensis, ab Halberstadensi ad Bambergensem, hinc ad Magdeburgensem Archiepiscopatum euectus, choreas & carmina non omisit: plus in eo valebat patrius mos, quam Christi religio. Ad dies carnispriuij vocauit ministerialium suorum puellas & matronas in oppidum Caluen, ipseque primus in prætorio spacioso choreis intereat fœminatũ restim ducens. Die Lunæ ad horam vesperam apparuit ignis in camera leuissimus, qui vel à puero restringui potuisset. Nemo occurrebat, sed ad gradus festinabant vniuersi tanta contentione, vt pondere victa domus, crepitu ingenti edito subsideret, & per scalas lapideas Archiepiscopus, manu tenens dominam, cum trecentis alijs rueret, & postera die moreretur. Ex reliquis tres soli periere. Cranzius libr. x. Metropol cap. 23. & lib. x. Saxoniæ cap. 5.

VIII. Octavvm. Sub Rudolpho I. cum Traiecti, iuuenes puellæ,

puellæ, viri & fœminæ choreas ducerent in ponte frequentes, & venerabile Christi Sacramentum deferretur, nec illi prosternerentur intenti vanitatibus, mox ponte decidente ducenti propè mortales perierunt. Cranz lib. VIII. Metrop. cap. 39.

IX. NONVM. Becatelli & Salæ sacro inter se certamine conflixerunt, Causam rixæ attulit Bartholomæus Becatellus à Hieronymo Sala, quem præire in ducenda chorea voluit, in facie sauciatus. Concursu ab vtrisque familijs illico facto, ac certamine inito, multi vtrinque occisi ac vulnerati sunt, maiorque nimirum subsequuta fuisset cædes, nisi Albertus prætor cum cohorte sua intercurrens sæuientem seditionis flammã compescuisset, ac Hieronymũ comprehensum in carcerem coniecisset, vbi eum tamdiu habuit, donec pace composita, in gratiam ipsę inter se familiæ redierunt. Carolus Sigonius lib. xx. de Reg. Ital. Anno M.CCLXIX. *Anno 1269*

X. DECIMVM. Marchia in Flandriæ atq; Brabantiæ districtu villa populosissima sita est, in qua dedicatio celebrata multos ad spectacula & ad lusum traxerat. Inter quos vt à Magistro Guilhelmo, bono & litterato presbytero, & de eisdem partibus nato, percepimus: quidam tibicen erat, qui Chorisantes Iuuenes & puellas saltationibus & gesticulationibus suis ad carmina obscœna & turpia concitabat. Hinc cœlo nubibus circa vesperas obscuraro, quiquo ad propria redierunt. Solo autem tibicine nondum lusibus satiato, per viam ad solita remeante, ac canente tibia, & saltante, & posteriorum sonitibus turpiter insonante, duo pueri pastores vbi coruscationes & tonitrua imminere viderunt, ad dumeta fugerunt, & eis videntibus in tibicinem fulmen cecidit, & extinxit, & eius brachium amputauit. Nec mora viderunt pueri, quod duo nigerrimi canes ex insperato venerant, & inter se pendulum extincti brachium deportarunt. Hæc post tonitrua nunciantibus pueris amici venerunt, & cadauer mortui ad propria detulerunt. Mane autem dicente presbytero, quia in atrio fidelium sepeliendus non esset, responderunt amici: Etsi extinctus sit tonitruo, tamen ad dedicationem ecclesiæ peregrinus cum alijs occurrit. Permisit ergo presbyter, etsi dolens, vt in atrio sit sepultus; Et vide rectitudinem, diuini iudicij. Mane facto sepulchrum patens inuentum est, & loculus in quo iacuerat, vacuus, & eiectus.

Cadauer verò, vt optimè credi potest, sicut & brachium, à Dæmonibus asportatum est. Nota, ergo lector, quod tali vindictâ digni sint, etsi eos, patiente DEO, tales semper casus nō puniant, qui turpibus ludis & cantibus sacra fidelium atria & ecclesiam inhonorant. Thó. Cantiprat. lib. II. Apum. cap LVII.

Vis videre MORTEM ipsam tripudiantem? finge te cernere, quod Rex Scotorum oculis vsurpasse suis à fide dignis auctoribus scribitur. ALEXANDER III. Scotorum Rex senex, quum tertio vxorem sibi desponderet Druydum Comitis filiam, & noctu festum celebraretur, vidit cum aulica familia mortuum in fine choreæ carnibus exutum saltantem. Quod cum Rex cæterique animaduerterent, attoniti primum subsistere: deinde omen auersati, non solum tunc, sed & in posterum dimiserunt nuptiales iocos. Nec inaniter hoc visum: nam eodem anno rex insidens equo impotenti excussus & occisus est. Inde etiam clades & seditiones ortæ, quæ florentissimum alioqui regnum euerterunt. Sub annum Domini millesimum ducentesimum quinquagesimum hæc contigerunt. Hector Boethius in Scoticis Annal. Renatus Choppinus de sacra politia lib. III. Tit. 7.

Et quia diximus, Dœmones obscænarum saltationum esse Magistros, spectare te velim, quam artificiosè hoc magisterium exerceant. Quod refero, accepi à generoso viro Gosuuino Domino de Velpia. Habebat ille, vt mihi retulit, famulum quendam nocturnæ custodiæ deputatum: qui obscænus nimis & lubricus, congregationes puellarum ac iuuenū, tibia canens & fistulis, faciebat. Hic semel vespere cū tibia caneret, & gesticulationib. & saltibus concreparet, vidit dictus miles manifestissimè dœmonem cornutum, villosum vibrantibus & igneis oculis ante tibicinem saltare, & secundum motum illius motibus diuersimodis congaudere. Hoc igitur cum seruo Dominus intimasset, & ille nollet desistere à damnabili ludo, & maxime in prouocatione in obscœnis carminib. puellarū dimisit eum ac repulit. Ille verò post paucos dies reproba morte percussus vitam miseram terminauit. Thomas Cantipratensis lib. II. Apum cap. XLIX. part. 21.

NOTÆ

# NOTÆ

## AD COMMENTATIONEM XXI.

# *MORS*

# SALTATRIX.

§. I. SAltatio Cynædica.] *Saltatio ad bellicos vsus primitùs adhibita. Lucianus de Saltat.* Hæc saltatio ab armatis desaltabatur, gladios ad scuta collidentibus, ac bellicum quiddam, & attonitum saltantibus. *Inde* Salij *Martis flamines à saltando dicti, quod Martem saltarent grauissimè & religiosissimè inquit Lucianus. Et quod in saltu ad præliandum se pararent, cùm prælium cantu & saltatione iniretur. vt docet Clemens Alexandrin cap.* IV. *Pædag. de Hetruscis, Arcadibus, Siculis, Cretensibus. Athenæus lib.* XII. *cap. 4. de Lydis. Lucianus de Lacedæmonijs & AEthiopibus. Tacitus lib.* IV. *Annalium de Thracibus: & lib.* II. *Histor. de Germanis. Silius de Hispanis: Diodorus Siculus de Lusitanis. Strabo lib.* VII. *& Plinius lib.* XXVI. *cap. 4. de Cimbris, & Theutonibus, Petronius de Persis. Auctorum verba exscripsit fideliter Martinus Roa lib.* III. *Singularium cap. 16. vbi etiam monet, sancta & religiosa saltationis initia prolapsam in omnem turpitudinem licentiam posterioris seculi violasse, & virilem illam, atque robustam seueritatem, Martiúmque vigorem animorum infregisse. Hinc factum, vt saltatio, quæ primum in horrore, postremò in delitijs haberi cœpta sit, Martem Veneri conciliarit: Nunc pro Marte, non Mars, sed Venus illa saltetur, aut quæ Venerem imitantur.*

*§ VI. Saltatores scenicos, & mimicos, eorúmque spectatores damnant Patres, quorum extant acerbissimæ reprehensiones. Consulendus Tertullianus in Apolog. cap.* XV. *&* XXXVIII. *ac lib. de spectaculis. Clemens Alex. lib.* III. *Pædag. Augustinus lib.* II. *de Ciuit. ca. 3. Chrysostomus in Homil. de Dauid. Lactantius libr.* VI *Instit. cap. 20. Saluianus lib.* VI. *de Prouidentia. Quorum longissimas inuectiuas & cohortationes habet Ioannes Mariana Opusculo de spectaculis cap.* XII. *quo disputat. Quid veteres Patres de ludis scenicis senserint. Quibus adde quod in hac materiâ Prudentius in Rom. canit.*

*Cygnus stupratq; peccat inter pulpita:*
*Saltat tonantem tauricornem Lydius:*
*Spectator horum Pontifex summus, sedes.*
*Ridésque, & ipse nec negandum d lus:*
*Cum fama tanti polluatur Numinis.*
*Cur tu sacrate per cachinnos solueris,*
*Cum te maritum fingit Alchmena DEVS*
*Meretrix Adonin vulneratum scenica*
*Libidinose plangit adfectu palam.*
*Nec te Lupanar Cypridis sancta mouet.*

*Seuerus etiã est in hac re Craton apud Lucianum non ferens ingenuum hominem mimicis saltationibus se oblectare.* Sedere, *inquit, sustineas in theatro, omnium posticas sannas excipiens, & hominem effæminatum spectans, mollibus vestimentis indutum, ac cantilenis lasciuis & turpibus perstrepentem: tum prisci seculi mulierculas amatorias imitantem? nempe, libidinosissimas Phædras, & Parthenopas, & Rhodopas: & hæc omnia cum pulsationibus, & lasciuis, & obscænis carminibus, & pedum strepitu.*

*§. VIII. IX. X. XI.* Clericus saltans.] *Fœda compellatio, & persona DEO Diuinísque consecrata probrosa, quam vt auersentur Clerici, præcipiũt Canones. Innocentius III. in Concilio generali cap.* XIV. *& refertur in Decretal. Tit. de vitâ & honestate Clericorum c. Clerici officia ita sancit.* Mimis, ioculatoribus, & histrionibus non intendant Clerici. *Et Bonifacius VIII. in VI. Decretalium hunc in modum:* Clerici, qui clericalis ordinis dignitati, non modicum detrahentes, se ioculatores, seu goliardos faciunt, aut bufones, si per annum artem illam ignominiosam exercuerint, ipso iure: si autem tempore breuiori, & tertiò moniti non resipuerint, careant omni priuilegio clericali.

*Concilium Laodicense cap.* LIX. *apud Gratianũ de Consecratio. Dist. V. C.* Non oportet, *ita habet.* Non oportet ministros altaris, vel quoslibet Clericos, spectaculis aliquibus, quę aut in nuptijs aut scenis exhibẽtur, interesse; sed antequã thymelici ingrediantur, surgere eos & abire. *Thymelici, ne hoc ignores, cantu, fidibus, aut saltu alijsque motibus in scena vel extra fabulæ subseruiebant. De his frequens est mentio in LL. Impe. Cod. Theodos. de scenicis.*

*Pius V. Pont. Max. in Constitutione An. M. DLXVI. sub grauissimâ pœna vetuit, ne Clerici choreas, comœdias, fabulas, hastiludia, aut profanũ vllum spectaculi genus agerent, vel spectarẽt.*

*De Choreis, quatenus licitæ, disputant in Summulis Theologi Morales, & Ioannes Busæus in Panario, vbi monet: Etiamsi Doctores quidam non improbent Choreas moderatas in nuptijs honestis, alijsque priuatis amicorum conuentibus institutas, tamen securius*

*turius esse in totum ab illis abstinere, non solum Clericis & Religiosis, quibus lege Ecclesiastica vetitæ sunt C. Presbyteri Distinct.* XXXIV. *ex Conc. Laod. C.29. sed etiam secularibus: quia nunquam tam moderatæ esse posse videntur moraliter, vt omnes occasiones, & pericula delinquendi absint.*

*De quinque modis antiquæ Musicæ*, Dorico, Phrygio, Æolio, Iastio, *siue* Asio, *siue* Ionico, & Lydio *lege Cassiodorum lib.* II. *Epist.* II. *& Apuleium libr.* I. *Florid. ex quibus, quam vim concitandi affectus habuerint, disces.*

# COMMENTATIO XXII.

## MORS VINITOR.

*Calcet super eum, quasi Rex Interitus.*

Iob. XVIII. 14.

### BREVIARIVM.

1 *Vinitor calcat botros: Mors homines. Mundus, Plantarium, Hortus, Vinea. Mors, Agricola, Hortulanus, Vinitor.*

2 *Mortis falce opus ad metendum, & putandum, ne nimium luxurient in magnâ Mundi vineâ palmites animati.*

3 *Mundus, Dei vinetum. Vt ficui discissio: amigdalo ictus pax illo adactus: arboribus alijs ramorum diminutio, ita viti putatio prodest. Hanc Mors exequitur: cui semper Auctumnus.*

4. *Peccatum caussa calcationis. Christus calcans torcular, russetâ veste Isa.* LXIII. *Vinitor vuarum sanguine aspergitur.*

5 *Torcular grauissimum supplicium. In eo Vuæ, homines, quorum innumeri à Morte calcantur.*

6 *Torcular calcat Dominus Threnorum* I. *tormentis inimicos necans. Torculator nihil relinquit inculcatum: Mors nihil inexpressum.*

7 *Grandiores Vuæ calcantur citius, & facilius: metuant sibi diuites, ac potentes.*

*Non*

*Non sibi, sed Morti faciunt multi aqualiculum.*

8 *Post Mortis vindemiam, nullus botrus residuus. Post Messem generalem nulla spica. Angelus vindemians vineam terræ quis? Apocalyp XIV. 14.*

9 *Mors vitæ filum incidit. Falciger Angelus. Mors vera, corporalis, temporanea, æterna: Mors figurata & Symbolica: vtraque putat, & metit.*

10 *Botri, Symbolum Improborum: Spica, & Messis, Electorum.*

11 *Lacus iræ Dei, supplicij locus. In eo Mors calcat impios, quà Vinitor. Eadem bonos resecat, quà Messor.*

12 *Botri dispares sunt succi. Mors diuersum succum è bonis, malisque exprimit.*

13 *Improbi, vuæ acerbæ: labrusca: Botri insani: Vuæ putres, fœtentes: Vuæ fellis. Quid mirum, prosilire ex calcatis peccatoribus vinum felleum?*

14 *Iustus, Vua edulis. Botrus vitis theriacæ. Botrus Cypri. Ex ijs Mors exprimit vinum Deo gratum.*

15 *Calix Dei præclarus spumat sanguine Vuæ dulcissimæ. Quæ illa? Christus. Botrus Palæstinæ: vinea Engaddi: vinea Sorek.*

16 *Calix inebrians sanguine Martyrum plenus. Sed prius sanguine Christi. Hoc dementatus in craticula Laurentius.*

17 *Calix Mortis vitalis, fœces purgat, lætificat, calefacit.*

18 *Calix Salutaris, bibendus, exhauriendus. Bibit, qui patitur pro Christo.*

19 *Nemo horreat calcari à Morte. Fructuosa est Mortis conculcatio. Quid turbaris ad Mortis Vinitoris aduentum? Vinum habeto: Vua factus es, vt conculceris.*

---

## Admodum RRi. Prænobiles, Gratiosi, Spectatissimique Domini SODALES.

*Vinitor calcat botros.* CALCANTIS schema, est VINITORIS, qui è botris succũ omnẽ hoc gestu exprimit Quocirca licet MORTEM, vt VINITOREM concipere, qui pede in hominis pectore posito, vitalem omnem humorem violenter extorquet. Sed prius putat vineam *falce*, quæ proprium est *Mortis* instrumentum: eodem botros colligit. Exornemus aliquantulum hoc Symbolum.

*Mundus Plantarium.* I. Qui cladium publicarum fines solerter inuestigant, Vniuersum hoc, vel vt Plantarium arbusculis consitum; vel vt Hortum amœnissimum, omni herbularum, & florum copiâ refertum; vel vt Vineam, vitibus ad omnem elegantiam consitam considerant, ad quorum conseruationem, & cultum, cùm necessariũ sit, exscindere, circum-

circumcidere, euellere, amputare: concipiunt DEVM, vt vniuersitatis Dñm, vti MORTE tanquam *Agricolâ, Hortulano, Vinitore;* quę, tũ per se gnauiter, tũ per sibi dedititissimas operas, FAMEM, PESTEM, BELLVM luxuriãtia aufert, superuacanea auellit, marcida reijcit, vetera demetit, infructuosa eruncinat, minus ad speciem pulchra excaudicat.

II. Hanc contemplationem, constantiâ munire pectus existimat Constantiæ encomiastes, qui detorta nonnihil hac ipsa allegoriâ: DEVS, inquit, *qui sapienter hæc omnia condidit, & disposuit, ita condidit, vt singula certo numero, augmento pondere definiret. Nec modum eum generi cuique excedere fas, sine inclinatione omnium aut ruina. Ita magnis illis corporibus sui termini, cœlo, mari, terræ: ita animantium cuique sæclo descriptus numerus: itémque hominibus, oppidis, regnis. Excedere ea volunt? turbo igitur cladium aliquis atterat necessum est, & tempestas. Nam aliter, noceant, lædántque pulcherrimum hoc opus vniuersi.* Finis cladiũ publicarum. NOTÆ.

*Atqui excedere volunt sæpè, præsertim ea, quibus data lex gignendi crescendíque. Homines ecce vide quis neget densius per naturam nos nasci; quàm per eandem mori? adeò, vt duo aliqui homines ex suo cœtu, centena capita paucis annis producant: non occidunt ex ijs dena, aut vicena. Gregem pecudum crescat immensum, nisi pecuarij quotannis secernant aliquas & eligant ad macellum. Aues & pisces aëra siue aquas breui impleant, nisi dissidia quædam & velut bella inter ipsa sint, itémque insidiæ ab humana gente. Opida, aut vrbes. Struit & ædificat sua quæque ætas, & nisi incendia intercueniant, aut ruinæ, vix ceperit ea noster, & alter orbis. Et licet in cogitatione simili perambules naturam hanc rerum.* Vniuersi temperamentum.

*Quid ergo mirum, si Saturnus ille pater falcem interdum omittit in luxuriantem hunc agrum & superflua aliquot millia peste demittit aut bello? Nisi faceret: quænam regio capiendis nobis sit? quæ tellus alendis?*

III. Non fuit tantùm DEI rus & eius Vinea, domus Israel: licet illa singulariter facta fuerit *in cornu filio olei:* sed est *Ager* & *Vinetum* eiusdem *Mundus,* quem plantauit, conseuit, ornauit cœlestis Pater-familias, cum *dixit,* & *facta sunt: mandauit & creata sunt.* In hac vites luxuriare solent, ideóque earũ rami, qui vt brachia diffunduntur; putatione continuâ sunt macerandi: sarmenta superflua sunt præcidenda, pampini nimis procurentes amputandi. Quod ad fructũ etiam vberiorem facit. Vt enim obseruát Theophrastus: Vitis, quæ ritè putatur, melius germen, & fructum adfert: sicut & arbores aliæ. Hoc Mundus Dei Vinetum. Isa. V. 1. Psal XXXII. 9. NOTÆ.

fine, ficui discissio, amygdalo ictus paxillo adactus, aliis ramorum dissipatio, & diminutio adhibetur. Facit hoc in animato generis humani arboreto, ac vineâ, *Mors*, cui quodlibet tempus est putationis: imò & collectionis, ac vindemiæ.

*Mortis autumnus.*

Semper *Morti* est Auctumnus: semper oliuitas; nunquam non augentur eius opes; quia cotidie Botros accumulat, & torcular implet, in quo homines premit assiduè, vt vuas *Vinitor*, donec succum omnem vitalem exprimat, tunc cadauer relinquitur, vt folliculus, vuæ corium:

*Peccatum caussa calcationis.*

IV. Habet hoc *Symbolum* minimè spernendas vtilitates. Nam dum *Mortem* vt *Vinitorem*, calcantem homines considero, redit mihi in memoriam, mortalitatis caussa, quæ non alia, quàm peccatum. Huius merito dati sumus in conculcationem. *Mors* exequutrix est diuinæ Iustitiæ. Illi mandatum est, vt acerbum, & commune, ob patratum scelus, sumat de mortalibus omnibus supplicium. Hoc enim est, in Symbolicâ diuinâ, *Calcari in torculari*.

*Christus calcans torcular.*

ITA CHRISTVS Triumphator, quærentibus: Quis esset, qui tam gloriosus incederet in stolâ suâ, veniens de Edom: & cur tinctis vestibus de Bosrâ? Isaiæ LXIII. Respondet, se iustitiæ ac fidelitatis custodem, vindicémque salutis esse, stolam autem Triumphatoris russatam videri, quod sanguinem imbibisset, hostium acie deuictorum, quos non secus, ac *Vinitor* vuas in torculari, conculcasset: *Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum*. Ac si dicat; sanguis quo paludamentum rubet, est illorum, quos, licet plurimos, solus ego pede conculcaui. Qui in torculari acinos calcant, musto asperguntur: id mihi contigit. *Vinitor* vuarum sanguine, ego hostium purpuratus incedo. Obseruatio est D. Thomæ, Hugonis, Rabani, & his antiquioris Theodoreti.

*Isa. LXIII*

*Torcular grauissimum supplicium*

*Gasp Sanct.*

*Isai LXIII.*

*Deut. XXXII 14.*

*Ps. LXVII.*

*Gen. XLIX. 11.*

V. QVI addit sæpè in Scripturâ, grauissimum suppliciũ cum *Torculari* comparari. Quod confirmat eruditè Gaspar Sanctius, monens: in vestimentis tinctis abundantiam indicari: vti Deuteronom. XXXIII *Tinget in oleo pedem suum*. & Ps LXVII. *Vt intingatur pes tuus in sanguine*. & Gen. XLIX. *Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ vestimentum suum* Itaque significatur plurimos hostium trucidandos, vt tantum sanguinis exprimatur. Sed nec illud omittendum, *Torcular* per metonymiam, pro vuis poni, sicut area, pro frumento; cella, pro vino figuratè sumitur. At fuit-ne post orbem conditum quispiam,

*NOTÆ.*

qui

qui, si CHRISTVM Dominum excipias, qui etiam Mortem calcauit, plures deuicerit, & pedibus subiecerit, quam MORS? vt verè vsurpare possit: *Torcular calcaui* Sola. Sola illa calcauit numerosissimos exercitus, frequentissimas vrbes, populosissima imperia. Hoc enim debebatur grauissimis generis nostri sceleribus.

*Thren. 1. 15. Regnum virgo.*

VI. AD eundem sensum ducit illud Threnorum 1. *Torcular calcauit Dominus virgini filiæ Iuda.* Quo loco, populus Iudaicus, non sine Symbolicâ allusione, vocatur filia & virgo: quia Regnum, vt inquit Emanuel Sà, solet more virginis custodiri: & dicit, Dominũ, tanquã vindicem huic filiæ, id est, in damnum & exitium illius, calcaturum torcular: id est, acerbissimo supplicij genere afflicturum.

*NOTÆ.*

*Calcans torcular nihil relinquit inculcatum. Delr Thre. 1: 15.*

Sed obseruat percommodè ex Theodoreto Delrius, quod nõ parum ad *Symboli* declarationem facit, ductam esse metaphoram adagialem ab vuas calcantibus in torculari, qui nec vnum acinum relinquunt inconculcatum, & inexpressum. Id verissimũ est, si *Morti* accommodes. Qui sunt, erunt, fuerunt, omnes, omnes, conculcabuntur. Nemo hîc est eximius: vt communis omnium est culpa: ita communis erit conculcatio.

*Pinguiores Vuæ citius calcantur.*

VII. ADDE, quo grandiores, pinguiores, ésque sunt vuæ, eo facilius calcantur, quo minutiores, & exsucciores, eo difficilius: & primum impetum sustinent, illæ tumidæ; postremum, istæ exiles. Magis sibi metuant, qui benè curatâ cuticulâ obesi, quàm qui succo fortunarum destituti, tenues, & macri inter mortales agunt. Citius abripiuntur, & crudelius calcantur, qui plus humoris continent. Plebei, pauperes, rustici diutissimè vitam extendunt: breuissimè finiũt, qui, longissimè propagare vellent, nobiles, opulenti, Principes. Sed tandem calcantur omnes. Nihil inculcatum relinquit Vinitor. Sed & succi nihil relinquit. Quid tantoperè aurum, argentúmque accumulas? Quid tantâ sanitatis, & tam superfluâ curâ, qui optimi sunt succi cibos seligis, & tã superstitiosè ad singulos penè bolos Medicũ interrogas? Non tibi, sed *Morti* farcis aqualiculũ. Quo plus ingesseris, plus exiget: ni ante profuderis, exprimet. Tenuior si fueris, minus aduersario cedet: nec tantoperè in torculari triumphabit.

*Post vindemiam botri residui.*

VII. AT, vt in messe relinqui solent spicæ, & in vndemiâ botri aliquot, qui vel colligentium industriam fallunt, vel sponte relinquuntur, pauperibus ac viantibus solatium: ita fortasse erunt, qui *Mortis*, siue metentis, siue vindemiantis manus oculósque effugient.

Non metuas, vel tibi non blandiaris. Haud eueniet, quod fingis, vel fieri posse, quamuis dubitanter, insinuas. Post generis humani messem generalem, post vniuersalem vindemiationem, nec granũ erit, quod non triturabitur, nec acinus qui à *Morte* non colligetur, & calcabitur. Audi veridicum Prophetam, qui de vltima illâ & decretoriâ vindemiatione vaticinatur. *Vidi, & ecce nubem candidam, & super nubem sedentem similem Filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, & in manu suâ* falcem *acutam. Et alius Angelus exiuit de templo, clamans voce magnâ ad sedentem super nubẽ. Mitte* falcem *tuam, & mete: quia venit hora vt metatur, quia aruit messis terræ. Et misit, qui sedebat super nubem* falcem *suam in terram: & demessa est terra. Et alius Angelus exiuit de templo, quod est in cælo, habens & ipse* falcem *acutam. Et alius Angelus exiuit de altari, qui habebat potestatem supra ignem, & clamauit voce magna ad eum, qui habebat* falcem *acutam, dicens: Mitte* falcem *tuam acutam,* & vindemia *botros vineæ terræ, quoniam maturæ sunt vuæ eius. Et misit Angelus* falcem *suam acutam in terram, &* VINDEMIAVIT VINEAM TERRÆ: *& misit in lacum iræ DEI magnum. Et calcatus est lacus extra ciuitatem, & exiuit sanguis de lacu vsque ad frenos equorum per stadia mille sexcenta.*

*Apoc. XIV. 14.*

*Vitæ incisor Mors.*

IX. Bellissima Symbola, in quorum declaratione sudant Interpretes, diuisi opinionibus: Sed in eo consentiunt omnes: Metentis, ac Vindemiantis imagine significari, vitæ incisorem. Quis autem vitam, nisi MORS incîdit? Sed *Mortem* alij intelligunt, illam corpoream, temporalem, vel æternam, seu absq; tropo, veram: qui ad consummationem seculi visionem referunt: ex antiquis D. Gregorius, Primasius, Beda, Haymo, Ansbertus, Pannonius: è iunioribus Ribera, Maldonatus, Viegas. Alij *Mortem* figuratam, seu Symbolicam, quam in conuersione Gentilium Apostoli intulerint. Hæc *Mors* est vitiorum, adfectuum, cupiditatum: cuius *Falx* est *Verbum* DEI. Ita Ludouicus Alcasarius, qui, vt mysticam messem agnoscit, ita typicam vindemiam, seu vindemiationem probat: typicam dico, quæ beneficij sit, non vindictæ: id est, quæ Martyres respiciat, quos vindemiauerit falciger Angelus. Verum qui Videmiationem iræ diuinæ esse existimant, insinuant quidpiam, quod ad *Symboli* nostri exornationem confert; ex quo vniuersale quoddam in omnem segetem, & vineam ius *Mortis* sancitur.

*S. Greg. lib. XXXII. Mor. cap. 14. Maldo. Mat. XIX. 28.*

*Lud. Alcasar. Apoc 14.*

X. Quærunt enim, cùm iam terra demessa esset *Mortis* falce, id est, homines *Morte* consumpti, quomodo Angelus vindemiare iubeat

*Botri Symbolum Improborum.*

beat botros vineæ? Respondet Ambrosius: per *Messem* terræ, *Electos*: per *Botros*, ex quibus vinum oritur, quod mentes hominum alienat *Reprobos* designari: idem habet Andreas, nominatus Apocalypsis enarrator: rationem dat, quod iniqui calicem indignationis Dei impleant. Confirmat id Ambrosius, quia *Botri* vineæ terræ in lacum iræ Dei magnum missi dicuntur. Quod comprobat Ribera, & roborat vaticinio Ioëlis, ad quod respexisse Ioannem demonstrat Alcasarius: *Mittite*, inquit Ioel, *falces, quoniã maturauit messis Venite, & descendite, quia plenum est torcular:* exuberant *torcularia, quia plena est malitia eorum.* Quo loco nominat Propheta, *Messem* & *Torcularia*: de messe nihil mali dicit: torcularibus malitiam adiungit, vt pœnas improborum innueret. Præterea *Messis*, ac *Metere* bonorum sunt *Symbola* Matth. IX. 37. *Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.* Ioan. IV. 35. *Videte regiones, quia albæ iam sunt ad messem.* Quo spectat triticum congregatum in horreum, Matth. III. & XIII. Vindemiare autem & conculcatio vuarum in torculari, punitionẽ denotat, & supplicium. Psal. LXXIX. *Vt quid destruxisti maceriam eius, & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam* Threnorum I. 12. *Vindemiauit me, vt loquutus est Dominus in die iræ furoris sui.* Et iterum: *Vindemia eos, sicut vindemiasti me.* Capite secundo: *Vide Domine & considera, quem vindemiaueris.* Isa. XVI. *Super vindemiam tuam, & super messem tuam vox calcantium irruit.* significatur vindicta, de Idumæis sumenda. Et cap. XXXII. *Conturbamini confidentes, consummata est enim vindemia: plangite.*

Notæ. — Ioel. III. — Messis in bonum sumitur. — Matth. III. — Ps. LXXIX. 13. — Thren. I. 12. 22 — Thren. II 20. — Isa. XVI. 9. — Is. XXXII. 10

XI. Neque absque caussâ *Botri* dicuntur missi in lacum. *Lacus* hic, Græcè ληνὸν idem est, quod *torcular:* quomodo exprimitur cap. XIX. Lacus Dei, inquit Andreas, est, qui Diabolo, & Angelis eius paratus est supplicii locus: magnus autem, propter multitudinem eorum, qui in illo torquentur.

Lacus Torcular. — Cap. XIX 15. — Hispan. el lagar.

Mors igitur, & vt *Messor*, bonos resecabit: & vt Vinitor, calcabit impios: ne quis se à falce *Mortis* subductum iri existimet. Quamuis *Vinitoris* etiam forma ad bonos referri possit, & nihilominus punitionis habere significationem: cùm ex hac vita nemo auferatur, nemo in torculari iræ Dei calcetur, nisi quia puniri ob peccatum, tum commune generis humani, tum peculiare, ac proprium commeruit.

Mors Messor. — Vinitor.

XII. Porro, quemadmodum ex diuersi generis *Botris*, va-

*Botri dispares fugi.* uium, pro qualitate vuarum vinum exprimitur. Alius est succus vuæ duracinæ, alius apianæ, alius Corinthiacæ: non dat idem vinum labrusca, quod matura: aliud profūdit miscella, aliud dulcis, aliud austera. Hinc tanta vinorum diuersitas: non enim omne vinum generosi titulo gaudet: sunt multa ignobilia, sunt pendula, sunt acescentia subitò, sunt ingrata palato: sunt alia sapidissima, Setina, Chia, Cretica. Sunt fragrantia, odorata, lenia, aspera, alba, rubra. Haud secus *Mors*, quamuis omnes æquè calcet in torculari, diuerso tamen succo, labrum, indéque calices, implet.

*Improbi quales sint vuæ. Isa. V. 2. NOTÆ.* XIII. Et Improbi, sunt veluti vuæ acerbæ, immaturæ, marcidæ, quæ ab Isaiâ *Labruscæ* dicuntur: *Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas*: Symmachus ἀτελῆ, id est, *imperfectas* vertit: quales sunt illius vitis, quam *Insanam* vocat Plinius, quæ trifero prouentu, eo tamen ad nullum vsum idoneo luxuriat, in quo eodem tempore alia maturescunt, alia turgent, alia florent, sed nihil vtile: ostentant enim fructum potius, quàm porrigunt. Ita *Hypocritæ*, vani, vagique homines, licet verbis, & exterioribus officijs luxurient, ac fructum multiplicem ostentent, vero tamen carent. Aquila vuas pessimas & putres intelligit, σαπρίας vertens: Sunt enim quædam vites, quæ fructum recens productum putrefaciunt, priusquam racemi connutriantur, & maturescant, vt ex Casio scribit Varro. Putrescunt improbi vix ex vtero ignorantiæ egressi, quam primum ad rationis vsum peruenerint, & nūquam non sunt putridi. In Hebræo est: *fœtentes*. Quæ Deuteronomij XXXII. vocantur *Vuæ fellis* & *Botrus amarissimus*. Quid mirū ex his exprimi à *Morte* vinum felleum, acidum, mucidum, fœtens, ac detestabile, quod nauseam DEO ingeneret: vt non immeritò, *Mors* peccatorum dicatur pessima. Olympiodorus. *Omnia peccata* (nempe, peccatores peccatis obsitos) DEVS, *simul collegit* (per suum *Vinitorem*, *Mortem*, quasi botros post vindemiam, in torcular coniectos) *quibus calcatis fecit vinum*, de quo Psalmo LXXIV. Calix in manu Domini vini meri: *id est, iræ; examinata namque peccata:* id est, velut sanguis ex peccatore expressus, *diuinam distillant iram, quâ potantur peccatores.*

*Plin. lib XVI cap. 27.*

*Var. lib. 5. cap. 39.*

*Deu XXXII 32.*

*Ex peccatoribus vinum felleum.*

*Olympiodorus in catena.*

*Iustus qualis vua.* XIV. E contrario, Iustus est instar *Vuæ* edulis, succi optimi, & super omnem Liberi florē suauissimi. Symbolum illius est *Botrus* vitis theriacæ, à veteribus celebratæ, cuius fructus valebat contra noxios morsus bestiarum quarumlibet: luem omnem, improborum,

*Plin lib XXI. cap. 21. Pall. lib. III. cap. 17.*

Iusti

Iusti virtus dissipat: *Botrus* sine lapillis obstinationis: totus liquor, totus nectar & ambrosia, totus suauitas: *Botrus Cypri*: id est, caritatis erga DEVM, & proximos refertissimus: scitis e. Cyprũ Amoris esse insulã. Colum. lib de Arbor cap 9. Cant. 1. 13.

Ex his igitur *Mors* vinum exprimit, Deoque propinat, omni Lesbio, Massico, Falerno infinitis partibus generosius, & gratius. Delectatur hoc vuarum sanguine, mirum in modum, cœlestis Pater-familias, quo que vt nostris se accommodet conceptionibus, frui se, ac exhilarari cum cœlitibus suis significat. Hoc vitis electæ genimine in domo patris refocillatur qui primus in torcular, nostri causâ, coniectus, calcationem molestam, ac diuturnam sustinuit. Ille etiamnum de torrente sanguineo Martyrum, quem in via *Vinitor* implere solet, bibit: & propterea, qui gestus est sapidè vinum, quod maximè arridet, gustantium, exaltat caput. Vinum ex iustis. Ps. CIX. 7.

XV. Hoc vuarum sanguine spumat Calix, de quo Regius Psaltes, vel in persona CHRISTI, vel sua, vel iustorum, ac Martyrum præsertim: cur non etiam DEI, per accommodationem haud ineptam? *Calix meus inebrians, quàm præclarus est!* Quod de Calice sanguinis CHRISTI in passionis torculari expresso interpretatur Cyrillus Jerosolymitanus: quo recreari, & si fas est dicere, inebriari DEVM ipsum, qui tanquam potens crapulatus à vino, in Sacris aliquando producitur quis ambigat? O Calicem gemmeum! vinum continens, vt magnificentia regia dignum est, abundans, ac præcipuum: vinum *Botri*, qui vnquam fuerunt, vel erunt, maioris, ac præstantioris, quem duo viri cum vecte, vt illum Palæstinæ, non deportarent. *Botri* sine manibus amputati, ex vinea Engaddi, in cornu filio olei consitâ. *Botri vineæ Sorek*, expertis nauseæ amaroris, molestiæ. Calicem ex vino condito, & musto malorum granatorum. Validum Calicem, & verè κράτιστον, quo aduersus omnes fortunæ casus firmatur animus. Calix præclarus. Ps. XXII. 5. Cyrill. cathec. IV. mystag. NOTÆ. Esther. I. 7. Num. XIII. 24. Deut. XI. 4. Cant. VIII. 2.

XVI. *Hoc Calice inebriati erant Martyres*, inquit Augustinus, *quando ad passionem euntes suos non agnoscebant, non vxorem flentem, nec filios, non parentes & gratias agendo, dicebant*: Calicem salutaris accipiam, *madidi vino à facie Domini Præclarus calix*, ait Bernardus, *atque iucundus hic non minus Imperatori spectanti, quam militi triumphanti: Gaudium etenim Domini fortitudo nostra.* Exemplum adfert Beda hoc Calice inebriati, Laurentium Martyrem, qui tanquam musto plenus, imò dementatus, ac si non sentiret ardorem ignis, clamabat: *Assatus sum.* Calix inebriãs. Aug. in eum Psal. CXV 13 Psal. Ierem XXIII 9. Ser LXI in Cant. II. Esdr VIII. 10. Beda in Ps.

XVII. Rectè

*Calix vitalis. Amb Serm XVIII vel I. de S. Cypr.*

XVII Rectè autem hunc, *Mortis* ne, an *Vitæ*? Calicem, certè vitalem ita vocari obseruat S. Ambrosius, quia sicut Calix lætificat, quando bibitur, ac omnis humor noxius vini calore decoquitur: ita Poculum huius musti, cùm hauritur, omnes peccatorum fœces expurgantur, & passionis gloria temperantur: cordi lætitiam præstat, calorem fidei, animæ puritatem. Subdit autem, vinum hoc expressum, esse ex illa *Vuâ*, quæ pro nobis suspensa est: exq; *Botro*, quem exploratores duo de promissionis terrâ reportauerunt.

*Bibendus Calix Orig. Tract. XXXV in Matth.*

XVIII QVOD si salutaris est *Calix* Martyrii, vel *Mortis* pro Domino, aut in Domino obitæ, infert Origenes, necesse est, vt saluemus Calicem illum, totum illum bibentes, quia Calix est salutaris, vt nihil fundamus ex eo. Bibit autem illum, qui patitur pro testimonio, quicquid illi fuerit illatum: effundit autē, qui vocatus, vt vitam pro CHRISTO, aut illo imperante, in pietatis negocio profundat, *Mortem* subire refugit, calcari non sustinens.

XIX. Et cur, quæso te, tantopere conculcationē à *Morte* horres? In torculari fructuosa pressura est. Vua in vite pressuram non sentit: integra videtur, sed nihil inde manat: mittitur in torcular, calcatur, premitur: iniuria videtur fieri vuæ; sed ista iniuria sterilis non est: imò si nulla iniuria accederet, sterilis remaneret.

*Fructuosa conculcatio Mortis S. Aug in Psal. LV.*

Noli timere quia conculcabit te *Mors*. Vinum habeto: *Vua* factus es, vt calceris. Non deficias in ista conculcatione, sciens quem inuoces, & quo exemplo fortis possis effici. Primus *Botrus* in torculari pressus est CHRISTVS. Cùm ille botrus in passione expressus est manauit illud, vnde calix inebrians præclarus est. Dicas igitur intuens caput tuum, iacens in torculari: Miserere mei Domine, quoniam calcat super me MORS, quasi REX INTERITVS.



NOTÆ

# NOTÆ
## AD COMMENTATIONEM XXII.
# MORS VINITOR.

§.II. *Constantiæ Encomiastes.* ] *Tradit hoc argumentum Iustus Lipsius Libr.* II. *de Constantia ca.* XI. *vbi bene probat, Creata omnia, & præsertim animata exuberare, & fœtificare: idque, si Mors non interueniat, immensũ. Ideò Mor. is falce, opus, ad metendũ & putandũ. Spectare autẽ ad vniuersi Curatorem: qui* omnia in mensurâ, & numero, & pondere *disposuit. Sapient.* XI. 21. *non permittere hanc luxuriem. Itaq; finem mortalitatis & cladium esse, Vniuersi in temperamento conseruationem & ornatum.*

§ III. *Vitis putata melius fructum adfert* ] *Legendus Theophrastus lib.* II. *de caussis Plantarum capit.* 20 *& libr.* III. *cap.* 9. *quem diligenter peruoluit Virgilius, ex eóque sumpsit pleraque ad vitium cultum spectantia, quæ diligenter tractat lib.* II. *Georgicor. in alterâ eius libri parte, quæ vitium, vinearumque culturam continet. Præscribitur autem Vinitori, vt diligentem curam habeat, ne vites luxurient: nec patiatur illas sarmentis siluescere. Et initio statim ob eam caussam adhibetur Pampinatio, cuius est vsus, dum adhuc teneri sunt palmites. Monent autem ruricolæ, vt cùm primâ ætate adolescunt, illis parcatur: nec vsus sit falcis. Sed si ad iustam mensuram excreuerint, nimiúmque dilatentur, leui tactu digiti illorum pampini decutiantur & infringantur.*

Et dum prima nouis adolescit frondibus ætas
Parcendum teneris. Et dum se lætus ad auras
Palmes agit laxis per purum immissus habenis,
Ipsa acies falcis nondum tentanda, sed vncis
Carpendæ manibus frondes, intérque legendæ.

*Hæc lex* Morti- Vinitori *non est posita, quæ nulli parcit ætati: nec pueritiæ, nec infantiæ rationem ducit. omnibus æque falcem suam immittit. Semper exequitur, quod non nisi certo tempore Vinitor, cui præscribitur:*

Inde vbi iam validis amplexæ stirpibus vlmos
Exierint, tum stringe comas, tunc brachia tonde.
Ante reformidant ferrum: tunc denique dura
Exerce imperia, & ramos compesce fluentes:

*Non expectat* Mors *donec vites induruerint, & vltra vlmos adsurrexerint. Citius falcem admouet, & superiora decacuminat.*

*§. V. Torcular.*] *Quoniam Torcular est machina premendis Vuis accõmodata, Symbolicè ad multa transfertur. Torcular, quod calcauit Christus, à multis exponitur. Crux, ex D. Hiero. Isa.* LXV. *Conformari sanè perbellè solet Crux à pictoribus ad modum Torcularis. Torcularia Regis in Ierusalem eandem Crucem designare possunt Zachariæ* XIV. *Psal* LXXX.

*Torcular vini furoris iræ Dei, exponit Rupertus Apoc.* XI. *vindictã Dei in Ierusalẽ, quando destructa est. Torcular vineæ dici potest timor iustitiæ Dei punientis, quo quis reprimitur à peccando. Quod torcular dicatur Deus calcasse virgini filiæ Sion, cùm malis supplicio, bonis premia distribuit. Plura Hierony. Lauretus in Sylua allegoriarum, & Petrus Berchorius To.* III. *Reductorij, vbi Torcular docet significare, Æternam pressurã: Mundanam vncturam: Terrenam iacturam: & Diuinam Scripturam.*

*§. VI. Regnum Virgo & Filia.*] *Frequens est hæc in SS. compellatio Isaiæ* XXII. 4. Recedite à me, amarè flebo: nolite incumbere, vt consolemini me super vastitate. *Filia* populi mei.

*Isaiæ* XXXVII. 22. Despexit te, & subsannauit te *Virgo Filia* Sion.

*Isaiæ* XLVII. 1. Descende, sede in puluere *Virgo Filia* Babylon.

*Ierem.* XXXI. 4. Rursúmque ædificabo te, & ædificaberis *Virgo* Israel.

*Ierem.* XLVI II. Ascende in Galaad, & tolle resinam *Virgo Filia* Ægypti.

*§. X. Botrus.*] *Botros vindemiãdos, esse Iudæos puniendos in destructione Ierusalẽ interpretatur Rupertus Apoc.* IX. *generaliter verò omnes peccatores. Aretas Apoc.* XIV. *Plura de Botri allegoria Hierony. Lauretus in Sylua Allegor. Verb.* Botrus, Racemus, Vua.

*Messis*] *Huius quoque est allegoria varia, & ferè in bonum. Lege eundem V.* Metere, Demetere, Messis, Messor. *Messis est tempus Mortis & iudicij ex Hieron. in Isa.* XXIII. *Messis Ecclesiæ: cùm perfectæ animæ à corpore abstractæ velut maturæ segetes à terra decisæ ad cœlestia horrea demigrãt Iob.* XXIX. *Psal.* CXXV. *Oseæ.* VI. *Ioel.* III. *Apud Berchorium Tom.* III.

*Messis est*
- *Societas hominũ saluandorum.*
- *Societas hominum damnatorũ.*
- *Collectio bonorum terrenorum.*
- *Possessio bonorum internorum.*
- *Adeptio malorum æternorum.*
- *Repletio bonorum supernorum.*

*§. XII. Labrusca,*] *Isa.* V. 2. An quod expectaui, vt faceret vuas, & fecit labruscas? *Heb.* Quare exspectaui, vt faceret vuas: fecit aũt labruscas. *Sensum esse putat Gaspar Sanctius: Vt mihi dolorẽ faceret: inhiantémq; ad fructũ laboris mei malignè deluderet,*

*deluderet, vacuúmq; relinqueret, ideò nō modo negauit vuas, quas meo mihi iure repetebā: sed ēt fœtidum aliquid & amarū produxit, quo mihi aliquid adferret molestiæ. Pro* Labruscis *Heb. est* באשים *id est,* fœtentes. *Fætentes vuas parit, qui à fide & pietate quā Deo præstare debuit, ad insanias falsas, & stultas cogitationes animū & studium conuertit. Qui stultus magno suo meritò, pleno omniū ore vocari pōt. De quo Eccl.* XI. 32. Sicut eructant præcordia fœtentium: ita cor stultorū.

*Vua fellis.*] *Deut.* XXXII. 32. De vinea Sodomorū vinea eorū, & de suburbanis Gomorrhæ: vua eorum vua fellis, & botri amarissimi. *Quo loco, vuā fellis interpretari licet, vuā amaritudinis, vel quia in se est talis malitia, vel quia ad amaritudinē inferni ducit. Chaldæus ad pœnas à Deo inflictas refert: sed melior & efficacior est sensus de peccatis.*

*§. XV. Botrus Palæstinæ* ] *De hoc Philo. Curauerūt, vt decerptos arborū fructus suis tribulibus ostenderent: eos præcipue, qui non facile corrūpuntur. Sed nihil magis, quā vitis fructū mirabantur. Pendebant n. prægrandes vuæ de palmitib. spectaculū vix credibile, Horū vnā exectā suspenderūt à vecte medio, cuius extrema imposuerunt humeris duorū iuuenum, atq; ita deportabant alijs post alios propter pondus succedentibus.*

*Allegoriā habet Aug. in Ps.* VIII. *& serm.* 2. *de Temp. Dictus est, inquit Dominus* Botrus vuæ, *quæ ligno suspensum de terra promissionis, qui præmissi erant à populo Israel, tanquam crucifixum attulerunt.*

*Greg. Nyssen. in vita Mosis. Racemus ex ligno dependēs, quis-nam alius erit, quàm is, qui in nouissimis seculis ex ligno pependit? Cuius sanguis potus factus est credentibus salutaris: Mose id ænigmaticè prædicente: sanguinem n. vuæ bibebant: quæ ex re salutaris passio Christi prænunciatur.*

*Vinea Sorek*] *Isa.* V, 2. Vineam electā *Hebr.* שורק Sorek *Certū est hac voce significari gen. eximiæ vitis Quidam putant eiusmodi vitibus esse à naturâ: quod ab arte & industriâ agricolarum alijs arboribus accidit, vt in earum vuis nulli inueniātur acini Quod si verū esset, haud vulgaris eo nomine cōmendatio vitis contineretur, in qua nihil esset non molle, nihil non vtile ac dulce, vt in Christo Domino. Alijs* Sorek *est regio abundans generosis vitibus, à quà vites generosæ sint* Sorek *appellatæ: Gaspar Sanctius, qui addit,* Sorek, *non solum significare vitem: sed etiam palmitem, indéq; videri etiam deriuatum nomen surculi.*

*Vinea En-gaddi* ] *Cant.* I. 14. Botrus Cypri Dilectus meus mihi in vineis Engaddi. *Propè Engaddi vineta fuisse docent Chaldæus, Titelman. & Vatablus. Cyprias vineas & vites vt laudatissima cōmendat Plin. lib.* XIV. *c.* I. *&* 7. *Multa de his Delrius in Cantica, & in Floridis Marian. Paneg.* V.

# COMMENTATIO XXIII.

## MORS OLIVARIVS.

*Calcet super eum, quasi Rex Interitus.*

Iob. XVIII. 14.

## Sodales.

*Mortis Oliuitas. Oliuatio. Oliuina.*

I. VT vuam, *Vinitor*, ſic oliuam calcat *Oliuarius*. Tam autem *Oliua*, quàm *Vua*, Hominis eſt *Symbolum*: OLIVARIVS, MORTIS, Hæc oliuinam maximam habet, in mundi horto oliuifero. Sed & hîc oliuarum eſt varietas. Impium refert *Oliua* immatura, drupa, inſipida: è quâ *Mors* non niſi oleum acerbum, crudum, rancidum: quid oleum dico? nonniſi amurcam, oleæ ſaniem: nempe, fæcem criminum, exprimit.

*NOTÆ.*

*Iuſtus oliua. Pſ. LI 10. Ier. XI 16.*

II. Iuſtus eſt *Oliua fructifera in domo* DEI: Oliua regia, maiorana, pinguiſſima *Oliua* vber, pulchra, fructifera, ſpecioſa. Quę ſemper viret ſpe in DEVM recenti ac viuidâ: folijs non defluit ſermonum vtilium: vberes fert fructus bonorum operum. copioſè profundit liquorem virtutum, quo inunguntur Sacerdotes, Reges, Prophetæ. Qui valet ad leniendum adfectus, ſanandum morbos, fouendum pietatis ignem. *Oliua* pacis, miſericordiæ, puritatis, fructus, & index: è quâ *Mors* calcando oleum pingue, ſapidum, aureum educit.

*Michea VI, 15.*

Sed: ô *Mors* bonorum interceptrix! *Tu calcabis oliuam, & non vngeris oleo: & muſtum, & non bibes vinum.*

NOTÆ.

# NOTÆ.

§. I. OLiuarius ] *Aliud nomen Artificis non occurrebat: itaque fingendum fuit, vel accommodandum*: Oliuarius *enim adiectiuè est, quod ad oliuam spectat: & sic Pressor oliuarius, qui Oliuam premit, vt succum exprimat. Simili modo apud Columellam, libr.* XII. *cap.* 47. *reperies, Oliuarias metretas.*

Oliuitas, *siue* Oleitas, *tempus legendarum oliuarum. Colum. libr* XII. *cap.* 50. *Ea semper* Morti *est, qualibet anni tempestate. Itaque oliuare semper potest, & solet. Varroni etiam olea fructus est oliuitas.*


Oliuina *maxima olei copia, aut olei reditus. Plaut. Pseu.* Cuius amatores oliuinam habent maximam.

§. II. Iustus Oliua ] *Tritum* Symbolum *de quo Commentatores in Psalm.* LI. *Hieronymus Lauretus in Sylua. Berchorius Tom.* III. *qui Iustum comparat Oliuæ, quia habet, sicut Oliua*

*In*
- *Radice amaritudinem.*
- *Ligno fortitudinem.*
- *Folijs pulchritudinem.*
- *Ramis latitudinem.*
- *Erectione celsitudinem.*
- *Fructificatione plenitudinem.*

*Addit alia ad* Symbolum *opportuna. Lege Pierium lib.* LIII *Hieroglyp. vbi fusè tum de* Vite, *tum de* Oleâ.

*Petrum etiam Victori. de laudibus, & culturâ Oliuar. Italicè.*



# COMMENTATIO XXIV.

## MORS FVLLO.

*Calcat ſuper eum, quaſi Rex Interitus.*

Iob. XVIII. 14.

### BREVIARIVM.

1 *Fullo dealbat veſtes, & nitorem inducit, ſed conculcando. Mortis imago. Conculcatur Iuſtus vt Vua. Prætereà, vt Veſtis, à Morte, ceu Fullone.*

2 *Veſtis deturpata nõ horret Fullonis conculcationem, imò adamaret, ſi illi eſſet ſenſus & ratio.*

3 *Mors calcans purgat. Lutheri Delirium. Ærumna patienter tolerata ſatisfactoria.*

4 *Conculcatio Diaboli metuenda, & vitanda. Is inſilit, arripit, deijcit, proterit, verè trux beſtia.*

## *Ordo ſacer Moguntinenſis.*

*Fullonis officium.* *NOTÆ.* I. QVI veſtium nitore delectantur, ſi ſordes illæ contraxerint, aut coloris viuacitatem amiſerint, *Fulloni* illas commendant, qui dealbare ſolet telam lineam, & polire veſtimenta, ſed non ſine conculcatione. Itaque hac figurâ MORTEM efformare iuuat, & calcantem concipere.

*Iuſtus calcatur.* Ducit ad hoc *Symbolum* Hugo Cardinalis, exponens Regis *Pſal. LVI.* *vt vua, Oliua.* Dauidis querelam: *Conculcauit me homo.* Conculcatur, inquit, Juſtus, vt Vua, Oleæ IX. *Quaſi vuas in deſerto inueni Iſrael.* Iſai. XVI. *Vinum in torculari non calcabit, qui calcare conſueuerat: Mors* videlicet, poſt deuictam, reſurrectione communi, aduerſariam. En bonorum ſolatium!

*Veſtimentum.* Prætereà, conculcatur Iuſtus, ſicut Veſtis. Veſtis enim DEI iuſti

iusti sunt: secundum illud Isaiæ, XLIX. *Omnibus his velut ornamento vestieris.* Vestis autem quando conculcatur à *Fullone* mundior, ac clarior efficitur: munditia autem & claritas decet vestem DEI. Marci IX. *Vestimenta eius facta sunt splendida, & candida nimis, sicut nix: qualia* Fullo *super terram non potest candida facere.*

II. QVID *Mortem* metuis? An conculcationem *Fullonis*, purpura Regis fœdata maculis horreret? imò adamaret, si haberet sensum: nam ea fœditatem deponeret. Multis tu næuis peccatorum es obsitus, quæ dedecorant Imperatoris summi chlamidem. hos conculcatione *Mors* patienter tolerata, exprimit, & togã mundissimam facit: cur igitur, cum ad *Fullonem* deportaris, resistis, & benefactori obmurmuras?

III. CERTE, multo exquisitius te *Mors* calcans, quàm *Fullo* paludamentum deturpatum poliet. Non quod horror, & pœna *Mortis* purget in homine si quid purgandum superest. Quod falsó asseruit Lutherus, vt fidem de Purgatorio labefactaret. Sed quod pœna à DEO constituta, ab homine patienter, ac sponte tolerata, magni sit apud benignum parentem meriti, & patienti satisfactoria. Itaque non restites, dum audis, aduenire *Mortem*, quæ te, quasi *Fullo* conculcet. *Mors purgat.* *NOTÆ.*

IV. Illum fugias, qui *Mortis* princeps hoc officium occupare gestit, sed ad interitum tuum. Is verò est *Diabolus*, cui nomen etiam *Mors*, Apocalyp. VI. Conculcat autem *Diabolus* hominem hoc modo. *Primò*: insilit in eum, per prauam suggestionem. *Secundò*: arripit eum, per delectationem. *Tertiò*: deijcit eum, per consensum in operationem. *Quartò*: conculcat eum, per præsumptionem, & iterationem: similis Bestiæ, quam scribit Daniel, *terribilem, atque mirabilem, & fortem nimis, dentes ferreos habentem magnos, & cornua decem: quæ cùm comedisset, reliqua pedibus suis conculcabat.* Caueto. *Conculcatio.* *Dan. VII. 7.*

NOTÆ.

# NOTÆ.

*§. I.* FVllo.] *Græcis* Κναφεὺς, *qui Fullonicam exercet qua Voce officina etiam designatur, in quâ laborat. Eius mentio est Marci* IX. 2. *Et Malachiæ* III. *vbi nominatur,* Herba Fullonum.

*§. III.* Mors purgat.] *Lutherus, cùm alia de Purgatorio, cum fide orthodoxa pugnantia, tum hoc tandem confinxit, & lib. de abrogandâ Missâ, publicè professus est: Nullum esse Purgatorium post hanc vitam, sed tantùm in vitâ, & in* Morte*: quoniam horror & pœna* Mortis *purgat, si quid purgādū superest. Delira opinatio; quā vbi d. Purgatorio disputamus, refellimus. Lege Bellar. lib. 1. de Purg. cap. 2.*

Pœna piè ac patienter tolerata, satisfactoria.] *Concilium Tridentinum Sess.* XIV. *cap.* 9. *ita decernit. Docet tantam esse diuinæ munificentiæ largitatem, vt non solùm pœnis sponte à nobis pro vindicando peccato susceptis, aut sacerdotis arbitrio pro mensurâ delicti impositis: sed etiā, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis, à* DEO *inflictis, & à nobis* PATIENTER *toleratis apud* DEVM *Patrē, per Christū Iesum* SATISFACERE *valeamus.*

*Canone* XIII. *Si quis dixerit pro peccatis, quoad pœnā temporalē minimè Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis, & patiēter toleratis, vel à sacerdote iniunctis: sed neque sponte susceptis, vt ieiunijs, orationibus, eleemosynis, vel alijs etiam pietatis operibus: atque ideò optimam pœnitentiam esse tantū nouam vitā; Anathema sit.*

*S. Gregor. libr.* XXIV. *Moral. Iustorum animæ leuibus quibusque contagijs ipso sæpe* MORTIS *pauore purgantur: & æternæ retributionis gaudia, iam ab ipsâ carnis solutione percipiunt. Plerumque verò contemplationis internæ, etiam priùs, quàm carne spolientur, hilarescunt: & dum vetustatis debitum soluunt, noui iam muneris lætitia perfruuntur.*

*Circa annum Christi M. XVII. in regione Aquitaniæ iuxta maritima, ante solennitatem D. Ioannis Baptistæ, tribus diebus, de cœlo pluit sanguis, qui cadens supra carnem hominis, aut supra lapidem, non poterat lauari, si verò supra lignum caderet, lauabatur. De hac re consultus Fulbertus Episcopus Carnotensis, Epistola* LXXIX. *apud Card. Baronium. Per* Lapidem, Impij, *inquit, per* Carnem, Fornicarij *significantur: per* Lignum, Medij, *qui neque molles, vt caro; neque, vt lapis, duri. Addit.* Impios & Fornicarios indelebili notâ in sanguine suo morituros: Medios per *Mortis angustiam* saluandos.

COM-

# COMMENTATIO XXV.

# MORS

# FIGVLVS.

*Calcet super eum, quasi Rex Interitus.*

Iob. XVIII. 14.

BREVIARIVM.

1 *Mors calcat hominem, vt lutum. hinc superbia remedium,*
2 *Mors confringit, vt Figulus. Homo ex luto formatus figulinâ operâ.*
3 *Tanquam Vas-Figuli confringes eos, Psal. 11. 9. Mors conterit, confringit, allidit. Homo mortuus, Vas confractum.*
4 *Iechonias vas fictile contritum, Ierem. XXII. 28. Purgamentum, Quisquilia, sterquilinio dicatum.*
5 *Vas-perditum Dauid, Psalm. XXX. 13. Vas testaceum. quia velut à Morte confractus.*
6 *Contundit arrogantiam humanam Vasis Symbolum. Homo, origine, Lutum platearum.*
7 *Redigentur in Lutum ceruices vestra, Iob. XIII. 12. Ceruices, tanquam lutum calcabuntur: imò lutum sunt, sed induratum.*
8 *Vas, dum est integrum, implendum bonorum operum liquore.*
9 *Vas confractum non restauratur. reparationis post hanc vitam nullus locus.*
10 *Mortis hora incerta, quia Vas testaceum semper, & vbiq; casui, & confractioni opportunum.*
11 *Mors Figulus, vasa in contumeliam mutat in vasa honoris.*

## *Amplissimi DD. Sodales.*

I. CALCATVR à MORTE, vt lutum, & argilla, superbum illud animal, & ceteris imperare solitum, quod Hominem, ab hu-

mo, dicimus, Ille idem, Adam, hoc est, argillosus, limosus, puluereus: qui

Aui. lib 1. cap. 4. NOTÆ.

*Olim perfecta iacuit nouitatis imago,*
*Formatúmque lutum speciem peruenit in omnem.*

Quid superbitis homulli? ad originis vestræ primordia respicite. A *Figulo* estis, de limo terræ, puluere aquâ macerato, quem diuinus Plastes

Ouid. 1. Metam.

*Finxit in effigiem moderatûm cuncta Deorum.*

Nahum, III. 14.

Ad occasum vestrum attendite. *Figulus* imminet, cui mandatum à supremo Principe: *Intra in lutum, & calca, subigens tene laterem*, Nahum III. Luteus est omnis homo: *luteas* habitans *domos*: sicut lutum factus: in terrestri versans huius habitationis ex luto casâ, quæ dissoluitur: denique, nonnisi lutum, figmentum, puluis: formatus de limo: rediturus in puluerem, calcante, & confringente vas *Figulo*.

Mors confringit.

II. Quâ specie MORTEM exhibeo, quæ hominem, figulinâ operâ in *Vas* formatum, comminuit. Quo *Symbolo* in Diuinis-litteris indicatur vniuersale *Mortis* in oẽs imperiũ, & potestas cui nemo põt resistere. tum etiam: nulli à *Morte* semel confracto, spem esse reparationis in integrum, ante supremum restaurationis generalis diem.

Vas Figuli. Psal. II. 9.

III. HVNC sensum habet illud Regi seculorum à Patre promissum: *Tanquam vas figuli confringes eos*. Per quem? per *Mortem* haud dubiè. Quos? omnes, suo rebelles imperio: imò, mortales vniuersè: quos *Mors* tam facilè, ac sine reparationis spe, subigit, ac comminuit, quam diffringi vas fictile potest. *Conteres* legit Augustinus: *adfringes* vel *allides* Aquila. *Mors* igitur, tanquam *Figulus*, conterere, confringere, allidere *Vas* fingatur: idem id erit, quod, vitam eripere, seu compositum destruere. Hac figurâ, *vas confractum*, est *Homo-mortuus*, spiritu, animâ, vitâ, viuacitatéque destitutus.

NOTÆ. Προσρήξεις.

Vas contritum

IV. Jeremiæ XXII. 28. *Nunquid vas fictile, atque contritum vir iste Iechonias? nunquid vas absque omni voluptate? quare abiecti sunt ipse & semen eius, & proiecti in terram quam ignorauerunt?* Talis est homo omnis, quem *Mors* calcat: *Vas fictile*: in Hebræo, *sculptile, contemptibile, confractum*: quomodo etiam vertunt Vatablus, & Pagninus, quasi describatur simulacrũ contemptibile, quod conterit, ac proijcit, qui eius agnoscit vanitatem, & nihil in eo esse vtilitatis.

עצב. Etzeb.

Symmachus legit: *Nunquid purgamentum, siue quisquiliæ viles, atque proiecta?* nimirum, proijciendus in sterquilinium captiuitatis?

Tales

Tales à *Morte*, humanæ arrogantiæ conculcatrice, æstimantur, magni, potentes, diuites, terrores mundi, orbis monarchæ, superba nomina.

Vulgatus Interpres, *Vas-fictile* nominat, quod ad domini voluntatem diffringitur, & in sterquilinium proijcitur. Quale Iechoniæ fuit terra Babylonis: mortalibus omnibus, terræ gremium: improbis, inferorum cloaca. Addit Christophorus à Castro: *Vasa* DEI, sunt omnes qui portant nomen CHRISTI coram gentibus, vt fuit Paulus Actuu. IX. Qui si muneri, ad quod facti sunt, non satisfaciant, negligentiâ suâ, proijciuntur despecti à DEO, & conterētur, & nonnisi sterquilinio deseruient. Nam, *si sal infatuatum fuerit in quo salietur? ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras & conculcetur ab hominibus:* Ita tolletur ab eo talentum, &, tanquam inutile *Vas*, conculcationi exponetur. *Vas fictile.* *Act. IX. 15.* *Matth V. 13.*

Vtitur eodem *Symbolo* DEVS Ieremiæ XIX. *Conteres laguncularn in oculis virorum, qui ibunt tecum, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus exercituum: sic conteram populum istum, & ciuitatem istam, sicut conteritur Vas-Figuli, quod non potest vltra instaurari.* *Ier. XIX. 10.*

V. HOC *Symbolum* spectabat Dauid, cum obliuioni, se datum dicebat, tanquam mortuum à corde: factúmque tanquam *Vas-perditum*: Chaldæus, *Vas-testaceum*, quod frangitur. Nimirum, significabat, se esse tanquam aliquem, quem *Mors* è viuis abripuisset, quémque velut *Vas*, iam confregisset, ideóque magis se mortuum, quàm viuum censeri debere. *Vas perditum.* *Psal. XXX. 13.*

VI. HABET huius contemplatio *Symboli* vtilitates minimè negligendas. Contundit enim primò superbiæ spiritum. Quid vilius *Luto platearum*? Quid autem aliud homo, quàm, *platearum lutum*? Quid hoc se erigit, à *Morte* conculcandum? *Comminuam eos, vt puluerem, ante faciem venti: vt lutum platearum delebo eos*, gloriabunda quotidie *Mors* intonat. Quod alio loco, in libro Regum II legitur. *Delebo eos, vt puluerem terræ: quasi lutum platearum comminuam eos, atque confringam.* Chaldaicè *Calcaui*, & *Conculcaui*. Itaque *Mors* nos omnes, vt *lutum* habet, quod conculcabit: vt lutum, dum calcatur, induratur, sicque in plures partes dissoluitur, dissipabit, corpore ab animâ diuulso: atque ita ex mundo auferet, ac delebit, vt calceo luti portiuncula, aut phlegma fœtidum, quod obteritur, solet. *Constringet* etiā nos, vt legit Abulensis: nam *lutum* humiditate & tenacitate conglutina- *Superbia remedium.* *NOTÆ.* *Ps. XVII. 43.* *Lib. II Reg. 22. 43.* *Abul. in lib. II. Reg. XXII. 43*

 tur.

tur. Constringet expansam, diductámque, dum viueremus, superbiam, & in tam varia cogitationes dissipatas.

Ceruices, Lutum. Iob. XIII 12. VII. O arrogantiæ mancipia! *Memoria vestra comparabitur Cineri, & redigentur in* Lutū *ceruices vestra*. Iob. XIII. id est, Ceruices, tanquā *Lutū* calcabūtur. Quo loco existimant nonnulli, amicos Iobi admoneri, atq; deterreri propositâ *Morte*, & humani corporis imbecillitate, ac si dixisset Patiēs: *Meminisse oportebat, vos similes esse cineri, & corpora vestra, corporibus argillaceis*. Quæ Tygurinę est lectio, quā adprobat Caietan. nec dissentit August. qui ita sententiam hanc format: *Corpus luteum, vt fragilitatis saltem vestra consideratione timeatis*.

Sed acrius arrogantium fastum comprimi insinuat Interpres Latinus, qui originale verbum, *ceruices* vertit, quibus, duris, ac rigētibus, cùm elatum caput nitatur, elatio ipsa, & proteruia *Symbolicè* exprimitur, vt ita concipi possit increpatio. Id, quod in vobis sublime est, atq; excellentissimum, quo maximè vos extollitis, ac superbitis, redigetur in *lutum*: vel potius, iam *lutum* est; sed induratum, quod paullò post, cùm cœlitus in vos ira Numinis stillauerit, morbis maceratum à *Morte* perculcabitur. deinde verò, vt *Vas*, ab eadem, tanquam *Figulo*, calcando conteretur.

Vas integrum implendum. VIII. Quod mihi suggerit; iā, dum adhuc est integrū, bonorū operum liquore implendū esse. Nam si *Vas* hoc nostrum testaceum corporis frangatur, nihil amplius meritorum continere poterit. Si factus fueris, tanquā *Vas perditum*, inutilis eris, ad noui aliquid continendum. Eccl. XXI. 17 *Sic, Cor fatui tanquam* vas confractum est, *& omnem sapientiam non tenebit*. Itaq;, dum tempus habemus, operemur bonum.

Vas cōfractum nō restauratur. IX. Conterit *Mors* vt *Figulus* hominem veluti *Vas, quod nō potest vltra instaurari*, inquit Ierem. Quod obseruandū monet Christophorus à Castro, & inducit DEVM hortātē: Modò, cùm datur locus pœnitentiæ, & Chrift. Cast. Ier. XIX. *Vas luteum* refici potest, si dissipetur, recipiscite, & vestri miserebor. Quod si ad extremum expectaueritis, confringet vos *Mors*, vt *Vas decoctum*, quod reparari nequit, tunc autem nullus erit miserationi locus, sed æternùm pœnas sustinebitis.

Mortis hora incerta. X COLLIGIT ex hoc *Symbolo* Ecclesiastes Italus incertitudinē horæ *Mortis*, quā ita concionatorio more deducit. Quid caussæ putatis esse, quod Sacræ litteræ homines appellent vasa? *Vasa gloria Do-* I. Macha. II 9 *mini captiua ducta sunt* Apoc. II. *Tanquam* Vas *Figuli confringentur*. *Habemus thesau-* II. Corinth. IV. *rum istum in vasis fictilibus*.

O sapien-

O sapientissime Deus! qui Prophetarum linguas gubernasti, & Apostolorũ, vt hominib. *Vasorum* nomen inderent, permouisti, quæ ratio te permouit, vt homines *Vasis*, comparares, cùm *Vasa* sensu, & vitâ careãt, homo verò sensu, vitâ, & ratione præditus sit: si aũt volebas, vt *Vasa* nominarentur, cur non potius nobilibus, *vasis* nempe aureis, argenteis, æreis, quâm terreis, ac fictilibus nos æquiparasti? *In vasis fictilibus.* O eximiũ sacramẽtũ, quo Deus permotus fuit, vt *vasis terreis*, non metallicis nos assimularet. Quo demonstratũ, *Mortẽ* nostrã nobis, quoad tempus, modum & locum incertam esse: idq; in illis S. Ioannis Apostoli verbis: *Tanquam Vas-figuli confringentur*, manifestè liquet. Audite mysterium. Gab. Iachino de Quatt. Nouiss.

Quemadmodũ in figulinis plurima quidem sunt *Vasa terrea*, sed diuersæ magnitudinis, formæ, atq; æstimationis: quędam parua, nõnulla magna, quædã pulchra, nonnulla deformia; quædã prius, quædã posterius efficta; & quodnã illorũ vasorũ prius conterendũ sit, incertum est. vnde si Dñm roges, nũquid exploratũ habeat, quodnam ex illis primũ, quomodo, qñ, & quo in loco, confringendũ sit? negabit, & stultã esse affirmabit hanc interrogationẽ, eò quod omnia terrea, & fragilia sint, & vt quodq; prius in terrã ceciderit, aut lapidis iactu contritũ fuerit, confringi possit: qñ aũt, & quo loco id futurũ sit, nemini constare queat. Ita & homines in hoc mũdo, veluti *Vasa* varia, diuersi sunt gradus, ætatis, sexus, conditionis, nec quisquã est, qui exploratũ & certũ habeat, quisnã ex illis primus à *Morte* atterendus sit. Is n. qui prius aliquã mortiferã infirmitate percussus, aut in terram, subitaneo aliquo accidente tactus, corruerit, primus *Mortẽ* oppetet. Vbi autem, & qñ id futurum sit, nemini mortalium cognitum est.

Idcircò rectè S. Ioan. ait: *Tanquam* Vas-figuli *confringentur*. Idem fortè DEVS insinuare voluit, qñ ad Filium, per os Dauidis Prophetæ ait: *Tanquã* Vas-figuli *cõfringes eos*, quod perinde est, ac si dixisset. O fili! eandem mecum habes potestatẽ: & quemadmodum Ego, ita & Tu confringere potes homines *Morte*, cuiuscunq; sint gradus, & conditionis, idq; non aliter, ac *Vas-figuli*, de quo *fictor* incertus est, qñ, quomodo, & vbi confringetur. Intelligis modò, Christiane, quã insigni cum mysterio Sacræ-litteræ *Vasis* fictilibus, & terreis, non aureis, & argenteis nos conferant? vt nimirũ cognosceremus, incertũ esse tẽpus, locũ, & modũ confractionis, seu *Mortis* nostrę: vtq; in omni ætate, loco, & tempore ad illam benè dispositi, ac præparati essemus.

*Mors vasa commutat.* XI. SED habet *Mors-Figulus*, quod admirandum est, virtutem homines luteos, ac puluerulentos: sicq; *Vasa* in contumeliã, tranfor-
*II. Tim. II. 20.* mandi in *Vasa aurea*, & argentea, atque in honorem: si pro CHRISTO suscipiatur. Sicut è contrario, quidam, qui in officinâ figlinâ ignem,
*Thren. IV. 2.* & contritionem sustinere recusant, cùm essent *amicti auro primo, reputantur in vasa testea, & opus manuum figuli*, conuersi, ex *Vasis-honoris* in *Vasa contumeliæ*. Quod illis minimè cõtinget, vtinam nec nobis, vitæ necisque DOMINE,

*Qui pro Te furias, atque ferocia.*
*Calcarunt hominum, sæuáque verbera.*

---

# NOTÆ.

§. I. HOmo, lutum, argilla.] *Frequentissimè occurrit in Sacris* Figuli Symbolum. *vt ostendimus in* ARTIFICE SYMBOLICO. *Figuli autem opus* Vas *est, & hoc ipsum conterendum dicitur. At enim, Vasis nomine phrasi Hebræâ quodlibet instrumentum significatur, & non solùm cauum aliquod humoris, vel alterius rei receptaculum. quomodo hic* Vas *sumimus. Græci istiusmodi conceptacula liquoris capacia propriè* ἀγγεῖα *vocant, qualia sunt ferè, quæ fiunt à Figulis Homo dicitur* Vas Samium, *Isa.* XLV. 9.

*Iob.* IV. 19. Quanto magis hi, qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentũ, consumentur velut à tineâ?

II *Corinth.* V. I. Scimus, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur: quod ædificationem ex DEO habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis.

*Psal.* CII. 14 Ipse cognouit figmentum nostrum.

§. III. Tanquam vas figuli. *Psal.* II. 9. ] *In quo consistat* Symboli *huius similitudo fusè differo in* Artifice-Symbolico. *Lege Ioannem Lorinum Tom.* I. *in Psal Martinum Roa lib.* II. *singularium cap.* 6.

§ VI. Lutum platearũ. ] *Quid est homo? Lutum, vt ille ait scitè mixtum.*

*Isaiæ* LXIV. 8. Et nunc, Domine, Pater noster es tu: nos verò *Lutum*. Et *Fictor* noster es TU, & opera manuum tuarum omnes nos.

*Iob* XXX. 19 Comparatus sum *Luto*, & assimilatus sum fauillæ, & cineri.

COM-

# COMMENTATIO XXVI.

## MORS

## HYDRIA---CONTRITA.

*Memento Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam conteratur* HYDRIA *super fontem,*

Eccl^{æ}. XII. 6.

*Opt. Sodales.*

I. SVPERIORI adhæret hoc *Symbolum*, in quo emicat HYDRIA, opus *Figuli*: Caietanus legit, *Vrceus*: alij, *Cadus*. Est tamen Græcè, *ὑδρία*: Hebraicè, כד. *had*, *κάδος*, quam vocem Auctor Etymologici deriuat, à *καδῶ*, quod sit idem, atque *χωρῶ*, *capio*. Quomodocumque legas, non mutatur sensus *Symboli*, quod *Ænigma Mortis* esse testantur Hieronymus, Albinus, Mercerus, alij Enarratores Ecclesiastæ. Qui monet salubri documento, vt ingredientes adolescentiæ viam mortales, *Mortis* non obliuiscantur, nec differant conuerti ad Dominum, dum adhuc sunt validi: periculosum esse, DEVM non colere, antequam *Hydria* conteratur super fontem, seu cisternam, puteum, scaturiginem, venam, quæ omnia vnum Hebraicum vocabulum exprimunt.

*Hydria, Vrceus, Cadus.*

מבוע. *Mabbuahhu*

II. PORRO: quemadmodum *Hydria* testacea, quæ conteritur ad fontem aquam amplius haurire, & continere non potest: ita, cùm corpus diffractum fuerit, effluit quodammodo anima, nec actiones amplius, quæ vel compositi sunt, vel corporis suscipere potest, & conseruare.

*Hydria confracta aquam non continet.*

COM-

# COMMENTATIO XXVII.

## MORS

# ROTA---CONFRACTA,

*Memento Creatoris tui, antequam confringatur* ROTA *super cisternam.*

Eccl^te XII. 6.

---

BREVIARIVM.

1 *Contritio Hydriæ, & Confractio Rotæ, Mortis ænigmata.*

2 *Fons, Deus. Aqua, Anima. Hydria, & Rota, Corpus. Funiculus, Harmonia humorum.*

3 *Corpus, Vas fictile aquarium. Cisterna, Terra. Hidriâ contritâ, aqua ad fontem redit.*

4 *Hydria contrita: Cor deficiens. Mors Cor pede conterit.*

5 *Mors venas, vt haustra confringit.*

6 *Hydria, Folliculus fellis. Hic à Morte inciditur, & in terram conijcitur.*

7 *Hydria, Vesica: hac ruptâ, vitam Mors effundit.*

8 *Mors meatus vrinarios perforat, vnaq́; humorem omnem, tandémque vitam educit.*

9 *Hydria, Venter; quem Mors rumpit, & visceraproijcit.*

10 *Hydria, Vena: Rota, Caput: Cisterna, Cor.*

11 *Hydria, Homo: quam Mors pede proterit.*

12 *Rota* בור*, Bor, sepulchrum, fossa, lacus, puteus: frangitur, & conuoluitur.*

13 *Rota, Corpus, à Morte insiliente dissipatur.*

14 *Rota, Caput: Cisterna, Cor: vtrumque Mors confringit.*

15 *Rota, Cranium: quod tandem patet Mortis iniurijs.*

16 *Rota, Vas vrinæ, quod Morte imminente dissoluitur.*

17 *Rota, Stomachus, cui Mors insidiatur.*

18 *Rota, vis respirandi. Huius cessatio, Mors.*

19 *Rota, Volubilitas appetitus sensitiui, qua vt conuoluitur, moritur animal.*

20 *Stercorea corporis Rota; hac obstructâ, vel destructâ, actum de vitâ.*

21 *Rota, Anima: quæ corporis vinculis exsoluta, labitur in cisternam, DEVM, vnde sumpta.*

22 Cor-

22 *Corpus, Currus, in quo Caput, Rota quod moribundo concidit.*

23 *Mors irruit in Corpus, vt currum cadis oneratum: cados perforat, vinum elabitur.*

24 *Rota natiuitatis, vita humana, qua Rota instar voluitur.*

25 *Rota putealis confractio, Mortis icon.*

26 *Gentilitium insigne generis humani Rota puteali Mors insidens. inscriptio: Memento mori.*

27 *Insignia Moguntinensis Vrbis, Rota, vsurpata primò à VVilligiso, deinde succedentibus Archiepiscopis, & Electoribus.*

28 *Insignia IOAN. GODEFRIDI Episcopi. ROTA, quinque radiorum. illi frequens erat Mortis meditatio. Vtinam sit omnibus.*

---

## *VV^ri. Admod. RR. cultui diuino addictiss.*

# Sodales.

I. EN nouum *Emblema*, vel superioris membrum, cuius interpretationem accipite ab eruditissimo Viro Hieronymo: Contritio Hydriæ *super fontem; confractio* Rotæ *super lacum per metaphoram* Mortis *Ænigmata sunt. Quomodo* Hydria, *quæ conteritur cessat haurire: &* Rota *per quam de lacu, & de puteis leuantur aquæ, si confracta fuerit: siue (vt alij Interpretes voluerunt) in suo funiculo conuoluta, aquæ vsus intercipitur: Ita & cum funiculus argenti, si fuerit interruptus, & animæ riuus recurrerit ad fontem interibit homo.*

II. *Symboli* membra sunt: FONS, Cisterna, Puteus: seu, DEVS, prima vitæ scaturigo. AQVA, siue *Anima, Vita, Spiritus, & actiones vitales.* HYDRIA, & ROTA, *Corpus* FVNICVLVS ARGENTEVS, *Harmonia humorum corporis:* vel *Sanguis* in corde scaturiens, qui vitam præbet, & sensum. *Symboli partes.*

Itaque, si *Funis argenteus* ruptus fuerit, seu *harmonia* dissoluta: aut sanguinis fluxus impeditus, *Si corpus* confractum: si *Rota*, vel dissipata, vel funiculo conuoluta, functiones vitæ intercipiuntur, neque ex fonte aquæ viuæ, vitalis spiritus amplius hauritur, sed effluunt repentè omnia, ita vt anima corpus deserat, attamen in fontem suum recurrat. Quocirca spem immortalitatis, & resurrectionis futuræ hoc *Symbolo* foueri notant Olympiodorus, & Titelmannus, interpretatione diuersâ.

Tt III. Hic

*Corpus vas aquarum Gen. 11. 7.*

III. Hic enim per *Hydriam*, *Corpus* significari scribit, quod, vt fictile vas aquarium, formatum est de limo terræ, ad concipiendam in se vitæ aquam: *Contritionem Hydriæ*, esse dissolutionem in partes ex quibus componebatur: *conteri* verò *Hydriam* iuxta fontem, quia non pereat aqua vitæ immortalis, & animæ nunquam morientis: sed fracto corpore ad fontem recurrit: hoc est, ad Deum, qui dedit illum: partes etiam *Hydriæ* manere iuxta fontem, quia Deus tandem recolliget eas & resolidabit. Itaque *Corpus* est *Hydria*: *Aqua*, *Vita*: vel, *Anima* immortalis: *Fons*, ad quem recurrit aqua defluēs ex *Hydriâ*, Deus: *Contritio*, aut *Confractio*, MORS ipsa.

*Puteus Deus.*

*Cisterna, terra.*

Olympiodorus verò, vt eandem corporis contriti, & confracti instaurationem ex hoc *Symbolo* eliciat, per *Fontem*, vel *Cisternam*, interpretatur *Terram*, de quâ iterum resurget rediuiuus homo, Plastæ sui iussu, ac virtute. *Symbolicè*, inquit, *hoc loco Ecclesiastes ostendit reparabilem nostri corporis perennitatem. Sicut enim* Hydriâ *iuxta fontem attritâ aqua non perit, nec euanescit: sed in fontem suum reuertitur: rursùsque cùm quis voluerit, aquam poterit haurire de fonte. Ita & corpus, quod in elementa resoluitur, in fontem suum, terram videlicet, ipsam redit, paratum iterum in membra componi, quando auctor ille voluerit, qui ab initio illud plasmauit.* Deinde subdit:

*Conuolui Rotam super lacum*, est *Rotam* conuoluendo infringi, ac decidere in lacum, vnâ cum aqua ipsâ, quam *Figuli* operi suo superinfundunt.

Sed vide hîc, & admirare diuitias, & delitias *Symbolices*: duabus enim imaginibus, *Hydria*, ac *Rota*, infinita penè exprimuntur, quæ omnia tamen ad *Mortis* contemplationem ducunt.

*Hydria, Cor.*

IV. Caietanus *Hydriam*, seu *Vrceum*, *Cor* exponit: eius confractionem super fontem, esse defectum cordis: *Cor* enim est primum, quod ex fonte animæ haurit aquam vitæ, pro vniuerso corpore. Itaque *Symbolum Mortis*, est, COR DEFICIENS. An potius fingenda MORS, *Cor*, vt *Hydriam* pede conterens? vel iaculo traijciens?

*Hydria, Vena.*

V. FRANCISCVS Vatablus, & Emmanuel Sà, per *Hydriam*, seu *Cadum*, intelligunt *Venas* & alia sanguinis conceptacula: quæ, vt à fonte, recipiunt à iecore sanguinem. Quare dum hæc haustra non amplius ex suo puteo aquam vitalem hauriunt, anima interit. Finge *Mortem*, haustoria hæc instrumenta, ne sint vsui amplius, confringere.

VI. HVGONI

VI. HVGONI Cardinali, & Isidoro Clario, *Hydria* est *folliculus fellis*, qui receptaculum est flauæ bilis, *Fons, Hepar*. Quod etiam habet Chaldæus, & Aben-esra: ille legit: *Et rumpatur fel tuum super iecur tuum.* A quo non abit Ioannnes Vitalis Cardinalis in Speculo Morali SS. *Verbo* MORS, qui exponit, *Hydriam* esse *pelliculam*, seu *cistulam* fellis super gibbum hepatis rubeo colore: *Fontem*, ipsum *Hepar*, vbi est origo caloris naturalis. *Mors* igitur est, quæ *Lanij* instar, fellis cistam discindit, & in terram conijcit. *Hydria, folliculus fellis.*

VI. NICOLAVS Lyranus, *Hydriam* contemplatur, vt *compaginem* membrorum omnium, quæ hauriunt à corde vitam. Hæc conteritur à *Morte*, quando cum corpore interit. Consentit Ioannes Ferus: qui, *Fons*, inquit, dicitur hîc, *Cor*, à quo procedunt spiritus vitales, sicut aquæ viuidæ ex fonte: *Hydria* est *compago* ceterorum membrorum recipiens vitam à corde, quæ conteritur super fontem, quia moritur cum corde. *Hydria, compago membrorum.*

VII. D Bonauentura, quem sequitur Carthusianus, ac recipit Titelmannus, quibus assentitur Franciscus Valesius, simplicissimè, *Hydriam* interpretantur *Vesicam*, seu, vas vrinę, quam excipit procedentem ab hepate, vnde, ceu ex fonte colamentum sanguinis, & aliorum humorum profluit in totum corpus. Ruptâ hac Hydriâ, vitam etiam *Mors*, post stranguriam, ischuriámque effundit. *Hydria, Vesica.* *Gale. in Aphor. Hip. Com. V. Sect. LVIII Et Com VII. Sect 48.*

VIII. Medicorum hæc est consideratio, cui aliquid addit Leuinus Lemnius, qui per *Hydriam*, vel *Vrnā*, quæ conteritur iuxta fontem, aut scaturiginem, intelligi debere scribit, *Renes, Vesicam*, meatúsque vrinarios: qui in senibus, & ad vitæ exitum properantibus, collabuntur: nec præstant officium: atque ita accelerati interitûs, *Morte* tubos incidente, caussam præbent. Hanc interpretationem ceteris præfert Delrius in Adagialibus, nec displicet Ioa. Lorino, qui se illi adhærere adfirmat. *Hidria, Renes.* *Del Tom. II. Ad. CCCXXXVI Lorin. in Eccl.*

IX. NON sileam R. Dauidem, qui *Ventrem*, vt *Hydriam* habet: quam *Mors* ad sepulcrum, quod eius est locus, vt hydriæ fons, Vespillonis instar defert: sed ad illum rumpitur, & diffunduntur omnia viscera eius. *Hydria venter.*

X. EST qui *Hydriam* esse *Venas* suspicetur: quarum *Cor* principium: Lenticulam auream, seu, *Vittam*, sanguinem, in corde scaturientem, vnde vita ac sensus: *Rotam, Caput*: *Cisternā, Cor* & *Hepar*: sanguinis & vitæ fontem. Corde autem extincto: cerebrum etiam superiore locatum parte deficit. *Hydria Venæ Rota Caput Cisterna Cor.*

Hydria, homo. XI. TANDEM Victorinus, *Fontem* explicat *Mundum*, in quo confractus homo, aquam deinceps haurire non possit. *Hydria* ergo erit *Homo*, quem dum *Mors* pede proterit, tanquam vas haustorium ad fontem confringit.

Rota. Bor. XII. NON minor est in *Rotæ Symbolo* sensuum abditorum diuersitas: quæ confringenda dicitur super *cisternam*. Hebraicè בר *Bor*. quæ vox etiam sepulchrum significat: tum fossam excisam ad pluuiam colligendam: præterea, puteum & lacum. Quod verò Latinus habet. *Confringatur*, LXXta vertunt, συντροχάσῃ, *conuoluatur*: id est, vt Olympiodorus exponit, conuoluendo frangatur, sicque decidat in cisternam. Quod euenire solet, quando funis, quo

ברוץ. Narots. *Rota* regitur, transcurrit, vel circumuoluitur *Rota*. Certè Hebræum, vel fractionem, vel transcursum, atque ita implicationem significare potest: illam rotæ, hanc funis in rota. Quid autem Symbolicè *Rota* in hoc *Mortis* Ænigmate significat?

Rota, Corpus. XIII. CHALDÆVS, humanum *Corpus* insinuat: Nam legit: *Et decurrat corpus tuum in medium sepulchri tui*. Placet hoc Meringo: qui *Rotam confractam* exponit, Corpus *Mortis* violentiâ dissipatum, ac inutile redditum. Et nonne *Corpus* instar *Rotæ* per omnes ætatis gradus voluitur assiduè, decurritq; vsque dum longo vsu attritum: vel derepente in medio velocissimi cursus *Morte* in illud impetum faciente, corruat?

Rota, caput. XIV. SED in Corpore inueniunt alij quidpiam peculiare, quod per *Rotam* denotari putant. Sic Dionysius, Vatablus, Lyranus, Emmanuel Sà, propter figuram rotundam, *Caput* nominant: in *Cisternâ*, *Cor* agnoscunt, ex quo sensus omnes, qui vigent in capite vires accipiunt: tum etiam, quia caput illi superpositum est, tanquam fonti caloris & vitalium origini spirituum.

Cranium. XV. ISIDORVS Clarius, *Cranium*, *Rotâ* significari vult, quod in sepulchro confringatur. Non probat hoc Pineda: nam crania cum sint ex osse crasso, & valido, diutissimè integra consistunt. At non dicit, statim illa conteri Isidorus; sat est, quod *Mortis* pateant iniuriis, & tandem confringantur.

Rota: Vrinæ vasa. XVI. FRANCISCVS Valesius, quem sequitur Ioannes Crombecius, tam *Hydriam*, quam *Rotam* ad idem referunt: *Vas* nimirum *vrinæ*, quæ primum quidem exit guttatim, quasi ex ruptâ *Hydriâ*, cùm senes laborant stranguriâ: deinde supprimitur omninò,

quasi

quasi *Rota* confracta super cisternam, fitque ischuria. Itaque significari volunt dissolutionem vtriusque partis vesicæ, superioris, & inferioris.

XVII. Ioannes Ferus: *Rota*, inquit, *Caput est*, vel *Stomachus*, & alia membra, quæ præstant corpori alimenta. Horum confractio optimum *Mortis* est indicium. *Stomachus.*

XVIII. CAIETANO, *Rota* est *Vis expirandi*, & respirandi, quâ aër, sicut per rotam aqua ex cisterna trahitur. Cessatio huius *Rotæ*, *Mors* est. Assimulatur autem *Rota* hæc vis, inquit Caietanus, eo quod ad instar circularis motus Exspirare, & Respirare, fiant ad puteum pulmonis. In *Morte* autem frangitur isthæc *Rota* attrahendi & emittendi aërem, deficiente respiratione. *Vis respirandi.*

XIX. IOANNES Vitalis Cardinalis exprimit *Volubilitatem* appetitus sensitiui, quæ est in toto corpore, [illegible] tinuò trahit ex iecore, qui est fons sanguinis & caloris naturalis. quid trahit? aquam caloris natiui: imò, ignem, quem per omnia membra immittit, eundemque membra difflant, quodam quasi continuo motu, & agitatione concoctionis. *Volubilitas appetitus sensitiui.* *Calor natiuus haurit ur è corde.*

XX. S. BONAVENTVRA *Rotam* ingerit excrementitiam, seu stercorariam, qua sordes humani corporis excernuntur. Siquidem destructio meatus impuræ superfluitatis, tanquam *Rotæ* confractio *Mortis* est simulacrum. Comparationis ratio est: Quia *Rotæ* nomine instrumentum circulare ac radiatum intelligimus per quod de cisterna educitur aqua, & frequenter impura, sordida, ac lutulenta: Venter autem semper continet stercora, quæ debent emitti per secessus, ac meatus. *Stercora corporis Rota.*

XXI. TITELMANNVS *Rotæ* Symbolo, *Animam* significari existimat, quæ ferramentis ac vinculis compingitur, id est, corpori arctissimè alligatur: in corpore autem ipso rarissimè quiescit & continuò volutatur nimiâ volubilitate. Quemadmodum autem *Rota* in cisternâ violenter retinetur, ferramentis, ac clauis: sed fracta, vel soluta his, quibus erat adfixa, corruit in aquam, atq; ibi quodammodo conquiescit: sic vinculis corporis expedita anima, labitur, quasi in cisternam: nempe Diuinitatis abyssum, plena fruens requie interim, dum est in corpore, haurit ex eadem abysso aquam sed magnâ circumagitatione, ac labore. *Rota, Anima.*

XXII. Cāpēsis ita legit: *Coquassetur, & corruat currus, fractis rotis in fo-* *Corpus currus.*

*ueam*, quam verſionem habet etiam Leuinus Lemnius, qui indicari vult *Caput*, quod ferè moribundis inclinari ſolet, ac in humores deuolui. Eſt autem caput rotundum ac globoſum, quod vt *Rota* verſatilis quaquà verſum mouetur, dextrorſum, ſiniſtrorſum: nunc in pronam, nunc in ſupinam partem: cui mouendi, ac ſentiendi facultas attributa: ex eóque ſpiritus animales orti, per corpus diffunduntur, ac motum ſenſumq; neruis impertiunt: imminente autem *Morte* caput primum labaſcit, ac corruit (vt in oculis perſpici poteſt, qui omnium primò moriuntur, aut mortis indicium præferunt) ac totum corpus in præceps rapit: fractiſq; omnibus membris, vt axe currûs, aut vehiculi, omnem corporis ſtructuram in foueam deijcit.

*Currus vini cadis oneratus.* XXIII. INTER *Mortis* imagines, & illam aliquando ſpectaui, in quâ *Currus* erat vini cadis oneratus: talis eſt corpus humanũ, tot ſanguinis purpurei conceptaculis onuſtum. inſiliebat in *Rotam* ludibunda *Mors*: illam ex axe ſuo eximebat, labebatur currus, concidebant equi, vociferabatur auriga, & manibus ſuper caput eleuatis opem implorabat, videbat *Mors*, & dolia perforabat vnde coccineus in omnes partes profluebat liquor. Nimirum:

*Fertur equis auriga nec audit currus habenas,*
*Dum* Mortis *pugnat cum ratione timor.*
*Corporis exiliente* Rota *deuoluitur axis:*
*Vina fluunt ruptis ſangninolenta cadis.*

*Rota, vita humana. Ia cb. 11.6. Pelus. Lib 1. Epiſt. 158.* XXIV. DENIQVE commodiſſimè in hoc Symbolo, *Rota*, *Vitam* humanam exprimit: quam Iacobus Apoſtolus vocat *Rotam natiuitatis*, τροχὸν τῆς γενέσεως: quod Peluſiota legit, per expolitionem; τροχὸν τῆς ζωῆς ἡμῶν: *Rotam vitæ noſtræ*. Hanc Jacobi cum illâ Salomonis iungit Beda, & interpretatur, *Inceſſabilem vitæ temporalis procurſum, quo à die natiuitatis vſque ad* Mortem, *velut ſemper currente* Rota *curriculi inceſſanter agimur*. S. Thomas etiam *Vitæ huius curſum inſtabilem exponit*. Sed quam ſit aptum Symbolum *Rota* vitæ inconſtantis & nunquam in eodem ſtatu conſiſtentis in SYMBOLIS VITÆ HVMANÆ demonſtro. Hoc huius eſt loci.

*Rota aquaria confractio.* XXV. *Rotam aquariã confractam*: ſeu potius, *Confractionẽ* illius ſuper ciſternam: id eſt, diſſolutionẽ trocleæ hortenſis, aut putealis, *Mortis* eſſe iconem: cùm bellè repræſentet domeſticarum corporis officinarum, & vitalium functionum abolitionem, humido radicali exareſcente. Itaque tum HYDRIA ad fontem contrita, & ROTA ſuper

super cisternâ confracta: tum ipsa CONTRITIO, & CONFRACTIO sacrum *Symbolum* est MORTIS: quam aliâ fictione, pede conterentem *Hydram*, & manu confringentem *Rotam* licet concipere. Est enim MORS in fieri, vt loquuntur Philosophi, nempe actio, seu passio moriendi in fluxu. Est MORS in facto esse: nimirum, actio seu passio terminata, siue terminus. Est MORS formalis, quæ vt forma concipitur, subiectũ afficiens. Est MORS caussalis, vel efficiens, quæ agentis instar fingitur viuenti moliri interitum.

XXVI. Ex quibus conficere liceret gentilitiũ insigne Generis humani: ROTÆ, siue Curuli, siue Puteali MORS insidens: addita inscriptione; MEMENTO MORI. Quod vtinam Ecclesiastici omnes vice vanissimarum imaginum, ne dicam turpium picturarum, in libris, hortis, propilæis, aulis, cubiculis depictum haberent, & frequẽter inspicerent: aut potius memori corde circumferrent, sicq; nouissimorum iugiter recordarentur. *Gentilitium insigne.*

XXVII. ID vobis potissimùm conuenit, MOGVNTINENSES, Qui quoties Archiepiscopalis huius Ecclesiæ, & Præsulis vestri intuemini insignia, & vbi non intuemini? cum vbique picta, sculpta, incisa incurrant in oculos: toties vitæ mortalis, & *Mortis* vitalis *Symbolum*, ROTA sese offerat, & per illam conditionis humanæ fragilitas, ac nouissimorum repræsentatio. Nam meminisse potestis maiorum vestrorum. & *VVilligisi* præsertim, qui ex humillimo loco euectus in hanc *Sedem*, primusque Imperij creatus *Elector*, vt memor esset sortis, & propriæ, & communis omnium, passim in templis, ædificijs, parietibus pingi iussit ROTAM, eandémque incidi cum pentametro, in conclaui. *Insignia Archiepiscopi Moguntini.* *ROTÆ.*

*VVilligis recolas quis es, & vnde venis.*

XXVII. ADDERE potuisset: *Et quò abeas*. Quod suæ natiuitatis ROTÆ, seu familiæ nobilissimæ apud FRANCONES *Symbolo*, quæ ROTA est, adpingi voluisse aut animo potius insculptum, cum *Rotâ* suâ habuisse videtur IOANNES GODEFRIDVS EPISCOPVS, cuius non semel facta in Commentationibus hisce mentio, quia illarum fuit occasio, & cuius *Rotam*, haud ita pridem, intempestiuè confractam, Ratisbona accepimus, quò integra, & benè vncta deuoluta fuerat. *Insignia Ioa. Godefridi Episcopi.*

*O MALA non BONA iam RATIS! ô infausta Carina!*
O *Ratis aduersis, quam malè vecta Notis!*

Heu

*Heu quis te cæco Boreas tulit impete? quis te*
*Quæ Bona eras olim, nunc iubet esse Malam?*
*Quem Bamberga Tibi seruandum miserat, illum*
*Tu mala naufragâ mergis iniqua rate.*
*Præsul it, & Dux it: verùm de Præsule puluis*
*Huc redit & magno de DVCE cana Cinis.*

Is mortuale cranium inspiciendo plurimum delectabatur, eóque cubile, & oratorium exornabat: ad effigiem verò suam ære incisam, cum ROTA, CRANIVM habet, adiunctâ epigraphe:

TALIS ES. MEMENTO MORI.

Poterat ille meminisse, quoties in ROTAM gentilitiam contorquebat oculos, in quâ infaustum omen quinque radiorum animaduertit ingeniosus Poeta in *Querellis denecalibus*, ingessitque illud Bamberga Herbipoli, breui epistolâ.

*Quino fulta stetit* RADIO ROTA *Principis, omnes*
*Dicebam in casus Palladis Ægis ea est.*
*Inuida* MORS *leui contorsit verbere cambum:*
*Protinus in præceps* DVX *ruit atque* ROTA:
*Artaunum infelix! poterat feliciter Orbis*
*Currere nobiscum Nestoris ille dies.*
*Lustra mihi tria iam benè decurrebat; at in te*
*(Infelix!) quinto labitur in radio.*

*Bamberga Episcopus Annis XV. Herbipoli nondum quinque.*

Lusit idem non ineptè in *Trabem*, quam Bambergensis Præsulis insignia ROTÆ adiungunt: sed non potuit illa *Rotam* conseruare integram.

*Quàm variet Fortuna fidem quàm nescia firmo*
*Stare loco expertus iam* GODEFRIDE *fates.*
*Non potuit* Trabs *firma* ROTÆ *prohibere ruinam.*
*Qui subneruaret, Myrtilus alter erat.*
*Vnde tibi caries, vnde est* TRABS *illa teredo?*
FLVXVS *erat caries: dira teredo* FEBRIS.

Tandem:

*Hactenus omen erat*, GODEFRIDE, *volubilis Orbis*
TE *que in supremum sustulit ille decus.*
*Constantem nequit ille modum seruare, deorsum*
*Voluit, in excelsum quem tulit ante locum.*
*Sed felix casus, qui dum premit, erigit: ille*

Arctat

*Arctat humi corpus, tollit ad astra animam.*

Ille translatus est: viuere desijt. Vos ROTÆ fatalis memineritis, & quam diu vitæ Auctor annuerit, benè viuere pergite.

# NOTÆ

## AD COMMENTATIONEM XXVI. & XXVII.

# MORS

## HYDRIA-CONTRITA. ROTA-CONFRACTA.

MAgna est varietas interpretationum tum illius, tum aliorum ab Ecclesiaste eo capite formatorum AEnigmatum, vt benè scripserit Hieronymus. In hoc capitulo diuersa omnium explanatio fuit; & tot penè sententiæ, quot homines. Vnde quia longum est opinationes recensere & argumenta, quibus sententias suas approbare voluerint, explicare propè vnius voluminis est: sufficiat prudentibus significasse, quid senserint, & quasi in quadam breui tabellâ situs pinxisse terrarum totiúsque orbis vastitatem, & ambitum Oceani angusto monstrasse compendio.

*Breuiter ac paraphrasticè sensum vnum persequitur* Ioannes Crombecius *lib.* 1. *de studio perfectionis cap.* XI. *Copiosè omnes Ioannes Pineda, & septem diuersos ponit, qui omnes, vnâ alterâ-ve exceptâ Mortem respiciunt.* Primus *est, De reb. & statu Hebræorum, ante, & post captiuitatem.* Secundus: *De Mundi consummatione, & Antichristi rebus.* Tertius: *De vitâ benè instituendâ ante Mortem: vel, ante quamlibet vitæ difficultatem, ac ærumnam diuinitus immissam, cùm nemo operari amplius poterit.* Quartus: *De conditione hominis moribundi, & certis Mortis signis, ac præsagijs.* Quintus: *De cuiusque Morte, & extremo spiritu.* Sextus. *De senectute & extrema hominis ætatis Morte, ac incōmodis.* Septimus: *De prææmaturâ senectâ ex intemperante adolescentia, & immoderato Veneris vsu.*

*§. XXVII.* Willigisus] *Gloriantur Moguntini VVillgiso, humili genere orto, parente hamaxurgo, qui victus cotidiani caussa,* Rotas, *& plaustra conficere soleret. Ex hac autem tam tenui fortuna, ad tantum*

*dignitatis culmen à DEO euectus, nulla fuit superbia, vllóq; fastu elatus, contra commune quorundam vitium, quod carmine indicauit nescio quis:*

*Asperius nihil est humili, cum crescit in altum.*

*Sed vt sese in recta rationis, humilitatis, ac modestiæ orbitâ contineret, antiquam illam suam tenuitatem vilitatémque nunquam non animo voluebat. Ne autem aboleret obliuio quod menti impresserat, passim in ædificijs ac parietibus, sui parentis, qui Carpentarius fuerat, fabrile opus,* ROTAS *nimirum, pingi ac incidi iussit.*

*Simile quid memorant Profani de Siciliæ Rege Agathocle, qui vt Figuli filium se, in regiâ purpurâ meminisse perpetuò posset, sibi semper in mensâ fictilia vasa iubebat apponi. Ausonius.*

*Fama est, fictilibus cœnasse Agathoclea Regem,*
*Atque abacum Samio sæpe onerasse luto.*
*Fercula gēmatis cum poneret horrida vasis,*
*Et misceret opes, pauperiemque simul.*
*Quærenti caussam, respondit: Rex ego qui sum*
*Sicaniæ, Figulo sum genitore satus.*
*Fortunam reuerenter habe, quicumque repentè*
*Diues ab exili progrediêre loco.*

*Plura de VVilligi. ex M.S & Bruschiano cathalogo Nicolaus Serarius lib. V. Moguntiacarum: vbi rectè obseruat; Quia semper exaltat: DEVS humiles, factum esse, vt* ROTÆ *istæ in summâ omnium essent admiratione: ipsáque ita Moguntina ciuitas adamarit, & coluerit, vt pro suis eas insignibus esse vellet: easdem retinuerint, & celebrarint in hodiernam vsque posteritatem omnes Moguntini Archiepiscopi, ad quos triumphali virtutis curru, citissimísque Modestiæ, ac Demissionis Rotis à VVilligiso felicissimè adducta est augusta in augusto Romanorum Imperio Electoralis dignitas.*

*Moneo cum eodem meos Moguntinenses, & per illos omnes alios, Ecclesiastici præsertim ordinis, vt frequenter* ROTAM *contemplentur: quæ illis in memoriam reuocet, omnium vnum & vilissimum è luto ác puluere ortum: vnum & abiectissimum omnium occasum in putredinem argillaceam, ac vermem.* Quid superbit terra & Cinis? Rex hodie est, & cras morietur? *Eccles.* X 9.12.

*Quo virtus animi maior, quò gloria rerum*
*Se tollit tituli nobiliore notâ:*
*Hoc humilem decet esse magis, memoríque repostum*
*Mente, quod in præceps omnia nostra ruunt.*
*Hoc* ROTA *VVilgisi cuius sanctissima toto*
*Virtus Christiadûm viuit in orbe, monet*

*Est*

*Est virtus, nos esse homines cognoscere, vitámque*
*Esse Rotam. Virtus hæc facit esse Deos.*

*Finge in hac* ROTA, *quæ vitæ humanæ inconstantis, & lubricæ est Symbolum, sedere* MORTEM, *vel impulsu pedis, aut spiculi, quod gerit, illam impellere: vel etiam, quod non minus placet, Rota radijs implicatam* Mortem, *aut Rotæ, serpentis instar circumpositam, vnà volui: tam enim* Mors, *quàm* Vita *est versatilis, cum nulla sit pars vitæ, à qua* Mors *absit, & nouũ habebis Vitæ-mortalis, & Mortis-vitalis elegans Ænigma, cui lemma adpingas.*

*Versatur celeri* MORS *leuis orbe* ROTÆ.

# COMMENTATIO XXVIII.

## MORS SOMNVS.

*Ego dormiui, & soporatus sum. & exurrexi.*

Psalm: 111. 6.

### BREVIARIVM.

1 *In Testamento Veteri, Nouóque, Mors, Somnus dicitur. In hoc frequentius. Quid Cœmeteria. Dormitio. κοίμησις.*

2 *Apud Græcos, Latinósque, Somnus pro Morte. Consanguineus Lethi, Somnus. Frater Mortis. vtriusq; statua. Gemelli*

3 *Somni & Mortis cognatio. Conueniunt. 1. quia priuant sensuum officijs. 2. Vigilia est vita: eius orbitas, Somnus, & Mors. 3. Somnus confinium viuendi, & non viuendi. 4. Dormiens nullius precij, ceu Mortuus. 5. Somnus, vt Mors æquales facit, qui ante impares. 6. Somnus, vt Mors, communis omnibus animantibus. 7. Vt communis, ita haud dispar vniuersis Somnus, & Mors. 8. Somnus leuamentum doloris: ita & Mors Non omnium: sed proborum.*

rum. 9. Post Somnum, expergefactio: post Mortem, Resurrectio. 10. Deus Mortuum, vt Dormientem excitat

4 Somnus, antiquissimum Mortis Symbolum. Somnus adfectio naturalis. De Somno in statu Innocentiæ. De Sopore Adami pluscula. Imago Mortis Christi. Mors Christi, Somnus.

5 Mors, Somnus ferreus. 1. Quia subijcit omnia. 2. Quia dura, immitis, crudelis. 3. Quia insensibilis: & adfert insensibilitatem. 4 Quia inflexibilis. Æneus Somnus ijsdem nominibus. 5. Quia longus, diuturnus, infinitus, inexcitabilis, æternus. Quomodo? Homo, non, vt arbor, naturaliter reuirescit.

6 Vsus Symboli. 1. Consolationi fidelium deseruit. Peccatores mortui lugendi: non ita iusti. 2. Confert, ne Mors existimetur terribilis, & extimescenda nimis. Continet spem certam Resurrectionis. Numquid qui dormit, non adijciet, vt resurgat? Psal XL. 9. Gratia est, quod homo suscitetur à Somno Mortis. 4. Eodem Symbolo Superbia humana contunditur. 5. Anima libertas in Somno se exerit. 6. Mors, vt Somnus, breuis, sedata, secura 7. Vt Somni, & Vigiliæ, sic Mortis Vitæ reciprocatione Mundus conseruatur, & reuirescit. 8 Vt Somnus, ita Mors intempestiuè procurata, noxia est. 9. Somnus nimius Ecclesiasticis, & Litterarum amatoribus cauendus. Quorundam præposterus dormiendi, & vigilandi modus. Antipodes Europæ. Principes Tenebrarum. 10 Ad Mortem, vt ad Somnum se comparent omnes, conscientiæ discussione. 11. Quomodo Mors, ceu somnus, felicem faciat. 12. Optanda Mors. Quare? Est Somnus: reparator corporum, redintegrator virium, Medicus laborum.

7 Somnus Mortis multiplicis Symbolum. 1. Somnus, vt Mors, Culpa. 2. Somnus, vt Mors, Gratia: Raptus. 3. Vt Somnus, ita Mors Gloria. Obdormire in Domino quid? Quid, In-id-ipsum?

8 Adfinia Symbola: Sopor. Lethargus. Κάρως Dormitio. Dormitatio Soporatio. Quies. Requies. Reclinatio. Cubatio. Iacentes, Quiescentes, Pausantes, Mortui.



Vigilan-

## *Vigilantissimi*
## Ecclesiarum Moguntinensium
## *Curatores.*

DE SOMNO nobis hodie differendum, non tam quà est *Somnus*, vigiliæ orbitas: quàm quà MORTIS est *Symbolum*. Plurimis enim in locis Scripturæ diuinæ, SOMNVS MORTEM *Symbolicè* designat. Quod ex antiquis adnotauit, præter ceteros, Eusebius, Lib. VIII de Demonstratione Euangelicâ, & Augustinus non rarò. Quoniam autem id *Symbolum* habet nonnulla, quæ apud omnes non sunt in-confesso: & negari de eo videntur quædam, quæ adfirmari posse, ac debere sacer codex insinuat; lubet nouo hîc modo, sed alibi à me frequenter vsurpato, rem hanc Disquisitionibus excutere, quæ & speculationis nonnihil habeant, & ad *Mortis*, siue incutiendum quibusdam metum, siue excutiendum alijs, sint idoneæ. Sit itaque *Somnus in SScra. pro Morte.*

### PRIMA DISQVISITIO. *Vtrum à Testamenti Veteris Scriptoribus* Mors Somnus *sit dicta*; Mortui, Dormientes, Mori *idem sit, quod* Dormire.

I. D. CHRYSOSTOMVS Oratione II. de Parasceue ita de hoc *Symbolo* disputat, ac si ante CHRISTI aduentum, *Mors* nomen suum obtinuerit, & detestabilius etiam, *Infernus* sæpè dicta: at postquam CHRISTVS venit, & pro mundi vita *Mortem* subiit, non amplius eam habeat appellationem, sed *Somni* & *Dormitionis*. *In V. Testamento Mors Somnus. NOTA.*

II. AT ENIM negari non posse videtur, in Veteri etiam Testamento, *Dormire* non rarò accipi pro *Mori*, & *Mortem* vocari *Somnum*.

Deuteronomij XXXI. 16. Dixit Dominus ad Mosem: *Ecce tu dormies cum patribus tuis.* Libr. III. Regum II. 10. *Dormiuit Dauid cum patribus suis.* Psalm. LXXV. 7. *Dormitauerunt qui ascenderunt equos.* Et, *Dormierunt somnum suum.* Psal. LXXXVII. 6 *Sicut vulnerati dormientes in sepulchris*, Ps. CXXVI. 2. *Cũ dederit dilectis suis somnũ.* Ps. III. 6. *Ego dormiui, & sopo-*

*& soporatus sum & exurrexi.* Iob. XIV. 12. *Sic homo, cùm dormierit non resurget, donec atteratur cælum.* Nahum III. 18. *Dormitauerunt pastores,* exponentibus Theodoreto, & Theophylacto. Danielis cap. XII. 2

Aug. in Ps. III — ישנים, *iescen m,* id est, *Dormientes*, vocantur *Mortui*. Alibi passim eadem formula occurrit, vt dicat Augustinus: *Somnum* pro *Morte* positum innumerabiliter Scripturas continere.

Ioann. XI. 1. — III. MOVETVR Chrysostomus dubitatione Discipulorum Domini, qui cùm dixisset, *Lazarum dormire*, non intellexerunt de *Morte*, sed putarunt, CHRISTVM loqui de dormitione somni. At ruditatem piscatorum ea phrasis latere potuit; & erat sanè Christi Domini loquutio ambigua. Ratio autem illius denominationis, optimè ad decedentes in V. T. accommodari potest, vt postea constabit.

In N.T. sæpius Somnus pro Morte — IV. CONCEDI tamen potest, frequentius in N. Lege istud *Symbolum* vsurpari, ob caussas, quas dabimus Et adeò tritum apud Christianos esse, vt pia quadam consuetudine, cùm quis mortalitatem exuit, non dicant, *Mortuus est*, sed *obdormiuit in Domino*.

Cœmeteria. — V. HINC etiam loca, in quibus Christianorum corpora conduntur, κοιμητήρια appellantur. cuius eam caussam dat S. Chrysostomus, quia non tam mortui sunt, quàm somno consopiti, & dormientes fideles, postquam exuuias mortalitatis deposuerunt. Atque ita apud Areopagitam, Mortui nostri, dicuntur κεκοιμένοι, qui placidè, & suauiter dormierunt. Et in Concilio Antiocheno κοίμησις τοῦ ἀναπαυσαμένου *Dormitio*, eorum, qui quieuerunt, dicitur *Mors*.

Apud Græcos Latinosque Somnus pro Morte.

## SECVNDA DISQVISITIO. *An Profanorum litteris idem Symbolum celebretur*:

NOTÆ. — I. DVBITARI non sinit Græcorum, Latinorúmque, seu prosâ, seu versu scribentium conspiratio: qui *Somnum*, nunc imaginem *Mortis* faciunt.

Ouid. lib. II. Amor. Eleg. 9 — *Stulte quid est* Somnus *gelida nisi* Mortis *imago?*

Quomodo etiam loquitur Chrysostomus Homil. XXVI. in Act. & Ioan. Clima. Gradu XVIII.

Nunc *Consanguineos* appellant.

Virgil lib. VI. Æneid. — *Et* Consanguineus *Lethi sopor.*

Nunc *Lethes*, ac *Mortis* fratrem fingunt.

Αὐτοκασίγνητος γὰρ ἔφυς λήθης Θανάτοιο. *Orpheus.*

*Tu Lethes*, Mortis*que patre es prognatus eodem.*

II. Dictvm vetus est, ἔνθ' ὕπνῳ σύμβλητο κασιγνήτῳ Θανάτοιο: *Vbi in Somnum incidi, fratrem Mortis.* Georgius Leontius apud Ælianum moribundus, rogatus quomodo se haberet, respondit. *Frater incipit me fratri tradere.* Pausanias quoque refert, *Somno*, & *Morti*, vti fratribus, statuas collocatas. Fuit sanè olim inter statuas, quæ Olympiæ visebantur, *Nox* in muliebrem figuram, habitúmque conformata, quæ manu dexterâ puerum album dormientem tenebat; læuâ nigrum dormienti similem: altero designabatur *Somnus*, altero *Mors*, Noctis vterque filius. Ita etiam Hesiodus fabulatur in Theogoniâ cuius versus Latinè edo: *Lib. 11. Cap. 45* *Eliac. 1.*

*Illa verò* Somnum *in manibus fratrem* Mortis
*Nox noxia, nube tecta atra.*
*Ibi autem Noctis obscuræ filij domus habent*
Somnus *&* Mors, *graues Dij.*

Et Homerus, *Hom. Iliad. XIV.*

*Hic* Somnum, Mortis fratrem *conuenit.*

Idem *Somnum* ac *Mortem* gemellos vocat:

Πέμπε δέ μιν πομποῖσιν ἅμα κραιπνοῖσι φέρεσθαι
ὕπνῳ καὶ Θανάτῳ διδυμάοσιν.
*Ferre ipsúmque dedit* Somno, Morti*que gemellis*
*Prapetibus valdè cursoribus.*

Diogenes moriturus, *Frater fratrem excipit*, dicebat. Sunt istiusmodi sexcenta quæ occurrunt, sed centonem non conficimus. Sit itaque

## Tertia Disqvisitio. *In quibus-nam* Somni ac Mortis *tanta sit cognatio & similitudo*? *Somni & Mortis similia*

I. Ex descriptione, & conditionibus *Somni* multa colligere licet. *Somnus* priuatio est vigiliæ. Vigilia autem est omnium externorum sensuum, aut saltem aliquorum solutio, & libertas: *Somnus* igitur, ligatio sensuum omnium externorum, addunt Philosophi, ad animantium quietem & salutem instituta. In hoc ergo Primo conueniunt, quod hominem priuent sensuum externorum officiis. Quoniam igitur, dum *Somno* tenemur, à functionibus suis cessant facul- *Somnus quid.* *Somnus priuat officio sensuum.*

facultates sensuum: sicut potentiæ organo corporeo affixæ, suis actibus priuantur per *Mortem*, ortum inde est, vt *Somnus* (quod præter tot alios scribit Plato in Phœdone) veluti *Mors* quædam habeatur.

*Vigilia est Vita.*

II. SECVNDO: Si vigilia vita est, profectò, eius orbitas, quam *Somnum* appellamus, rectè *Mors* censetur. Prius illud Plinius adserit: & est verissimum, vel Aristotele auctore lib. v. de generatione animal. vbi scribit, quod vigiliâ potissimum viuatur. in eâ enim est operatio, vita autem est actuosa, *Mors* quieta: quæ eiusdem est ratio scribentis ad Eudemum, quam adprobat Lactantius. Huc spectat: quod *Somnus*, *vita* dicatur *ocium*. Quo pacto Aristoteles lib. VII. Politicor. cap. 14. vitam humanam in ocium, ac negocium: in pacem, ac bellum diuisam esse adfirmat.

*Arist. lib. v. ad Eudem. c. 1. Lact. lib. VI. cap. 17.*

*Dimidium vitæ Somnus decerpit.*

III. Ex hac persuasione factum, vt Eruditi scripserint: Dimidium nobis vitæ, *Somnum* decerpere. Quod falsum esset, nisi *Somnus*, vt *Mors* conciperetur. Plinius lib. XXXVI. cap. I. detestans luxuriam in cædendis marmoribus: *Quos, inquit, ad vsus, quásve ad voluptates alias, nisi, vt inter maculas lapidum iaceant, ceu verò, non tenebris noctium dimidiæ parti vitæ cuiusque gaudia hæc auferentibus?* Et lib. VII. cap. 50. *Quid, quod æstimatione nocturnæ quietis, dimidio quisque spacio vitæ suæ viuit?* Idem cum Varrone eos diutius viuere arbitratur, ex eodem principio, qui tempus vitæ in virtutum, ac litterarum studio conterendum sibi putant, & plus cæteris vigilant. Quocirca in Prooem. hist nat. *Cum Somno*, inquit, *valetudinem computamus, vel hoc solùm præmio contenti, quod dum ista*, vt ait Varro, *muginamur, pluribus bonis viuimus*, Profectò enim *Vita vigilia* est. Quod in Horis suis subseciuis eruditè, vt omnia, declarat Lælius Bisciola, probans, & illud Platonis effatum: *Qui viuere & sapere maximè cupit, longissimo tempore vigilet.*

*Alij musitamus, vel mutinamur. Tom. II lib. XV cap. 17.*

*Somnus μεθόριον Confinium.*

IV. TERTIO: Est eius naturæ *Somnus*, quod docet Aristoteles, lib. I. de Gen. animal. cap. I. vt & viuendi, & non viuendi sit *μεθόριον*, seu *Confinium*: & neque omninò sit, qui dormit; neque non sit. Mortuum, si corpus spectes, non esse rectè dixeris: si animum immortalem, verè esse, negari nullo modo potest.

*Dormiens nullius precij.*

V. QVARTO: Quia omnis hominis laus, ac precium in actione consistit, quâ *Somnus*, vt *Mors* priuat: hinc Plato, libr. de Repub. VII neminem, qui dormit alicuius esse precij adfirmat, non magis, quàm si non viueret καθεύδων γὰρ οὐδεὶς οὐδενὸς ἄξιος, οὐδὲν μᾶλλον τοῦ μὴ ζῶντος. Quæ fuit sententia Epaminondæ, magni illius Thebanorum

rum

rum Ducis. Nam cum quendam in excubijs dormientem deprehendisset, eum gladio transfixit. Crudele visum facinus: sed excusauit, dicens: *Talem reliqui, qualem inueni.* Nimirum, eiusdem æstimationis erat illi dormiens, cuius mortuus.

VI. QVINTO: Æquales facit *Somnus*, diuitem ac pauperem: fœlicem ac infœlicem. Laudatur enunciatum Aristotelis lib. 1 Ethicor. cap. postremo: *Bonus vir ac malus discerni in somno minimè potest.* Estque vulgare dictum: *Fortunatos dimidiâ vitæ suæ parte, nihil à miseris differre.* Proprium hoc est *Mortis*, vt sæpe probauimus. Æquat parua, magnis: viburna, cupressis: myricas, cedris: Irum, Cræso: Diogenem, Alexandro: Thersitem, Paridi; Lazarû, Epuloni. casas, palatijs. *Mors*, si animam eripiat, caluariam Philippi, & mendici non distinxeris: Inter plebeiorum & nobilium cadauera nullum erit discrimen. par cinis erit mithratorum, & mediastinorum: Pontificum, & baiulorũ: Regũ & famulantiũ: par corporũ corruptio: pares hospites, vermes. *Somnus æquales facit.* NOTÆ.

VII. SEXTO: Vt *Somnus* communis est omnibus animantibus: quod Philosophi auctoritate, & ratione stabiliunt Doctores Conimbricenses; ac de piscibus, de quibus dubitari posset, pronunciat fidenter Plinius: Ita *Mors* vniuersis, quæ vitam habent, siue in terrâ degant, siue in aquâ, competit. *Statutum est*, (nempe, fixo, immobili, ac indispensabili decreto DEI) *Hominibus semel mori*, Hebræ. IX. 27. vbi, quamuis non sit signum vniuersale, quod Concionatores nonnulli, nescio qua auctoritate textui inserunt, legentes, *Omnibus hominibus*: tamen indefinita vox significationem hic vniuersalem habet. quod patet ex argumentatione Apostoli, quæ est huiusmodi. Dixi Messiam mortuum esse, ac crucifixum. Tu miraris. Sed attende naturæ legem, quâ omnes homines *Morti* subiacent. Itaque nihil mirum. si Christus mortuus sit, cùm hanc legem nobiscum & pro nobis homo factus subire voluerit. *Somnus competit omnibus animantibus.* NOTÆ.

Omnibus hæc sors continget. hoc Mundi est testamentum vt loquitur Ecclesiasticus. *Morte morietur.* Ita vita omnium etiam illorum qui nongentis vixerunt annis concluditur. *Mortuus est.* Omnes, cẽs Mortis debitũ coguntur reddere, Pontifices, Reges, Principes, Duces, Equites, Nobiles, patritij, plebei: à primogenito Pharaonis, qui sedet in solio eius, vsq; ad primogenitũ ancillæ, quæ est ad molã. Ec. XIV. 12. Exod. XI. 5.

*Seriùs, aut citiùs sedem properamus ad vnam.*
*Tendimus huc omnes hæc est domus vltima.*

Somnus similis omnibus. VIII. SEPTIMO: Vt communis, ita haud dissimilis omnibus *Somnus* aduenit. Dormiunt eodem modo magni, parui: pauperes, diuites: domini, serui. Ex ijsdē caussis in omnibus oritur, eodem pacto arrepit, pari modo sensus constringit. Eandem esse *Mortis* conditionem animaduertit Ecclesiastes: *Sapientis quidem oculi in capite eius, & stultus in tenebris ambulat*: sed tamen *vnus* vtriusque est *interitus*. Scholia Græca habent ἓν τέλος: *vnus finis*. Hebræum nomen denotat, id quod Dialectici Porphyriani vocant, τὸ συμβεβηκός, *Accidens*. Augustinus legit: *Vnus incursus incurrit omnibus*: Occursum etiam dicere posses. Et est sanè *Mors*, occursus, Accidénsque, vt philosophatur Lorinus: occupat enim incautos, & intercurrit cogitationibus, & negotijs hominum.

Ecc. II. 14.

Mikreh. מקרה

Aug lib. XX. de Ciu cap. 3.

*——— Cognoui tendere in vnum*
*Forte parem vitæ cursum, sortísque supremæ.*

Ar. Montanus

canit Montanus, Ecclesiasten versibus illigans; & alter:

Ia. Thuanus.

*Nam sapientem olim, & stultum manet exitus idem.*

Ecc. II 15. Postea dicit Ecclesiastes, eundem esse Stulti & Sapientis occasum: nempe paritatem moriendi: ne quis Sapientiæ nimium fidat, sed cogitet communem sibi esse cum stulto conditionem: & post dissimillimas agendi, viuendi, progrediendi rationes, ineuitabilem *Mortis* occursum fore haud disparem: intellige, quoad corpus: Jn animo enim dissimilis ratio sapientis, siue iusti; & stulti, atque impij: illius preciosa, huius pessima Mors. Attamen si corpus spectes. *Moritur doctus similiter, vt indoctus*. Quod extendit diuinus Concionator cap. III. ad iumenta etiam, quæ similiter vt homines dormiunt. *Vnus interitus* (vt Somnus) *est hominis, & iumentorum: & æqua vtriusque conditio. Sicut moritur homo, & illa moriuntur. Nihil habet homo iumento amplius.* Nam, vt optimè animaduertit Pineda: Si separes illam funeris pompam & honorem cadaueris supremum, non solùm Mors sed sepultura etiam eadem esset hominis ac pecoris; sicut de Ioachin dictum apud Ieremiam: *Sepultura asini sepelietur putrefactus, & proiectus extra portas Ierusalem.* Profectò in hac conditione

Ps. CXV. 15. Ps. XXXIII. 22.

Ecc. II 16.

Ecc. III 19.

Ier XXII. 19.

I. Thuan. in paraph.

*. . . Si rem naturæ exanime perspicis,*
*Iumento quid præstat homo?*
*Homo & pecus sub casibus*
*Viuunt ijsdem, sub pari*
*Vitámque ponunt exitu:*

Vinian. in Carmine Eccles.

*Et ani-*

*Et animâ ab vnâ spiritum*
*Ducunt eundem: nec manet*
*Quidquam ex vtroque: cùm fluat*
*Inane quicquid vescitur*
*Humentis aura sideris.*

*Et omnia pergunt ad vnum locum: de terra facta sunt: & in terram pariter reuertentur.* Quæ subiungi monet Hieronymus, ne existimaremus loqui Ecclesiasten de anima: de terrâ enim nonnisi corpus factum est, iturum denuo in terram, vt iumentorum cadauera. *Reddenda est terra terra*, inquiebat ex Euripide Tullius Eccl. III. Cic. Tusc. III.

Σῶμα γὰρ ἐκ γαίης ἔχομεν καὶ πάντες ἐς αὐτὴν Phocylides.
Λυόμενοι κόνις ἐσμέν.
*Ex terra corpus nobis est, & rursus in illam*
*Soluimur, & puluis sumus.* — —

IX. ALIAS *Symboli* nostri caussas apud Patres inuenio, vt OCTAVA numeretur, quod *Mors*, instar *Somni*, sit leuamentum dolorum, laborúmque. Ad hunc enim finem Somnus animalibus conceditur, vt egregiè disputat Tertullianus libr. de Anima, inde refellens opinionem Anaxagoræ & Xenophanis, definientium *Somnum, defetiscentiam: Contrarium potius*, inquit, *defetiscentiæ, quam scilicet tollit. Siquidem homo Somno magis reficitur, quàm fatigatur. Porro nec semper ex fatigatione concipitur* Somnus: *& tamen cùm ex illa est, illa iam non est.* Magis verò ipse probat Stoicorum sententiam: qui, *Resolutionem sensualis vigoris* Somnum *esse determinant: quia corporis solius quietem procuret, non & animæ. Animam enim, vt semper mobilem & semper exercitam nunquam succedere quieti, aliena scilicet à statu immortalitatis: nihil enim immortale finem operis sui admittit. Somnus autem finis est operis. Denique, corpori, cui mortalitas competit, ei soli quies finem operis adulatur.* Somnus leuamentum dolorum. Somnus non est defetiscentia. Ter. lib de Ani c XLIII. Somnus quietem corporis procurat.

X. AB hoc capite misera diuitum, potentiorúmque conditio exaggerationem accipit, quod ijs nec *Somnus* quidem sit leuamen, aut à laboris vacatio, vt elegantissimè describit Lucianus; inducens Mycillum pauperem, diris deuouentem gallum, quod voce acutâ & clamosâ *Somnum* sibi interrupisset: tum gallum declarantem oratoriè, quàm sit tranquillus pauperis *Somnus*; quibus verò curis, & molestiis excrucietur diues: quem similem facit idolis, quæ cùm sint auro, eboréque compacta, ceterum intrinsecus sunt fœda, & deformia, muscis, mustelísque plena, paxillis, & clauis introrsum promi- Diuitibus Somnus non est quies. Lucia in Somnio. Diues idolo similis.

 nentibus,

nentibus, ac multa piee sublita: hoc est, vt ibidem exponit.

*Diuitum cruciatus.*

Sunt in ijs metus, curæ mordaces, suspiciones, odia, insidiæ, atque eas ob res *Somnus* rarus, & hic ipse pertenuis, & plena tumultûs insomnia, cogitationes perplexæ, spes semper improbæ, ac ocij penuria, occupationes, iudicia, expeditiones, edicta, fœdera, consultationes. Quibus rebus fit, vt ne per *Somnium* quidem aliqua re suaui frui liceat: verùm, vt omnibus de rebus solus dispiciat, milléque negocia sustineat.

*Quippe nec Atriden Agamemnona dulcis habebat*
Somnus, *multigenas versantem pectore curas.*

Idque cùm Archiui omnes stertrerent.

*S. Cypr. Epist. ad Donatum.*

Idem animaduertit Diuus Cyprianus: & diuitem ait inter diuitias suas trepidum cogitationis incertæ solicitudo discruciat. Non cibus, securo, somnúsve contingit: suspirat ille in conuiuio, & cum epulis marcidum corpus mollior alto sinu condiderit, vigilat in plumâ. Exigit pœnas pariter de potentiori sublimitas. *Cuncti dies eius*, inquit Ecclesiastes, *doloribus & ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit.*

*Peccatoribus Mors.*

XI. CONTINGIT simile quid diuiti improbo, imò omnibus peccatoribus in *Somno Symbolico*, qui cum iustis fit suauissima quies, ipsis est dolorum & cruciatuum initium. Lazarus iucundissimè quiescit in sinu Abrahæ sopore bonorum pressus: diues Epulo, versat se in carbonum culcitrâ, nullam quietis partem capiens. Quare existimat Chrysostomus impiorum *Mortem* non debere *Somnum* dici. *Iustus*, inquit, *etsi obierit non mortuus est, sed dormit. Dormit enim, qui ad meliorem vitam est transmittendus. Qui autem ad immortalem* Mortem *est abducendus, etiam viuus vitam finit, & est mortuus. Illi descenderunt ad inferos: hi in cœlum ascendent, & erunt cum* CHRISTO.

*Chrysost. in Ps. CXII.*

*Expergefactio Resurrectio.*

XII. NONO: Quemadmodum post *Somnum* expergiscimur, ita post *Mortem* resurgemus: & tunc à longo illo *Somno* cessabimus, non quidem vi propriâ, sicut sponte ad vigiliam redimus, cùm absoluta, & profligata concoctio est: atque intimus calor, qui ambientis frigoris metu in angustum se contulerat, tandem superatis difficultatibus omnibus, è latebra prorumpit: sed virtute Omnipotentis, postquam nouissimæ tubæ sonum altùm adhuc dormientes exceperimus. Quomodo *Somnum* rumpit, qui clamorem percipit, dum anima appulsu soni, & auditoriæ imaginis stimulata,

ad audi

ad audiendi officium concurrit: aut pulsu, tactúque sibi redditur.

XIII. DECIMO: Vt d clareretur, non magis DEO difficile esse mortuum, quàm cuiuis dormientem excitare: imò facilius. Sunt enim nonnulli, qui ægerrimè à *Somno* excitantur, quod ijs accidit, qui pauciores, vel hebetiores spiritus in organis sensuum retinent, aut obstructiores habent meatus. Nemo autem non ad primam DEI vocem è capulo euocantis actutùm exiliet. *In momento, in ictu oculi, in nouissimâ tubâ: canet enim tuba & mortui resurgent*, inquit Paulus. Habebit itaque se Dominus, ac si dormientes excitaret: siue dicamus CHRISTVM magna loquuturum voce, dum Angelos mittet, & Angelos ipsos in tubæ similitudinem clamaturos, vt existimant Oecumenius, & Anselmus: siue velimus, Angelos in adsumpto corpore, aliquo etiam corporeo instrumento vsuros ad modum tubæ, vt alibi Anselmus scribit: siue opinemur, *Tubam* nihil aliud fore, quàm, iussum, & nutum DEI omnia transeuntem, vt Theophylactus exponit: siue denique placeat, *Tubæ* nomine significari aliquod euidentissimum, & præclarissimum signum; quam vocem Archangeli, & Tubam DEI, alio loco Apostolus dicit: quæ & vox Filij DEI in Euangelio vocetur, quam audient omnes, qui in monumentis sunt, vt iterum Præsul Cantuariensis commentatur. Magna itaque *Mortem* inter ac *Somnum* est cognatio, vt hoc illius meritò habeatur *Symbolum*. Sit autem

*Deus mortuũ, vt dormientem excitat.*

1. Cor. xv. 5.

*Oecum. & Anselm. 1. ad Cor.*

*Ansel. 1. ad Thessal. 4.*

## QVARTA DISQVISITIO. *An* Somnus *sit omnium antiquissimum* Mortis *Symbolum*?

*Antiquissimum Mortis Symbolum Somnus.*

I. ITA adfirmare audeo. Quod vt persuadeam, sumo, quod haud negabit Scholasticæ Theologiæ affectator, si legerit in Doctoris Angelici Commentarijs, in statu quoque innocentiæ *Somno* fuisse locum: nimirum, illi quem pura, & suauis elementi vaporatio conciliasset: quo homines illius sortis ad oblectationem sincerámque voluptatem vti potuissent, cum voluissent, inuitati blandè ac deliniti, à temperatâ purioris halitus copiâ ad quietem, seu externarum functionum cessationem aliquam. Probat id ingeniosè Tertullianus libello illo suo de Animâ:

S. Th. 1. P. Q. XCIV. Ar. 4. Q. XCIII. Art. 3.

 quia

quia *Somnus* naturalis est adfectio ad totius animantis perfectionem spectans.

*Somnus adfectio naturalis. Ter lib. de Ani c XLIII*

II. Non vtique extra-naturale est *Somnus*, vt quibusdam Philosophis placet. Qui de *Somni* naturalitate dubitabit, habet quidem Dialecticos in dubium deducentes, totam naturalium, & extra-naturalium discretionem. Apud nos autem id poterit audiri, quod Dei contemplatio suggerit Auctoris omnium, de quibus quæritur. Credimus autem si quid est natura rationale, aliquod Dei opus esse. Porrò *Somnum* ratio præit. Quod si vitale, salutare, auxiliare *Somnus*, nihil eiusmodi non rationale, nihil non naturale. Sic & Medici omne contrarium vitali, salutari, auxiliari extra naturæ cardines relegant. Nam & æmulas Somno valetudines, phreneticam, atque cardiacam, præter naturam iudicando, naturalem *Somnum* præiudicauerunt.

*Adam dormit*

Sed his omissis, quod antiquitatem *Symboli* spectat: Ille fons generis Adam ante ebibit *Soporem*, quàm sitiit quietem. Ante dormit, quàm laborauit, immò, quàm & edit: immò, quàm & profatus est, vt videas, naturalem indicem *Somnum* omnibus naturalibus principaliorem. Inde deducimur etiam imaginem *Mortis* iam tunc eum recessere. Si n. Adam de Christo figurabat: seu Christum exprimebat, primus homo terrestris, primum cœlestem, *somnus* Adæ, *Mors* erat Christi dormituri in *Mortem*, vt de iniuriâ perinde lateris eius, vera Mater viuentium, figuraretur Ecclesia.

*Adami Somnus imago Mortis Christi. Gen. II. 21.*

*S. Tho I. P. Q. XCVII. Art. 2.*

III. Loquitur obscurius Afer, cuius phrasim expressi. Hoc est argumentum. Adam vix creatus dormit. Clara sunt illa sacri textus. *Immisit Dominus Deus soporem in Adam, cúmq; obdormisset, tulit vnam de costis eius.* Quem *Soporem* verũ fuisse *Somnũ* communis est Patrum, & Scripturæ Interpretum expositio. Sanè ex illo colligit S. Thomas Adamum in statu innocẽtiæ dormiuisse. Nec contrarium, siue Hebræa vox, siue Græcæ innuũt. Est enim Hebraicè תרדמה *thardemach*, quæ non quemlibet quidem, sed tamen *Somnum* grauem & profundum significat, vt rapiat quasi hominem in ecstasim: atque ita LXX. Interpretes ἔκστασιν legunt: Aquila καταφορὰν, Symmachus κάρον: quod altum soporem denotat: vnde venæ καρωτικαὶ, seu καρωτίδες apud Medicos, ex quarum obstructione lethargus nascitur. Simul igitur & *Somnus* fuit, & diuinus *sopor*, ac raptus, quo primus parens suauiter delibutus, & à sensuum fructionibus liber, vidit arcana, nec

dolorem

dolorem sensit, cùm è lateris sui costâ formata est mulier.

IV. Fvit autem Adæ *Somnus, Symbolum Mortis* CHRISTI, vt passim Patres docent, qui de Passione commentantur. Breuiter, & scitè Augustinus: *Dormit Adam, vt fiat Eua: Moritur* CHRISTVS *vt fiat Ecclesia. Dormiente Adam, fit Eua de latere: Mortuo* CHRISTO, *lanceâ perforatur latus, vt superessluant Sacramenta, quibus formetur Ecclesia. Cui non appareat, quia in illis tunc factis futura figurata sunt, quandoquidem dicit Apostolus, ipsum Adam formam futuri esse?* Qui est, *inquit*, forma futuri. *Præfigurabantur omnia mysticè. Neque enim verè non poterat* DEVS *vigilanti costam educere, fœminámque formare? An fortè ne doleret latus, quando costa detracta est, propter hoc oportebat vt ille dormiret. Quis est, qui sic dormiat, vt ei ossa non euigilanti euellantur? An quia* DEVS *euellebat, propterea homo non sentiebat? poterat ergo, & vigilanti sine dolore euellere, qui poterat dormienti, sed procul dubio Hydria prima implebatur: prophetia illius temporis de futuro isto tempore dispensabatur.*

S Aug. Serm. CCCXXVIII.
S Aug. Tract. IX in Ioann.
Rom V. 14.

Et S. Bernardus, quamuis existimet *Soporem* Adami non fuisse communem, aut *nostris similem somnus, quos non contemplationis excessus, nec miserationis affectus, sed infirmitatis defectus immittit: quos nec veritas, nec caritas, sed necessitas parit.* Nihilominus vult illum ipsum esse imaginem *Mortis* CHRISTI. *Immisit*, inquit, *Dominus soporem in Adam. Immisit & in seipsum, factus nimirum secundus Adam. Sed est distantia fortè non parua. Ille enim soporatus videtur, præ excessu contemplationis.* CHRISTVS *miserationis affectu: vt in illum, soporem immiserit veritas: in hunc, caritas; cum vtraque sit Dominus. Ait enim Ioannes Euangelista:* DEVS Caritas est. *Et ipse Dominus:* Ego sum via, veritas & vita. *Sanè* Soporem CHRISTI *solius caritatis fuisse nemo dubitat, vel nomine tenus Christianus. Siquidem accubuit vt Leo, non victus planè, sed victor potestate propriâ ponens animam,* SOMNVM MORTIS *excipiens propriâ voluntate.*

S. Bern. Serm. II. in Sept.
Ioann. IV.
Ioan. XIV.

V. Sed & ipsa Domini Mors vocatur in Diuinis litteris Somnvs. Psalm. III. 6. *Ego dormiui & soporatus sum: & exurrexi.* Quod negat Origenes intelligi posse de Dauide, nisi vt se reprehendat, quod ob oscitantiam in gubernando regno, filius ipsum suus persequutus sit. Quod sequitur Burgensis, quia Dauidi fugienti non licuit *somno* ac *sopori* vacare: sed etiam de nocte compulsus est fugere. Itaque sterilem esse sensum, si de Dauide intelligatur, inquit Titelmannus: nec admittendum censet Leo Castro. At S. Augustinus in illum Psalm. scribit, magis congruenter ista ad Passionem & Resurre-

Mors CHRISTI Somnus.
Leo Cast. Apol. lib. III.

surrectionem CHRISTI sonare. Et lib. XVII de Ciuitate, miratur si quis ita desipiat, vt credat, velut magnum quid nobis indicare voluisse Prophetam, quod dormierit, & exurrexerit. Itaque Eusebius interpretatur eum versum de *Morte* Dauidis, & suscitatione, cùm descendit ad inferos CHRISTVS.

Verùm, potest tum de Dauide, tum de CHRISTO explicari. sublimior est sensus de CHRISTO, qui sub altero delitescit. CHRISTVS enim inter hostium insidias animo semper tranquillo, horam sibi *Mortis* decreuerat, certus animam vitámque ponere, & pro arbitrio repetere, ac veluti euigilare Susceptoris sui ope, nempe DEI, cui, vt præcipuæ caussæ adscribi solet à Theologis Resurrectio CHRISTO canitur *Requiescens accubuisti vt Leo, & quasi Leæna: quis suscitabit eum?* quod in hanc sententiam exponunt Origenes *a* Ruffinus, *b* Ambrosius, *c* Eusebius. *d*. Hunc eundem *Soporem* comparant *e* Cyprianus, & Isidorus, *f* cum *Sopore* Adam ex cuius costâ formata sit Eua, vti ex latere CHRISTI Ecclesia. Symbolum autẽ *Mortis* CHRISTI, in *Somno* illo agnoscunt, magno consensu, præter antiquos, recentiores Interpretes, Iansenius, Arias, Hieronymus Osorius, Genebrardus, Eugubinus, Clarius, Bellarminus, Lorinus: atq; ex Concionatoribus, Ioannes Osorius *g* & Diez.

Gen. XLIX. 9. a Cap. XVI. I. Ioan. b De benedict. Patriar. c De benedict. Patr d Ordem. Euãg. lib. 6. 1. e Lic. II c. 24. & in Sym. f In Gen. c. III. & Tract. de Nat. & Passio g Serm. in Dom. IV Quad. Diez ibid.

VI. Idem Symbolum continetur versiculo nono Psalmi 4. *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* Quem de CHRISTI MORTE, sepultura ac resurrectione explicat Isidorus, ac Carthusianus. Et notat ille idcirco sequenti versu dici: *Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me*: quia tantum solus ipse sic requieuit, vt confestim post *Mortem* resurgeret. Certè ipse quodam modo singulari post tridui dormitionem resurrexit: licet propriè illam non sperauerit, quod tamen concedit Origenes. Erat CHRISTVS inter mortuos liber: & singulariter fuit, dum transiret per *Mortem*, & Crucem: quia omninò innocens. Itaque si MORTIS CHRISTI *Symbolum* fuit *Sopor* Adæ, *Somnum*, primam fuisse *Mortis* imaginem rectè dixeris. Iam ad conditiones huius *Symboli* spectat, quæ sequitur

Ps IV. 9 Isid. de Resur. Dom ca Li 1. Carth in Ps IV

Ps LXXXVII. 6 Ps CXL. 10.

QVINTA

## QVINTA DISQVISITIO. *Quamobrem* MORS, *peculiari adiuncto*, SOMNVS FERREVS *apelletur*? SOMNVS FERREVS.

I. Virgilius Æneid. XII.

*Olli dura quies oculos, &* ferreus *vrget.*
Somnus: *in æternam clauduntur lumina noctem.*

Quod dictum videtur imitatione Homeri, qui occaſum deſcribens Iliad. XI.
Iphidamantis, eodem vtitur epitheto.

— — *Illi ſoluuntur corporis artus,*
FERREVS *& claudit morientia lumina* SOMNVS.

Græcè dixit, χάλκεον ὕπνον. *Quod ad duritiē retuliſſe videtur Maro* (inquit Adr. Turneb. Lib. XIX Adſar. cap. 16.
Adrianus Turnebus) *cùm* duram quietem *ſcripſit, veluti interpretans* Somnum ferreum: *Cùm Plutarchus ad ſenſus orbationem, & amiſſionem referendum crediderit, in Conſol ad Apollonium, ſcribens.* Πάλιν τέ που φησὶ τὸν θάνατον εἶναι χάλκεον ὕπνον, τὴν ἀναισθησίαν ἡμᾶς διδάξαι πειρώμενος. Sed Plutar. Conſ. Ad Apoll.
varius ſubeſt iſtiuſmodi epithetis ſenſus, è quibus totidem formare liceret Symbola.

II. PRIMO enim: *Ferreus Somnus* indicare poteſt ſummam eius Ferreum quod ſuperat reliqua.
potentiam, imperium, dominandi latitudinem. Dicitur enim *Ferreum*, quod reliqua eius generis ſuperat ac ſubijcit. Ob quam cauſſam Dan. VII. Romanum Imperium comparatur *Ferro*: quia vt eleganter M. de Roa lib. II. ſingula.
exponit Martinus Roa: omnes ferè gētes, vel robore validas, vt Gallos, Germanos, Hiſpanos: vel imperio potentes, vt Carthaginienſes: vel maiorum gloriâ, & ſapientiâ præſtantes, vt Græcos: vel opibus florentes, vt Aſiaticos: vel terrarum longinquitate remotas, vt Cappadoces, Ponticos, Armenios, Iberos, Aſianos, Schytas, Britannos: vel ſanctitate, & religione inſignes, vt Iudæos, ipſi à nullo niſi à *Morte* tandem ſubacti, perdomuēre.

Eadem ſignificatione vſurpatur à Poëtis *Ferrea vox*, quam ſibi optare ſolent initio carminum:

*Non mihi ſi lingua centum ſint oráque centum,* Virg. lib II. Georg.
Ferrea vox — —

canebat ille. Ita Sophocles ſe χαλκεόφωνον, vt Stentora Homerus vocat, eſſe cupiebat: id eſt, *ferream vocem* habere. nimirum, cuius ſonus Hom Iliad. V.
omnes vinceret, clamoſiſſimorum hominum vocibus ſuperior.

Tyrannis Mors. III. SECVNDO: Denotatur adiuncto, *Ferreus*, Tyrannis *Mortis*, de qua actum alio titulo: quo spectat etiam adiectiuum *Dura*: vt idem sit, *Somnus ferreus*, quod *Mors* dura, immitis, crudelis. Quod in *Mortem* violentam potissimùm cadit. Nam tametsi *Mors*, vt inquiebat Cæsar apud Sallustium, ærumnarum requies sit: si per vim adferatur, ea dura ac crudelis non esse non potest.

Mors sine sensu. IV. TERTIO: Innuitur eodem vocabulo, quædam *Mortis* insensibilitas, quę vel in ipsa fingatur, vel quam adfert alijs. Est enim orbata sensibus, tum formaliter, tum caussaliter, vt loquũtur Theologi. Non audit preces supplicantium: non excipit vota vitam poscentium: non respondet ad quæsita exceptiones texentium. Ita *Ferreum* à Cicerone, & Latinis auctoribus nominatur, quod vel caret sensu: vel ab illo abhorret: eadémque est significatio voculæ, *Durum*. Hinc consequitur

Mors inflexibilis. V. QVARTO: Vt idem sit *Ferreus*, quod *inflexibilis*: pro quo etiam *Durum* accipitur. Nam qui non audit, nec exaudit: qui insensibilis est, nec prece, nec precio flectitur, cautis instar immobilis. Ita Donatus in illud Adelph. *Factũ est à vobis duriter*: Non *durè*: inquit, *& crudeliter*, dixit Terentius, sed, quasi durâ mẽte, id est, inflexibili. Hoc significato promittitur Ecclesiæ supremo Monarchæ Psalm. 119. *Reges eos in virga ferreâ*: id est, inflexibiliter, constanter, vt cũ multis Interpretibus ibi exponit Lorinus. Et Isaiæ XLVIII. grauis est imprecatio Iudæorum: *Sciui quia durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua, & frons tua, ærea*. Quæ omnia inflexibilitatem notant.

Teř. Adelph. Act. IV. Sc. 5.

Psal. 119. Virga ferrea Isa. XLVIII

Æneus Somnus. VI. ET quoniam *frontem æream* nominari audio, reor non minus bellè has *Mortis* conditiones, eadem voce posse exprimi, & fortasse, paullo significantius, quam epitheto *ferreus*. Nam & Homerus χάλκεον vocat: id est, *æreum* vt Lucretius effert, & obseruauit Seruius: & *æreo* magis quàm *ferreo*, quæ hactenus diximus, conueniunt. Siquidem *Æs Ferro* est solidius, ac nulli obnoxium rubigini. Et Serpens à Mose in perticâ erectus, *Symbolum Mortis* à CHRISTO susceptæ *æneus* fuit. Monet etiam Vegetius vt æreis clauis potius, quam ferreis compingantur naues: Nam hos tempore & humore rubigo consumit: illi etiam in fluctibus manent incolumes. Itaque rectè dixeris SOMNVS ÆNEVS, qui

Somnus ferreus, diuturnus, perpetuus. VII. QVINTO: sicut & *Ferreus* ad longitudinem, seu diuturnitatem, perpetuitatémque referri potest: vt *Ferreus Somnus*, idem sit, quod

quod sempiternus, infinitus: fatum irreuocabile, perpetuum. Sic *ferream vocem* interpretari licet, perpetuam, continentem, atq; constantem: cuius sonus omnes omnium ætates superet, & ad æternitatem ipsam pertineat. Græcorum, & Alexandri, apud Danielem in Ære repræsentatum regnum, cuius fama, & gloria, æternitatis sit æmula, vt Hieronymus insinuat. Sic Virgilius: *Nixas ære trabes*, ad perennitatem scribit: & Horatius; *Monumentum ære perennius*, memoriæ æternitatem spectans. *Æneus* quoque *Serpens* vt Augustinus exponit, permansuræ Domini Passionis fidem denotabat: *Nunc autem*, inquit, *tanquam ænea permanet Crucis fides*. Sic quoque *Virgam ferream* Psal. II. quidam accipiunt, vt sit idem, quod, perenne sceptrum. Quo pacto Propheta quidam audit: *Columna ferrea* Ier. I. & dicitur *Cornu ferreum*, videlicet Ecclesiæ, Micheæ IV. ac *Regnum ferreum* Daniel. II. *Caro ænea* Iob. VI. S. August. in Epist. ad Gal.

VIII. Et profectò, *Somnus* qui *Mortis* est *Symbolum*, si naturæ potestatem spectes, quæ excitandi ab hoc *sopore* nullam habet virtutem, est perpetuus. Quod multis epithetis huc facientibus expressit Moschus antiquus Poëta. Somnus, Infinitus. Inexcitabilis.

*Vbi primum mortui fuerimus, obscuri in terrâ concauâ.* Eidyll. III.
*Dormimus valdè benè longum, infinitum inexcitabilem somnum.*

*Longum* etiam *Somnum* alicubi nominat Horatius: & alibi, Hor. lib. III. Od. X.

*Ergo Quintilium perpetuus sopor vrget?* Lib. I. Od. 24.

Eodem modo loquitur Catullus,

*Soles occidere, & redire possunt.*
*Nobis cum semel occidit breuis lux*
*Nox est perpetuò vna dormienda.*

Et Theocritus, in illo Bionis epitaphio, quod Latinum fecit Lambinus:

*Eheu, cùm semel inculto malua aruit horto,*
*Aut viuax apium, foliúmque virentis aneti.*
*Vere reuiuiscunt, alium & nascuntur in annum:*
*Nos autem magni, sapientes, atque potentes*
*Vt semel occidimus, sub terrâ lumine cassi,*
*Dormimus longum, immensum, æternúmque soporem.*

Nimirum nullâ naturæ vi soluendum. Verè, & amœnè Lyricus: Hor. lib. IV. Ode 7.

*Diffugêre niues, redeunt iam gramina campis,*
*Arboribúsque comæ.*

*Mutat terra vices. . .*
*Nos vbi decidimus*
*Quò pius, Æneas, quò Tullus diues, & Ancus:*
*Puluis & vmbra sumus.*
*Non Torquate genus, non te facundia, non te*
*Restituet pietas.*

Iob xiv. 7. 8. 9. 10. 11. 12.

IX. MVLTO elegantiùs idem expressit Patiens nominato fatali *Somno. Lignum habet spem si præcisum fuerit rursum virescit, & rami eius pullulant. Si senuerit in terrâ radix eius & in puluere emortuus fuerit truncus illius: ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam, quasi cùm primò plantatum est. Homo verò, cùm mortuus fuerit, & nudatus, atque consumptus, vbi, quæso, est? Quomodo si recedant aquæ, de mari, & fluuius vacuefactus arescat. Sic homo, cùm dormierit, non resurget: donec atteratur cælum, non euigilabit: nec conconsurget de* SOMNO *suo, Iob.* XIV.

Homo non, vt Arbor, quæ reuiuescit.

Sensus est quem eleganter in paraphrasi expressit Pineda: Non frustra *Mortem* & dolores deprecor: nam non sum sicut Arbor, quæ abscissa, & conuulsa & vetustate confecta, pullulare iterum atq; virescere potest. Et licet amputentur rami omnes, solæ tamen radices & trūcus relicta, licet multa vetustate confecta, vt in lauro perspicitur, lætiora germina proferunt statim, cum humorem vel leuiter attigerunt. At longe dissimilis est hominis natura, & conditio: Nam excisus & conuulsus ex vitâ, atq; ramis omnibus, folijsq; decussis, nullas habet radices, neq; virtutem insitam, vt rursus in eandem vitæ rationem, quā semel amisit, seri, plantari, crescere, viuere possit: neq; eius animus ibi est, vnde ad hāc ipsam vitam facilis illi regressus pateat.

Et quidem humana vita multo inconstantior, fugaciórque est inconstante mari, fluminéque fluente. Nam licet mare in perpetuo fluxu, atque influxu sit; nihilominus tamen, quam aquæ partem deperdere videtur, recuperat statim: & si quid in vapores abit, & à sole absumitur, iterum concrescentibus vaporibus resarcitur. Et si quid fontes, ac flumina attrahunt, illud restituunt, reuertentia in mare. Non aliter torrens iam exundat, iam siccatur, iterumque accipit incrementa.

At homo, cætera labentibus aquis simillimis, semel extinctus, & arefactus, non redibit ad hanc vitam iterū: non aliter, quàm si mare, aut fluuius ad summam siccitatem redacta, & omni scaturigine obstructa reparari naturæ viribus minimè possent: neque illud erit

magis

magis possibile, quàm cœlum, quod incorruptibile est atteri & corrumpi. Non enim humana vita semel amissa innouabitur, prius, quam cœli veterascentes, vetustatem pristinam deponant. Nempe, cùm omnia in melius restaurabuntur, tunc homo quoq; euigilabit, & consurget de SOMNO suo: séque ex *AEternali*, vt loquebantur *domo* eripiet.]

X. AN huc spectat illud, quo comminatur DEVS Babylonijs? *In calore eorum ponam potus eorum, & inebriabo eos, vt sopiantur & dormiant* SOMNVM SEMPITERNVM, *& non consurgant dicit Dominus*, Ieremiæ LI. Nimirum: faciam vt in symposijs eorum sit calor, id est, incalescant, inebrientur, & hilares consopiantur: tum verò occidantur, & *Somnum-seculi*, non excitandi vnquam à sodalibus, inchoent. Eadem comminatio repetitur paullò post: *Inebriabo principes eius, & sapientes & duces eius, & magistratus eius, & fortes eius, & dormient* Somnum sempiternum, *& non expergiscentur, ait Rex: Dominus exercituum nomen eius*. Porro huius *Symboli* fructum producet

*Somnus sempiternus.*

*Ier. L. 1. c. 7.*

## SEXTA DISQVISITIO. *Quis, & vbinam Symboli hactenus declarati est vsus?*

I. DOCENT illum, Diuinæ litteræ, Patrum admonitiones, dicta Sapientum. PRIMO itaque: S. Paulus, illi *Symbolo* vim inesse putat consolatoriam, ad detergendas lacrymas, vel inhibendas in *Morte* carorum. Quid lacrymaris, quid barbam vellis, quid fœmineo vlulatu viciniam comples? Lazarus amicus tuus dormit. Est ne *Somnus* res digna lacrymis? *Nolumus vos ignorare fratres, de* DORMIENTIBVS, *vt non contristemini, sicut ceteri, qui spem non habent.* Quid in obitu tuorum præficas vocas? quid lamentatrices conducis? quid ipse næniam, ineptum, & inconditum carmẽ, submurmuras? quid immodicum luctum, non semel muliebriter ingemuisse contentus, in exequijs, in ferijs, parentalibus, renouas? Dormit, quem tu tanta vociferatione requiris: an quietem illi inuides? Lugeat inconsolabiliter, qui Mortem, vt interitum habet. Illius votum sit:

*Consolationis plenum Symbolum.*

*Ep. 1 ad Thess. cap. V. 12.*

*Ergo ego cùm tenuem fuero mutatus in vmbram,*
*Candidáque ossa super nigra fauilla teget:*
*Ante meum veniat, longos incompta capillos,*

*Tibul lib. III. Eleg. 1.*

*Et fleat ante meum mæsta Neæra rogum.*
*Sed veniat caræ matris comitata dolore,*
*Mæreat hæc genero, mæreat illa viro.*
*Præfatæ ante meos Manes, animámque rigatæ,*
*Perfusæq; pias ante liquore manus.*
*Pars quæ sola mei superabit corporis, ossa*
*Incinctæ nigrâ candida veste legant.*
*Et primùm annoso spargant collecta Lyæo,*
*Mox etiam niueo fundere lacte parent:*
*Post hæc carbaseis humorem tollere velis,*
*Atque in marmoreâ ponere sicca domo.*
*Illic, quas mittit diues Panchaia merces,*
*Eoíque Arabes, diues & Assyria:*
*Et nostri memores lacrymæ fundantur eodem:*
*Sic ego componi carmen in ossa velim.*

Dicant, vt te consolentur, qui *Mortem, Somnum* esse *nesciunt:*

Lucr. lib. III. *At nos horrifico cinefactum te propè busto*
*Insatiabiliter deflebimus.* — —

Non expetit hæc officia Christianus. Non magni facit, si defleta ossa tumulo condantur: imò infleta mauult; sed & inhumata. Non conqueritur, vt nescio quis auriga, qui Tarracone hæc marmori incidi voluit:

NEC. MIHI. CONCESSA. EST. MORITVRO.
GLORIA. CIRCI.
DONARET. LACRYMAS. NE. PIA. TVRBA. MIHI.

Ouid. Epist. Hyp. ad Lyn. Non orat Moriturus:
*Et sepeli lacrymis perfusa fidelibus ossa.*

Non petit solicitus, hinc migrans, vt

Ouid de Mor. Tibul. — — *manibus fugientes prenset ocellos,*
*Mater, & in cineres vltima dona ferat.*

Non postulat, vt supremi muneris officio, lacrymatoriâ phiala tibiam referente, in qua lacrymæ, vt diutissimæ seruarentur, liquidis odoribus mistæ erant, ab heredibus sepulchro inferantur. Apage

NOTÆ. profanitatem! Ad quid *Somnum* concessuro lachrymarum profusio, ossium irrigatio, gemitus, clamor, præficarum insania?

Iacob i Patriarchæ funus. II. *Nolumus vos ignorare,* fratres, *de dormientibus, ne contristemini.* Quare? quia SOMNVS est, quæ MORS, nimis ominoso nomine dicitur.

tur. Argumentum à Chrysostomo frequenter, copioséque tractatum, Sed breuiter, dum exponit illa Genesis L. Cùm audissent habitatores Chanaan, dixerunt: *Planctus magnus est iste Ægyptijs*: nimirum celebrabant exequias Iacobi Patriarchæ, & *planctu magno, ac vehementi implebant septem dies.* Tempus cogita, inquit Chrysostomus, quo facta sunt ista, & ab omni culpa libera Ioseph, quod sic patrem defleuerit: nondum enim fuerant portæ inferi confractæ, nec Tartari vincula dissoluta, nec MORS dicebatur DORMITIO, & idcirco quia timuerunt Mortem, id faciebant. Nunc autem quia post gratiam Christi MORS facta est SOMNVS, & CONSVMMATIO & QVIES, & certa multa sunt resurrectionis indicia, quasi de vita in vitam transferendi, sic exultamus, & lætamur. Et quid dico de vita in vitam? De deteriori in meliorem: de temporali ad æternam; de terrenâ ad cœlestem.] Gen. L. 11.

III. QVONIAM autem peccatoribus *Somnus* hic non est dulcis, nec quietus, sed multis turbatus insomnijs, grauis & malorum æternorum initium, horum iure lugeri *Mortem* docet idem Constantinopolitanus Orator Homilia integra, quæ est LXIX. ad Antiochenos: in qua illa sunt huius argumenti. *Peccatorum mortem lugẽdã.*

MORS indifferens est & media. Non enim malum est *Mors*: sed malum, si mortuus tormentis tradatur. Neque rursus est bonum *Mors*, sed bonum, si defunctus seculo cum Domino viuat. Quæ sunt post *Mortem* ea vel bona, vel mala sunt. Circa defunctos itaque ne temerè lugeamus: neque de viuentibus stultè lætemur. Sed quid? Lugeamus peccatores, non tantùm defunctos, verum & viuentes: de iustis autem gaudeamus, non modò superstitibus, verùm & mortuis. Nam illi quidem, & viuentes mortui sunt: hi vero mortui quoque viuunt. Illi cùm hic quoque supersunt, sunt omnibus miserabiliores, quoniam DEVM offendunt: at hi, cùm hinc quoquo migrauerint, felices omninò: ad CHRISTVM enim transierunt. Peccatores vbicumque fuerint, procul à Rege morantur, propterea lacrymis sunt digni. Iusti siue hic, siue illic, cum Rege sunt, & illic amplius, & propinquius, non per introitum, non per fidem, sed facie ad faciẽ. Ne mortuos itaque temerè defleamus, sed in peccatis mortuos: hi namquè luctu digni, hi planctibus & lacrymis.]

De iustorum decessu gaudendum est potius, & ijs congratulandum: quare subdit Chrysostomus. Nemo iam igitur plangat, aut *De iustorum Morte gaudendum.*

plorer,

ploret, nec CHRISTI meritum afficiat calumniâ: *Mortem* etenim vicit. Quid igitur superfluas fundis lacrimas? SOMNVS ea res est. Quid gemis & luges? hoc namque si vel Gentiles facerent, oporteret deridere: cùm verò fidelis in his se turpiter gerat, quæ fuerit excusatio? quæ venia talia fatuè sectanti, & hæc post tantum temporis, & tam manifestam Resurrectionis probationem?]

*Chrys. Homil. LXX. ad Pop.* IN sequenti autem Homiliâ, vbi de eadem re elegantissimè differit, vrget idem argumentum MORS est SOMNVS & REQVIES: non ergo plorandus hinc migrantium obitus. Dicis, conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi, & luges? Nonne histrionica est repræsentatio? non simulatio? Nam si verè quæ profers, credis, ociosè luges: si verò ludis, & simulata, hæc esse putas, cur & tu psallis & aduenientes toleras? Quare psallentes non abigis? Sed hoc est furentium: verùm & multo magis illud.

*An vetet religio omnem mœstitiam & fletum in funeribus.* IV. ERGO-ne flere non licet in bonorum exequijs? At, & Christus lacrymatus est ad tumbam Lazari? Tu lacrymas vetas, quas antiqua maiorum pietas vocabat, *Iustas, Fideles, Debitas:* quas auctoritate sacratorum hominũ saluâ, permittit religio? quas fluxisse haud violata virtute docet Philosophia? quas Solonem Sapientem in morte sua expetijsse scimus? Non sunt leges Christianorum à Locrensibus conceptæ, quibus mortuos lugere erat vetitum.

*Tristitia duplex.* OCCVRRIT huic obiectiunculæ, defunctorum, si quis alius patronus, D. Augustinus Sermone XXXII. de verbis Apostoli: *Vt de dormientibus non contristemur.* *Naturalis.* Est de mortuis, inquit, qui diliguntur, quædam tristitia quodam modo naturalis. *Mortem* quippe horret non opinio, sed natura. Nec *Mors* homini accideret, nisi ex pœna, *NOTA.* quam præcesserat culpa. Qua-propter, si animalia, quæ ita creata sunt, vt suo quoq; tempore moriantur, *Mortem* fugiunt, diligunt vitam, quanto magis homo, qui sic fuerat creatus, vt si viuere sine peccato voluisset, sine termino viueret? Hinc itaque necesse est vt tristes simus, quando nos moriendo deserunt quos amamus: quia etsi nouimus eos non in æternum relinquere nos mansuros, sed aliquãtulum præcedere sequuturos: tamen *Mors* ipsa, quam natura refugit cùm occupat dilectum contristat in nobis ipsius dilectionis adfectum.

*Præter rationem nimia.* Ideò non admonuit Apostolus, vt non contristemur: sed, *Non sicut ceteri*, qui spẽ non habent. Contristamur ergo nos in nostrorum

*Mortibus*

*Mortibus*, necessitate amittendi, sed cum spe recipiendi. Inde angimur, hinc consolamur. Inde infirmitas adficit, hinc fides reficit. Inde dolet humana conditio: hinc sanat diuina promissio.]

V. Nec lacrymas proscribo, quas nonnunquam humanitas imperat, modò cum temperamento fluant, nec religionis dignitas lædatur. Sunt & lacrymæ sæpè naturales, nec cohiberi possunt: *Moderatæ lacrymæ.*

*—— Subitos fundunt* *Se in Thyeste.*
*Oculi fletus, nec caussa subest:*
*Dolor, an metus est: an habet lacrymas*
*Magna voluptas?*

Audimus decessisse amicum, dolemus, lacrymamur:

ἡ λύπη δ' ἔχει, *Philemon Comicus.*
Ὥσπερ τὸ δένδρον τοῦτο καρπὸν, τὸ δάκρυον.
*—— dolor enim habet,*
*Vt arbor fructum, lacrymas.*

Habet hoc idem tristitia, quæ Græcè λύπη dicitur, παρὰ τὸ λύειν, quod soluere sonat, ex eo dicta, quia oculos in lacrymas soluat: vt Meletius de hominis naturâ philosophatur. Has nulla religio vetat, nec CHRISTVS continuit, & ipse lacrymatus. Modum præscribit ratio: immodica prohibet Paulus, cuius mentem exponit, qui norat optimè, Chrysostomus, à quo accipe moderamen. *λυπη. λύειν.*

IV. *Lugeamus sed non indecenter, non comas vellentes, non detegentes brachia, oculos non dissipantes, non pullis vtentes vestibus* (quod hoc tempore, nec indecens nec irreligiosum) *sed tantùm in animo silenter amaras fundentes lacrymas. Licet enim & absque hoc exteriori cultu amariter lugere, nec illudere duntaxat. Aludibrijs enim minimè differunt, quæ geruntur à nonnullis. Amarè plora, domi luge, vbi nemo te spectet: hoc est misericordiæ: hoc & tibi prodesse potest.* Hunc luctum pro peccatoribus defunctis permittebat Chrysostomus, ego etiam pro Iustis: nec religionem offenderet, qui moderatè lacrymaretur. Quis enim tam saxeus, qui obstinatè semper sibi ab ijs temperet? *Lugendi Modus Chry. Ho. LXIX ad Pop.*

*Cùm primùm nuncius acerbi funeris nos perculit, cùm tenemus corpus è conspectu nostro in ignem* (terram) *transiturum, lacrymas naturalis necessitas exprimit, & spiritus ictu doloris impulsus, quemadmodum totum corpus quatit, ita oculos quibus adiacentem humorem perpremit & expellit. Hæ lacrymæ per elisionem cadunt nolentibus nobis. Aliæ* *Lacrymæ non procuranti erumpunt Seneca. L. de Tranq. An.*

*sunt quibus exitum damus, cùm memoria eorum, quos amisimus, retractatur, & inest quiddam dulce tristitiæ, dum occurrunt sermones eorum iucundi, conuersatio hilaris, officiosa pietas: tunc oculi, velut in gaudio relaxantur. His indulgemus, illis vincimur.* Scimus fuisse, quibus in funere virorum DEO carorum, ob amissum tantum præsidium

— — *imbre madebant*
*Præfusæ vestes proprioque in fonte natabant*
*Stillantes oculi, vultúsque sinúsque rigabant.*

Sorm. XXXII. de verb. Apost.

*Permittantur itaque pia corda carorum* (verba sunt Augustini) *de suorum mortibus contristari, dolore sanabili, & consolabiles lacrymas fundant, conditione mortali, quas citò reprimat fidei gaudium, qua creduntur fideles quando moriuntur paullulum à nobis abire, & ad meliora transire.* Sed his modò non est immorandum. Quid deceat Christianos, quid à maioribus fuerit vsurpatum docent accuratè Necrologi in quibus Iacobus Gretzerus opere erudito de *Funere.* Nos istud hîc asserimus. PRIMVM huius *Symboli* vsum esse; ne, vel tristemur, vel non nimium lugeamus in nostrorum decessu.

Mors nec terribilis nec exhorrescenda.

VII. SECVNDO: valet eadem imago, ne *Mortem* tam terribilem existimemus, quam vulgo fingitur, ac proinde ne illam nos ipsi tantoperè exhorrescamus. Quid enim? est *Somnus.* Ergo hunc vsque adeò metuendum & crudelem existimas? Est vacatio post laborem: cessatio post longam ambulationem: quies post motum. Argumentum Chrysostomo visum penè apodicticum. Qui explicans factum Abrahami, dissimulantis eum Sarâ suâ coniugium, vt est Genesis XX. dicentísque: *Soror mea est*, cum esset coniux.

Mors contemptibilis.

*Iustus hic,* inquit, *ob dolorem* Mortis, *omnia acerba toleranda ducebat.* Mors *enim ante* CHRISTI *aduentum terribilis erat: nunc autem contemptibilis: ita, vt quam formidabant illi, virtute clari, & tantâ erga* DEVM *fiducia freti nunc derideant & iuuenes & teneræ virgines. Nihil enim* MORS *est vltra, quã* SOMNVS, *&* PEREGRINATIO, & TRANSMIGRATIO *à deterioribus ad meliora.* Mors *enim* Domini *immortalitatem nobis donauit, &* Mortis *dissoluit neruos, & robur destruxit. Et quod ante terribile erat, nunc contemptibile fecit, adeò, vt multi exiliant, & festinent cum hinc migrandum. Vnde Paulus clamabat*: Cupio dissolui & esse cum CHRISTO.

Mors quia Somnus dat spem resurrectionis.

VIII. TERTIO: continet hoc *Symbolum*, & mirum in modum promouet Spem resurrectionis, quæ gaudendi, non tristandi, siue de nostra, siue aliorum *Morte* est caussa. Hunc vsum ostendit Paulus Apostolus

Apostolus 1. ad Thessalonicenses IV. 14. postquam enim nominasset *Mortuos, Dormientes*, subiungit: *Si enim credimus: quod* IESVS *mortuus est, & resurrexit* (credere etiam debemus, quod) DEVS *eos qui dormierunt per IESVM adducet cum eo*: nimirum è sepuchro euocatos ad vitam nouam & gloriam; seu, ad beatam immortalitatem. Si tamen dormierint per IESVM, id est, in IESV: Sic enim particula, διὰ, pro, ἐν, alibi quoque accipitur. Rom. XIV. 11. Apoc. XIV. 13.

Intellexit sensum Apostoli S. Augustinus, qui idcirco, dicit, Scripturam, *Morientes* appellare *Dormientes*: *vt cùm* Dormientes *audimus, euigilaturos minimè desperemus*. Vnde etiam, inquit, cantatur in Psalmo: *Nunquid qui dormit, non adijciet vt resurgat*? Quæ verba, vt alibi scribit Augustinus, ita posita sunt, vt nihil aliud dixisse intelligatur, quàm si diceret: nunquid qui moritur, non adijciet, vt reuiuiscat? Interpretantur illa de CHRISTO plurimi, vt significetur *Mors* illius ac Resurrectio. Quodque tam facilis illi fuerit resurrectio, quam est expergisci facile illi, qui dormit. Præterea, voluntariam illi fuisse *Mortem*: adde, nobis esse debere, DEO decernente, sicut homini fatigato *Somnus*. Adhæc parum durasse, & in nobis etiam parum duraturam: sicut non diu durat dormitio. Item, mysticum CHRISTI corpus visum fuisse destitutum sensu, sicut nos cum dormimus. Sed & recreatum eodem *Somno* Ecclesiæ corpus: sicut *Somno* recreantur artus nostri. S. Aug. Serm. XXXII. de verb. Apost. Psalm XL 9. Lib. XVIII. de Ciu. Dei c. 58. Genebrard. Basilius. Theodoret. Chrysost. Atha. lib. de Pass. & Resur. D. cap. L1.

Acutum est, quod notat S. Ambrosius, verbo, *adijciet*, denotari, adiectam homini super cetera animalia, gratiam, vt dum *Morte* fuerit soporatus, excitetur, & reuiuiscat. Similì quadam ratione, cùm dilata fuit *Mors* Ezechiæ, ei dictum est: *Ecce adijcio ad tempus tuum annos quindecim*: Et alibi à Dauide. *Dies super dies Regis adijcies annos eius*. Quod si de CHRISTO quæ diximus, accipiatur haud minori acumine monet Ambrosius, non poni passiuum, *adijcitur*; sed actiuè: *non adijciet, vt resurgat*. eo, quod ipse DEI FILIVS se è *Somno* illo excitauerit propriâ virtute resurgens: adiectionémque istam sit operatus, quasi DEVS. Quod non vetat, vt dicatur quoque CHRISTVS, quà homo, resurrectionis propriæ fuisse operator instrumentaliter. Gratia homini suscitari à somno Mortis. Isai. LVIII 5. Psal LX. 6

IX. Perpendit eandem huius *Symboli* vim Chrysostomus non rarò, inde ducens consolatoria argumenta. Quam eleganter, attende, in ea Homilia in qua negat fideles defunctos lugendos. Græcorum pueri, qui de Resurrectione nihil norunt, consolationis tamen Chrys. Hom. LXIX. ad Pop.

 inue-

inueniunt verba, dicentes: Fer generosè, nam facta non licet infecta reddere, aut luctibus emendare. An tu his altiora discens, & vtiliora non confunderis, maiorem illi præferens deturpationem? Nec enim nos dicimus: Fer generosè: nam factum non licet infectum reddere: sed, Fer generosè: omninò namque resurget: DORMIT infans: non est mortuus: quiescit, non perijt. Nam eum resurrectio suscipiet, & vita perennis & immortalis, Angelicúsque consessus. Hæc ibi. Homilia proximè sequenti in quâ probat, pro defunctis non lugendum sed orandum, idem saxum versat, & initio statim, *Morti* illudens: *Mortis*, ait tyrannidem eijciens DEVS simul & Diaboli soluit potentiam. Qui namque de Resurrectione multa sapienter nouerit meditari, quomodo *Mortem* formidabit? quomodo eam inhorrescat? Nimirum, *Somnus* est, in quem si incidamus, postquam naturæ satisfecerimus, ab eo excitabimur.

*Chrys. Hom. LXX.*

*Superbia deprimitur.*

X. QVARTO: ingeniosè Tertullianus *Symboli* huius considerationem traducit ad superbiæ humanæ victoriã: dum vult *Somnum* simulachrum *Mortis* idcirco à DEO effictũ, vt commoneantur mortales, quales ante vitam sine sensu fuerint, quales post *Mortem* sine sensu sint futuri, ac proinde intermedio tẽpore non intumescant: & quod habent, DEI munere, se habere intelligant.

*Somnus Mortis simulachrum.*

SOMNVS tam homini salutaris, tam naturalis, tam rationalis in publicæ & communis iam Mortis effingitur exemplum. Voluit enim DEVS & aliàs, nihil sine exemplaribus in sua dispositione molitus, paradigmate Platonico plenius humani vel maximè initij ac finis lineas quotidie agere nobiscum, manum porrigens fidei facilius adiuuandæ per imagines, & parabolas, sicut sermonum, ita & rerum. Proponit igitur tibi corpus amica vi soporis elisũ, blandâ quietis necessitate prostratum, immobile situ, quale ante vitam iacuit, & quale post vitam iacebit, & testationem plasticæ, & sepulturæ, expectans, animam, quasi nondum conlatam, & quasi iam ereptam.]

*Παράδειγμα. Platonicum.*

Quod audis, DEVM, paradigmate Platonico, *Somnum* homini donasse non te turbet παράδειγμα hoc, non est aliud, quàm exẽplar, seu imago *Mortis*. Certè Plato in Phædone, *Somnum*, & *Vigiliam*, *Morti*, ac *Vitæ* cõparat. Quo fortasse adludit Septimius, vt Pamelius, eruditissimus Afri commentatos, insinuat. DEVS igitur Pictoris instar, quasi lineas ducendo SOMNVM diuino penicillo effinxit vt imaginem *Mortis*: quod idem fuit paradigma Platonis, vt initia nobis nostra,

ſtra, finémque tanquam in tabulâ oculis ſubijceret. Porrò

XI. QVINTO: Vt in ea deterioris partis vilitatem, quæ ſopore preſſa, ſine ſenſu, caudicis inſtar, iacet: ita nobilitatem alterius, quæ ad Diuinitatem adſurgit, & anima dicitur, contemplatur idem Tertul. Nam dum dormis, illa ſic patitur, vt alibi agere videatur, diſſimulatione præſentiæ, futuram abſentiam ediſcens. Et tamen interim ſomniat, nec quieſcit, nec ignaueſcit omninò, nec naturam immortalitatis, ſeruam ſoporis addicit. Probat ſe mobilem ſemper: terrâ, mari peregrinatur, negotiatur, agitatur, laborat, ludit, dolet, gaudet, licita, atque illicita perſequitur: oſtendit, quod ſine corpore, etiam plurimũ poſſit: quod & ſuis inſtructa ſit membris; ſed nihilominus neceſſitatem habeat rurſus corporis agitandi. Ita cùm euigilauerit corpus redditum officijs eius Reſurrectionem mortuorum tibi adfirmat. Itaque etiam per imaginem *Mortis* fidem initiaris, ſpem meditaris, diſcis mori & viuere: diſcis vigilare, dum dormis.

*Anima in Somno libera.*

IN eundem ſenſum Clemens Alexandrinus. Sciendum eſt: Non eſſe animam, quæ *Somno* indiget. Ipſa enim eſt ſemper mobilis. Sed corpus, quod quieti traditur, reſoluitur: dum anima non amplius corporaliter operatur: ſed per ſe ipſam mente verſat. Quo fit, vt, quæ ſunt vera ſomnia, rectè reputanti, ſint ſobriæ animæ cogitata: vt quæ ad corporis defectiones per conſenſum non trahatur: & ipſa ſibiipſi, quæ ſunt optima conſulat. Anima autem eſt interitus, ſi ipſa apud ſe omninò quieſcat. Et ideò DEVM mente ſemper verſans, per continuam conſuetudinem corpori vigiliam inſerens exæquat hominem Angelicæ gratiæ, vitæ æternitatem ex meditatione vigiliæ ſuſcipiens.] Breuiter. Vt *Somnus*, ita *Mors* Animã quippe immortalem non ſopit.

*Clem. lib. II. Strom. Cap. 9.*

*Anima non ſopitur.*

XII. SEXTO: Multa alia latent in *Somni*, *Symbolo*, quæ obſeruant Patres, dum CHRISTI *Mortem*, *Somnum* fuiſſe adfirmant, quia breuem, ſedatam, ſecuram: qua vegetior, & glorioſior fuerit in corpore: *Sepulchrum* enim *eius fuit glorioſum.* Ita ferè Auguſtinus, Gregorius, Rupertus, Caſſiodorus, Brugenſis.

*Somnus breuis. Aug. lib. XXII. de Ciu. cap 18. & tract. XLVII in Ioan. Greg. Pſ. VI. Pænit. Rupert. II. de Trin cap. 35. Caſſiod. Pſalt. Brugen. ib. Iſa 11. 10.*

XIII. SEPTIMO: Vt *Somni* & *Vigiliæ* reciprocatione, vitæ ſalutiq; animantiũ mirificè natura cõſuluit, tum quia iucunda eſt: tum quia per illam vires reſtaurãtur, ac reficiuntur: ita mundo, quod magnũ Animal vocabãt Stoici prouiſũ *Vitæ* ac *Mortis* viciſſitudine, quâ cotidie renouatur, ortu, & interitu diuerſorũ. Vnius n. corruptio alterius

*NOTÆ.*

est generatio, quo quid ad vniuersi ornatum pulchrius? quid ad commoditatem Regnorum & Rerumpublicarum opportunius? *Generatio praterit, generatio aduenit.*

Eu. l. 4. . . . *volucri pede labitur atas.*

*Prateritámque sequax mox inchoat altera.*

Sic decet *Somno* vigiliam, & è conuerso, succedere.

*Voluuntur anni, & qua modò*
*Viuebat atas, defluit:*
*Genesísque vna deficit, altera*
*Succedit.* — —

XIV. QVID in *Morte* tot Principum, quos vnus annus abstulit, miraris? Dormiunt illi, vigilant alij. *Somno* correptus iacet MATTHIAS: vigilat Imperio cœlitus datus FERDINANDVS. Ad quietem concessit in Hispaniâ PHILIPPVS: numero mutato, eiusdem nominis, & sanguinis rem agit *Alter-Ipse.* Soporatus concidit JOANNES GODEFRIDVS, duplici tiarâ visendus: accepit illicò Bamberga IOANNEM GEORGIVM; Herbipol. PHILIPPVM ADOLPHVM, vigilantissimos Præsules. Mundus hac vicissitudine fit vegetior. Nemo miretur. *Omnis caro sicut fœnum veterascet, & sicut folium fructificans in arbore viridi: alia generantur, & alia deijciuntur. Sic generatio carnis, & sanguinis alia finitur & alia nascitur. Vbi sunt Principes gentium & qui dominantur super terram? exterminati sunt & ad inferos descenderunt, & alij loco illorum surrexerunt.*

Matthias I. Ferdinand II. Philippus III Philippus IV. Ioan. Godefrid. Ioan. Georg. Philippus Adolph. Eccli XIV 18. 19 20. Baruch. III. 16. 19.

AT viuere diutius potuissent; cur ad decrepitam ætatem non peruenerunt optimi Principes, Ecclesiæ Columnæ? obijt PHILIPPVS *Columē* religionis in florenti æuo. raptus est IOAN. GODEFRIDVS, *Decus* ordinis sacrati in medio cursu. Igitur diutius hos vigilare voluisses. Nescis, longas vigilias homini noxam adferre? quod docet experientia, & probat Hippocrates. Hinc macies, cruditates, vires labefactatæ, sensuum functiones debilitatæ, nimia siccitas, delirium quandoque, & insania. Hæc tu ijs, quos amas, ex adfectu, precaris, cum quietem fessis optare sit satius.

NOTÆ. Hipp. libr. II. Aphorism. 3.

Sat longa vita est, si plena est. Impletur autem cum animus sibi bonum suum reddidit: & ad se potestatem sui transtulit. At ille obijt viridis: sed officia boni *Principis*, boni *Ducis*, boni *Episcopi* executus est. In nulla parte cessauit. Licet eius ætas imperfecta, vita perfecta fuit. Hoc laborandum, vt vita nostra, quemadmodum preciosa rerum,

rerum, non pateat multum, ſed multum pendat. Actu illam metiamur, non tempore. Laudemus itaque & in numero felicium reponamus eum, cui quantulumcumque temporis contigit, benè collocatum eſt. Vidit enim veram lucem: non fuit vnus ex multis: & vixit, & viguit. Vixit, ad poſteros vſque tranſilijt, & ſe in memoriam dedit.

Sed graue illi fuit, & peracerbum ipſo quaſi mane, honorum & dignitatum ſole adfulgente, obdormiſcere. Quid inuides Mœcenati matutinum *Somnum*? an ignoras illum iucundiſſimum eſſe? Docet id Phiſophia Peripatetica: quia Solis accedentis propinquitas à noſtris corporibus halitus ſoporiferos excitat. Sed melius Chriſtiana: Quia nemo ſecurius ſoporatur, quàm, qui diei malignitate nondum fuit turbatus.

XV. Octavo: ſuggerit idem *Symbolum*: Vt *Somnus* intempeſtiue adhibitus, officit valetudini, & exitium nonnunquam creat, quod monet Hippocrates & Auerroes: haud ſecus *Mortem* intempeſtiuè aduocatam, & procuratam; quod nonnulli rerum deſperatione, aut ærumnarum grauitate preſſi faciunt, interitum adferre ſempiternum.

*Somnus intempeſtiuus. Hipp. lib. II. Apho 5. Auer. VI. Collig. cap 4.*

XVI. Nono: nec illud omitto; Si *Mortis* imago eſt *Somnus*, turpiſſimum eſſe homines ſapientiæ acquirendæ natos, officijs Eccleſiaſticis deditos, litteris ac libris deſtinatos, deniq; virtutis exercitationi traditos, magnam meliorémque vitæ partem, quæ in vigilia conſiſtit, *Mortis* effigie commutare: ſeq; ad hominis officia ineptos reddere. *Somnus* enim immodicus, vt membra laxat, & calorem natiuum hebetat, ita grauat caput, ſtupidos, ſocordes, obliuioſos reddit, & ad vitia procliues: tum verò, ad ſubeundos labores, iéſque à libero homine, & Eccleſiaſtico maximè ſuſcipiẽdas, pigros, ac inutiles. Profectò, vt ille aiebat, & adoleſcentibus in gymnaſijs occini ſolet;

*Somnus viruius Eccleſ. indecens.*

*Non iacet in molli veneranda ſcientia lecto.*

XVII. Hoc perſuaſum erat Platoni, qui dormiebat parum, & vt parũ dormiret, magnâ erat victus continentiâ, oliuis academicis, pane & aquâ contentus. Idem, *Somnum*, & defatigationem hoſtes diſciplinarum adfirmabat. Quod Ariſtoteli, diſcipulo ſuo impreſſit, qui vigilandi fuit ſtudioſiſſimus, vt legendi. Atque idcirco, cùm ſe ad quieſcendum componeret, ſolitus erat, æneam ſphæram tenere manu, pelui ſubiectâ, eo conſilio, vt cùm dormientis manu excuſſus

*Plato. Plut lib de educ. liber.*

*Laer. in vita.*

excussus globus in subditum vas æneum decidisset sono illius excitatus, euigilaret, studium repetiturus. Sed moderatio adhibéda est, quæ defuit Sclopeliano, quem Philostratus in Sophistis dicit omnium mortalium fuisse somni parcissimum: & solitum à vespera in diluculum libris inuigilantem, fors & indormientem lucubrationes suas proferre dies noctibus coniungentem.

Philostrat. ἀνθρώπων ἀϋπνότατον.

My.erinus.

XVIII. SED malè vigilaret ille, qui vt nunquam *Mortem*, vel in imagine experiretur, *Somno* sibi tā noctu, quā interdiu interdiceret. Ita insanuisse *Mycerinus* putatur, cuius Ælianus meminit. Nā accepto de vitæ breuitate oraculo ex Bute, existimauit se posse eludere hilariter viuendo, dies ac noctes, iocis, ludis, compotationibus, stupris coniungendo. Sed hoc pecus nunquam à natura impetrauit, vt non aliquo temporis spacio consanguineum lethi soporem cerneret, ab eo oppressus. Accidit enim & huic, haud dubiè, quotidie, quod illi apud Senecam qui cum mero grau s deportaretur ad stratum, cātabatur à phonascis *Vixi, vixi.* Quamuis nullo ille die vixerat, in delitijs semper mortuus.

NOT.Æ.

Antipodes vrbis. Sen Epist. CXXIII.

XIX. Hic frater eorum erat, qui officia lucis, noctisque peruertunt, nec ante diducunt oculos hesternâ graues crapulâ, quàm appetere nox cœpit. Qualis illorum conditio dicitur, quos natura, ait Virgilius, sedibus nostris subditos, è contrario posuit.

Virg.

*Nósque vbi primus equis oriens afflauit anhelis*
*Illis sera rubens accendit lumina vesper.*

Talis horum contraria omnibus, non regio, sed vita est. Sunt hi in eadem vrbe Antipodes, qui, vt M. Cato inquiebat, nec orientem vnquam solem viderunt, nec occidentem. Hos tu existimas scire, quemadmodum viuendum sit, qui nesciunt, quando? Et hi *Mortem* timent, in quam se viui condiderunt, tam infausti ominis quàm nocturnæ aues sunt. Licet in vino vnguentóque tenebras suas exigant; licet epulis, & in multa quidem pericula districtis totum peruersæ vigiliæ tempus diducant, non conuiuantur sed iusta sibi faciunt. Mortuis certè interdiu parentatur. Quantulum à funere absunt, & quidem acerbo, qui ad faces & cereos viuunt? Talis olim apud Romanos Atylius Buta Tiberij tempore, cui post patrimonium ingens consumptum, Tiberius, paupertatem confitenti, *Sero*, inquit, *experrectus es.* Et recitante quodam auroræ descriptionem, Varus eques Romanus exclamauit: *Incipit Buta dormire*: & post paullo post, eodem,

crepu-

crepusculi vespertini, & noctis quietem verbis bellè exhibente, Varus iterum, *Iam nox est, ibo, & Butam salutabo.* Nihil enim erat notius, hac eius vitâ in contrarium circumacta. Et sunt etiánum tales aliqui: qui nocte vigilant, interdiu dormiunt: vtroque tempore defuncti: quorum ædibus præfigi posset, quod in Vatiam iactabat Seneca, quoties, illo adhuc viuo, eius villam præteribit: VATIA HEIC SITVS EST. *Sen. Epist. LV*

*Rubere dignum est: ipsa nam rubet Fama*
*Plenum pudendi nuncium ferens probri:*
*Potare quosdam nocte Principes tota,*
*Dormire luce. O Principes tenebrarum!* *Ber. Bauch. Lib. III. Epig.*

XX. DECIMO: Præclarum est documentum ex hoc *Symbolo* Phocilidis, cuius versus Stobæus recitat. Si SOMNVS TEMPORARIA MORS est, *& vnius diei interitus*, vt Chrysostomus loquitur. Igitur ad *Somnum*, ceu ad *Mortem* te compara: ac dormiturus de te rationem exige, factorum, dictorum cogitatuum: nam ad lectum, vt ad sepulchralem tumbam te confers dormiturus. Itaque *Ad Somnum vt ad Mortem te compares. Stob. Ser. III. Chrys. Tom. I. Hom. de David & Saul. NOTÆ.*

*Non prius in dulcem declines lumina Somnum,*
*Omnia quàm longi reputaueris acta diei.*
*Quæ prætergressus, quid gestum in corpore, quid non.*
*Cur isti facto decus abfuit, cur ratio illis.* *Virg. Epig. de viro bono.*

Quod multo exquisitius præcipiunt, qui de quotidiana consciẽtiæ examinatione salutis suæ amantes erudiunt, spiritualium Doctores.

XXI. VNDECIMO: Quamuis *somnus* felicem non faciat, quem opprimit, miser tamen esset homo, nisi à diurnis occupationum, & turbarum molestijs *Somni* quiete vindicaretur. In *Morte* certè, quæ insensibilem reddit non est felicitas: *Mors* tamen nisi aduenîat, infelicissimos relinquit mortales: si hominem sopiat ex infelicitatis exilio, ad beatitudinis patriam traducit. De quo facetus est lusus Thomæ Mori hominis eruditi, & constantis pro fide Martyris. *Mors quomodo felicem faciat. Thomas Morus.*

*Nos es dum in* Somno *es, dum nec te viuere sentis,*
*Felix: at* Somnus *ni veniat, miser es.*
*Qui felix igitur sorte indulgente superstes,*
*Inflatúsque leui prosperitate tumes?*
*Nam quoties venit, aut toties iam desinit esse*
Felix, *aut toties incipis esse* Miser.

*Optanda Mors.* XXII. DVODECIMO: optandam maximoperè *Mortem* docemur hoc *Symbolo*, quippe *Somnum*, tam aptum, tam vtilem, tam necessarium, vt absque illo, nulla anima sufficiat: Recreatorem corporum: Redintegratorem virium, Probatorem valetudinum, Pacatorem operum, Medicum laborum: cui legitimè fruendo dies cedit, nox legem facit, auferens rerum etiam colorem.

*Varia Mors.* SEPTIMA DISQVISITIO. *An* SOMNVS *non tantum* MORTIS *corporeæ, quæ Physica, & naturæ dicitur: sed etiam illius, quæ est Culpa: alterius quoque, quæ Gratiæ vocatur, ac virtutis, & Gloriæ, sit Symbolum?*

I. AMBVLANT hæ æquis passibus, ac sibi respondent. Est enim vt *Mors*, ita *Somnus culpa*, quo significatur, ignoratio, torpor, *Somnus culpa.* desidia, improbitas. Ita dormit, qui incidit in culpam, qui torpore & desidiâ marcescit: ad quem Salomon: *Vsque quo piger dormis, quando consurges de somno tuo?* Et Apostolus: *Surge, qui dormis, & exurge à mortuis:* *Prou. VI. 9.* Qui alibi vitam in vitijs actam, *Somnum* appellat, pace: nâ illâ moni- *I. Thessal. V. 5.* tione: *Omnes vos filij lucis estis & filij diei: non sumus noctis, neque tenebrarum. Igitur non dormiamus, sicut & ceteri, sed euigilemus, & sobrij simus.* Soporatur autem, qui contrahit consuetudinem. Et dum *Somno* illo premitur, clauduntur interni illius sensus, multa somniat, quorum nullus est postea euentus. *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Vacua est anima eorum. Si graui consuetudinis sopore detineatur, difficile est illum clamoribus concionatorum, aut punctionibus flagellorum excitare. Sed est, *velut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clauo.* Ac dicit, *Verbe-* *Psal. LXX 6. Prou. XXIII. 34. 35.* *rauerunt me, & non dolui: traxerunt me, & non sensi.* Sed & is singulari DEI misericordia excitatus resurgit: at si sibi relinquatur, redormiscit.

II. DEINDE, vt est *Mors* quædam *Gratiæ*: ita hanc eiusdem denominationis *Somnus* exprimit, qui *Raptus* dicitur, cùm mens in *Somnus, raptus.* DEVM eleuatur, siue in corpore, siue extra corpus ignorans, certè, corporeo sensu, aut eius officio, eo tempore, orbatus. Ita somniabat Paulus in tertium abreptus cœlum: & tunc quùm tribus diebus non *II Corinth. 12. Actuu. IX* videret, nec biberet, apertisque oculis nihil videret. Et ante Paulum, Moses quadraginta diebus in monte. Et ante hunc,

Adamus

Adamus ecstasin passus; cum costâ mutilaretur. Ita somniant Contemplatiui, de quibus in *Theologia Mysticâ*, qui vacant ab externis omnibus, & verè dormiunt, sed cor illorum vigilat. Soporantur et per profundiorem, & intensiorē contemplationem, quâ gaudet illos perfrui Sponsus, & turbatores arcet: *Adiuro vos ne suscitetis neque euigilare faciatis dilectam donec ipsa velit.* Hoc sopore premitur *Beniamin in mentis excessu*: Et ij omnes, de quo Psalmista: *Abscondes eos in abscondito vultus tui à conturbatione hominum.* Cant. II. 5. Cantico III. 5. Ps. LXVII. 28. Ps. XXX.

III. ADHÆC: vt potest vocari *Mors*, ita *Somnus Gloriæ* quo obdormit quis in Domino. Quid est obdormire in Domino? Dicitur hoc de Stephano protomartyre Actuum VII. *Cuius felix fuit Somnus cum requie, requies cum voluptate, voluptas cum æternitate,* inquit Petrus Damianus. Et Nyssenus: *Veluti teneris floribus, vel rore quodam leuiter circumfusus, in dulcem simul ac beatum* Somnum *delapsus est.* Quare? quia obdormiuit in Domino. *Quoniam absorptus est in claritatis abyssum, & inter DEI sui brachia requiescens, dormiuit securus, & quietus in æterna pace: nam Spiritum suum Domino commendauit,* ait Augustinus. Et Obdormire in Domino. Serm. de S. Steph. Serm. de S. Stepha. Serm. XCII. diuersi. & VI. de Sanctis.

IV. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*, vt dicitur Apocalyp. XIV 13. Quod si intelligatur de solis Martyribus: præcessit enim mētio de interficiendis ab Antichristo ob constantiam fidei, præpositio. *In*, respondens Hebraico ב *Be*, sumi debet loco particulæ caussalis, *Pro*, seu *propter*. Quod non rarò fit in Diuinis litteris, vt exemplis prolatis demonstrat Emanuel Sà & qui illum locum ita exponit, Franciscus Ribera, sequutus Ambrosium, Haymonem, Glossam interlinealem, Lyranum, imò Augustinus. Atque ita *In Domino obdormire* dicuntur, qui vitam pro Domino profundunt lubentes. Martyres in Domino dormiunt. NOTÆ.

Quod si verò ad omnes Justos illud epiphonema extendatur, vti fit ab Andrea Cæsariensi, Beda, Richardo de S. Victore, Primasio, Ansberto, Joachimo Abbate, Hugone Cardinale, Carthusiano, quorum sensum probat Blasius Viegas, eumq; sæpe sequitur S. Bernardus: & videtur adprobare Ecclesia, cantans in officio defunctorum carmen illud de iustis fidelibus vniuersè: *In Domino obdormire* dicuntur, vel mori: qui dum moriuntur, sunt in CHRISTO, vel Domino, id est, continentur inter viua illius membra: sunt in eius corpore mystico, tanquam animatæ à gratiæ spiritu partes, haud præcisæ, nec aridæ. Nempe, qui dum viuerent, obsequuti sint Domino exhortanti. *Manete in me & ego in vobis. Qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum.* Iusti omnes in Domino moriuntur. S. Ber. Ser. ad Milit. templ. 1 Ep. XCVIII. Serm. XXIV. i paruis. Ioann. XV 4. Ioann. XV 5.

 Simili

1. Cor VII. 39. NOTÆ. Simili sensu dixit Apostolus: *Quæ nubit, nubat in Domino*: sensus enim est, vt habet Augustinus, aut *Christiana permanens*, scilicet, viuum in CHRISTO Domino membrū: aut *fideli Christiano*, qui sit à Domino haud auulsus: vt exponunt Hieronymus, & Tertullianus: quibus fauet Beatus Ignatius, & probat Benedictus Iustinianus.

Qui obdormiant in Domino. Itaque, *in Domino obdormire*, dicentur omnes, qui manent in Domino vsque ad *Mortem*, atque in ipsâ *Morte* sunt viua illius membra. Quæ expositio non est aliena à mente Ioannis Euangelistæ, qui illud non tantùm de ijs, qui sub Antichristo martyrio vitam finient, verùm etiam de multis alijs sanctè decessuris pronunciat. Omnibus enim conuenit, quod ibidem subditur: *Amodò enim iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis.*

In idipsum quid sit. V. SIVE igitur quis in tuendâ fide firmus, pro Domino ceruicem offerat intrepidus: siue placidus in culcitrâ spiritum emittat, DEO gratus, & voluntati illius obsequens, viuúmque CHRISTI membrum, cantare potest, cum Dauide: *In pace in idipsum dormiam & requiescam. In id-ipsum*: id est, in DEVM, seu CHRISTVM, vt Augustinus obseruat: in eo enim vera pax, & immutabilis: cetera mutationi, & turbis sunt obnoxia. *Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.* Hæc caussa placidissimæ dormitionis, quam Iustus peculiariter habet, ob conscientiæ testimonium, quo se à peccatoribus segregatum confidit, sicq; viuam de resuscitatione spem concipit. At hoc præcipuè accommodát SS. Ambrosius & Chrysostomus ad eum, qui ab adolescentiâ portans iugum Domini, sedet solitarius: quibus, vt confido, non inaniter, sed verè cantabitur in funere: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.*

Psal IV 9. August. Psal. 4. De obit. Valent. & in Ps. CXVIII. Serm. 2. Apoc XIV, 13.

## OCTAVA DISQVISITIO. QVÆ *huic* Symbolo *sunt affinia*?

I. EA sumere licet ex vocibus *Somno* & *Dormitioni* synonymis. Diuersum fingunt aliqui imaginem ex *Somno* & *Sopore*. est enim *Sopor*, *Somnus* profundior: cui cognatus *Lethargus*, *Mortis* nō ineptum *Symbolum*, cùm in eo marcor sit, & inexpugnabilis propè dormiendi necessitas. Huc etiam spectat κάρωσ, qui *Sopor* est lethargo altior,

Sopor. Lethargus. Κάρωσ. Arabi, Subeth

quo

quo dum vrgetur homo oculi sunt perpetuò occlusi, & abest sensus omnis, ac motus, illæsâ tamen respiratione.

II. Sed Sanctus Augustinus idem significari existimat, per *Dormitionem*, & *Soporationem*, dum dicit Iustus; *Ego dormiui, & soporatus sum*: Vnde legit: *Dormiui & somnum cæpi*, quomodo etiam Psalterium Romanum habet: nisi fortè, inquit, *Dormitio* morientis: *Somnus* mortui accipiatur: vt sensus sit: Ego me passioni permisi, & *Mors* consequuta est. Idem confirmant Lipomanus, & Eugubinus, dum Psalmum tertium interpretantur. Dormitio. Soporatio. Aug. Psal. III. Lib. XVI. de Ciuit cap. 8. Tract. XVII. in Ioann.

III. Eivsdem etiam rationis est, si *symbolum* spectes, *Dormitio*, & *Dormitatio*: quæ iunguntur aliquando: Psalm. cxx. 4. *Ecce non dormitabit, neque dormiet*. Hic *dormitare* non videtur esse, parum dormire, ad quid enim adderetur? *neque dormiet*. Videtur itaque synonymum: nisi argumentum construatur: Non dormiet, quia dormitare non est solitus. Dormitio. Dormitatio.

Psal. cxxxi. 4. *Si dedero* Somnum *oculis meis & palpebris meis* dormitationem.

Prouerb. vi. 10. *Paullulum dormies, paullulum dormitabis: paullulum conseres manus ad dormiendum.*

Matt. xxv. 5. *Dormitauerunt omnes & dormierunt.* Quod de Morte exponunt Hilarius, Chrysostomus, Basilius, Augustinus. De *Negligentiâ* Auctor operis imperfecti. Alii de *Incogitantia*, quâ aduentus tempus non obseruarunt fatuę Virgines. Curandum nobis ne sic vnquam obdormiamus in *Morte*. Psal. XII. 4.

IV. Porro, quod vulgatus Interpres dicit: *Soporatus sum*, Augustinus: *Somnum cæpi*: Isidorus legit, & Psalterium Ambrosianum, *Quieui*: Ambrosius ipse, *Requieui*. Itaque eodem iure, Qvies, ac Reqvies pro *Morte* ponatur. Quanta hinc consolationis seges? Plus enim est *requiescere*, quàm *dormire*, quia dormiunt aliqui perturbatè & inquietè: quare precamur defunctis: *Requiem æternam dona eis Domine. Requiescant in pace.* Quies. Requies. Isidor. in Genes. cap. 1. Tract. de Natiu. & Passio. Amb. lib. de Benedict. Patriar. & Bono Mort.

V. At Didymus, quod est in Psalmo, ἐκοιμήθην, *Requieui*, ait significare ἀνάκλισιν, *reclinationem*, postquam *Somnus* aduenit. Et sanè שכב. Hebræum admittit significationem iacendi, & cubandi. Igitur Reclinatio, Cvbatio, Acere, *Mortis* sunt exemplaria. Certè, *Quiescentium*, & *Pausantium* in hac re nomina apud Cassianum lego. Schiachab. Cassian. Collat. 11. cap. 5.

 Optimè

Optimè hæc iunguntur. Nam *Iacere*, sine *dormitione*, inquietudinis est: *Dormire* absque cubitu, solicitudinis, vt ingeniosè aduertit Caietanus in Psal. IV. vbi *Dormire* & *Requiescere* coniunguntur.

SILENTES quoque eadem penè analogia dicuntur *Mortui* quod, dum quiescitur, vel cubatur, orationes haberi ad circumstantes non soleant. Psal. CXIII 17. *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes, qui descendunt in infernum*. Felices qui *in Domino moriuntur*: nam *Requies* & *Pax* illos post *Somnum*, imò in *Somno Mortis* manet. *Videntur* quidem *oculis insipientium mori: illi autem sunt in pace. Qui ambulauerunt in directione sua, requiescet in cubili suo & veniet illis pax. ac erit in pace locus eorum*, qui est cœlestis Ierusalem, in qua post sex dierum opera perpetuus bonos consequetur, quem SODALIBVS meis opto, sabbatismus.

Sap. III 2. 3. Isa. LV 12. Ps LXXV 3. Heb. IV. 9 Aug XXII. de Ciuit c 30.

# NOTÆ

## AD COMMENTATIONEM XXVIII.

## MORS SOMNVS.

§. I. DIS Q. I. S. Chrysostom.] *Quamuis hic Græcæ Eloquentiæ Princeps hoc discrimen proferat eo loci: tamen alibi ita loquitur, vt agnoscere videatur in V.T. hominibus eandem denominationem. Explicans Psalmum XL. ad versum IX.* Nunquid qui dormit, non adijciet, vt resurgat? *per Dormitionē Somnum intelligit: sic paraphrasticè carmen illud exponens:* Etsi *Mortem* patior; rursus tamen resurgo: cósque dissipo, ac destruo, qui hoc machinati sunt. Hoc quoque est simile dicto Euangelico Ioann. II. *Soluite templum hoc, & tribus diebus excitabo illud.* Et rursus *Matth.* XX. *Ecce ascendimus Ierosolymam, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum, & occident ipsum, & tertiâ die resurget.* Et ideò *Mortem* Somnum iure vocauit. *Quis? David, V.T præco, ac Propheta, cuius vaticinium, quamuis Chrysostomus Christo applicet, & benè tamen. Davidem proximè, litteraliter id de inimicis suis* pronun-

*pronunciasse non negaret.*

*In alia eiusdem Psalmi enarratione, Summus idem Orator:* Nunquid, qui dormit, non adijciet, vt resurgat? Frustra, *inquit*, hæc consultabant, & machinabantur Iudæi. *Mors* enim non erat læsura immortalitatem, qui ex ipsâ, tãquam ex *Somno*, lætitiáque, & iucunditate surgebat.

*Homil. LXI. in Cap. XI. Ioannis, ad illa ver. 11.* Lazarus amicus noster dormit: sed vado, vt à *Somno* excitem eum. Dixerunt ergo Discipuli: Domine, si dormit, saluus erit: Dixerat autem Christus de *Morte* eius: illi autem putauerunt, quia de dormitione *Somni* diceret: *ita scribit Chrys. Siquis roget: Quomodo cũ dormire putauerint discipuli, neq; his verbis mortuũ intellexerint, cum diceret:* Vado vt excitem eum. *Stultum enim erat, credere, iturum IESVM quinque & decem stadia, vt illum à Somno naturali excitaret. Responderem, putasse Discipulos, cum in* Ænigmate, *vt plerumq; solebat, loquutum.*

*Clarißimè Homil.* LXVI. *in Gen. dicit Iacobum c.* XLVII. *vocare* Mortẽ, Dormitionẽ: Dormiã, *inquiebat* cum patrib. meis, *Gen.* XLVII. 30. *Nempe quia oculis fidei futura prævidebat secundum illud ad Hebr.* XI. *Iuxta fidem mortui sunt hi omnes, non acceptâ promißione: sed procul eam viderunt & salutarunt.* quomodo? oculis fidei futura videbant.

*Κοιμητήριον à κοιμάω, Sopio: quod ibi mortui dormiant, quasi* Dormitorium mortuorum.

*§. IX.* DISQ. 2. Apud Græcos, Latinósque, Somnus pro Morte.] *Secundus Pholosophus ab Adriano Imperatore interrogatus: Quid esset MORS? Respondit: ÆTERNVS SOMNVS. Dissolutio corporum. Pauor diuitum. Desiderium pauperum. Euentus ineuitabilis. Peregrinatio incerta. Latro hominis. Somni parens. Fuga vitæ. Viuorum discessio. Resolutio omnium. Laër. in Vit. Philos.*

*Stultum est*, Somno *delectari, Mortem horrere: cum* Somnus *assidua sit* Mortis *imitatio, inquit Seneca in Moral.*

*Menander.*

Ὕπνος ἐστὶ τοῦ θανάτου προμελέτησις πέλει.

Somnus Mortis præmeditatio est.

*Homerus V. Odyss.*

ἥδιστος θανάτῳ ἄγχιστα ἐοικώς.

Suauissimus *Morti* proximè similis.

*Seneca Hercul. fur. Act.* 4.

Veris miscens falsa, futuri
Certus, & idem pessimus actor.
Pater ô rerum! Portus vitæ
Lucis requies, noctísque comes.
Qui Pater Regi famulóque venis

Placidus

Placidus fessum, leuisque foues.
Pauidum lethi genus humanum,
Cogis longam discere Mortem.

*Idem ib.* Volucer matris genus Astreæ
Frater duræ languide Mortis.

*Virg. Æneid. VI.*
— Pressitq; iacentem
Dulcis & alta quies, placidæq; simillima Morti.

*Ouid. lib. II. Amo. Elig. 2.*
Infelix totâ quicumque quiescere nocte
Sustinet, & *somnos* præmia magna vocat.
Stulte quid est *somnus* gelidæ nisi *Mortis* imago?
Longa quiescendi, tempora fata dabunt.

*Clemens Alexandrinus lib. II. Padag. cap 9. Parem, aut similem esse* Morti Somnum *pronunciat. Et cum Plutarcho libr. de Aquæ, & Ignis comparatione adserit: Etiamsi breuissima vitæ nostræ sint spacia,* SOMNVM *tamen dimidium eius auferre.*

*§. I.* DISQ. 3. *Sensus moriendi si aliquis esse potest, is ad exiguum tempus durat, præsertim seni. Post* Mortem *autem sensus aut optandus, aut nullus est Cic lib. de Senect.*

*§. VII.* DISQ. 3. Mors & Somnus æquales facit.] *Sæpius dictum; iterum repetendum. Nudi omnes nascimur, nudi morimur: nulla distinctio inter cadauera mortuorum nisi fortè, quia grauius fæ.ent diuitum cadauera luxuria distenta. Ambrosius in Hexaëm.*] *En æqualitatem inter diuitem & pauperem. Vis inter Senem & Iuuenem? Inter eum, qui decem vixit annis, & illum, qui mille, postquam idem finis vitæ aduenerit, & irrecusabilis* Mortis *necessitas transactum omne tantundem est: nisi quod magis senex onustus peccatorum fasce proficiscitur S. Hieronym. Epist. ad Heliodor.*

*Si de diuitijs & honoribus, & morum nobilitate Te iactas: de patria, & pulchritudine corporis, & honoribus, qui tibi ab hominibus exhibentur, respice Teipsum, quia mortalis terra es, & in terram ibis. Circumspice, qui similibus fluxere splendoribus. Vbi sunt, qui ambiebant currum potestatis? Vbi insuperabiles Imperatores? Vbi sunt, qui conuentus disponebant, & festa: & equorum splendidi nutritores? Vbi nunc vestes, & ornamenta peregrina? Vbi seruorum turba? Vbi iocus & lætitia? Vbi exercituum Duces? Vbi satrapæ, & Tyranni? Nonne omnia puluis & fauilla? Nonne in paucis versibus eorum vitæ patet memoria? Respice eorum sepulchra, & vide, qui seruus, & qui dominus, qui diues, qui pauper. Discerne, si potes, victum à Rege fortem à debili, pulchrum à deformi. Vnde, si est aliquod in eo signum iactantiæ tuæ; memorare vtique naturæ ne extollaris.*

*ris. Augustinus libr. de Nat. & Grat.*

*Mors par est. Per quæ venit diuersa sunt. In quod desinit, vnum est. Mors nulla maior aut minor est: habet enim eundem in omnibus modum: finisse vitam. Sene. Epist.* XXX *Ecce æqualitatem.*

§. *VII.* DISQ. 3. Somnus competit omnibus animantibus. ] *Disputant Philosophi. Lege Aristotelem libr. de Som. cap.* II. *& libr.* IV *de Hist. animal cap.* 10. *Plin libr.* X. *cap.* 75. *Cælium Rhodig. libr.* XX *cap.* 7. *Conimbricenses lib. de Somno & Vigilia cap.* 4. *Vulgare est illud: Necesse est, omne quod vigilat dormire. Concionatores nonnulli* ] *Gabriel Inchino Prima P. de quattuor Nouiss. longâ enumeratione, τὸ* Omnes, *dilatat.*

§. *I.* DISQ. 6. De Lacrumis *ex prisco ritu syntagma edidit eruditione plenum Ioannes Iacobus Chiffletius: in quo, quæ obiter insinuamus, productis testibus, explicat.*

§. *I I. III. IV.* DIS. 6. Quomodo lugendi mortui. ] *Locus communis à Patrib. tractatus. Nihil breuius, veriúsque dici potest; quàm moderationē seruandam esse. dandum aliquid adfectui, dandum humanitati, dandū consuetudini: modò nihil contra religionē peccetur, aut maturitatē Christianam. Fletum permittit Isidor.: Luctum prohibet: sed plus aliquid quibusdam fletus videtur, quam luctus.*

*Etsi pietas pro defunctis fidelib. flere iubeat: fides tamen pro eis lugere vetat. Isidor. lib.* III. *de Summo bono.*

*Illi deplorandi sunt in Morte, quos miseros infernus ex hac vitâ recepit: nō quos cælestis aula lætificandos inclusit. Isidor. lib.* III. *de Sum. Bono.*

*Deuteron.* XXXIV. 8 Fleuerunt Mosem mortuum filij Israel in campestrib. Moab triginta diebus. *S. Hierony. Sub veteri lege omnes sub peccato tenebantur, & quemque ad inferos descendentem lacrymæ prosequebātur: vnde ad Rom V.* Regnauit *Mors* ab Adam, vsque ad Mosem: *In IESV vero, hoc est, in Euangelio, per quem paradisus aperitur, Mortē gaudijs prosequuntur. Nos ergo, qui Christum induimus, & Regale, & Sacerdotale genus electum sumus, nō debemus super mortuos contristari: imò, de Resurrectione futurâ lætari. Vnde sequitur:* Et completi sunt dies planctus lugentium Mosem: *Et dies Domini appropinquauit, de quo dicitur:* Melior est dies vna in atrijs tuis super millia.

*Vnde Moses ad Aaron & ad filios eius qui relicti erant Leuit.* X. Capita vestra nolite nudare, & vestem vestram nolite scindere: *quasi dicat, nolite flere quod moriemini. Mors nostra peccatum est. Sacerdos magnus etiam ad patrem mortuum prohibetur accedere: ne anima sacrificijs* DEI *mancipata aliquo impediatur affectu. In Euangelio quoq; dicitur:* Dimitte

 mortuos

mortuos sepelire mortuos. *In Leuitico etiam additur cap.* XXI. De Sanctis non egredietur, & non contaminabitur Sanctificatio DEI eius: quia sanctum oleum vnctionis super eum est. *Postquã enim in Christum credidimus, & vnctionem eius accepimus non debemus exire de tẽplo: id est, de proposito Christiano, vt incredulitati Gentium misceamur: sed intrinsecus esse, id est, voluntati Domini ministrare.*

§. *XIII.* DISQ 6. Vitæ ac Mortis vicissitudo.] *Certum est,* Vitam, Mortemque *per vices ire, & composita dissolui, & dissoluta componi, Omne humanum genus quodcumque est, quodcumque erit Morte damnatum est. Omnes quæ vsquequaque ponuntur vrbes, vbi fuerint, aliquando quæretur, & non vno excidij genere tollentur. Alias destruent bella: alias desidia, paxq; ad inertiam versa consumit, & magnis opibus exitiosa res, luxus. Sen. Ep. LXXI I.*

§. *XIV.* DISQ. 6. At viuere diutius potuissent.] *Alia est ratiocinatio Sapientum. Audi vnum ex antiquis, licet in spissa gentilitatis caligine.*

*Non refert, quot annos habeam: sed quot acceperim. Si plus viuere non possum: hæc est mea senectus. Quicumque ad extremum sui fati venerit, hic moritur senex. Sen. Epist. Audi Consolatorem.*

*Optimum est, antequam optes, mori. Incertum est, quo loco MORS Te expectet. Tu illam in omni loco, addo, & tempore, expectes. Egregia res est, Mortem Morte, hoc est, cotidie moriendo condiscere.*

*Si fines bonorum, ac malorum cognouerimus: ita demum nec vita tædio erit, nec Mors timori. Si* MORS *accedit, & vocat, licet immatura sit, licet mediam præcidat ætatem, recipit nihilominus vitæ longissimè fructum: cognita est illi magnâ ex parte natura: scit tempore honesta non crescere. Sen. Epist. LXXIX.*

*Natura nihil hominibus breuitate vitæ præstitit melius: tot periculorum genera, tot morbi, tot metus, tot curæ, toties inuocatâ* Morte, *vt nullum frequentius sit votum. Idem.*

*Habes SOMNVM imaginem* MORTIS, *eámque quotidie induis, & dubitas, quin sensus in* Morte *nullus sit, cùm in eius simili libro videas esse nullum sensum? Pellantur ergo istæ ineptiæ penè aniles:* Ante tempus mori miserum est. *Quod tandem tempus? Naturæ-ne? At ea dedit quidem vsuram vitæ, tanquam pecuniæ, nullâ præstitutâ die. Quid est igitur, quod querare, si repetit, quod vult? eâ enim conditione acceperas. Iidem, si puer paruus occidat, æquo animo ferendum putãt: si verò in cunis; ne conquerendum quidem.*

*Prô Dij immortales! quàm illud iter iucundum esse debet, quo confecto, nulla reliqua cura, nulla solicitudo futura sit*

*sit Cic. Lib. 1. Tuscul. Ex eo Fran. Petrarcha in Epist. famil.*

*§. XV.* DISQ. 6. Somnus intempestiuus.] *Mors illata sibi.*] *Locus communis de ijs qui sibi violentas manus inferunt. Donatistæ, dicti Circumcelliones, cēsebant esse genus martyrij seipsum interimere: vnde passim varijs modis Mortem sibi inferebant. Quod Augustinus scribit Hæresi LXIX. & contra illos fusissimè disputat lib. 1. de Ciu. à cap. 17. ad 28. & lib. 11. contra Epist. Gaudentij.*

*Vniuersale est Augustini enunciatum libr. 1. de Ciu. cap. 26. Hoc dicimus, hoc asserimus, hoc modis omnibus adprobamus: Neminem spontaneā Mortem sibi inferre debere; velut fugiendo molestias temporales, ne incidat in perpetuas. Neminem propter aliena peccata: ne hoc ipso incipiat habere grauissimum proprium, quem nō polluebat alienum. Neminem propter sua peccata præterita, propter quæ magis hac vita opus est, vt possint pænitendo sanari. Neminem velut desiderio melioris vitæ, quæ post Mortem speratur, quia reos suæ* Mortis, *melior post* Mortem *vita non suscipit.*

*Et S. Hieronymus in Ionam. Non est nostrum MORTEM arripere: sed allatam ab alijs libenter accipere. Vnde & in persequutionibus, non licet propria manu perire.*

*Legendus S. Tho. S.ᵈᵃ. Q. LXIV. Art. 5. Vtrum liceat seipsum interficere: ibidemque Interpretes. Franciscus Victoria Relectione de Homicidio. Leonardus Lessius libr. 11. cap. IX. Dub. 6. Nicol. Serarius lib. II. Machabaeor. 14. & in Iudices de Sampsone. Iustus Lipsius explicans Stoicorum paradoxa Centur. 11. Epist. 26. & in Stoicis. Ioann. Azor Tom. 11. Instit. Moral. lib. 11. cap. 3.*

*§. XVI. XVII.* Somnus nimius.] *Locus moralis: quem integro capite percurrit Clemens Lib. 11. Pædag. cap. 9. vbi proscribit imprimis stratorum magnificētiā, puluinos auro intertextos, auróq; variegatas glabras vestes, stragulas, puniceásq; xystidas, & preciosissimos gaunacas, & poeticæ purpureæ rhegea, vestésque supernè molles, ac delicatas, & cubilia, vel ipso somno molliora. Deinde edicit, Non oportere* Somnum *esse perfectam corporis solutionem; sed tantùm remissionem. Ideò adsumendum dicit non ad ocium & socordiam: sed ad negociorum, & actionum quietem. Ita ergo dormitandum est Christiano, vt facile excitetur. Addit:*

*Dormientis hominis nullus vsus: quemadmodum nec mortui. Quo circa sæpe etiam noctu è lecto surgendum est, Deúsque laudandus. Beati enim, qui in ipsum vigilarūt, se ipsos adsimilantes* Angelis, *quos nos* ἐγρηγόρους, *hoc est,* Vigilantes *vocamus. Dormiens autem homo nullius vllius est precij, non magis, quam qui non viuit. Qui autem lucem habet, vigilat, & tenebræ eum non comprehendunt:*

 nec

*nec itaque* SOMNVS, *quoniam non tenebræ. Ad* DEVM *ergo vigilauit, qui fuit illuminatus. Qui autem talis est, viuit. Quod enim factum est in ipso vita erat Ioannis I. Et Beatus homo, inquit Sapientia Prouerbior.* VIII. *qui me audit: & homo, qui vias meas custodit, vigilans in foribus meis, interdiu obseruans stationem mei ingressus. Ne ergo dormiamus vt ceteri; sed* VIGILEMVS, *& sobrij simus.*

*Qui dormiunt, noctu dormiũt: &, qui ebrij sunt, noctu ebrij sunt. I. Thessal. V. hoc est: In tenebris ignorantiæ. Nos autem qui diei sumus, sobrij simus. Omnes enim vos (&* ECCLESIASTICI *maximè) estis filij lucis, & filij diei. Non sumus noctis & tenebrarum: sed, qui, vt verè viuamus, rectèque, ac sincere sentiamus, nostri maximè curam gerit, plurimo tempore vigilauit, id solum sibi reseruans, quod erat ad suam sanitatem vtile.*

*Si autem caussas, quæ ad multum ac profundum Somnum nos impellunt præciderimus, magis sobriè dormiemus. Non enim oportet eos, qui inhabitantem, & vigilantem intus habent Rationem, tota nocte dormire. Imò, noctu maximè expergiscendum est, quando dies desinunt: & huic quidem danda est opera litteris: illi vero ars sua est inchoanda: fæminas autem oportet aggredi lanificium. Nobis autem, vt semel dicam, omnibus aduersus* Somnum *decertandum est: nos paullatim accessione facta assuefacientibus, vt maiori parte temporis per vigiliam simus vitæ participes.* SOMNVS *enim non secus ac* Publicanus *dimidium vitæ tempus nobiscum diuidit.*

*Longè autem absit, vt permittatur interdiu dormire ijs qui maximã noctis partem ad vigilias resecãt.* Et hoc spectat Ecclesiasticos.

*Vtile est præceptum S. Bernardi bonis omnibus, & nominatim pietatis cultoribus obseruandum. Iturus ad* Somnum *aliquid tecũ defer in memoriâ, & cogitatione, in quo placidè obdormias. Quod etiam somniare iuuet & expediat. Caue autem, quantum potes, ne totus aliquando dormias: ne sit* Somnus *tuus, non requies lassi, sed sepultura corporis suffocati.*

*S. Ephrem De vitâ spirit. Quieti &* Somno *tantùm tempus impende, quantum cogit ipsa necessitas. Quies enim diuturna corpus emollit, & libidinis ignem facilè accendit.*

Septem horas dormisse sat est, iuuenique senique.

*De eadem re disputat Ioannes Climacus Gradu* XVIII. *qui est de* Somno: *quem definit:* Somnus *est naturæ ex parte constantia;* IMAGO MORTIS. *Sensuum feriæ. Vnus quidem est* Somnus, *habet autem plurimas, sicut & concupiscentia, occasiones, siue caussas. Fit enim V. G. ex naturâ, ex cibis, ex Dæmonibus.* (Easdem caussas in Morte agnosco) *fortasse etiam ex nimio, immoderatáque*

*qui ieiunio, ex quo, dum caro lassescit, seipsam per* Somnum *consolari quæris* (quod verũ. Siquidem indiscreto, nimióque ieiunio caro extenuatur, & Somno vt restauretur, laborat. *Quemadmodum autem immoderatus potus ex consuetudine pendet, ita & de* Somno *sentiendum. Et sicut multum bibere tollitur per vsum contrarium: sic & dormire. Quocirca in initijs renunciationis contra hoc vigilantissimè est pugnandum. Perdifficile est enim longam consuetudinem curare.*

*Subdit deinde, Dæmonem vigilantiæ religiosæ hostem, si ad preces* DEO *persoluendas signum tubâ vel campanâ detur, quo expergiscantur Ecclesiastici, & ad templum vocentur, adstare lectulo, & iterum, vt decumbant hortari: Expecta, inquit, dum compleantur principales hymni, sicque demum in Ecclesiam proficisceris. Alios, cum iam ad psalmodiam se contulerint, in* Somnum *præcipitat. Alios ad oscitationes, pandiculationésque mouet.*

*Capite autem sequ. agens de Vigilia, laudat illos, qui viriliter aduersus* Somnum *pugnant. Vigiliámque ait oculos expiare mentis: immodicum* Somnum *obtundere & excæcare animum. Peruigilem Clericum fornicationis inimicum: Somniculosum verò, contubernalem eius esse. Vigilias ecclesiasticas incendium libidinis extinguere, atque à somnijs liberare.*

*Somnium multum obliuionis esse opificem: Vigiliam autem emundare memoriam. Somnum multum esse iniquum socium: & dimidium vitæ negligentibus, siue amplius diripere. Improbum Clericum in colloquutionibus & fabulis vigilantem esse: cum autem orandum est,* Somno *illi grauari oculos. Mollem & lasciuum Clericum in loquacitate probatum: vbi lectioni vacandum, vel auditioni verbi diuini, præ* Somno *non valere. Cum nouissima tuba insonuerit mortuorum fore resurrectionem. Ita cum sermo ociosus insonuerit, dormientium quorundam esse euigilationem.*

*Tandem hortatur diuinis officijs addictos ad vigilantiam, & Diuinorum meditationem. Anima enim, quæ verbum* DEI *quotidie sine intermissione meditatur, solet* So-porem, *in eodem demorari. Est enim hoc posterius prioris remuneratio.*

*In eodẽ argumento versatur Ioann. Cassianus libr.* III. *de institutis cœnobior. cap.* 8. *vbi temperamentũ Somni & Vigiliarum suadet: Ne* Somnum, *quem nocti subtraximus resumere per diẽ, vigiliarũ lassitudine, & inanitate compulsi, non tam requiẽ corpori subtraxisse, quàm quietis tempus, & refectionẽ nocturnã cõmutasse videamur. Nullatenus n. poterit fragilis caro ita totius noctis quiete fraudari, vt per cõsequentẽ diem sine dormitatione mentis, animique torpore inconcussam possit seruare vigilantiam.*

*Quare idem, Collatione* XI. *cap.* 15. *Cheremonis Abbatis sensu ac ore, docet: Consulendum etiam esse iumento corporis nostri secundum benignissimam Saluatoris nostri prouidentiam, ne deficiat in viâ. Spiritũ enim promptum esse, carnem autem infirmam: quæ curanda sit, vt post refectionem, mentis quoque addatur intentio.*

*Plato, vt est libr.* VII *de Legibus: Somnum multum neque corporibus, neque animis, neque rebus gerendis conducere adfirmabat. Nemo enim dum dormit alicuius est precij, nõ magis, quàm si non viueret. Quare qui cunque viuere & sapere cupit maximè, quàm longissimo tempore vigilet, solâ sanitatis commoditate seruatâ.*

*Iterum Scholasticus Alexandrinus loco superius expresso. Est* Somnus, *qui nos deprimit* Morti *similis eo deducens, per ignorationẽ, vt sensu careamus: & clausis à cilijs oculis lucem abscindit. Hanc autem lucem, qui sumus veræ lucis filij ne foras excludamus: intus autem ad nos conuersi absconsi hominis visum illuminantes, & ipsam veritatem contemplantes, & eius fluxionum effecti participes, vera somnia euidenter, prudentérque reuelemus.*

*Rursus. Immodicus Somnus nec corporibus, nec animis nostris vllã adfert vtilitatem: nec ijs, qui circa veritatem versantur omninò conuenit actionibus & si sit secundum naturam.*

*Sunt tamen qui Eudymionis somnum dormiunt: sicque vt glires somno saginari velle videntur: vltra Epimenidem sopiti.*

*Quod de Principe dixit Homerus* οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα. *Non decet Principem virum solidam dormire noctem, in Sapientiæ amatorem conuenit, & maximè Ecclesiasticum. Et, vt vniuersè dixit Æschines: Somnus diuturnior, quam decet, mortuis potius, quàm viuis conuenit. Ac reuerà, aut corporis molestiã, aut animæ anxietatem, aut segnitiem, aut imperitiam (vt Democritus aiebat) arguit. Anton. ex Max. Serm. de Somno.*

§. *XVIII.* DISQ. 6. Vixi, Vixi.] *Seneca Epist.* XII *Pacuuius qui Syriã vsu suam fecit (ob* diuturnum imperium & moram) *cum vino & illis funereis epulis sibi parentauerat, sic in cubiculum ferebatur à cœna, vt inter plausus obsoletorum hoc ad Symphoniam caneretur, βεβίωκε. βεβίωκε nullo non se die extulit. Hoc quod ille ex malâ conscientiâ faciebat, nos ex bonâ faciamus: & in somnum ituri, læti, hilarésque dicamus:*

Vixi, & quem dederat cursum
fortuna peregi.

*Crastinum si adiecerit DEVS, læti recipiamus. Ille beatissimus est, & securus sui possessor, qui crastinum sine solicitudine expectat. Quisquis dixit, Vixi, cotidie ad lucrum surgit.*

*Quis ille fuerit Pacuuius disputant eruditi: incertum relinquit Lipsius,*

Propra-

*Proprætorne, an Procurator Cæsaris.*

§. *XIX.* Vatia.] *Seneca Epist. LV. Direxi oculos in villam, quæ aliquando Vatiæ fuit. In hac ille prætorius diues, nullâ aliâ re, quam otio notus consenuit, & ob hoc vnum felix habebatur. Nam quoties aliquos amicitia Asinij Galli, quoties Seiani odium, deinde amor merserat (æquè enim offendisse illum, quàm amasse periculosum fuit) exclamabant homines.* O Vatia solus scis viuere! *At ille latere sciebat, non viuere. Multum autem interest: vtrum vita tua ociosa sit, an ignaua. Nunquã aliter hanc villã vatiâ viuo præteribam, quàm, vt dicerẽ: VATIA HIC SITVS EST.*

§. XX. Disq. 6. Vt ad Mortem ita ad Somnum te pares. ] *Discussione consciẽtiæ, & fusis ad DEVM ac custodes, vitæ nostræ Mystagogos precibus. De quo præparamento extant spiritualium Magistrorum libri magnâ copiâ, in quibus* Examen conscientiæ *præscribitur. Legitur Ioannes Busæus in Viridario. Quid in hoc præstandum Clericis, optimè præscripsit, cui ante Me Congregatio hæc Ecclesiasticorum Moguntinensium fuit commẽdata, Gisbertus scheuichauius libr. 1. de Ecclesiasticorum moribus à cap. 129.*

§. *XXII.* Optanda Mors.] *S. Chrysost. Matth. X. Mors munus necessarium est naturæ iam corruptæ, quæ non est fugienda, sed potius complectẽda: vt iterum fiat voluntarium, quod futurum est necessarium. Offeramus DEO pro munere, quod pro debito teneremur reddere.*

§. *IV.* Disq. 7. In, pro Propter.] *Emmanuel Sâ in Indice. Genes.* XVIII. 28. *Gen.* XX. 18. 20. *Osea* XII. *Micheæ* III. 2. *Roman. vlt.* 2 & 12 *Augustinus lib.* XX. *de Ciu. cap.* 9.

In Domino nubere, 1. Corin. VII. 39.] *Augustin. libr.* 1. *de Adul. connub. cap.* 21. *Hieronym. aduersus Iouinian. & Apolog. ad Pammach. Tertull lib. II ad vxor. L. I de Monog. cap. 7 lib.* V. *in Marcio. cap. 7.*

§. *III.* Disq. 8. *Matth XXV.* 5. Dormitauerunt, & dormierũt.] *De Morte exponunt Basil. cap. V. Moral. Augustinus Epist.* CXX. *cap* 32. *De* negligentiâ, *Auctor oper. imperf. in Matth.*

§. *IV* Reqvies.) *Cæsar apud Salust. in Catil.* Mors Requies *ærumnarum in luctu, atque miserijs est & cuncta mortalium mala dissoluit.*

*Epicurus Menicæo de* Morte *Diogenis apud Laër. lib.* X. *de vitis Philos. Consuesce arbitrari nihil ad nos pertinere* Mortem. *Bonum enim omne, aut malum in sensu est: sensûs autem priuatio est* Mors. *Vnde recta cognitio, quòd nihil ad nos* Mors *spectet, efficit, vt mortale quod est, fruatur vitâ, non ambiguum adijciens tempus, sed immortalitatis desiderium adferens. Nihil enim in vitâ mali est ei, qui verè comprehendit, nihil esse in vita priuatione mali. Vanus ergo est, qui* Mortem

tem *se timere dicit; non quia præsens mærore conficiatur, sed expectata & futura cõtristetur. Nam quod præsens nihil perturbat expectatum nequicquam conficit. Itaque quod acerbissimum malorum est, & horrendum maximè, MORS, nihil ad nos. quoniam, cùm nos sumus,* Mors *non adest. cùm verò* Mors *adest, nos non sumus. Neque igitur ad viuentes, neque ad mortuos pertinet. Nam his qui sunt, illa non est: quibus verò adest, iam illi non sunt. Atqui plurimi* Mortem *aliquando, vt malorum maximum, aliquando verò vt REQVIEM eorum, quæ in vita sunt, tristium, cupiunt. Neque igitur, ne non viuat, metuit: nec enim illi viuendi amor imperat: neque opinatur mali aliquid esse, non viuere. Quemadmodum verò cibus, non qui plurimus, sed qui suauissimus est eligitur: ita & tempus non longissimum, sed suauissimum carpitur.*

*Porrò qui iuuenem benè viuere, senem benè ex vitâ discedere, admonet, fatuus est, non modo ob amorem vitæ ac studium, verùm, quod eadem sit Meditatio benè viuendi, ac benè moriendi. Longè autem deterius, qui dicit: bonum quidem non natum esse:*

Φῦντα δ' ὅπως ὤκιστα πύλας ἀΐδαο περῆσαι.

*Aut vbi natus eris, mox orci limen adire.*

*Nam si quod ita crederet hoc dixit, quomodo non discedebat è vita?*



COM,

# COMMENTATIO XXIX.

## MORS

# SOLVTIO

## E Portu, & à Vinculis.

*Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo.*

Ad Philipp. 1. 23.

---

BREVIARIVM.

1 *Nauigare incipimus ex aluo egressi. Iterum nauigamus hinc decedentes. Solutio è portu Mors est.*

2 *Mors Solutio vinculorum. Absolutio animæ & corporis, vnionis incisio.*

3 *Postulat dissolui Apost. Philip. 1. non Resolui. Ergo nec interire. Corpus quid? Tunica, Compedes, Sepulchrum, Carcer, Vinculum.*

4 *Colligatio cadauerum à Mezentio tentata: similis nostræ: à qua Mors soluit.*

5 *Virgines desiderant dissolui: cur nos non mori?*

6 *Dirumpuntur vincula per Mortem.*

7 *Mors virtutis & Gratiæ à vinculis iustos expedit qui cotidiè moriuntur.*

8 *Mors maioris potentiæ, quam Vita. Mors Christi quantorum bonorum caussa? Colligationes iniustitiæ. Vincula, voluptates. Corpus. Rete, Nebula, Lutū.*

9 *Vincula sunt peccata, à quibus soluit Mors. Iumentum ad Christum adductum Soluitur. Lazarus ab institis.*

10 *Vincula, opes, honores, delitiæ: hæc disrumpit Mors transformatiua.*

11 *Vincula, occasiones peccandi, & consuetudo inueterata: hæc dissecat Mors spiritualis.*

12 *A Vinculis peccatorum & cupiditatum liber sit Ecclesiastes. Soluendum linguæ vinculum.*

13 *Vincula, curæ Principis. Ab his liberat Mors Pholosophica.*

14 *Vincula, vanitatum nugæ. Ab his solutus Augustinus cantat epinicium.*

15 *Dissolui, ἀναλῦσαι, verbum nauticum. Καταλύειν, proprium aurigarum.*

16 *Nauigamus, dum viuimus. Traijciendum æquor vitæ. Cymbâ Mortis ad aliud littus transuehimur.*

17 *Mansio XXVII. Maseroth, Vincula significans, ea disrumpenda monet.*

18. *Tria vinculorum genera, à quibus Mors liberat: Infirmitatum: Concupiscentiæ: Terræ, ac Corporis.*

19 *Ab his vinculis expediri optant Iusti.* 18. *Desideranda idcirco Mors, quia est Solutio Liberat à Laqueis secularibus, paradiso nos restituit, & cœlitibus sociat.*

20. *Episcopi ad Mortem aspirantis dictum præclarum.* 21. *Alterius, Morte imminente trepidatio.*

---

# Ecclesiastici Sodales.

## *Gaudium meum, & Corona mea.*

*Duplex nauigatio.*

I. BIs nauigationem inchoamus, ac proinde, bis è portu soluimus, vela à littore Semel, cùm ex aluo materna egressi, in vitã hanc, mare turbulentissimum, cymbam, animæ vectricem protrudimus Iterum, cùm ad portum gloriæ è portu miseriæ, onerariam mercibus bonorũ operum onustam, propellimus: aut eandem, inanem bonis, & malis refertam ad littus gehennæ protrahimus. In hac nauigatione *Mortem* ceu solutionem ex portu concipiendam dico, vt noui *Symboli* depingatur imago.

*Mors, Solutio Vinculorum.*

II. NON vno modo *Mors* est *Solutio*: nam non vnius generis sunt Symbolica vincula. *Scriptura docente cognouimus*, inquit Ambrosius Libello de bono Mortis, *quia* MORS, ABSOLVTIO *est animæ & corporis. & quædã hominis separatio. Soluimur enim hoc nexu animæ & corporis, cùm recedimus. Vnde & Dauid ait*: Dirupisti vincula mea tibi sacrificabo hostiam laudis. *Vincula autem vitæ huius, id est, coniunctionis nostræ, quæ ex anima constat, & corpore, significari docet superior versiculus*: Preciosa in conspectu Domini *Mors* Sanctorum eius. *Mors igitur solutio est animæ & corporis.*

*Ps. CXV.*

Confirmat hanc conceptionem Præsul Mediolanensis dicto Pauli Apostoli ad Philippenses cap. 1 *Dissolui & esse cum* CHRISTO *multo magis melius*, & addit. Solutio *autem ista, quid aliud agit, nisi vt corpus resoluatur, & quiescat: anima autem conuertatur in requiem suam & sit libera: quæ si pia cum* CHRISTO *futura sit?*

*Phil 1.23.*

*Apostolus non petit resolui.*

III. NON dicit tamen Apostolus, vt benè monet Cornelius, se cupere *Resolui*, quod est, interire, & iterum ad prima elementa reuerti, sed *Mori*; ita, vt ad meliorem vitam pars altera euolet, quod est, *Dissolui*,

*Dissolui*, nempe, vinculo quo anima corpori colligatur, velut luteæ casæ, aut vesti. Quo modo corpus concipiebat S. Nazianzenus orãs: *Domine* Solue *hanc tunicam, & da leuiorem.* Alij imaginantur animam colligatam corpori, velut compedibus. Nonnulli tanquam *Sepulcro.* Sic enim Plato in Cratylo, Corpus σῶμα appellat, veluti σῆμα, id est, *Sepulcrum.* Macrobius etiam corpus, scribit, *Vinculum* à Cicerone appellari, quasi *Sepulcrum*; quod, cùm sit carcer sepultorum, plerique fingunt hanc colligationem esse, quasi cum carcere. Sanè Homerus, *Corpus* δέμας nuncupabat: quod vocabulum, & *corpus*, & *carcerem*, & *vinculum* significat. Quâ imbutus opinione Virgilius canit:

*Corpus tuni. a.* *Compedes.* *Sepulchrum.* *NOTÆ.* *Car er. Vinculum.*

*Hinc metuunt, cupiúntque, dolent, gaudéntque nec auras*
*Respiciunt clausæ tenebris, & carcere cæco.* *Li. 6. Æneid.*

Quibus definitiones corporis contineri existimat Seruius.

Ad quam rem illustrandam conducit elegans Palladæ epigramma Græcum, cuius sententiam ita exprimit Latinus.

*Corpus dolor animi, Infernus, Parca, onus necessitas,*
*Et populus ferox: & pœna cruciamentorum*
*Sed quando egressa fuerit è corpore, tanquam è carcere*
Mortis, *fugit ad* DEVM *immortalem.*

Quo spectat Pythagoræ dictum moribus informandis accommodatum, qui ex discipulis quendam curando corpori diligentius vacantem conspicatus, vt optimum nitidúmque habitum sibi compararet, ita eum pupugit: *Hic non desinit molestiorem sibi* carcerem *struere.* Quo significabat, animum corpore, ceu carcere inclusum, quod quò pinguius fiat, eò magis animum opprimat, mentísque lumen extinguat.

IV. NON desunt, qui aliam longè diuersam *Colligationem* effingunt, cuius *Solutio* sit *Mors.* Scribit enim de Hortensio, & quibusdam alijs Augustinus, palàm eos professos esse, quod verum sit, cuius auctor est Aristoteles: *Simili nos affectos esse supplicio, atque eos, qui quondam, cùm in prædonum Etruscorum manus incidissent, crudelitate excogitatâ necabantur; quorum corpora viua cum mortuis, aduersa aduersis accõmodata, quàm aptissimè colligabantur: sic nostros animos cum corporibus copulatos, vt viuos cum mortuis, esse coniunctos.* Mezentij ea tyrannis fuisse perhibetur, qui

*Aug. lib. V. contra Iulian. cap. 15.* *NOTÆ.*

*Mortua quin etiam iungebat corpora viuis,*
*Componens manibúsque manus atque oribus ora:*
*Tormenti genus, & sanie tabóque fluenteis* *Virg. Lib. VIII. Æneid.*

*Complexu in misero longa sic morte necabat.*

*Corporis fœditatem in animũ redundans.*

Quis ita colligatus non optaret hoc vinculo solui, & à cadauere, cuius fœtorem excipere cogitur, liberari? *Solutio* autem est *Mors* quam omnes ita metuunt, cum expetere deberent; si animaduerterent, Corpus esse, quod aggrauat animam, illius fœditatem, putorem, tabem, tabumq́;, velut cadaueris verminosi, animam, liberè ad cœlestia euolare cupientem, adficere. Meritò igitur Paulus desiderium habebat *dissolui*. Et idem est electorum omnium votum.

*Sancti molestia vincti. S. Greg. lib IV. Mor. ca. XXX*

V. Hic enim electi (vt disputat M. Gregorius) molestia vincti sunt, quia adhuc corruptionis suæ pœna deprimuntur. Sed, cùm corruptibili carne exuimur, quasi ab his, quibus nunc adstringimur, molestiæ vinculis relaxamur. Præsentari namque iam Deo cupimus: sed adhuc mortalis corporis obligatione præpedimur. Iure ergo vincti dicimur: quia adhuc incessum nostri desiderij ad Devm liberum non habemus. Vnde benè Paulus æterna desiderans: sed tamen adhuc corruptionis suæ sarcinam portans, vinctus clamat: Cupio dissolui & esse cum Christo. Dissolui enim non quæreret, nisi se proculdubio vinctum videret. Hæc autem vincula, quia certissimè rumpenda in resurrectione conspexerat, iam quasi rupta gaudebat Propheta, cum diceret: *Dirupisti vincula mea tibi sacrificabo hostiam laudis.*

*Dirumpere vincula.*

VI. Qvod de dissolutione coniunctionis inter corpus & animam, quæ *Mors* est, posse intelligi, sensu saltem mystico, notat in eum Psalm. Ioannes Lorinus. Et ita exponit sanctus Ambrosius, tum loco nuper indicato, tum in Psalm. CXVIII. *Cùm potueris dicere,* ait, Dirupisti vincula mea: *hoc est, soluisti cursum istius vitæ: liberasti me ex hoc* Mortis *corpore: tunc tibi dicit: Hodie mecum eris in paradiso.* Atque ita sanctus Hieronym. *a* legit *Dissoluisti.* Sanctus etiam Epiphanius, *b* diruptionem, vel solutionem vinculorum intelligit, liberationem de *corpore Mortis huius*, in quo sæuit lex cupiditatis, animam ad *Mortem* peccati seducens: non quod anima, propter peccata, prius commissa, in corporis vincula coniecta fuerit, vt existimabat Origenes Platonico errore, à Concilio Bracharensi I. damnatus.

*a Ps. CXV. b Hær. LXIV. Rom. VII. 24*

NOTÆ.

*Mors Virtutis & Mortificationis.*

VII. Porro, vt Mors corporea, quam *Physicam* dicimus, symbolicè est solutio vinculorum quibus corpus & anima nectuntur ita *Mors Spiritualis, Moralis, Philosophica,* quam *Virtutis* etiam vocare licet, vel *Gratiæ*, aut ascetis vsitato vocabulo, *Mortificationis*, translato *Sym-*

to *Symbolo*, est Solutio ab alijs quibusdam, non minus Symbolicis funibus aut vinculis. Ad quam *Solutionem* hortatur fideles & salutis suæ amantes Ambrosius, vtriusque *Mortis* conditionem declarans, & iustorum desideria, & industriam commendans.

QVID enim aliud, inquit, in hac vitâ Iusti agunt, nisi vt exuant se huius corporis contagionibus, quæ velut *Vincula* nos ligant, & se ab his molestijs separare contendant: renuncient voluptatibus suis, atque luxuriæ, fugiant flammas libidinum. Nonne igitur vnusquisque in hac vitâ positus, speciem *Mortis* imitatur, qui potest ita se agere, vt moriantur ei omnes corporis delectationes, & cupiditatibus omnibus, mundique illecebris etiam ipse moriatur, sicut Paulus Apostolus mortuus erat, dicens; *Mihi enim mundus crucifixus est, & ego mundo.* Idémque monet vt *Mortem* IESV in corpore circumferamus. Qui enim habuerit in se *Mortem* IESV: is & vitam Domini IESV in corpore suo habebit. Operetur igitur *Mors* in nobis, vt operetur, & vita. Bona vita post *Mortem*: hoc est, bona vita post victoriam: bona vita, absoluto certamine, vt iam lex carnis legi mentis repugnare non nouerit: vt iam nobis nulla sit cum corpore *Mortis* contentio: sed sit in corpore *Mortis* victoria.

*Iusti moriuntur quotidie.*

*Ambros. lib. de bono Mort. cap. 11.*

*Ad Gal. 6.*

NOTÆ.

VIII. ATQVE haud scio ipse, an maioris virtutis *Mors* ista, quàm vita sit. Certè Apostoli moueor auctoritate, dicentis. *Ergo* Mors *in nobis operatur: Vita autem in vobis.* Vnius *Mors* quantorum populorum vitam ædificabat? Itaque docet, & istam *Mortem* in hac vitâ positis, expetendam, vt *Mors* CHRISTI in corpore nostro eluceat, & illam beatam, quâ corrumpitur exterior, & renouetur interior homo noster, & terrestris domus nostra dissoluatur, vt habitaculum nobis cœleste reseretur.

*Mor maioris virtutis quam vita.*

*II. Cor. 4.*
*II. Corinth. V.*

Imitatur igitur *Mortem* (nempe, expedit se à *Vinculis*) qui se à communione carnis huius abducit, atque illis *Vinculis* soluit, de quibus tibi dicit Dominus per Isaiam: *Solue omnem colligationem iniustitiæ: dissolue obligationes violentarum commutationum: dimitte confractos in remissionem & omnem circumscriptionem iniquam disrumpe.*

*Colligatio iniustitiæ.*
*Isai. LVIII.*

Imitatur & ille *Mortem*, qui se à voluptatibus exuit, & à terrenis cogitationibus attollit, atque eleuat, & in illo cœlesti habitaculo locat, in quo Paulus cùm adhuc viueret, conuersabatur. Aliter enim non diceret: *Nostra autem conuersatio in Cælo est.* Quod

*Vincula, Voluptates.*

 pariter

pariter ad præsumptionem meriti potest, Meditationémque conferri: Illic enim erat eius meditatio: illic animæ eius conuersatio: illic eius prudentia, quæ vtique intra angustias carnis huius hærere non solebat. Sapiens enim cum illud diuinum requirit, *absoluit* animam suam corpore, & eius abnegat contubernium, cùm illam veri tractat scientiam, quam velut nudam sibi, & apertam desiderat demonstrari, & ideò retibus quibusdam, & nebulis huius corporis se quærit exuere.

*Corpus, Rete, Nebula.*

Pulchrè de se S. Iob. *Memento quia lutum me finxisti.* Si ergo lutum est corpus, oblinit nos vbique, non diluit, & coinquinat animam, coinquinamento intemperantiæ. *Corium, & carnem me,* inquit, *induisti: ossibus & neruis intexuisti.* Ligatur itaque & distenditur animæ nostra istius corporis neruis, & ideò interdum rigescit, sæpe curuatur. Hæc qui perpendit an non vt *soluatur* optare debet?

*Corpus lutum. Iob. X.*

IX. Alii. *Crimina,* delicta, culpásque, siue graues, siue leues, tanquam *Vincula* considerant, à quibus *solutio* sit *Mors Symbolica. Catenis* enim *funibúsque suorum peccatorum* vnusquisque *constringitur* Prouerbior. v. Itaque felix ille qui verè cantare potest: *Dirupisti vincula mea:* quod Martyrem sacare scribit Hieronymus: & addere; De vinculis plicasti mihi coronam victoriæ: *vbi* enim *abundauit peccatum, superabundauit & gratia.* Idem de Martyrio habet Cassiodorus, cuius tantam ait esse virtutem, vt impetu eius triumphali, dirumpantur omnia vincula peccatorum: nullam enim in homine maculam remanere posse, quem pius sanguis abluerit. *Symbolum* peccatoris fuit iumentum, quod solui voluit Christus, vt super eo sederet. Lazarus solutus ab institis. Dirumpenda sunt hæc vincula & proijciendum iugum iniquitatis. Horum vinculorum intuitu in peccatorum cōdonatione, vsus est verbi *Absoluo.*

*Vincula, Peccata. Hier. Ps. CXV. Rom. V. 20. Matt. XXI. 2. Ioan XI. 44. Ps. II. 3. Matt. XVI. 19.*

X. Sunt quoque *Vincula,* catenæ, laquei, funes, *Occasiones peccandi,* & inueteratæ *Consuetudines,* à quibus eadem *Mors* spiritualis absoluit. Peruulgata est Augustini confessio, de fereâ voluntatis catenâ, quâ tenebat illū, & constringebat inimicus; sed dissoluit eam sponte obita *Mors-virtutis*, postquā Deo cœpit viuere, peccatis mortuus. Adumbratam peccatoris miseram per hæc vincula colligationem Anselmus expressit, exemplo auiculæ, quam puer ligatam filo retinebat, ne auolare posset: Sed præcidi illud iussit Antistes; sic libertatem consequuta auolauit. Sed melius *Mors* moralis consuetudinis nexum, quam ferrum fili nodum soluit.

*Vincula occasiones peccandi. Lib. VIII. Conf. cap. 5. Ansel. Simil. cap. 189.*

XI. De-

XI. DENIQVE, *Vincula* sunt, opes, honores, delitiæ: à quibus expeditur religiosus *Morte-transformatiuâ*, seu perfectionis. Quocirca religiosam vitam ingresso accommodat Hugo Cardinal. illud carmé: *Dirupisti Domine Vincula mea*: quib. nimirum, in seculo constringebar, & mundo, carni, ac sanguini colligabar. Monet autem istiusmodi vincula esse quam plurima; vt enim scribit Gaufredus: Væ miseros quantos hodie vincula pericula delectant, carnalis necessitudinis, voluptatis, & consuetudinis, ac eius generis alia. Tum addit: ea *Vincula* non tam denodanda, & dissuenda, quàm præscindenda, & dirumpenda esse, consilio Hieronymi, amico suadentis: *Hærenti in salo naniculæ funem magis præscinde, quàm solue.* Facit tamen abundè ex officio, qui *Solutionem*, per *Mortem* spiritualem, vel potius, quæ *Mors* ipsa est, meditatur. *Vincula mundana omnia.* *Hieron Epis.*

XII. EIVSDEM Cardinalis monitum est: Sine *Solutione* ab his *Vinculis* non posse vllum rectè fungi Ecclesiastæ officio. Non enim antequam dirupta sint vincula sacrificare potest DEO hostiam laudis prædicando. Si enim ligatur amore diuitiarum, quomodo prædicabit paupertatem? Si amore carnis, quomodo prædicabit continentiam? *Qui prædicas non furandum, furaris* obijciebat Paulus nondum soluto. Solutum est vinculum linguę eius, & loquebatur rectè, dicitur Marci VII. non ante rectè loqui poterat, quàm esset solutum vinculum. *Prædicator saluatur à vinculis.*

XIII. VINCVLA nominare videtur Petrus Damiani, *Solicitudinem*, & curas Præsidum, seu Principum quorumcumque, à quibus Solutio, sit *Mors-Philosophica* (loquor de Christianâ) qua quis sibi Deóque viuere incipit, ab exterioribus, quantum permittit mortalium conditio, liber. Scribens enim ad Alexandrum Pontificem præclarus ille vir, rationem dat, cur, abdicato Episcopatu, in solitudinem discessisset, & ita ex adfectu, quo flagrabat, sacræ quietis, Papam adloquitur: *Libet sub quadam mentis energiâ, quasi diu stipitibus attritos agitare pedes, durísque catenis edomitas subleuare ceruices, illúdque propheticum alacriter decantare: Dirupisti Domine vincula mea.* *Vincula, cura superiorum.* *Petr. Damia. Epist lib 1. Ep 10.*

XIV. NON minus suauiter cantillat Augustinus, *Morte-voluntariâ* solutus à nugis vanitatum & fascinationum puerilium, quibus tam multi, quo minus liberè ad DEVM euolent, detinentur in mundi caueâ. Domine ego seruus tuus: ego seruus tuus & filius ancillæ tuæ: dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis: Laudet te *Vincula vanitatum nugæ.* *Aug. lib IX. Conf. cap. 1.*

det te cor meum, & lingua mea, & omnia ossa mea dicant: Domine quis similis tibi? Dicant, & responde mihi: & dic animæ meæ: Salus tua ego sum. Quis ego? & qualis ego, aut quantus ego? Quid non mali ego? An facta aut si non facta, dicta mea: aut si non dicta, voluntas mea fuit? Tu autem Domine, bonus, & misericors, & dextera tua respicens profunditatem *Mortis* meæ: & à fundo cordis mei exhauriens abyssum corruptionis. Et hoc erat totum nolle, quod volebas. Sed vbi erat tam annoso tempore: de quo imo altóque secreto euocatum est in momento liberum arbitrium meum, quo subderem ceruicem leni iugo tuo, & humeros leui sarcinæ tuæ CHRISTE IESV adiutor meus & Redemptor meus.

Quam suaue mihi subitò factum est carere suauitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Eijciebas enim eas à me vera TV & summa suauitas; eijciebas, & intrabas pro ijs omni voluptate dulcior, sed non carni & sanguini: omni luce clarior, sed omni secreto interior, omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. Iam liber erat animus meus à curis mordacibus ambiendi, & adquirendi & volutandi atque scalpendi scabiem libidinum, & garriebam tibi claritati meæ, & diuitijs meis & saluti meæ, Domino Deo meo.]

De Bibl. — XV. QVI ita contriuerat catenas ferreas, inueteratæ consuetudinis, & ruperat vincula malarum cupiditatum à nodis peccatorum penitus liber, quis eum dubitet, cum Paulo habuisse *Desiderium dissolui, & esse cum Christo*? Sed vt ad alterum Symbolum veniam. Obseruo (quod Latinus legit) *Dissolui*, Græcè esse, ἀναλῦσαι. Quod cùm sit verbum vocis mediæ, non minus actiuè, quàm passiuè sumi potest: quocirca verti etiam potest, *dissoluere*, aut, *soluere*: quod nautas spectat è portu soluentes, ac proficiscentes. Quo pacto etiam simplex λύειν pro soluere è portu sumitur apud Græcos.

Ἀναλῦσαι

Verbum nautarum.

H. S. — Decantatus est versus ille Pantelei in Callimachum, & Cynægirum.

λῦε κυβερνῆτα νέκυες δὲ φύγωμεν ἀπειλάς

*Solue age, solue, minax fugiamus nauta cadauer.*

Et Synesius λύσαντες ἐκ Βενδίδεια. Apud eundem, ἀναλύω, de gubernatione nauis accipi notat Budæus, & ex hoc auctor Thesauri.

καταλύω. Diuersorio.

Simili modo καταλύειν proprium est aurigarum, quando dissoluunt funes equorum ac curruum, & commorationem in diuer-

sorio

ſorio ſe comparent. Vnde καταλύω vniuersè alicubi ſignificat, *finio*, aut *definio* neutraliter: &, *diuerto*, ac hoſpitũ capio. ſicut κατάλημα pro diuerſorio ſumitur, vel hoſpitio Marci XIV. Denique ἀναλύειν dicuntur, qui ſarcinas commouent, & mutant, aut ineunt diuerſorium: videlicet nautæ, cùm ſoluunt rudentes, & peregrini ac milites quando ſoluunt tabernaculorum funes. Itaque ſanctus Chryſoſtomus ἀναλύειν vertit μετίςασθαι, id eſt, *migrare*. Sanctus Hieronymus, *reuerti*. *S Hieronym. contra Ruff.*

XVI. VT ſenſus ſit, *Cupio diſſolui* Ego peregrinus ſum, ſicut omnes patres mei, exul, inops, errabundus, vitæ mortalis infidum mare, & nunquam non tempeſtatibus exagitatum tot iam annis nauigaui: piget tandem longæ ac periculoſæ circumuectionis: toties nauſeam paſſus, nolim ſemper torqueri: toties eiectus, odi fluctuum reciprocantium minas: vnum eſt adhuc fretum traijciendum, vt ad immortalis gloriæ portum perueniam, paruus eſt pelagi tractus, quem ſi cymba mea percurrat, in patriam inuehar: ad illam anhelo, illam inclamo: illa mihi meta. quid moror? *Deſiderium habeo diſſolui*, cupio proficiſci, funes abrumpere, nauigare: cupio recipi in cœleſte diuerſorium, quomodo legit Tertullianus, fortaſſe reſpiciens Græcam vocem, ἀναλήψασθαι. Cupio ſoluere funem meæ onerariæ, & illam vndis committere. quod abſque *Symbolo* ſimpliciſſimè diceret, *Cupio mori*. *Tertul. l. de Patien cap. 9.*

XVI SED ſymbolicæ iſtæ loquutiones plus habent energiæ ad ærumnas vitæ præſentis animo effingendas, & *Mortis* in ſe adfectum ſuſcitandum. Plurimum enim valent ad *Mortem* non horrore quodam deteſtandum, ſed prona voluntatis inclinatione exoptandum, vinculorum, quibus conſtringimur, vel nos, vel nauis hæc noſtra in minimè tutâ ſtatione detinetur, conſideratio. Sumus, quam diu in hac mortalitate agimus, velut in obſcuro *Carcere*, compediti, manus ſunt veluti funibus nexæ, facultates, quà corporis, quà animi, quibuſdam quaſi catenis difficultatum, quo minus liberè, quæ deberent, exequantur, detinentur. *Mortis deſiderium.*

Horreo penè, dum lego, in Iaponum Triumphis, *Paulum Iaponenſem*, ad palum cùm fuiſſet alligatus, vinculorum ſpirâ totum ab ipſo collo corpus abuolutum hæſiſſe; &, vt ſupplicium augeretur, pectus arundineo arcu fuiſſe con-

strictum ad eum modum, quo apud nos vietores vasa circumligant. Sed hæc ipsa est forma hominis cupiditatum vinculis, & nexibus peccatorum arctissimè compressi quid hortemus?

*Mansio XXVII. Maseroth.* XVII. ACVTE, quidam: In istâ peregrinatione ad terram sanctam, regionémque viuentium diuertimus, vigesimâ septimâ mansione, ad *Maseroth*; quod *Vincula* significat; quæ dissoluere oportet, imò disrumpere, vt hostes, exēplo Samsonis, vincamus, quod monet Isidorus, & ante ipsum, Hieronymus Epist. 127. in mansione 27. Isidor. lib. 4 Num. 4. cap 16. Fuit ille ligatus duobus nouis funibus,

*Tria vincula.* LXXta καλώδια vocant, id est, rudentes, seu funes nauticos. Nos omnes pluribus stringimur, quæ superius expressimus. Sed reuocari possunt ad triplex genus. *Primum* est, ærumnarum corporis: *Secundum*, concupiscentiæ, & peccatorum: *Tertium*, terræ, reiúmque terrenarum. Hæc omnia *Mors* dissoluit, & reddit hominem, impassibilem, impeccabilem, cœlestem, ac æternum. Videntur hæc designata à S. Bernardo oratione funebri dictâ. B. Malachiæ. *Triplex, inquit, in Morte congratulatio est; homines ab omni labore, peccato, & periculo liberari.*

*Vincula infirmitatum.* XVIII. DE *Primo* vinculorum genere Apostolum potissimùm loqui indicat S. Augustinus in illud Psalm. LXXVIII. *Intret in conspectu tuo gemitus compeditorum*: Scribit enim; *Compedes sunt infirmitates, & corporis corruptibilitas quæ animam aggrauant. Ab his compedibus concupiscebat dissolui Apostolus, & esse cum Christo. Donec ergo corruptibile hoc induat incorruptionem, & mortale hoc induat immortalitatem, velut compedibus caro infirma impedit promptum spiritum.*

*Concupiscētia.* De *Secundo*, est illud Apostoli, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius.* Egerat autem pluribus de concupiscentiæ lege in membris regnante, quâ fatigatus, rogat, vt à vinculis molestissimis eripiatur, quibus, quasi mancipium *Morti* destinatum se constringi dicit. Vocat autem, *Corpus mortis*, vel Hebræorum more, corpus mortale, vt monet S. Hieronymus Apologia contra Ruffinum: vel corpus, deplorandæ vitali *Morti* obnoxium.

*Terra, ac corporis.* De *Tertio*, frequens est in aspirationibus, cœlestia desiderantium mentio. Omnium votum exprimit vnica oratione S. Gregorius Homilia XV. in Ezechielem, dum exponit illud: *Mensus est thalamum vno calamo in longum.* Thalami, inquit, in sancta Ecclesia sunt illorum corda, in quibus animæ per amorem sponso inuisibili coniunguntur, vt eius desiderio mens ardeat, nulla iam, quæ in mundo

sunt

ſunt cōcupiſcat: præſentis vitæ longitudinem pœnam deputet, exire feſtinet, & amoris amplexu in cœleſtis Sponſi viſione requieſcere exoptet. Mens itaque quæ iam talis eſt, nullam præſentis ſeculi conſolationem recipit: ſed ad illam quam diligit, medullitus ſuſpirat, feruet, anhelat, anxiatur: vilis ei fit ipſa ſalus ſui corporis, quia transfixa eſt vulnere amoris.]

XIX. Hoc deſiderium fuit Joannis iam ſenis, ardentiſſimè Chriſti, quem diligebat tenerrimè, præſentiam expetentis, & illud identidem ingeminantis, quod ſemel ſcriptum reliquit, in fine Apocalypſis: *Veni Domine* IESV. Hoc fuit Ambroſij *Mortem* accerſentis, poſt accuratam & ſuauem de *Mortis* bono commentationem, cuius iam iam morituri vox illa commendatur à Poſidonio: *Non ſic vixi, vt pudeat me inter vos viuere: ſed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus.* Dicebat hoc diſcipulis ſuadentibus, vt longiorem à DEO vitam poſtularet. Hoc fuit Cypriani, qui, vt alij quoque *Mortem* appetendam ſcirent, reliquit Parænesin, qua exhortatur ad *Mortis* deſiderium, & tranſitum in cœlum, refugientibus Afris, eo tempore, quo quindecim annos apud illos graſſabatur lues, intempeſtiuum, vt opinabantur, ex hac vitâ abitum.

*Optant Mortem ſancti.*

*Poſſid. in vita S. Aug. cap. XXVII.*

*Cyp. lib. de Mortalitate.*

XX. DVCIT autem argumentum, vt hoc perſuadeat à *Symbolo* quod tractamus, quia *Mors* eſt *Solutio.* Conſiderandum eſt, fratres, inquit, & identidem cogitandum, renunciaſſe nos mundo, & tanquam hoſpites peregrinos hic interim degere. Amplectamur diem, qui adſignat ſingulos domicilio ſuo: qui nos hinc ereptos, & LAQVEIS SECVLARIBVS EXSOLVTOS Paradiſo reſtituit, & regno cœleſti. Magnus illic nos carorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum, frequens nos & copioſa turba deſiderat, iam de ſua immortalite ſecura, & adhuc de noſtrâ ſalute ſolicita. Ad horũ conſpectum, & complexum venire, quanta & illis & nobis in communi lætitia eſt?

*Deſideranda Mors quia eſt Solutio.*

*A laqueis ſecularibus.*

Qualis illic cœleſtium regnorum voluptas ſine timore moriendi, & cum æternitate viuendi! quam ſumma & perpetua felicitas! Illic Apoſtolorum glorioſus chorus; illic Prophetarum exultãtium numerus: illic Martyrum innumerabilis populus, ob certaminis, & paſſionis victoriam coronatus: illic triumphantes Virgines, quæ concupiſcentiam carnis & corporis continentiæ robore ſubegerunt: remunerati miſericordes, qui alimentis & largitionibus pau-

*Societas aliorum.*

perum iustitiæ opera fecerunt, & ad cœlestes thalamos terrena patrimonia transtulerunt. Ad hos, fratres dilectissimi, auidâ cupiditate properemus, & cum his citò esse, vt citò ad Christum venire contingat, optemus. Hanc cogitationem nostram DEVS videat, hoc propositum mentis & fidei Dominus CHRISTVS adspiciat, daturus eis gloriæ suæ ampliora præmia, quorum erga se maiora fuerint desideria.]

*Posido in vita S. Aug. cap. XXVII.*
*Episcopi dictũ.*

XXI. NARRAT Posidonius, referre solitum Augustinum frequentissimè, cuiusdam Coëpiscopi, & familiarissimi sui amici in extremis vitæ, dictum verè Christianum. Cum enim ad visitandum iam *Morti* propinquantem venisset, & ille manus gestu se de seculo exiturum significaret, atque ab Augustino illi esset responsum: Adhuc eum Ecclesiæ necessarium viuere posse illum, ne putaretur, huius vitæ teneri cupiditate, respondisse. *Si nunquam, benè: si aliquando, quare non modo?*

*Episcopi trepidatio.*

XXII. ILLVD etiam cuiusdam ægrotantis Episcopi adferebat, de quo Sanctus, in Epistolâ suâ, quam de Mortalitate scripsit M. Cyprianus ita retulit. Cùm quidam de collegis, & consacerdotibus nostris infirmitate defessus, & de appropinquante *Morte* solicitus, commeatũ sibi precaretur, adstitit deprecanti, & iam pene moriẽti iuuenis honore & maiestate venerabilis, statura, celsus & clarus aspectu, quem adstantem vix posset humanus aspectus oculis carnalibus intueri, nisi quod talem videre iam poterat de seculo recessurus. Atque ille non sine quadam animi & vocis indignatione, infremuit. Et dixit: Pati timetis, exire non vultis, quid faciam vobis?

*Ioseph è vinculis ad regnũ. Gen XL.*
*Psal. CI. 21.*

Quasi diceret, ligati estis, solutionem horretis: nescitis quod ex vinculis patienter toleratis egrediemini ad regnum, quemadmodum Ioseph è compedibus? quid trepidatis? Exaudiuit DEVS *gemitum compeditorum*, paratus vincula soluere, vt soluti volent, & vincula ipsa, in ornamenta coronasque conuertantur. quid metuitis? In littore constituti, ventum expectatis & ad nauigãdum Fauonios aspirant cœlitus agitati, quid cunctamini, funem hærentis nauiculæ præscindere, & è portu soluere?

NOTÆ

# NOTÆ
## AD COMMENTATIONEM XXIX.
# MORS
# SOLVTIO.

§. III. CORpus sepulcrum. ] *Vtitur hac fictione S. Gregorius Nazianzenus Epist LXIV. ad Philagrium, quem ad tolerãtiam hortatur, monétque, vt futuro æuo viuat,* Mortísque *meditationem, hanc vitam existimet, vt Plato aiebat: atque ab hoc siue corpore, siue sepulcro, vt idem loquitur, animã, quo ad eius fieri poterit soluat. Est hoc Socratis apud Platonem in Cratylo: seu, quod anima nunc in corpore quodammodo sepulta sit: seu, quod anima per corpus σημαίνει ὅσα ἂν σημαίνῃ: significet ea omnia, quæ significat. Ait siquidem, sibi videri, Orphei sectatores nomen hoc ob id potissimum posuisse, quod anima in corpore hoc delictorum det pœnas, & hoc septo, vallóque claudatur, velut in carcere quodam, vt σώζηται, seruetur.*

*Ob hanc caussam Plato in Gorgia profert illud Euripidis:* Quis nouit, vtrum Viuere, Mori sit: Mori autem viuere? *Consentit Platoni, disciplinæ eius cultor insignis Maximus Tyrius: post quem, multi alij. Legendus Scholiastes Nazianzeni ad Epistol.* LXIV. *Et ex recentioribus Martinus de Roa, libr. de die natali, cap. 3 & 4. vbi multa habet de vita mortalis incommodis: ob quæ, Corpus* Carcerem, *imò,* Inferos, *&* Tartarum *fuisse cognominatum, habitúmque, tam Pythagoreis, quàm Platonicis, fraude Cacodæmonis, docemus* Prima Parte Theologiæ, *THEOLOGIA VARIA libr.* II. *Comment.* VII. *quæ est de* Theologiâ Ethico Mythicâ Profanâ.

*Vniuersè Macrobius de antiquissimis rituum Magistris, lib. 1. in Somn. Scipionis cap. 10. Antequam studium Philosophiæ adolesceret, qui per diuersas gentes Auctores in constituendis sacris ceremoniarum fuerunt, aliud esse* Inferos *negauerunt, quàm ipsa* Corpora, *quibus inclusæ animæ, CARCEREM fœdum tenebris, horridum sordibus, & cruore patiuntur. Hoc Animæ* Sepulchrum, *hoc Ditis concaua, hoc* Inferos *vocauerunt: & omnia quæ illic esse credidit fabulosa persuasio in nobismetipsis, & in ipsis humanis corporibus adsignare conati sunt.*

*Stoicè Seneca ex hoc ipso Animæ*

 *humana*

*humano generositatem deprædicans, lib. III de Benefic. cap. 20. Corpora obnoxia sunt, & adscripta dominis* (addicta dominis. emptionum tabulis mancipata) *mens quidem sui iuris. quæ adeò libera & vaga est, vt ne ab hoc quidem CARCERE, cui inclusa est, teneri queat, quo minus impetu suo vtatur, & ingentia agat, & in infinitum comes cœlestibus exeat* (id est: Sidera sequatur, aut præeat: *nimirum cogitatione.*

*§. IV.* Etruscorum manus.] *Hoc tormenti genus Etruscis fuit vsurpatum. Valerius lib. IX.* Tit. *De crudelit. cap. 2. At ne Etrusci quidem parum feroces in pœna excogitanda, qui viuorum corpora cadaueribus aduersa aduersis alligata, atque constricta: ita vt singulæ membrorum partes, singulis essent accommodatæ, tabescere simul patiebantur, amari vitæ pariter, ac Mortis tortores.*

Mezentij tyrannis.] *Similem Macrini crudelitatem, & nonnullas alias describit Crinitus libr.* XI. *cap 9. Et Capitolinus: Reddidit etiam Mezentij supplicium, quo ille viuos mortuis illigabat, & ad Mortẽ cogebat longâ tabe confectos. Vnde etiam in Circo, cum fauor publicus in Diadumenum semper fuisset, acclamatum. Egregius forma iuuenis, cui pater haud* Mezentius *esset. Narrat etiam Seneca singularis cuiusdam immanitatis exempla complura Regum quorũdam, lib.* III. *de Tra. cap. 17. 18. 19.*

*Atrocis supplicij à Mezentio vsurpati mentionem facit Clemens Alexandrinus in Protreptico, quo Græcis suadet vt ad Christianam religionem se conferant: Verba eius sunt.* Τοὺς ἀνθρώπους (ἐμοὶ δοκεῖν) βαρβαρικῶς τιμωρούμενοι οἱ νεκροῖς τοὺς αἰχμαλώτους συνδεῖν λέγονται σώμασιν ἵν' αὐτοῖς καὶ συσσαπῶσιν. *Non tamen Barbaræ nationes, quod faciebat sæuus tyrannus, ciuium corpora, sed hostium armis captorum, infelici hoc genere lethi consumebant. Vide Victor. lib.* IV. *cap 18.*

Hæc *MORS LONGA dicebatur. De qua Sophocles in Electrâ insinuans, Tyrannos in longum vitam ciuium protrahere, vt quibus* Mors *beneficij loco indulgetur: vita autem, id est, moriendi mora pro supplicio & in pœnam conceditur. Sophoclea sunt ista.*

> οὐ γὰρ θανεῖν ἔχθιστον, ἀλλ' ὅταν μενεῖν
> Χρήζων τις, εἶτα μηδὲ τοῦτ' ἔχῃ λαβεῖν.

*Philipp.* II. *M. Tull. quâ immanitatem Dolabellæ exagitat, qui Treboniũ Prætorem Asiæ apud Smyrnam prorsus innocentem interfecerat, & in mortuum quoque sæuierat. Maiora tamen in vos, quàm in hostem supplicia meditatur:* Mortem *naturæ pœnam putat esse: Iracundiæ, tormenta, atque cruciatum. Qualis igitur hostis habendus est is, à quo victore si cruciatus absit,* Mors *in beneficij parte numeretur?*

His

*His germana addi possunt, quæ narrantur à Suetonio de Tiberio cap.* LXI. *Mori volentibus adhibita vis viuendi. Nam* Mortem *ad ò leue supplicium putabat, vt cùm audisset vnum ex reis, Carnulum nomine, anticipasse ea, exclamauerit: Carnulus me euasit. Et in recognoscendis custodijs pr canti cuidam pœnæ maturitatem, respondit: Nondum tecum in gratiam redij.*

*§. VI.* Origenes Platonico errore.] *Ex errore Platonis ortus fuit error Origenis, quem tuetur lib. 1.* Περὶ ἀρχῶν, *siue* De principijs, *cap. 7. Animas humanas creatas à DEO fuisse quidem, & ex nihilo: sed omnes simul vnà cum Angelis: ac deinde fastidio adfectas bonorum illorum spiritualiũ, quibus in cœlo fruebantur, amare cœpisse res terrenas, atque idcirco à DEO in* Corpora, *tanquam in CARCERES detrudi. Hunc errorem reprehendunt Epiphanius in Epist. ad Ioannem Ierosolymitanum. Hieronymus Epist. ad Pamachium contra eundem Ioannem. Theophilus Alexandrinus in lib. 1 Paschali. August. Epist.* XXVIII. *ad Hieronymum. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. in Ioan. cap. 9 vbi viginti tribus argumẽtis in eum errorem agit. Quem damnauit Concilium Bracharense primum cap.* VI. *S. Leo Epistol. ad Turbium cap* X *Rationes contra eundem præcipuas colligit Bellarminus li.* IV. *de Amission. Gratiæ, & Statu peccati cap.* II.

*§. VII. VIII. IX.* Vincula varia.] *Perturbationes, Adfectus, Peccata, horúmque Occasio, Consuetudo, & quicquid huius est generis, vocantur* Vincula.

*Augustinus Sermone* II. *de Ascensio Domini, qui est CLXXV. de Temp. Scire debemus, Fratres, quia cũ Christo non ascendit superbia, non auaritia, non luxuria. Nullum vitium nostrum ascendit cum Medico nostro. Et ideò si post Medicum desideramus ascendere, debemus vitia & peccata deponere. Omnes enim quasi, quibusdam* Compedibus *nos premunt, & PECCATORVM nos RETIBVS ligare contendunt. Et ideò, cum DEI adiutorio, secũdum quod ait Psalmista:* Dirumpamus vincula eorum: *vt securi possimus dicere Domino:* Dirupisti Vincula mea, Tibi sacrificabo hostiam laudis.

*Chrysostomus Homil. LXIV. super Ioan.* Vinculum est terrenarum rerum adfectio. *Notat Iulius Facius in aureo libello de Mortificatione initio; Præsulem Constãtinopolitanũ, non dicere* Vincula; *sed* Vinculum: *vt indicet, quemlibet adfectum non compositum, quamlibet perturbationem, quamlibet, vt vocamus, passionem animi, detinere hominẽ, quo minus ad DEVM se eleuet, & euolet. Quod confirmat B. Dorotheus exemplo Aquilæ Serm.* XI. *Aquila enim, inquit, quæ reliquo corpore à laqueo omnino libera est, si vnica tantùm vngula detenta fuerit,*

*fuerit, omnem vim suam ex eâ modicâ particulâ, qua præpeditur, amittit.*

# COMMENTATIO XXX.

## *MORS*

## MALA-MERX.

### *Mors peccatorum pessima.*

### Psalmo XXXIII. 22.

BREVIARIVM.

1 *Vita humana, Emporium. Mundus, Forum Merces, Morbi, Dolores, Mors.*

2 *Mors peccatorum, Mala-Merx. Eius malitia multiplex.*

3 *Mors mala Saulis, Achitophelis, Absalonis, & similium.*

4 *Mors pessima Persequutorum Ecclesiæ. Pediculis extincti insigniter improbi.*

5 *Mors Iuliani Apostatæ Ethnici de Christo puniente dictum.*

6 *Quos ob caussas Mors peccatorum pessima. Θάνατος πονηρός. Sanctius Ponus Hollandorum.*

7 *Mors actæ vitæ conueniens. Vitæ malæ, Mors mala respondet. Mors damnationis pessima.*

## *Nundinatores Symbolici.*

*Vita humana Emporium.*

*Cic lib IV. Tusc.*

I. VITAM humanam similem Attico emporio putabat Pythagoras; ego Mundum, eandem ob caussam, ceu Forum, habeo, in quo *Merces* exponuntur à varijs institoribus. Sed nihil neque melius neque peius ad vllum mercatum delatum opinor ab vllo negotiatore, quàm ab antiquissimo nundinatore Cacodæmone, & eius propolâ, Peccato ad vniuersi forum, *Mercem* vnam, cui, quod mirum, vtrumque conuenit: est enim optima, ideóque preciosissima, & pessima;

sima; ideóque vilissima. *Merces* peccati, sunt, *Morbi, Dolores, Mors*. NOTÆ.
Hanc autem dum lego in Diuinis litteris appellari, modò *pessimam* modò *preciosam*, quæ Epitheta sunt mercium, non ineptè illam concipere videor, tanquam rem aliquam venum expositam, quæ totius vitæ officiis carè ematur. Sed quàm ille imperitus est mercator, qui, cùm eodem ære optimam posset, pessimam coemit?

II. MORS *autem peccatorum est pessima*. O mala *Merx*! Et sanè, Cyprianus simpliciter *mala* legit. Per *Mortem*, quidam æternam damnationem intelligunt, quâ nihil peius, & *Mors-secunda* dicitur: Sed de *Primâ* etiam, & illâ, quæ corpus, & animam dissoluit, optimè potest intelligi. Quæ semper Improbis est mala, quia initium malorum omnium, ad quæ per *Mortem* properant: mala, quia malæ vitæ consentanea; mala, quia præsidijs, quibus abundant boni, vacua: mala, quia consolationibus, quibus in *Morte* fruuntur boni, destituta: mala, quia spe meliorum orba: mala denique, quia grauis, acerba, infelix, infamis, dedecorosa, dira, funesta.

*Mors peccatorum pessima.*

NOTÆ!

III. ITA mala fuit *Mors Saulis*, qui vitam desperabundus sibi eripuit: de quo Dauidem vaticinatum putat Hesychius. Mala *Achitophelis* ex arbore domestica penduli, sui carnificis: Mala *Absalonis* è quercu crinibus suspensi: Mala Ochoziæ decidentis per cancellos. Mala *Ioæ* interfecti, cùm prius in magnis fuisset doloribus. Mala Hostium Ezechiæ, Assyriorum, de quibus Theodoretus carmen Dauidis interpretatur. Mala *Antiochi* inter grauissimos cruciatus, sordibus & pædore contabescẽtis, & expirãtis. Mala *Iudæ* proditoris, cuius ex ligno pendentis effusa sunt viscera. Mala *Annæ, Caiphæ, Pilati*.

*Mors, infelix, impiorum.*

IV. PESSIMA persequutorum Ecclesiæ, Tyrannorum, Hæresiarcharũ, Blasphemorum. Pessima *Herodis*, qui cùm non dedisset honorẽ DEO, consumptus à vermibus expirauit. Qua morte etiam *Hunnericus* extinctus est, vt auctor est victor Vticensis: & *Maximianus*, quod refert Eusebius, Eutropius, Pomponius Lætus: eundem finem sortitus est Apostata *Theotechnus*, aliúsque, qui altare perminxerat, vt est apud Nicephorum: & *Claudius Herminianus*, qui dicebat, cùm vexaretur in extremis acerbissimè nemo sciat, ne spe gaudeant Christiani, vt scribit ad Scapulam Tertull. Sic quoq; extinctus *Monachus* impurissimus, ex Christiano factus Iudæus, vt recenset Antiochus in suis Homilijs. Nostro autẽ tempore Europæ pestis *Ioan. Caluinus*, quod testatur Bolsecus: olim *Nestorius* de quo Nicephorus.

*Tyrannorum Hæresiarcharũ.*

*Victor lib. III. Euseb lib v.11 Hist. 18. Tert ad Scap. cap 3. Antioch. Hom 84.*

*Nicep lib. XIV. cap. 36.*

Mors Iuliani. Sozom lib. v. cap. VII.

V. PESSIMA *Iuliani*, quem alij scribunt vermium escam esse factum, vt illi, quos nominauimus: Ita Sozomenus. Alij sagittâ cœlitus missâ blasphemantem extinctum: certè tam funesta *Morte* perijt, vt horruerit Ethnicus nescio quis, vindicatricem CHRISTI dexteram agnoscens, licet ioculariter dixerit: Quomodo Christiani aiũt, DEVM suum esse patientem, & ἀνεξίκακον! nihil iracundius, nihil hoc furore præsentius: ne modico quidem indignationem suam ferre potuit. Quod refert S. Hieronymus in cap. III. Abacuk, plurimis exemplis confirmans, funestum *Mortis* genus sortiri Improbos, & bonorum insectatores potissimum: signatq; suam sententiam, versiculo Prophetæ nominati, iuxta lectionem LXX ta. *Diuisisti in stupore capita potentium: si quando Reges & duces eorum Christianum viderimus sanguinem fundere, & posteà vltionem Domini consequutam, hoc etiam in stupore credentium, vel in stupore cunctarum nationum, quæ eos non putabant tam citò,* tam fœdè, tam infeliciter, *posse concidere.* Sed non mirantur, qui sciũt, quàm MALA MERX sit, *Mors peccatorum*, Christianorum vexationibus, & religionis sacræ oppugnatione empta. Quod plurimis Hæresiarcharum exemplis in medium allatis. demonstrant Ecclesiæ propugnatores egregij, Georgius Ederus libr. I. Mallei hæreticorũ: Bellarminus lib. IV. de Ecclesia. Franciscus Feuardentius Commentario in Esther. Lensæius lib de Persequut. Eccles. Ioseph Stephanus lib. de vnica relig. Thomas Bozius lib. de Not. Eccl.

S. Ber Serm. XLI ex paruis

I V. SED vniuersè, Peccatorum *Mors* est *mala*, vt interpretatur Bernardus, in amissione mundi, quia non possunt sine dolore separari ab eo, quem diligunt: *peior* in dissolutione carnis: *Pessima* in tormentis inferni. *Mortem malam*, θάνατον πονηρὸν, exponit Theodoretus laboriosam, & ærumnosam, πόνος enim laborem significat. Quo abusi haud ita pridem, sacrilegè ne dicam, an scurriliter? mei Bataui, qui Palæstram D. PONO in Hollandia erectam finxerunt, in qua haud paullò celerius, quam ad D. MATRIS aram sanentur infirmi. Ita Cœlitum Reginæ illudere candidam olim gentem docuit teterrimus orci inquilinus. Quis memoret, quibus angoribus, solicitudinibus, corporis animiq; doloribus torqueantur, qui vitę malè transactæ conscij ad extrema deuenerunt? tunc experiuntur quàm carè malam *Mercem* tot laborum impẽdiis coëmerint: & dicere coguntur, sed absque fructu: *Ergo errauimus.* Nam animaduertunt, quod non præuiderant, excæcati carnis illecebris, *finem* suum esse *in interitu, & gloriam in confusione.*

Sap V. 6.

Phil. III. 19.

VII. POR-

VII. Porro, S. Basilius *Mortem* accipit pro totâ vitâ, quia carnem hanc, seu corpus, Apostolus nominat, *Mortem*: carne autem peccator abutitur. Quod qui faciunt, & corpus, vt omnium scelerum ministerium & instrumentum habent, malam omninò, inquit, sibi præparent *Mortem*. Addit idem, in eiusdem Psalmi scholiis: Qui virtutem amant, bonis multis perfruuntur; qui verò in malitiâ viuunt, *Mortem* accipient actæ vitæ conuenientem, & malæ conuersationis malus erit finis. *S. Basilius Hom. in Psal. XXXII. Rom. VII. 24.*

S. Bernardus autem Sermone LXXXII. in Cantica *Mortem damnationis* dicit esse *pessimam*, quâ moritur anima immortalis, iam mortua per peccatum: & hæc est *Mors*, sine *Morte*: finis, sine fine: defectus sine defectu: quia *Mors* illa semper viuit, finis semper incipit, defectus deficere nescit, vt docet Vrbanus Papa in Psalmum quinquagesimum. Alibi generatim Bernardus, Peccatorum dicit natiuitatem malam, peiorem vitam, *Mortem pessimam*. *A quâ, O vitæ necisque Præses! libera nos Domine.* *Mors damnationis.* *Serm. de S. Malach.*

---

# N O T Æ

§. I. Vita humana Emporiū.] *Cicero libr. V. Tusc. initio. Pythagoras Leonti respondisse ferunt:* Similem sibi videri Vitam hominum, & Mercatum eum, qui haberetur maximo ludorum apparatu totius Græciæ celebritate. *Caussam adiungit, quæ aliò spectat: tu si scire aues, Oratorem consule.*

§. II. Mors mala.] *Cyprianus lib. ad Nouatianum.* Mors peccatorum mala: & apud inferos pœnitentia nulla. *In Profanâ Litteraturâ alio sensu* Mala-Mors *dicitur nempè, cum quis patitur in* Cruce. *Crux enim* Malum *substantiuè, aut* Mala-res *dici consueuit. Hinc communis illa exceratio:* Abi in Malam-rem. *Quæ non differt ab illa:* Abi in malam Crucem: *quâ frequentissimè vtitur Plautus & Terent. Eo sensu Homerus Iliad.* III. κακὸν θάνατον, *appellat* Mortem Crucis. *Quam Hebræi quoque* Maledictionem, *vel* Maledictum *appellare videntur. Paullus ad Galatas III. 13.* Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. *Quod probat ex illo Deutero. XXI. 23.* Maledictus à Deo, qui pendet in ligno. *Quod Hebraicè est,* Maledictio: *vel* Maledictum Dei suspensus. *Itaque & Hebræi.* Malam-rem. *&* Malam-Mortem

tem, *Mortem in Cruce vocabant.* Mors Prima & Secunda *nominantur Apocalyp.* II. XI. *cap.* XX. 6. 14. *Cap* XXI. 8.

*§. IV. Pessima Persequutorum Ecclesiæ.*] *Horum longus est catalogus. Quomodo perierit* Pharao *populi Dei infestissimus hostis legitur* Exod. XIV.

Dathan *&* Abiron *principes rebellionis quam funestum exitum sint sortiti habetur Numeror.* XVI.

Iezabel *à canibus discerpta describitur lib* IV. *Reg.* 9.

Antiochi *interitus metuendus Tyrannis recensetur* II. *Machab.* 9.

Pilatum *se interemisse scribit Eusebius lib.* II. *Hist. cap.* 7.

Herodes Ascalonita *interijt scatens vermibus, cùm prius occidisset vxorem, & filios, ac se ipsum occidere tentasset Ioseph. lib.* XVII *Antiq. ca.* 9.

Herodes Agrippa *pediculari plaga consumptus est Actuu.* XII. 23.

Imperatores Romani *in Christianos credeles, vel à sepisis, vel alijs crudeliter necati miserè perierunt.*

Traianus *horrendâ paralysi, & simul hydropisi est extinctus.*

Galerius Maximianus, *&* Maximinus, *tãtis cum cruciatibus è vita deturbati sunt, vt Medici, licet Ethnici diuinam plagam agnoscerent. Leg Euseb. in Chronico lib.* VIII. *Hist. cap vlt & lib.* IX. *cap. vlt.*

Simon Magus, *alter Icarus volare tentans, prece Petri Apost. deiectus, confractis tibijs, ignominiosè expirauit Egesippus de Excidio Ieros. lib.* III. *cap.* 2. *Arnobius li.* II. *contra Gent.*

Manichæus *viuus fuit excoriatus iussu Regis Persarum ob dolos & perfidiam, spondens se sanaturum Regis filium, quem interemit. Epiphan. Heresi* LXVI.

Montanus, Theodotus, *&* Prophetissæ *eorum laqueis seipsos necauerunt. Euseb. libr V. Hist. cap.* 16.

Donatistæ *quidam Eucharistiã canibus obijcientes ab ijs lacerati sunt. Optatus lib* II. *in Parmenia.*

Arius *cum Ecclesiam intrare vellet, subito motu alui incitatus ad publicas latrinas cucurrit, & simul cum excremẽtis, intestina omnia, & animam effudit. Athanasius Orat.* I *contra Arianos. Ruffinus lib* X. *Hist. cap.* 13.

Iulianum *diuinitus occisum à terrâ sponte aperta absorptum fuisse scribit Greg Nazianz. Orat. in Athanas. circa finem.*

Valens *Arianus viuus à Gothis etiam Arianis crematus est.*

Nestorius *linguâ blasphemâ à vermibus erosâ miserrimè interijt. Euagrius lib.* I. *Hist cap.* 7.

Anastasius *imperator Euthychianorum fautor fulmine ictus esse desiit. Cedrenus, Zonaras Paul. Diaconus in eius vita.*

*Tempore Leonis Iconomachi pestilentia consequuta combustionem imaginum sacrarum trecenta millia hominum sustulit Constantinopoli. Matth. Palmerius, An.* DCCXLI. *in Chronic.*

Lutherus

Lutherus *hæresiarcha Morte pessimâ & repentinâ sublatus est. Cùm enim vesperi genio indulsisset hilarius, & facetijs commensales ad risum prouocasset, eadem nocte viuere desiit. Cochlaeus in vita Luther.*

Zwinglius *in bello contra Catholicos vitam amisit, plaga miserabili. Surius in Com.*

Oecolampadius *Luthero non dispar, Basileæ, cum vesperi sanus cubitum cõcessisset, mane mortuus in lecto ab vxore repertus est. Cocla. Act. Luth. Anno M DXXXI.*

Andream Carolstadium *à Dæmone interfectum Ministri Basileenses scribunt in Epistola, quam vulgarunt de Morte Carolstadij.*

Ioan. Caluinus *vermibus consumptus obijt, cùm Dæmones blasphemando execrandóque inuocasset. Hieronym. Bolsecus in vita Calu. c. XXII.*

§. *VI.* Vniuersè Peccatorum *Mors* est *mala.*] *Atque idcirco hanc solam, non aliam quamlibet metuendam, facundè, nec minus Philosophicè, ac Theologicè probat S. Ioan. Chrysost. Hom. V. ad Pop. Antioch. Inter reliqua: nam totum locũ alibi exscribo.* Mortem, *inquis, non timeo, neq. mori: sed male mori, & obtrũcari. Igitur* Ioan. *malè mortuus est? fuit n. obtruncatus. Igitur* Stephanus *male mortuus est? fuit etenim lapidatus. Et Martyres cũcti secũdum te miserè obiêre, quoniam igne, aut ferro vitam finierunt. Et hi quidem in mare: hi verò in præcipitium: hi autem in dentes bestiarum incidentes, sic mortui sunt.*

*Non hoc est malè mori, homo, violentâ* Morte *finiri, sed in peccatis mori. Audi namq. Prophetam de hoc ipso philosophantem, & dicentem:* Mors peccatorum pessima. *Non dixit:* Mors violenta. *Sed quid?* Mors peccatorum pessima. *Iustè sanè. Postquam enim hinc migrauerint, pœna intolerabilis, tormenta sempiterna, vermis virulentus, ignis inextinguibilis, tenebræ exteriores, vincula insolubilia, dẽtiũ stridor, tribulatio, & angustia, & æterna damnatio. Cur igitur tales peccatores mala expectent, quæ possit esse vtilitas siue domi, siue in lecto vitam finiant? Sicut contra iustis nullum damnum esse potest, quod ense vel igne præsentẽ vitã terminent: cùm ad immortalia migrare bona debeant.*

*Verè* Mors peccatorum pessima. *Talis erat Diuitis Epulonis* Mors, *qui Lazarum despiciebat. Is domi & in lecto, & necessarijs adsistentibus vitâ, per propriam soluta* Mortẽ *defunctus torrebatur, ne paruã quidẽ consolationem ex præsentis vitæ prosperitate nancisci valens. At non ita Lazarus: verùm in ipso pauimento, canibus adstantibus, & vlcera lingentib. violentam* Mortem *passus (quid enim fieri me difficilius esse possit?) digressus illinc æternis potitus est bonis, in Abrahæ sinu gaudens. Quid igitur ipsum læsit violenter mori?*

# COMMENTATIO XXXI.

## MORS

## BONA-MERX.

*Preciosa in conspectu Domini Mors Sanctorum.*

Psalmo cxv. 6.

---

BREVIARIVM.

1 *Merces, sublato vitio, bona. Talis Mors, ablato peccato.*

2 *Mors Martyrum Merx preciosa. instar Gemmæ. Mors Margaritum. Itaque animosè subeunda Non lugenda Mors Sanctorum: Natiuitas potius. Preciosa Mors non item Natiuitas.*

3 *Mors bona Merx: quia vt mortuorum exuuiæ preciosæ. Exoptantur, & redimuntur carè Sanctorum Reliquiæ.*

4 *Reliquiarum attactus sanctificat. Cur non igitur Mors ab industrijs mercatoribus emitur?*

5 *Cur Mors Sanctorum preciosa? An quia ad Angelorum consortium transmittit? An ob Vitam præcedentem? An magis ob caussam? Vita minus bona minuit precium Mortis.*

6 *Mors preciosa, gloriosa, honorabilis, cara honorifica, appetibilis.*

7 *Precium Mortis Sanctorum Sanguis Christi: immane precium.*

8 *Vita Martyris, precium Mortis. Sed à Sanguine Christi, vti signo Principis moneta valorem accipit.*

9 *Mors Symbolica, Gratiæ, Mystica, Transformatiua preciosa. Ea moritur Mundo Religiosus: Peccatis & affectibus quilibet Iustus.*

10 *Martyrum Mors primariò preciosa. Idcirco subunda contra Basilidem. Flagellantium puerilitas; Flagellationem Morti præferentium.*

11 *Non emitur Martyrium Deo inuito, & non offerente, quia Mors Martyris est Merx Principis. Donatistæ. Circumcelliones.*

12 *Merx vltranea putet: non Mors, quamuis Merx sit Multi expetunt Martyrium, quibus negatur: alijs nil cogitantibus vltrò ingeritur.*

13 *Perseuerantia finalis non cadit sub meritum de condigno. Congruum videtur, vt illam obtineant, si efflagitent iusti.*

Nego-

# Negociatores Euangelici.

I. VT *Merces* aliquæ ob vitium malæ, si ab eo liberentur, bonæ fiunt, quia naturâ non sunt contrariæ: sic *Bona Merx* est *Mors*, si à peccato separetur, à quo in peccatore malitiam mutuabatur. Ita D. Ambrosius differit Oratione de *Mortis* bono cap. VIII. *Mors peccatorum pessima*, inquit, non vtique *Mors pessima* generaliter, sed pessima specialiter, peccatorum: nam *preciosa Mors* iustorum. Eadem est obseruatio Chrysostomi, & Bernardi. *Preciosa in conspectu Domini*, Mors *Sanctorum eius* cantat Dauid. *Merx mala migrat in bonam.* NOTÆ.

II. AT, quæ *Mors* habet rationem preciosæ *Mercis*? Ecclesia eam videtur intelligere, quam pro iustitiâ, ac veritate Martyres obeunt, versiculum enim illum concinit, cùm Martyrum gloriam deprædicat. Quod singulariter docet Origenes in Epist. ad Romanos. Tertullianus in Scorpiaco, & sæpè Cyprianus. Idemque sentit Basilius, qui prætereà talem *Mortem* concipit, cuiuslibet gemmæ pretium longè transcendentem. Putat autem hoc *Symbolo* Dauidem hortari auditores, ne *Mortem* exhorreant. Quid enim quod magnò precio emendum esset, si valorem illius nosset, exhorrescat, si gratis offeratur? Sic vero Prophetam regium loquentem inducit. *Mors Martyrum.* NOTÆ.

NIHIL est, quod cunctemini, ô homines, illustre hoc & honestum adire certamen, neu *Mortem* perhorrete. Neque enim ea est corruptio, sed vitę occasio: non omnimoda deletio, sed ad honorem precij ingentis transcensio. Sanè lapilli quidam floridis interspersi & sublucentes coloribus nominari solent preciosi ab istis diuitiarum helluonibus; re autem vera, *Preciosa est Mors Sanctorum eius*: cùm videlicet anima per vitæ istius curriculum expurgata ab omni eluuie, & inquinamento carnis emancipata, ac libertati reddita, nullam in se retinens maculam, aut rugam, duris pro pietate agonibus iam exantlatis, probata, insignita corona iustitiæ: perq; hæc omnia admirabili decore virtutis interlucens, Domino suo, atque omnium Iudici se præsentarit, lapide omni precioso longè rutilantior, DEI munere eam indepta claritatem, quo nam pacto non censeri debeat *preciosa* hominis istius *Mors* in conspectu Domini? Ita de Martyre canitur; *Posuit* DEVS *in capite eius coronam de lapide precioso*. An *Mors* ipsa *Moriendum pro Christo animose. Basil. in Ps. CXV.* *Mors Margaritum.*

# COMMENTATIO XXXI.

# MORS BONA-MERX.

*Preciosa in conspectu Domini Mors Sanctorum.*

Psalmo cxv. 6.

BREVIARIVM.

1 *Merces, sublato vitio, bona. Talis Mors, ablato peccato.*

2 *Mors Martyrum Merx preciosa. instar Gemmæ. Mors Margaritum. Itaque animosè subeũda. Non lugenda Mors Sanctorum: Natiuitas potius. Preciosa Mors, non item Natiuitas.*

3 *Mors bona Merx: quia vt mortuorum exuuiæ preciosæ. Exoptantur, & rediumuntur carè Sanctorum Reliquiæ.*

4 *Reliquiarum attactus sanctificat. Cur non igitur Mors ab industrijs mercatoribus emitur?*

5 *Cur Mors Sanctorum preciosa? An quia ad Angelorum consortium transmittit? An ob Vitam præcedentem? An magis ob caussam? Vita minus bona minuit precium Mortis.*

6 *Mors preciosa, gloriosa, honorabilis, cara honorifica, appetibilis.*

7 *Precium Mortis Sanctorum Sanguis Christi: immane precium.*

8 *Vita Martyris, precium Mortis. Sed à Sanguine Christi, vti signo Principis moneta valorem accipit.*

9 *Mors Symbolica, Gratiæ, Mystica, Trãsformatiua preciosa. Ea moritur Mundo Religiosus: Peccatis & affectibus quilibet Iustus.*

10 *Martyrum Mors primariò preciosa. Idcirco subunda contra Basilidem. Flagellantium puerilitas, Flagellationem Morti præferentium.*

11 *Non emitur Martyrium Deo inuito, & non offerente, quia Mors Martyrij est Merx Principis. Donatistæ. Circumcelliones.*

12 *Merx vltranea putet: non Mors, quamuis Merx sit. Multi expetunt Martyrium, quibus negatur: alijs nil cogitantibus vltrò ingeritur.*

13 *Perseuerantia finalis non cadit sub meritum de condigno. Congruum videtur, vt illam obtineant, si efflagitent iusti.*

Nego-

## Negociatores Euangelici.

I. VT *Merces* aliquæ ob vitium malæ, si ab eo liberentur, bonæ fiunt, quia naturâ non sunt contrariæ: sic *Bona Merx* est *Mors*, si à peccato separetur, à quo in peccatore malitiam mutuabatur. Ita D. Ambrosius disserit Oratione de *Mortis* bono cap. VIII. *Mors peccatorum pessima*, inquit, non vtique *Mors pessima* generaliter, sed pessima specialiter, peccatorum: nam *preciosa Mors* iustorum. Eadem est obseruatio Chrysostomi, & Bernardi. *Preciosa in conspectu Domini*, Mors *Sanctorum eius* cantat Dauid. *Mors mala migrat in bonam.* *NOTÆ.*

II. AT, quæ *Mors* habet rationem preciosæ *Mercis*? Ecclesia eam videtur intelligere, quam pro iustitiâ, ac veritate Martyres obeunt, versiculum enim illum concinit, cùm Martyrum gloriam deprædicat. Quod singulariter docet Origenes in Epist. ad Romanos. Tertullianus in Scorpiaco, & sæpè Cyprianus. Idemque sentit Basilius, qui præterea talem *Mortem* concipit, cuiuslibet gemmæ precium longè transcendentem. Putat autem hoc *Symbolo* Dauidem hortari auditores, ne *Mortem* exhorreant. Quid enim quod magno precio emendum esset, si valorem illius nosset, exhorrescat, si gratis offeratur? Sic vero Prophetam regium loquentem inducit. *Mors Martyrum.* *NOTÆ.*

NIHIL est, quod cunctemini, ô homines, illustre hoc & honestum adire certamen, neu *Mortem* perhorrete. Neque enim ea est corruptio, sed vitę occasio: non omnimoda deletio, sed ad honorem precij ingentis transcensio. Sanè lapilli quidam floridis interspersi & sublucentes coloribus nominari solent preciosi ab istis diuitiarum helluonibus: re autem vera, *Preciosa est Mors Sanctorum eius*: cùm videlicet anima per vitæ istius curriculum expurgata ab omni eluuie, & inquinamento carnis emancipata, ac libertati reddita, nullam in se retinens maculam, aut rugam, duris pro pietate agonibus iam exantlatis, probata, insignita corona iustitiæ: perq; hæc omnia admirabili decore virtutis interlucens, Domino suo, atque omnium Iudici se præsentarit, lapide omni precioso longè rutilantior, DEI munere eam indepta claritatem, quonam pacto non censeri debeat *preciosa* hominis istius *Mors* in conspectu Domini? Ita de Martyre canitur: *Posuit* DEVS *in capite eius coronam de lapide precioso.* An *Mors* ipsa *Moriendum pro Christo animose. Basil. in Ps. CXV.* *Mors Margaritum.*

*Non lugenda Mors Sanctorum*

*NOTÆ.*

*Lugenda natiuitas.*

ipsa vt *Corona* concipienda est? Opponit deinde *Mortem* istiusmodi, natiuitati, vt efficiat, in *Morte* lætandum, dolendum in mortalium natalibus. Exitus, inquit, sanctorum virorum è vitæ huius stadio ne ergo lugeamus. Imò fletu magis prosequenda venit ipsa natiuitas, & ex vtero in hanc vitam progressio.

Jste enim in mundum ingressus noster per ignominiam fit sordentis eluuiei, ac fœdi odoris, & quorum ne prospectum quidem vnus eorum, qui nos in viuis præierit facilè ferat. Naturæ etenim necessitas per eiusmodi præscripsit nobis & sanxit carnalis generationis ingressum. Contra, exitus, atque hinc emigratio, preciosa est, & illustris. Neque tamen omnium talis est, sed eorum, qui vitam hanc suam sanctè, & iustè traduxerunt. Jtaque *Preciosa* est *Mors*, non item preciosa natiuitas. Nam, teste Apostolo, seminatur in ignobilitate, surgit in gloria: seminatur in corruptione, surgit in incorruptione. Mihi sanè confer *Mortem* cum natiuitate, eúmque definito lugere, qui huic ignobilitati subducitur.] Ad hæc:

*Reliquiæ SS. i. magni precii.*

III. Probat Basilius *Mortem* Christianorum *preciosam*, ideoq; laboribus & sudorum impensis emendam. Quia non ritu Iudaico in lege noua morticina in CHRISTO morientium habentur abominationi: sed si *Mors* irrogetur CHRISTI nomine, preciosæ etiam censentur eius reliquiæ. Quod à Basilio dictum obseruare oportet contra Hagiomachos, Vigilantij progeniē: idémque notauit Adrianus Papa in scripto de imaginibus ad Carolum M. Eodem vtitur S. Hieronymus Ep LIII. contra Vigilantium: necnon Ionas Aurelianensis lib. de cultu imaginum aduersus Claudium Taurinensem, quem videri habuisse animam ex duabus animabus Vigilantij & Eustathij compactam scribit. Quàm hoc verùm sit, docuerunt non antiqua solùm Ecclesiæ veteris secula, sed patrum etiam, ac nostra ætas: quâ, vt, Sanctorum titulo illustrium, siue Martyrum, siue quorumlibet aliorum exuuiæ habeantur Catholici Reges, ac Principes, plus sanè sumptuum faciunt, vel dum redemptionis caussâ ab hæreticis, aut barbaris numeranda est pecunia: vel impēsæ ad transuectionem faciendæ, & gratitudinis nomine quidpiam refundendum, quàm si immensi precij exoticas merces, orbi nostro ignotas coemerent: est enim *Preciosa Merx*, sed precium omne, vulgo æstimabile tanscendens, *Mors Sanctorum*.

*Reliquiarum. contr. actus sanctorum.*

IV. VIS aliud eiusdem rei documentū? In lege veteri dicebatur sacerdo-

ſacerdotibus, & Nazaræis illud: Non contaminabitur ſuper vllo mortuo. Et, ſi quis tetigerit cadauer, immundus erit. Et hoc, lauabit veſtimenta ſua. Nunc è diuerſo, Martyris oſſa quiſquis tetigerit, ob gratiam corpori inſidentem, fit quadantenus ſanctificationis particeps. Itaque, *Precioſa eſt in conſpectu Domini* Mors *Sanctorum.*

Quod ſi ita ſe res habet, colligit Baſilius, fortunarum ſuarum negligentem eſſe mercatorem illum, qui viliſſimas alias corporearum delectationũ merces, huic longè precioſiſſimæ præhabeat. Et conuerſa ad fideles oẽs oratione, precãtis ritu: Iſthæc igitur, inquit, reiectitia ac viliſſima, ne, quæſo vos, reb. præferatis, tãto potioris pretij: neu improbatæ fidei permutatores eſtote; deciduã hanc, & corruptioni obnoxiam vitam illi incorruptæ præponendo, ac ſtatui perquam felici.

V. AT quid eſt, quod *Mortem* ſiue Martyrum præcipuè, ſiue aliorum quorumlibet Iuſtorum, de quâ eandem ſentẽtiam alij Patres exponunt, tam facit *precioſam*? Euthymius *Mercis* illius precium in eo conſtituit, quod proueha ad Dominum, & ſanctorum Angelorum comitatu ſocietateq; ſic defungentes honorentur. *Quid precioſam faciat Mortem Sanctorum.*

S. Bernard. de omnibus Iuſtis locum eundẽ exponens ita commentatur: *Precioſam* in conſpectu Dñi *Mortem* Sanctorum eius facit aliqñ *Vita*, aliqñ *Cauſſa*, aliqñ *Vita* ſimul cum *cauſſâ*. In Confeſſoribus, qui in Domino moriũtur, facit precioſam vita. In Martyrib. qui pro Domino moriuntur, facit eam precioſam aliquando ſola cauſa; aliquando cauſſa pariter, & vita. Et illa quidem *Mors precioſa* eſt, quam commendat vita: pretioſior verò, quam facit cauſſa: precioſiſſima verò, quam præuenit vita ſimul cum cauſſa.] *Serm. XXIV. in paruu* *Vita. Cauſſa.* NOTA.

Epiſtola autem XCVIII. agens de Machabæis Martyrib. inter illos & N. T. Martyres eſſe aliquã quoad cultũ in Eccleſiâ differentiã aſſerit: Ceterùm, inquit, apud DEVM vniuerſo cœtui Sanctorũ commune eſt, quod S. ait Propheta, *Precioſa in conſpectu Domini Mors Sanctorum eius.* Vnde autem precioſam dixerit exponat nobis: *Cùm dederit*, inquit, *dilectis ſuis ſomnũ: ecce hæreditas Domini filij merces, fructus vẽtris.* Nec putemus ſolos Martyres eſſe dilectos, cùm recolamus dictũ de Lazaro: *Lazarus amicus noſter dormit.* Deniq; *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Non ſolũ, qui pro Domino ſicut Martyres; ſed qui in Domino moriũtur, ſicut Confeſſores, profectò beati ſunt. Duę proinde res mihi vidẽtur *Mortem* facere *precioſam*, Vita, & Cauſſa: ſed amplius, *Omnium Sanctorum Mors precioſa.* *Pſ. Cxxvi.* *Ioan XI.* *Apoc. 14.*

*Caussa*, quã *Vita*. Porro illa erit preciosissima, quâ & *Caussa* cõmẽdat & *Vita*. Aliquid sanè decedere de preciositate, si sic loqui licet, *Mortis*, quãuis *Caussa* sit optima, si *Vita* fuerit minus bona docet S. Cyprianus extenuans Martyrium, quod sine indulgentia non fuit: nempe illius, qui criminib. antea nonnullis maculatus, martyrio egiut, quasi quodam baptismo ablui, & purificari.

*Vita minus bona diminuit precium Mortis.*

*S. Cypr. de singular. Clerico.*

*Preciosa Gloriosa.*

VI. VERVM enimuero, quia *Merx preciosa* dicitur ratione ad precium quod pro ea datur; vel quo est æstimabilis, *Mors* iustorum quàm sit preciosa iudicandum est ex proportionato illius precio: si præmisero, quod vulgatus dicit, *Preciosa*, ab Hieronymo, & Augustino legi, *gloriosa*. Et quidem vox Hebræa, יקר *iakar* verti etiam potest, *cara, grata, honorifica, rara*. Tertullianus legit, *honorabilis* vel *honorata*. Græca vox, τίμιος, significat, quod honoratum, honorabile, honorificum: quodq; preciosum est, caro constat, & multum æstimatur, ac consequenter rarum est, ideoq; carum, &, si venum exponatur, à quamplurimis appetitur, vel appeti deberet, si eius agnosceretur præstantia. Est autem omnibus his modis *Preciosa Mors* Sanctorum, vt bene in illum Psalmum scribens monet Ioannes Lorinus: tamen vulgato Interpreti placuit *Symbolum Mercis*, & idcirco epithetum ad precij rationem accommodauit.

*Hier. Psalm. S. Aug. in specul.*

*Precium Mortis Sanctorum, Sanguis Christi.*

VII. PRECIVM autem, quod ad *Mercem* illam emendam exposuit summum, & infinitum CHRISTVS prudentissimus Mercator, est eius sanguis. Æstimet quis sanguinis CHRISTI excellẽtiam, & æstimare poterit precium *Mortis* sanctorum eius: ego quod infinitum est, æstimationem omnem excedere existimo. Sanguine autem CHRISTI redemptam esse non vitam solùm, sed & *Mortem* Sanctorum, ijsque eodem impetratam perseuerantiam, quis dubitet? Hoc Petrus prædicat, monens, eam emptionem, non esse peractam corruptibilibus auro, vel argento: sed *precioso sanguine, quasi agni immaculati Christi, & incontaminati.*

*1. Pet. 1. 19.*

*Vita Martyris, precium Mortis.*

VIII. ALTERVM precium numerat is, qui *Mercem* ipsam suam facit. Dat enim Vitam suam, vt *Mortem* tanquam margaritam coëmat. Quid autem *Vitâ*, tanquam *Nummo* continetur? quidquid haberi potest, vel optari. Est enim Vita, tanquam moneta ex auro, in quâ infinitorum ex alio metallo numorum est precium, cum ijs omnibus vnicus ex auro æquiualeat. Qui dat vitam, dat diuitias, honores, pulchritudinem, vires, valetudinem, voluptates, vxorem, liberos,

beros, propinquos, clientes, famulos, æs, fœnus; denique, quicquid ab hominibus æstimatur, vel expetitur. Itaque carè emit tam raram *Mercem*.

Quam tamen nunquam obtineret, nisi, quæ pro illâ offertur, vita, in eâque toleratæ tot annis tentationes, tribulationes, persequutiones, mortificationes ad *Mortem* vsque, â precio sanguinis Christi suum essent mutuatæ precium. Sine illo enim, *Mors*, siue naturalis, siue violenta, incidisset viuendi filum, ademisset delectationes temporaneas, perduxisset ad supplicia sempiterna. Impressus CHRISTI, tanquam summi Principis character, *Moneta* nostræ, precium, ac valorē attribuit. Quod alibi Theologicè declaramus. *A sanguine Christi omne precium.*

IX. SVNT hæc quidem verissima, si de *Morte* naturali vel corporeâ intelligantur, de quâ Dauidi erat sermo. Sed haud minus cōmodè idem *Symbolum* transfertur ad *Mortem Symbolicam*, quâ morimur vitijs & concupiscentijs: quâ Religionem sacram ingressi, moriuntur, mundo & seculo: quâ, qui ad perfectionem disciplinæ Christianæ enituntur, mori optant adfectibus terrenis, & rerum visibilium vsui superfluo omni. Quam *Mortem* S. Ambrosius, *Mortem Gratiæ*: alij *Spiritualem*: plerique *Mysticam*: nonnemo *Transformatoriam* vocat. De quâ *Symbolum*, quod contemplamur, intelligit S. Cyrillus lib. XVI. de Adoratione. vbi, dum agit de boue, qui in lege veteri immolabatur coram Domino; sanguis autem effundebatur ad altare, docet, *Mortem*, quâ morimur mundo, & carnalium motuum extinctionem, rem esse Deo iucundissimam, supernaq; inspectione dignam: atque hanc *Mortem* dici *preciosam*. Nec enim *Mortem* secundum carnem denotari: sed potius eam, quam subire soliti sint: qui mundo moriuntur: DEO autem in pietate & sanctificatione viuunt: quoniam fas non sit, vitam sanctam agere, nisi prius mundo mortui fuerimus. *Mors Symbolica.* *Lib. X. in Luc.*

Hugo quoque Cardinalis *Mortem preciosam* interpretatur, quâ mundo moriuntur, qui in ordine sacrato se DEO votis religiosis consecrant. Quamuis vt horum *Mors propria*, quâ â vinculis corporeis eximuntur preciosissima sit *Merx* nullo precio satis æstimanda: vt colligere licet ex ijs, quæ disputat Hieronymus Platus lib. I. *De bono status religiosi* cap. XXXI. quod est *Mortis* securitate, & tranquillitate, quâ Religiosi perfruuntur. De eadem agit pie, & suauiter Iacobus Aluarez de vitâ spirituali Par. III. lib. IV. cap. 35. *Mors preciosa. Mundo morientium.* *NOTA.*

*Mors consummatio*
*Dionys. de Eccles. hierar. cap. de Communi.*

MORTEM tamen illam *preciosam*, quam Dauid extollit mysticè etiam exponit S. Dionysius, vocans eam, τὴν ἐν τῇ ὁσιότητι τελείωσιν, *consummationem in sanctitate*. Addit autem fieri illorum mentionem in sacrificio, cum laude, & vt nos ad beatissimum statum, diuinamq; sortem eorum imitatione, ac similitudine incitemur, & quasi manuducamur: atque prædicari, vt viuos, non mortuos: & qui à *Morte* ad vitam diuinam maximè migrauerint.

*Mors, Perfectio.*
*S. Atha. Q. XCI.*

S. quoque Athanasius, fortasse imitatione S. Dionysij, existimat à Dauide *Mortem preciosam* appellari perfectionem diuinam: *Mortis* autem nomen insinuare, quod is qui ita obierit, iustificatus sit à peccato: & honore tali dignatus à DEO non redeat amplius retrorsum.

*Martyrum Mors preciosa.*

X. NON dubito tamen primarium sensum carminis illius de *Morte preciosâ*, spectare illorum decessum, qui siue in Domino, Iusti Confessores, siue pro Domino, fortissimi Martyres moriũtur, & hos potissimùm. Quorum *Mors*, cùm tanti æstimanda sit, vt ad eam coëmendam omnia liberaliter profundi debeant: impiè censuit Basilides hæreticus, non licere sibi margaritam illam comparare: nec fas esse Christiano subire Martyrium: vt de illo Tertul. refert: qui contrarium verè docet, illúdque rectè monet, nonnunquam haud esse liberum, hanc *Mortem* oblatam recusare: sed illico quodlibet precium numerari debere, ne commoditas rem adeo raram, & preciosam emẽdi elabatur. Est enim quandoq; de subeũdo Martyrio præceptum. Et cum dictum olim semel fuerit homini, *Morieris si peccaueris*: sæpe nunc dicitur homini, *Morere ne pecces*. Tunc dictum est, si mandatum transgressi fueritis, *Morte moriemini*: nunc dicitur, si *Mortem* recusaueritis, mandatum transgrediemini, vt eleganter disserit Augustinus.

*Tert. de Praescript. cap. vlt. In Scorpi. Aug. lib. XIII. de Ciu. cap. 4.*
*Gen. II. 17.*

*Flagellantes.*
*NOTÆ.*

Magis delira fuit Flagellantium, qui olim in Germaniâ vagabantur, persuasio; hi magis *preciosam mercem* dicebãt flagellationem, quam *Mortem* pro Christo susceptam, quod hæc aliena manu inferatur: illa fiat propria. Quasi mercis precium & æstimatio à manus propriæ artificio vel solùm, vel præcipuè pendeat.

*Non amittat Martyrium Deo inuito, & non iubente.*

XI. EGO ex *Mercis Symbolo* hoc diduco. Vt sunt *Merces* quædam, quas non licet emere, nisi à Principe exponantur, qui sibi illas vendẽdi ius esse voluit; quod alicubi in feris: alibi in certo genere pisciũ, alicubi in lapidum, metallorumq; genere aliquo accidit: Ita *Mortem* illam

illam preciosissimam Martyrum, fas non esse pro vitâ commutare, nisi Dominus vitæ ac necis illam venum exponat. Quod si considerassent olim in Africâ Donatistæ, & inter illos nominatim, Circumcelliones, non coluissent vt Martyres, qui violentas sibi manus ipsi inferebant. Ideoq; in prærupta loca, in aquas, in ignem sese præcipites agebant. Et eandem ob caussam, circuibant terram, vt *Mercis preciosæ* auidi, & ab ijs quos in itinere habebant obuios violentam sibi *Mortem* inferri flagitabant, atq; adeò extorquebant. Imò, & alios seducebant, eosq; ad semet præcipitandos inducebant, minitantes, se illos, si renuerẽt, manibus suis necaturos: hanc certã esse hominib. lauream prædicantes. Insani mercatores, qui contra iussum Principis, in eius thesauris repositam gemmam, ipso inuito, emi posse opinabantur. Donatistæ Circumcelliones. NOTÆ.

XII. Habet in precio Devs hanc margaritã quam nisi ipse proferat non vult emi. Non valet aũt hic quod vulgo dicitur *Merx vltranea putet*. Cuius diuerbij mentionem facit Hierony. Quæstionibus Hebraicis, videturq; desumptum à negociatoribus, qui merces, à venditore vltro oblatas, suspectas habere solent, quasi studeant eas extrudere. Quamuis preciosa *Merx* sit *Mors* Justorum, & præsertim Martyrum; tamen Deo sic sanciente, nôn tam quærentibus, optantibus, solicitantibus, quàm de eo nihil cogitantibus, nonnunquam etiam horrentibus paullò ante: aliquib. primò recusantibus (O Dei occulta iudicia! O abyssus!) vltro à Mercatore cœlesti offertur, & extruditur. Hic obtinet: Bis est gratum, quod opus est, vltro si offeras. Quot sunt qui optarunt olim & etiamnum desiderant per *preciosam Mortem* fidem suam testatam relinquere? quot ad barbaros profecti sunt, vt Martyrium reportarent? sed illud non sunt consequuti. Quot ante paucos annos in Iaponiâ Ecclesiastici, & seculares; magni, & parui: imò infantes, ad illam gloriam adspirarunt, neq; se expungi è confitentium catalogo voluerunt, tantâ contentione, ardore, pertinaciâ, vt legentẽ *Triumphos Iaponios*, quos Nicolaus Trigautius Europæis delineauit, in stuporem det illorum neophytorum in hac re conspiratio. Quot alij nihil minus, quàm de Martyrij coronã cogitantes, subitò ad ferale theatrũ abrepti sunt? quot innocẽtes puerulj pro Christo trucidati? quot, magnã vitę partẽ sceleribus inquinatissimi, posteà gloriosâ pro Christo *Morte* sũt defũcti? Nimirũ *Mer-* Merx vltranea putet. Nic. Trigaut. Trium. Iap. NOTÆ.

*cem* hanc, licet inæstimabilem, eius venditor voluit esse vltraneam.

Qui cogitatione se solabatur, ille Martyrij cupidissimus, Indiarum Apostolus, *Franciscus Xauier*, dum in deserta insulâ, ad Sinensium confines, animam sanctissimè ageret: nimirum, non ignorabat, hanc *Mercem* gratuitò offerri: emendam quidem vitâ: sed nonnisi postquam offerendi gratia præcessisset.

*S. Franc. Xauier.*

XIII. Ad quod ēt facit, sed Justos generatim spectat, quod docemus in Scholis: Perseuerantiam finalem, siue *Mortis* feliciter in Dei gratiâ obitæ beneficium, non cadere sub meritum: sed esse omninò gratuitum. Quod quidem, si de condigno merito sit sermo, omninò in confesso est, nec negari ab vllo potest, definiente id Cōcilio Tridentino Sess. vi. cap. *13.* Si de congruo loquamur, non est improbabile, hoc donum, vt petitur, ita posse impetrari. Nam est omninò congruum, vt in ijs, quæ pertinent ad amicitiæ nexum, amicus faciat voluntatem amici. Donum autem perseuerantiæ pertinet omninò ad vinculum amicitiæ cum Deo. Itaque si iustus illud desideret, & assiduis precibus efflagitet, congruum est, vt illud Devs largiatur. Quâ ratione de S. Laurentio scribit Augustinus, meritum fuisse, propter anteactam vitam, ad illam gloriam peruenire.

*Perseuerantia non cadit sub meritum.*

*S. Aug. Serm. III. de S. Laurent.*

Verùm, quia nihil est in vniuerso, quod æquale constituat illius *Mercis* precium, ac proinde quod illam ex iustitiæ præscripto mereatur, rectè admirabundus exclamat vates: *Preciosa in conspectu Domini* Mors *Sanctorum eius.* Etiamsi iusti *oculis insipientium* videantur *mori*: quamuis *non sit*, dum hinc abeunt, velut inglorij, *qui recogitet in* corde suo: licet *vita* illorum *abscondita sit cum Christo in DEO*: tametsi homo, qui mendax sæpè fallitur, illos contemnat, Devs tamen est, qui iustâ quidlibet pensans trutinâ, vt *preciosam* illam *mercem* æstimat. O vtinam igitur *moriatur anima mea, morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia!*

*Sap. III. 2. Ps. CXV. 15. Coloss. III. 3.*

*Num. XXIII. 10.*

NOTÆ

# NOTÆ.

## AD COMMENTATIONEM XXXI.

# MORS

# BONA-MERX.

§ I. MOrs preciosa.] *Bernardus Sermone* 1. *de Annunciat. Concertationem fingit inter Veritatem, seu Iustitiam, & Misericordiam. Veritas aiebat: Totus moriatur Adam necesse est, cum omnibus, qui in eo erāt, qua die vetitum pomum in præuaricatione gustauit. Responsabat Misericordia: Ad quid ergo, ad quid me genuisti Pater citius perituram Post longam altercationem, Pax se interponit, & ex Iudicis sensu pronunciat. Illa dicit: Perij, si Adam nō moriatur: Hæc contra; Perij, nisi misericordiā cōsequatur Fiat MORS BONA, & habet vtraq; quod petit. Sed id quomodo fiet, inquiunt.* Mors *crudelissima, & amarissima est:* Mors *terribilis, & ipso horrenda auditu.* Bona *fieri qua-nam ratione poterit? At ille:* Mors, *inquit*, peccatorum pessima: *sed* preciosa *fieri potest* Mors Sanctorum. *An non* preciosa *erit, si fuerit* Janua vitæ, Porta gloriæ? *Preciosa, inquiunt. Sed quomodo fiet istud? Fieri, ait potest, si ex Caritate moriatur quis, vtique, qui nihil debeat mori. Neq; enim detinere poterit* Mors *innoxium: sed forabitur, vt scriptum est* Ezechiel. 111. *Maxilla Leniathan, & destruetur paries medius, soluetúrque chaos magnū, quod inter* Mortem *Vitámque firmatum est. Nimirum Caritas fortis, vt* Mors, *imò, vt fortior* Morte *si fortis illius intrauerit atrium alligabit eum, & diripiet vtique vasa eius: sed & ipso transitu suo, ponet profundum maris viam, vt transeant liberati.* Hoc factum deinde docet aduentu Filij DEI & illius pro nobis *Morte* obita, à quâ valorem sumpsit *Mors Sanctorum*, vt esse posset preciosa.

*Elegantissimè Chrysostomus Homilia* LXVI. *in Genesim ad illa capitis* XLVII. Cùm appropinquare cerneret diem *Mortis* suæ *Iacob*, vocauit filium suum Ioseph, *docet, Iustorum* Mortem *semper esse preciosam, quamuis deserti ab omni humano solatio, longè ab amicis, procul à patria hinc emigrent: contra Peccatorum*

*catorum* Mortem *esse pessimam licet his omnibus abundent.*

*Non dicat quis, inquit, miserum, in alieno solo vitam finientẽ, neque eum qui in solitudine ex hac vita decedit. Neque enim ille meretur, vt miser dicatur: sed qui in peccatis mortuus est, etiam super lectum, etiamsi præsentibus amicis omnibus spiritum exhalet. Et ne mihi frigida illa verba ridiculáque & insipientiæ plena dicat aliquis. Quod ille cane viliùs est mortuus, nullo familiarium præsente, neque sepultura honos, & funus illi contigerũt: sed collectitiâ stipe iusta facta sunt. Nõ est hoc, ô homo! cane ignominiosius mortuum esse. Quid non ille damni sensit dummodò virtutis amictum se contegentem habuerit.*

*Nam quod hoc non offendat iustum virtute præditum, disce: quia plerique iustorum, Prophetas dico, & Apostolos, vbi sepulti sint, paucis exceptis, ignoramus. Et alij quidem capite truncati, alij lapidati mortui sunt: & alij innumeris, ac varijs pœnis seipsos exposuerunt propter pietatem, omnes propter Christum Martyres facti sunt: & nullus de ijs ausus fuerit dicere, quod ignominiosa sit illorum* Mors*: sed sequetur diuinam Scripturam, dicentem:* Preciosa in conspectu Domini *Mors Sanctorum* eius.

*Et sicut* Mortem Sanctorum *preciosam vocauit, audi quomodo &* Mortem peccatorum *malam vocet.* Mors, *inquit,* peccatorum mala.. *Itaque etiamsi domi suæ moriãtur, & muliere, & filijs præsentibus: & familiaribus & notis adstantibus, virtute autem careant,* Mala *horum* Mors *est. Sic etsi in alienâ terrâ, & si super pauimentum quis iacens: & quid dico, si in alienâ? etiamsi in latrones incidat, etiamsi à bestijs deuoretur, virtute autem præditus sit,* Preciosa *eius* Mors *erit.*

*Dic mihi, obsecro, Zachariæ filius nonne decollatus est? Stephanus autem primus Martyrij corona redimitus, nónne lapidatus vitam finiit? Paulus autem & Petrus, nónne ille quidem capite truncatus, hic autem modo contrario, quàm Dominus crucifixus ex hac vita excessit? Nonne propter hoc magis in toto mundo celebrantur, & prædicantur? Hæc autem omnia cogitantes, neque eos, qui in alienâ terrâ moriuntur, miseros dicamus: neque domi suæ morientes, beatos prædicemus: sed diuinæ Scripturæ canonem sequentes, & claros virtutibus hinc migrantes, beatos dicamus: & eos, qui in peccatis moriuntur miseros prædicemus.*

*§. II* Mors Martyrum ] *De hac versum Psalmi CXV. 6. intelligunt Origenes in cap.* III. *Epist ad Rom. Cyprianus Epist.* IX. LXXVII. LXXXI. *Sermone exhortatorio ad Martyres cap.* XII. *& lib de singularitate Clericor. Frequenter etiam Tertullianus. in Scorpiaco cap.* VIII. Honorata est apud illum *Mors* religiosorum ipsius,

ipsius vt canit Dauid. nō opinor ista cōmunis, & omniū debitū, At quin ista ēt *Ignominiosa* est ex elogio transgressionis, & merito damnationis: sed illa quæ in ipso aditur ex testimonio religionis, & prælio confessionis, pro iustitia, & sacramento.

*Idem lib.* II. *ad Marcionē c* 19. Oculi Dñi super timentes eū, sperantes in misericordiā ipsius, ad deliberandas animas eorum de *Morte*, vtiq; æternâ, & nutricādos eos in fame, vtique vitæ æternæ. Multæ n. pressuræ iustorum, & ex omnib liberabit eos Dñs. *Honorabilis Mors* in conspectu Dñi Sanctorū eius. Dominus custodit omnia ossa eorum, vnum ex ipsis non comminuetur.

*§ III.* Lugenda potius Natiuitas, quàm Mors.] *Hoc in morem alicubi introductū repertes fuisse olim. Gaditani in lucē editos lacrymis, Mortuos cantib. prosequebantur. Quā consuetudinē Causiani, Cesiæ, Gymnosophistæ, Brachmanes, Stobæo, ex aliorū narrationibus referente, coluerunt. De Thracib. in Terpsicore Herodot. Valer. Mela, Solin. & Archias Poëta scribūt idē facere solitos. Huius inter Græca Epigramma est istud latinè redditum.*

*Thracas quis laudat, soleant quod plāgere natos*
*In lucē quoties edidit alma parēs.*
*Cōtra felices vocitāt quos flore iuuēta.*
*Ancillās Parcis Mors inopia rapit.*
*Illi dum viuunt, properant ad pessima quæque:*
*Ast his Mors finē cōtulit ipsa mali.*

*Apud Plutarch. lib. de audiēdis Poëtis sunt senarij aliquot, quos Aristides, & Cicero Tusc.* II. *ac Strabo lib.* XI *ferunt esse Euripidis in Themistocle, vel, vt alij, in Cthesiphonte.*

Oportuit nos funeris luctu graui
Dolere natum maxima ad discrimina.
At mortuum, qui cassus est laboribus
Efferre læto corde, lætis vocibus.

Macrob. li. II. in Somnium Scipionis. *Mortuus ad sepulturā prosequi oportere cū cātu plurimarū gentiū, vel regionū instituta sanxerūt, persuasione hac: quia post* Mortē *animæ ad origi.ē dulcedinis musicæ, id est, ad cælū redire credantur.* Eleaz.r. apud Ægesip. lib. v excidij Ierosolym. *Nōnullis gentib. mos est, vt hominum ortus fletib, occasus gaudiis prosequantur: & illos ad ærumnam natos doleāt; hos ad beatitudinem rediisse gratulentur: illos ad seruitutem venisse ingemiscant: hos ad libertatem remissos gaudeant. Atque hæc huius moris caussa esse potuit. Nempe, vita mortalis incommoda, molestiæ, cruciatus. Quæ cum carmine de Vita humana inscripto explicasset Ausonius, subdit:*

Optima Graiorum sententia. Quippe homini aiunt,
Non nasci esse bonum: natum aut citò *Morte* perire.

*§. V.* Mors Martyrū preciosa.] *De hac disputant Theol. vbi de Virtute Fortitudinis, cuius actus est Martyrium.*

*rium, quod definitur:* Testimonium veritatis fidei, aut alicuius virtutis *Mortis* tolerantiam. *Scilicet cùm quis pro veritate fidei, vel opere virtutis* Mortem *subit. Legendus S. Thomas S.* II*dæ Quæst.* CXXIV. *ibidémque Caietanus, Martinus, alij. Leonardus Lessius libr,* III. *de Iustitiâ cap.* I.

Preciosam *Mortem* facit *Vita, Caussa, vtraque.*] *Hi fontes sunt è quibus Bonitas, & Precium* Mortis? *De* Vita *præclarissimè S. Augustinus libr. de Discipl. Christiana cap.* XII. *disputans de Mercede bonæ vitæ. An illa honos, dignitas, opes & istiusmodi alia, quæ tantopere affectant mortales. Nequaquam: quænam enim in his felicitas? Auferuntur, vel per sese diffluunt.*

*Vbi erunt ista omnia cùm* MORS *venerit? Quomodo stimulat, quomodo metus iste interpellat! Quomodo nomen ipsum à me commemoratum omnium corda percussit? Quomodo timorem vestrum, teste gemitu declarastis? Audiui, audiui, gemuistis:* Mortem *timetis. Si timetis: quare non cauetis?* Mortem *timetis. Quid timetis? Ventura est. Timeam, an non timeam, venire habet. Serò an citò ventura est. Si timeas, non efficies, vt non sit, quod times.*

*Illud potius time, quod si nolis, non erit. Quid? Peccare. Peccare time, quia si amaueris peccata, in aliã* Mortem *irrues, quò posses non venire, si non amares peccata. Modò autem peruersus plus amas* Mortem, *quàm Vitam. Absit, inquis. Quis est hominum, qui plus amet* Mortem, *quàm Vitam?*

*Fortè conuinco te, quia plus amas* Mortem, *quàm Vitam. Ecce vnde te conuinco. Amas tunicam tuam; bonã eam vis. Amas villam tuam: bonam eam vis. Amas filium tuum: bonum eum vis. Amas amicum tuum: bonum eum vis. Amas domum tuam: bonam eam vis. Quid est quod etiam bonam vis habere* Mortem? *Quotidie enim rogas, vt quoniam* Mors *ventura est, bonam* Mortem *tibi det* DEVS. *Et dicis,* DEVS *à me auertat malã* Mortem.

*Plus ergo amas* Mortem *tuam, quàm Vitam tuam. Mori malè times: & viuere malè non times. Corrige malè viuere: time malè mori. Sed noli timere. Non potest malè mori, qui benè vixerit. Prorsus confirmo: audeo dicere: Credidi, propter quod locutus sum: Non potest malè mori, qui benè vixerit. Iam tu dicis tibi: Num multi iusti naufragio perierunt? Certe non potest malè mori, qui benè vixerit. Num multos iustos gladius peremit hostilis? Certè non potest malè mori, qui benè vixerit: Num multos iustos latrones occiderunt? Num multos iustos bestiæ laniauerunt? Certe non potest malè mori, qui benè vixerit.*

*Et ego respondeo: Haecne tibi videtur mala* Mors, *naufragio perire? gladio? à bestiis laniari?* Mors *mala tibi videtur?*

*videtur? Nonne has* Mortes *Martyres subierunt, quorum natalitia celebramus? Quod genus* Mortis *non subierunt? Et tamen si Christiani sumus, si in domo disciplinæ nos esse meminimus, vel cùm hic sumus, vel cùm hic audimus: si exeuntes hinc non obliuiscimur: si meminimus, quod hic audimus, nónne Martyres beatificamus? Quære* Mortes *Martyrum. Oculos carnis interroga: Malè mortui sunt. Oculos fidei interroga:* Preciosa in conspectu Domini *Mors* Sanctorum eius.

*Quicquid ergo est, quod exhorres in* Morte, *omninò non exhorreas, si eos imitaris. Id age, vt bonam vitam habeas. Et, quæcumque occasio fuerit, vt exeas de hoc corpore, exis ad requiē, exis ad beatitudinem, quæ non habet timorem, nec finem. Nam quasi bona* Mors *Diuitis in purpurâ & bysso: sed mala* Mors *sitientis, & inter tormenta guttam aquæ desiderantis. Quasi mala* Mors *iacentis pauperis ante ianuam Diuitis inter linguas canum, in fame & siti micas mensæ desiderantis. Mala* Mors, *auersanda* Mors. *Fi... (Funera) respice. Christianus es, fidei oculum intende, Contigit mori inopem illum, & deferri ab Angelis in sinum Abrahæ. Quid proderat diuiti sepulcrum marmoreum sitienti apud inferos? Quid oberant pauperi panni cùm sanie vlcerum eius requiescenti in sinu Abrahæ. Longè vidit eum requiescentem, quem contempserat iacētem. Modò elige* Mortem. *Dic mihi, quis benè mortuus est, quis malè? Puto, quia melius ille pauper, quàm ille diues. An vis aromatibus sepeliri, & apud inferos sitire? Respondes: Absit à me. Puto, quod hoc dicis. Disces ergo benè mori, si didiceris benè viuere. Merces enim bona vita æterna est.*

Itaque *Preciosam Mortem* Primo *facit* Vita. Secundò *autem* Caussa. *De qua idem S. Augustinus Concione 2da in Psal.* XXXIV. *Martyrem non* pœna, *sed* caussa *facit. Pœna enim communis est latroni & Martyri: hæretico & Catholico:* Caussa *dispar. Hinc docent Theologi ad Martyrium adultorum requiri, vt* Mors *inferatur odio Christi, vel religionis Christianæ, vel alicuius veritatis fidei, vel propter opus virtutis.*

*§. IX.* Mors Religiosorum preciosa.] *Audi Chrysostomū Hom.* XIV. *in* I. *ad Timoth. Moriuntur sanè ex ijs aliqui: non enim immortales sunt corpore. Sed illi* Mortem, *non existimant* Mortem. *Cum hymnis prosequuntur abeuntes: eámque rem non elationem funeris, sed pompam & præmissionem vocant. Imò verò, ne* Mortuum *quidem aliquis appellare audet, sed,* Consummatum. *Inde gratiarum actio sequitur, & gloria, ingénsque lætitia, cùm optet vnusquisq; tali exitu donari, sic exire certamine, & à laboribus, sudoribúsque quiescere, ac demum Christum videre. Porro ægrotanti non vxor adstat crinibus so-*

*lutis, nec puerull imminentẽ flẽtes orbitatem, nec famuli expirãtem importunis precibus pulsantes, vt se cuipiam commendatos relinquant. Sed his impedimẽtis omnibus solutus animus id vnum tantummodo cogitat, quomodo cum maiore gratiâ extremum* DEO *spiritum reddat.*

*Breuius Bernardus Epist. CV. Moritur quidem & iustus, sed securè: quippe cuius* Mors *vt præsentis est exitus vitæ: ita introitus melioris.* Bona Mors, *si peccato moriaris, vt iustitiæ viuas. Hac Mors necesse est præcurrat, vt sequatur illa secura. Dum viuis in carne morere mundo: vt post* Mortem *carnis* DEO *viuere incipias.*

*Idem Ser. ad Milites Templi cap.* I. *O vita secura vbi absque formidine* Mors *expectatur, imò & exoptatur cum dulcedine, & excipitur cum deuotione:*

*Quod exemplo fratris sui Gerardi confirmat S. Bernard. Serm.* XXVI. *in Cant. Is media nocte penè animam agens in illam ex Psalmo vocem erumpebat: Laudate Dominũ de cœlis, laudate eum in excelsis. Audiuit Bernardus & fratri gratulatus: Iam tibi, inquiebat, frater mi, nocte adhuc mediâ diescebat, nox sicut dies illuminabatur. Accitus sum ego ad id miraculi videre exultantem in* Morte *hominem insultantem* Morti.

*Sed egregiè hæc rationibus & exẽplis firmat Hieronymus Platus libr.* I. *de Bono status Religiosi cap.* 31. *quæ etiam habet in Catechismo historico Antonius Dauroultius cap.* VIII. *cap.* 10.

*§. X.* Flagellantes.] *De horum deliriis Iacobus Gualterius in Tabula Seculo* XIII. *Iacobus Gretzerus libr.* II. *de Disciplinâ cap.* 4. *Errabant per Germaniam, vel Anno* 1346. *vel* 1349 *Item* 1260. *aut* 1261.

*§. XI.* Merces Principis.] *Tales alicubi sunt feræ, pisces, aliáve animalia quorum capiendorum ius Princeps sibi legitime reseruat. In Hispania est piscatio thynnorum solius Principis, vt refert Couarruuias ad Regulam* Peccatum *Par.* II. *Num.* 10.

*Tales etiam possent esse Merces, quibus patria & natiua viliora fiunt: & magni pretij nonnulla, ac quibus homines effœminantur. Illa etiam, quibus abuti solent plurimi. Hoc titulo Turcis vendi prohibentur arma, & quæ ad illa, quod ijs Christianos oppugnent. Olim Aurum emere non licebat Barbaris, aut ijs tradere. Ita Grat. Valẽt. Theod. A. A. A.* Tit. LXIII. *Etiamnum in Sicilia, & Hispania equos militares emere, Principe non faciente potestatem, nefas est.*

Martyrium non emitur DEO inuito.] *Certa lex contra quam peccarunt Donatistæ, & in iis Circumcelliones, de quibus Philastrius in Catal. Hæres. Augustinus Hær. LXIX. Prateol. V. Circumcelliones. Baronius Anno* CCCXXXI. & CCCXLVIII. *Castro, Verbo Martyrium Hæresi* IIIa.

*At-*

*At-enim: Coluntur nonnulli vt Martyres, qui directè seipsos occiderũt: vt Fæminæ illæ, quæ cum ad Tyrannum essent adducendæ se in flumen præcipitarunt ne pudicitiam amitterent. De his Eusebius lib.* VIII *.cap.* 12. *& 17. S. Ambrosius lib.* III. *de Virginibus. S Apolonia se ipsam in rogum coniecit, vt narrat Eusebius lib.* VI. *cap.* 33. *Aliam fœminam quæ cum accerseretur à Tyranno seipsam interemit, laudat Palladius historiæ Lausiacæ c.* CL.

*Fauent his Theologi, & excusationem petunt à duplici capite.* Primò: *inspiratione diuinâ id factum. Ita S. Augustinus libr.* I. *de Ciuit. cap.* 26. *Quomodo etiam Samsonem excusat cap.* 21. Secundò: *Commisisse hoc castitatis amantes, quod inculpabiliter ignorarent, id non esse licitum: imò sibi persuaderent, ita fieri debere. Itaque zelo actas in se commisisse, quod voluissent pati. Certè Ambrosius & Eusebius laudant mulieres, quod se occidissent, ne violarentur: inspirationis diuinæ non meminerunt: sicut neque Palladius. Porro quoniam ipsæ in facto non peccarũt, morali quadam æstimatione censentur occisæ à persequutoribus, cum ob fidem Christi quodammodo ad illud facinus compulsæ sint: atque ita habentur vt Martyres. In quarum patrocinium licet proferre illud Hieronymi cap.* I. *Ionæ.* In persequutionibus non licet propriâ perire manu, absque eo vbi castitas periclitatur. *quod aliter Glossa detorquet, sed expositione violenta. Adeundus Serarius Iudicum* XVI. *Quæst.* XXXII. *vbi disputat, Sanctus-ne ac Martyr fuerit Samson? Et Machabæor.* II. *vbi de Razia. Et* I. *Machabæor. 6. de Eleazaro. Caietanus in illum locum. Sanctus Ambrosius lib* I. *offic. cap.* 40 *Lopez.* I. *P. cap.* 65. *Lessius libr.* II. *de Iustit. cap.* 9. *Dubit.* 6.

*§. XII.* Merx vltranea putet.]

Quod venit ex facili, faciles
segnesq; tenemus.
Quod spe, quodq; metu
torsit, habere iuuat.

*Quàm vltranea Merx sit Martyrium, patuit in Francisco, Romualdo, alijsque Martyrij sitientissimis: quibus id negatũ, quod multis antea flagitiosis gratiosissimè concessum.* Franciscus *dimissis in omnes terræ partes fratribus ad prædicandum Christi Euangelium, ipse cupiens sibi aliquam dari Martyrij occasionem nauigauit in Syriam. Vbi à Rege Soldano liberalissimè tractatus, cum nihil proficeret, rediJt in Italiam. Breuiar. Rom. Octob.* IV.

Romualdus *Martyrij cupiditate flagrauit: cuius caussa dum in Pannoniam proficiscitur, morbo, quo affligebatur, cùm progrederetur, leuabatur, cùm recederet, reuerti cogitur. Breu. Rom Februa.* VII.

*Quàm inexpectatum fuit Martyriũ superiori seculo plurimis, qui à Caluinistica crudelitate ad crucẽ, igñẽ, rotã rapti fuêre: alijs, corollam expectantibus,*

*bus, optantibúsque, sine vi dimissis. Admiratione dignum est quod legitur in vita Gasparis Barzæi libr. 11. cap.* XI.

*Ex ijs quos post eiuratam fidem Ecclesiæ Catholicæ restituebat, vni eam rem meditanti funes ceciderunt in præclaris. Etenim cùm reditum ad nos, & à Turcis fugam ad quos transfugerat, adornaret, Martyrij certissimam reperit coronam: & scelera sanguine suo eluens ex Apostata in fidei testem euasit gloriosum. Dicebatur* Ioannes, *Coloniæ Agrippinæ natus. Rei successus inibi describitur à Nic. Trigautio, dignus lectu, & recogitatu: sed longior quam vt hic explicetur.*

*Breuius est, quod narratur in Vita S. Antonij Patauini. Accipe. Cùm in ciuitate Podiensi Antonius Guardianum ageret, erat ibi Notarius, homo lubricus, mũdo & carni deditus. Eum quoties præteriret vir DEI nudato capite coram illo genu flectebat. Ille verò existimans id in sui irrisionem, & contumeliam fieri, turbabatur animo, dabátque modis omnibus operam, ne illum obuium haberet. Sed cùm die quodam insperatò illum transiret vir sanctus, & ita, vt dictum, ergà illum se gereret, exacerbatus Tabellio in hæc verba prorupit: Nisi timerem DEI iram gladio te percuterem, quod toties me exponas ludibrio. Quid istud rei est, quod coram me poplitem flectis? Respondit Antonius. Ego me libens DEO Martyrem obtulissem: sed illi non placuit: de te autem ille mihi reuelauit, præclarum te Martyrem fore. Oro itaque, vt vbi ad Martyrij agonem perueneris mei memor esse velis.*

*Hoc ille audiens risit, vitæ actæ optimè conscius. At haud multo post Episcopus Podiensis cum multis alijs profectus fuit Ierosolymam, vt Saracenis Christum prædicaret. Et ecce diuinitùs permotus Notarius ille, venditis rebus omnibus cum illo in iter se dedit. Cùm autem peruenissent in Palæstinam, & Episcopus sat frigidè haberet conciones, semel, iterúmque & tertiò dissimulauit Notarius. Tandem instar B. Vincentij, increpat Antistitem, quòd tam languidè Christi caussam agit: diuinóque afflatus spiritu, ipse cum multo feruore cœpit docere Saracenos, Christum esse verum DEVM, DEI filium: Mahometem autem filium Satanæ & perditionis. Quod illi non ferentes, rapiunt hominem, & per triduum diris eum supplicijs excruciant. Cùmq; iam ad Mortem duceretur, exposuit fratribus Antonium prædixisse, quod ipse Martyr futurus esset.*

*Contrarium accidit ipsi Antonio, vt videas, quàm vltronea* Merx *sit* Mors *Martyris. Initio ferè conuersionis crescebat in illo sitis Martyrii, nec eum quiescere patiebatur. Itaque superiores fecerunt illi potestatem proficiscendi ad Saracenos. Quò celerrimè abiit. Sed præpotens DEVS illius hac in re propositum retardauit, totius spacio hiemis, eum grauiter morbo affligens*

*gens. Quare compulsus ad natale solum reuertit. Ita pro Christo moriendi desiderium, & conatum habuit: sed diuinæ prouidentiæ aliter visum. Surius Iunii* XIII.

S. Franciscus Xauier. ] *De hoc zelosissimo viro in extremis agente, ita scribit Horatius Tursellinus lib.* V. *vitæ cap.*11. *Vnum ægrè ferebat, naturali se, vulgarique Morte extingui in lectulo: omnibúsque expetitam votis Martyrii palmam sibi penè in manibus infringi. Ceterùm haud ignarus Martyrii decus donum Dei esse gratuitum, quod sæpè negetur expetentibus, aliud agentibus offeratur: ad diuinæ prouidentiæ rationem animum composuit suum, tam insigni beneficio se indignum existimans.*

Perseuerantia non cadit sub meritum. ] *Adeundus sanctus Thomas P.*II *da Quæst.* CIX. *Art.*9 *Gregorius de Valentia Disp.* VIII. *Quæst.* III §.4.

*Gabriel Vasquez in Textum S. Thom. Num.* 44 *Bellarminus libr.*II. *de Grat. & lib. arb. cap.*12. *Concil. Tridentin. Sess.* VI. *Cap.*13. *Perseuerantiæ munus aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est eum, qui stat, statuere vt perseueranter stet, & eum, qui cadit restituere. De ea nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur: tametsi in DEI auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent.*



COM-

# COMMENTATIO XXXII.

## MORS MONETA.

*Preciosa in conspectu Domini Mors Sanctorum eius.*
Psalmo cxv. 6.

BREVIARIVM.

1 *Aurea lamella Merx est, & Precium. Idẽ Morti accidit, quæ Preciosa est, vt Moneta.*

2.3. *Morte emitur Immortalitas, Vita, Gloria.*

4 *Morte obtinetur peccatorum remißio, augmentum gratiæ, gloriæ accesio.*

5 *Mors Nomisma, Pauli sensu, cui Mori videbatur lucrum. Mors lucrum vitæ æternæ. Mortis lucrum Christus Symbolum. Erit vtraque merces. Paulus vitæ prodigus, lucri gratiâ.*

6 *Pecuniæ duplex valor: Intrinsecus, Extrinsecus. Mors-Moneta solum extrinsecum nouit, DEI beneficio Mors per se haud bona. Morte benè vtuntur Iusti.*

7 *Principis imago valorem Monetæ addit: Moneta ex corio, papyro, stanno.*

8 *DEI effigies, vnde Morti valor, Gratia, & Caritas.*

9 *Martyrium Caritatis notâ signatur. Eam habet semper siue antecedenter, siue consequenter, siue concomitanter.*

X *Historia Sapricij & Nicephori Martyrij candidatorum.*

XI *Caritas deaurat Mortem-Monetam. Capitale apud Iapones Nummum non signatum exponere.*

XII *Mors-Moneta adulteratur ab Hæreticis, vt falsarijs. Hi impietatis sunt Martyres: imò Diaboli.*

13 *Mortem sustinere ob vanam gloriam vitiat Monetam.*

14 *Mors-Moneta accisa, arrosa rubigine obducta hominum hinc cum venialibus peccatis decedentium.*

15 *Itaque purganda istiusmodi Moneta, vt cœlum ematur. Id agnouit antiquitas: ridet sectariorum nouellitas.*

16 *Mors Symbolica Religiosorum magni precij Moneta. Ingressus in Religionem Baptismo comparatur. Religiosa Mors precium Regni cœlestis.*

17 *Septem caussæ, cur Mors Symbolica preciosa.*

18 *Iustus, & signatè Religiosus, cantat Morti vicinus, vt Cygnus.*

Euange-

## Euangelici Trapezitæ.

I. AVRVM, & merx eſt, & pretium: nam datur pro re emptâ, & emitur. Idem *Morti* conuenit, quam hactenus, vt *Mercem*, depinximus; nunc vt *Precium*, inſtar aureæ *Monetæ*, proferimus. Vtrumque *Symbolum* eadem dat ſententia: *Precioſa in conſpectu Domini* Mors *Sanctorum eius*. Precioſam enim ita licet accipere, quaſi multorum numorum pretium, tanquam *Moneta* ex auro, vel, ſiquid hoc rutilo metallo eſt precioſius, cōtineat. Concipiatur igitur MORS vt multi precij MONETA. *Idem, merx & pretium.*

II. Hoc enim multorum PP. ſpectant interpretationes. Imprimiſq; S Cyprianus, qui ſæpius eo carmine martyrij candidatos animat, Epiſtola nona, in quâ Martyres Africæ inuitat ad perſeuerantiam exemplo Mapalici eorum collegæ: *Precioſa*, inquit, Mors *hæc eſt quæ emit immortalitatē precio ſui ſanguinis: quæ accepit coronam de conſummatione virtutis*. Itaque reſpondet huic *Morti* quidpiam, quod illâ, velut oblatâ pecuniâ emitur. Quapropter Epiſt. LXXXI. quæ ad fortiter obeundam *Mortem* eſt exhortatoria, monet, vt non tam cogitent id, quod exponendum eſt, quàm, quod, adpenſo velut ære, emitur à DEO: *Nemo* Mortem *cogitet*, inquit, *ſed immortalitatem: nec temporariam pœnam, ſed gloriam ſempiternam: cum ſcriptum ſit: Precioſa in conſpectu Domini* Mors *Sanctorum eius*. In Exhortatione autem ad Martyres, Precium & mercedem Mortis pro Chriſto toleratæ oſtēdi ait: & quod plus accipiant in paſſionis mercede, quam quod hic ſuſtinent in paſſione. Martyrem enim ſtatim à DEO coronari, ſanguine ſuo gehennam extinguere, Chriſto iudicanti aſſeſſurum. *Cypr Epiſt.* ...

III. IN eandem ſententiam S. Damaſcenus, diſputans quanto in precio ſint habendi Sancti, *Mortem* illorum *precioſam* eſſe docet. quod ea ematur *Vita* & *Immortalitas*, quæ peculiari ratione debita ſit, non ſolùm in Dominio, verùm & pro Domino morienti. Non eſt autem DEVS tam tenax ſuarum mercium, vt non liberaliter illas pro hoc numo exponat: nec ſinit ſibi caros mori fruſtra: nec vitam iuſtorum vt vilem habet, aut pro nihilo venalem, vel vt exigui precij *Monetam*, ſed eam ſuis momentis æſtimat, & pro illa ſibi *Morte tanquā Moneta emitur vita S. Damaſ lib. IV. cap 16.* *NOTA.*

Hhh oblata

oblata vitam sempiternam emptionis pacto rependit. Atque hoc est primum, quod in hac negociatione mercis rationem habet.

Morte obtinetur peccatorum remissio, augmentum gratiæ & gloriæ.

IV. ALTERVM est peccatorum condonatio, incrementum gratiæ, gloriæ maioris accessio. De quo præclarè disserit S. Augustinus libr. XIII. de Ciuitate: vbi, quamuis Mors, ait, sit pœna nascentis: tamen, si pro pietate iustitiaq; pendatur, fit gloria renascentis: & cùm sit Mors peccati retributio, aliquando impetrat vt nihil retribuatur peccato. Nam quicumque, etiam non percepto regenerationis lauacro, pro CHRISTI confessione moriuntur, tantùm eis valet ad dimittenda peccata, quantùm si abluerentur sacro fonte baptismatis. Qui n. dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu-sancto non intrabit in regnũ cælorũ*: aliâ sententiâ fecit ipsos exceptos, vbi non minus generaliter dixit: *Qui me confessus fuerit coram hominibus confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.* Et alio loco: *Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.* Hinc est, quod scriptum est: *Preciosa in conspectu Domini* Mors *Sanctorum eius.* Quid enim preciosius, quàm *Mors*, per quam fit, vt etiam delicta omnia dimittantur, & merita cumulatius augeantur?

Aug. lib. XIII de Ciu. cap. 6 & 7.

Ioann. III.

Matth. X. Matth. XVI.

Psalm. CXV.

Neque enim tanti sunt meriti, qui cum *Mortem* differre non possent, baptizati sunt, deletisque omnibus peccatis, ex hac vitâ emigrarunt: quanti sunt hi, qui *Mortem* differre cùm possent, ideò non distulerunt, quia maluerunt Christum confitendo, finire hanc vitam, quàm eum negando ad eius baptismum peruenire. *Mors* igitur *preciosa* Sanctorum, quibus cùm tanta gratia est præmissa, & prorogata *Mors* CHRISTI, vt ad eum adquirendum, suam non cunctarentur impendere, in eos vsus redactum esse monstrauit, quod ad pœnam peccantis antea fuerat constitutum, vt inde iustitiæ fructus vberior nasceretur.

Mors ergo in tantam vtilitatem non vi suâ, sed diuinâ opitulatione conuersa est, vt quæ olim metuenda proposita est, ne peccatum committeretur, nunc suscipienda proponatur, vt peccatum non committatur, commissumq; deleatur, magnæq; victoriæ debita palma reddatur.]

Mors Numisma.

V. VIDETVR etiam Paulus Apostolus considerasse *Mortem*, tanquam Numisma, quo in mercatu cœlesti preciosissimæ merces coëmantur, dum ait, *Mori* fore sibi lucrum: id est, hanc negociationem, quâ, pro cœlesti gloria, & CHRISTI fruitione *Mortis* numum numeret,

numeret, futuram sibi lucrosam. Quamuis enim magni pretij *Moneta* sit *Mors*: tamen, cũ non sint condignæ passiones huius vitæ, etiam *Morte* terminatæ, ad futuram gloriam, non potest non compẽdium facere, ac lucrari plurimum, qui pro *Morte* diuinas merces emit Rectè itaq; Paulus spernit *Mortis* intentatæ minas, qui si moriatur, augebuntur immensùm facultates: *Mihi*, inquit, *viuere Christus est, & Mori lucrum*: id est, moriendo lucror, quæstum facio, nam vno numo cœlum emo. *Mors* lucrum est beatitudinis. *Mortem* igitur non metuo, quia si occidar & moriar, lucrabor vitam æternam, & in cœlum euolabo, ac Christo fruar. Quomodo ex mente Chrysostomi, Anselmi, Ambrosii, Thomæ, Theophylacti, Oecumenij, explicat Cornelius, vt caussam det Paulus cur incitetur ad *Mortem* optandam: quia meminerit se Mercatorem, cui regnum cœleste sit venum expositum, quod sic cum lucro comparare possit. Ad Phil. I.

Quem sensum etiam Erasmus exprimit hac paraphrasi: Si viuo, Christi caussa viuo: si Morior, meo commodo & lucro morior: quasi sibi, si suum commodum spectet vtilius sit *Mori*: sin Christi commodum, vtilius sit viuere. Quod sapientis fuisse votum, & ad lucrum inuigilantis negociatoris obseruat Ambrosius libro de *Bono Mortis* cap II. vbi *Apostolus*, ait, *prius ad vitæ necessitatem refert: posterius ad* Mortis *vtilitatem, quasi dicat: Quasi seruus non refugio vitæ obsequium: & quasi Sapiens* Mortis lucrum *amplector*. *Mortem* æstimo quæstum salutis, quia ea beatitudinem emere possum. *Mors lucrum vita æterna.*

Nec ab hac contemplatione auocat, alia eorũdem verborum expositio, quam genuinam putat Cornelius, vt dicatur, *Mori*, id est, *Mortis lucrum*, CHRISTVS, seu illius fruitio, & cum illo coniunctio. quid enim hoc est aliud, quàm lucrari CHRISTVM, eius-ve præsentiam, tanquam optatissimam mercem, repræsentato vnico *Mortis* numo? Itaque Paulo CHRISTVS, & in vita & in *Morte* lucrum erat: atq; ideò viuere non recusabat, nec mori timebat, quum tam in *Morte*, quàm in vitâ, CHRISTO seruiret, CHRISTO vniretur, Christum lucri faceret. *Siue viuimus*, inquit alio loco, *siue morimur, Domino morimur: siue ergo viuimus, siue morimur, Domini sumus*. *Mortis lucrum Christus.* Ad Rom XIV.

Hic pingi posset *Symbolum* magni Herois: Cypressinus, Palmeus'que ramus, crucis in modũ, addita inscriptione: ERIT VTRAQVE MERCES: seu ALTERNA MERCES quo significabat aut in bello gloriosè Mori, aut redire velle cum victoria: quamuis sic mori, sit potiri victoria.

 Ob hanc

Paulus vitæ prodigus.

Ob hanc caussam tam erat vitæ suæ prodigus Paulus, vt nihil eam facere videretur: nempe sciebat, quantum quæstum faceret lucri cupidissimus spiritualis diuinus ille Mercator, si numulo thesaurum inæstimabilem & infiniti precij margaritã emeret. Non ignorabat, eum *qui animã*, id est, vitam, hîc *amat*, illam ipsam perdere: *qui* autem *odit*, id est non tanti æstimat, quanti merces cœlestes, *in vitam æternam custodire eam*. Ac idcirco, *non faciebat animam suam preciosiorem, quàm seipsum*. Libenter vitam dabat, sponte ad *Mortem* se offerebat, nihil illi gratius, quàm sanguinem profundere, vt hanc plenam lucro negotiationem exerceret.

Ioan. XII. 25. Act. XX. 24.

Pecuniæ duplex valor. NOTÆ.

Mortis nullus valor intrinsecus.

VI. Verùm, cùm *Mortem*, *Monetam* esse dicimus, discrimen inter illam, & quæ apud nos in vsu est, notare oportet. Pecuniæ, qua in contractibus emptionum vtimur, duplex est valor: alter *intrinsecus* & *naturalis* ex metalli conditione & pondere sumptus: alter *legalis* & *extrinsecus*, nempe lege Principis constitutus. *Mortis* nullus est valor intrinsecus. Est enim si in se spectetur, mala, quùm sit rei bonæ priuatio, & inobedientiæ pœna. Quicquid ergo valoris habet, Principis beneficio illi collatum est, quomodo aliquando numis ex corio vel papyro valor aureorum est additus mandato Regis. Id *Morti* accidit, quæ cum omnibus Adæ posteris deberetur tanquam pœna, ac proinde nihil valeret ad vitæ beatæ bona obtinenda, vt esset precium, quo emeretur cœlum: nostri amantissimus DEVS, & bonorum suorum liberalissimus distributor, valorem illi sua lege addidit, vt si in Domino, vel pro Domino subiretur, *Numus* esset, quo emeretur beatitas. *Non quia* Mors *bonum aliquod facta est*, inquit Augustinus, id est, non quia intrinsecè mutata est, *quæ antea erat malum: sed tantam DEVS fidei præstitit gratiam, vt* Mors, *quam vita constat esse contrariam, instrumentum fieret, per quod transiretur in vitam*, emendo vitam.

Aug. lib. XIII. de Trin. cap. 4.

Mortis benè vtuntur iusti.

Quod sequenti capite probat ingenuosè exemplo à contrario. Vt enim Lex per se bona est, ea tamen malè vtuntur iniqui: ita *Mors* per se mala est, sed ob extrinsecum valorem ea benè vtuntur iusti. *Lex bona est, quia prohibitio est peccati*: Mors *mala, quia stipendium est peccati: Sed quemadmodum iniusti malè vtuntur, non tantùm malis, verùm etiam bonis: ita iusti benè non tantùm bonis, sed etiam malis. Hinc fit vt & mali malè lege vtantur, quamuis sit lex bonum: & boni benè moriantur, quamuis sit Mors malum.*

VII. Por-

VII. Porro, extrinſecus ille valor indi ſolet *Moneta*, adiunctâ, impreſsâque Principis imagine, vel ſigno alio. Sic Frider. II. numo corij orbicularis, aurei valorem dedit, formatâ in vnâ parte Imperatoris effigie, in alterâ, Imperij aquilâ. Ita refert Collenucius lib. IV. Neapolitanæ hiſtor. In Gallia idem factum, clauiculo argenteo addito, valoris indice: & in Batauis ex papyro, Leydâ obſeſsâ, noſtro tempore, quod populares mei narrant, & ſcribit Budelius libro I. de Monetis. Veneti ad Tyrum monetam ſcorteam habuerunt. Perdicca ſtaneum numum cudit. *Morti* Iuſtorum, tanquam *Numo* cuſo ex vili alutâ, aut chartaceâ membranâ, Dei effigies, gratiæ typo impreſſa, valorem illum confert, quo in mercatu cœleſti vt precioſa habetur, & commercio eſt vtilis: ſine illa, vt nullius precij ſpernitur. *Principis imago valorem monetæ addit, NOTÆ. Moneta ex corio. Moneta è papyro.*

VIII. Quæ illa Dei effigies? Quid hic opus multis ambagibus? eſt Caritas. Caritas nobis inſita, nobis infuſa, nobis impreſſa, qua diligimus Devm & proximum: hæc imago eſt ſummi Principis. Devs enim Caritas eſt. Sine hac, *Mors*, etiam pro Chriſto ſuſcepta, ſi hoc fieri demus, papiraceus eſt numus, ſterquilinio aptus, non commercio, quo cœlum ematur. Hoc iam olim per præconem ſuum, cum cœli merces exponeret, nundinarum diuinarum præſes euulgari iuſſit, vt nulli deceptioni eſſet locus. Audite negotiatores. *Effigies DEI Caritas.*

*Si linguis hominum loquar & Angelorum: Caritatem autē non habeam, factus ſum, velut es ſonans, aut cymbalum tinniens.* Sonitum quidem aliquem dabit, numus, quem proferam, ſed inanem, ac prorſus inutilem, ſicut æris particula, nullo Domini, vel reipublicæ ſigno percuſſa. Maius eſt quod ſequitur: *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, Caritatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Si corpus, membraq; mea omnia, vel crucianda tortoribus, vel etiam flammis, religionis cauſsâ, exurenda tradam, caritate deſtitutus nullius *Mors* illa, quod attinet ad Devm, cœleſteſq; merces, erit vtilitatis. Loquitur conditionatè: ſi *Martyrium*, & *Mors*, Chriſti cauſſa in flammis ſuſtineri poſſet, ſine Caritate, nullius valoris eſſet, quia intrinſecum nullum habet, extrinſecum caritas, tanquam Principis effigies communicat. *1. Cor. XIII. 1. 1. Cor. XIII. 3. καυθήσομαι ardeam, non καυχήσομαι glorier.*

IX. Hinc colligunt Theologi. Si quis in tyrannorum manus deueniret, & ob Chriſti nomen flammis traderetur, foueret autem odium proximi: aut voluntatem peccandi mortaliter confirmatam pertinaciter retineret, nihil illi *Mortem* iſtiuſmodi, nihil *Martyrium Materiale, Formale.*

martyrium profuturum. Quamuis hoc *Martyrium* non nisi materialiter eam denominationem haberet. Siquidem formale sine Caritate esse nequit, quam si non habet Christi Confessor, dum ad supplicium rapitur, ideoq; antecedenter, vt in Scholis loquimur, consequetur tamen in ipso termino, quasi ex opere operato: hoc enim est eius priuilegium, qui Christo vsque ad aras fidem seruat. Nam eo ipso, quod quis eatenus criminosus, pro CHRISTO occiditur, infunditur illi caritas, & iustitia, vt numum effigie Principis signatum ad alterius vitæ forum deferat, vt ex D. Thom. Caietano, aliisq; melioris notæ Doctoribus, demonstrat Franciscus Suarez in P. Quæst. LXIX Dis. XXIX. Sect. 2. Nam reuera, *Maiorē hac dilectionē nemo habet, vt animā suam ponat quis pro amicis suis.* Atq; hoc est, quod pronunciant Scholastici: Martyrium nihil prodesse, nisi vel antecedat, vel sequatur, vel adsit caritas, siue vt principium, siue vt terminus & effectus. Quamuis qui ita contumaciter caritatē respueret, vt nollet inimico offensatum gratiam facere, facilius animum pro Christo moriendi mutaret, quam se in flammas coniiceret. Quod illustri exemplo in histor a Ecclesiastica confirmatum legimus.

*Martyrium Caritatem confert ex opere operato.*

*Ioan. XV. 13*

*NOTÆ.*

*Nicephori & Sapricij historia Meta. IX. Feb.*

Nicephorus laicus, & Sapricius presbyter ex amicissimis infensissimi cùm euasissent: ac prior se ipsum recolligens, cùm posterioris amicitiam frustra multis modis expetiisset, tum per alios, tum denique per se ipsum, obiiciendo se suppliciter ad eius pedes, rogandoq; nomine CHRISTI vt ignosceret: contigit posteà, vt ne tūc quidem, cùm ad supplicium pro CHRISTO tāquam Martyr Antiochiæ sub Valeriano & Galieno duceretur Sapricius, cum ab eo enixè veniam & pacem postulasset Nicephorus, ei vnquam condonare voluerit. Quod factum, DEO immitissimo hominum indignante, vt Sapricius ab instituto resilierit, negans CHRISTVM: Nicephorus autem nomini suo respondens, victoriam retulerit, acceptâ coronâ, quam alter amiserat, ne quicquam ad constantiam in fide ab eodem Nicephoro animatus.

*Sapricius inexoratum mouet.*

*Nicephorus victoriam reportat.*

XI. Ceterum Caritatem, non solum huic *Monetæ*, tanquam imaginem Principis, valorem extrinsecum addere: sed & ipsam eius substantiam immutare, vt valorem etiam internum habeat, dicere videtur Anselmus, qui ita Apostoli proclamationem exponit: *Sine Caritate nihil*, licet excellens, prodest: cum caritate omnia quamuis vilia prosunt, fiuntq; aurea, & diuina. Itaque Caritate, coriaceus

*Caritas deaurat Monetam Mortis.*

*Mortis*

*Mortis* numus, tanquam attactu virgulæ diuinæ, in aureum commutatur, & duplici valore præstanti cœlum emitur.

Lego in Iaponum triumphis à Nic. Trigautio editis, capitale in eâ insulâ esse, *Monetam* Imperatoris non notatam signo ad commercia adhibere: eâ de caussâ ex neophytis quoque quendam rogo addictum. Non admittitur ad cœli mercatum vllius metalli nomisma, nulla *Mors* æstimatur, quamuis vulgi iudicio optima, ac preciosissima, nisi signum supremi Imperatoris habeat. Si quis eâ destitutam ad emptionem cœlicam adferat, non solum nihil coëmere permittitur, sed extremo etiam supplicio mulctatur.

*Capitale in Iaponia, numum non signatum expenere. Nic. Trig. lib. II.*

XII. Sed est quorundam illa fraus, qui *Monetam* adulterare norunt, vt probam esse fingant, quæ est adulterina, & improba. Hac deprauandi arte semper excelluerunt, & olim, & nostro tempore, hæretici, æruscatores vafri: astutiores, quàm sint Hebræi nostrates, falsarij; subdoli, æris figurati conflatores. Ex his enim non pauci, & forti, vt videbatur spectatoribus ignaris, animo, & hilari acerbissimos cruciatus, atque adeò *Mortem* ipsam subierunt. Quid olim factum, narrat Eusebius lib V. & VI. hist. ac Cyprianus *lib de Lapsis*. Quid nostro æuo acciderit, vidit Anglia Maria regnante: vidit Hispania, vidit Roma, & stupuit, vidit Gallia, vidit Belgium. Montanistæ suos martyres prædicabant, vt præter Eusebium, habet Tertullianus. Messaliani celebrant suos, vt auctor est Epiphanius: Donatistæ suos, vt refert Augustinus. Deniq; suos laudant Anabaptistæ, Lutherani, Caluinistæ, in quorum martyrologio homines commendantur hoc titulo, vitijs inquinatissimi, & nequissimi bipedum.

*Moneta adulterata*
Νόμισμα δόκιμον, ἀδόκιμον.
*lib. V. cap 11. Lib. 6. cap 33.*
*Ter. lib. de fuga in persec. Epipha Hær. LXXX Æneas Sylu. hist. Boem. cap. XLI.*

*Mortem* secum detulerunt, hinc emigrantes, tanquam *Monetam*, quæ effigiem Principis ad speciem repræsentare mendacio potuerit, veram habere nequaquam, Inferni non Cœli emptores: pertinaciæ non constantiæ: obdurationis, non pietatis: falsitatis, non veritatis testes.

Quos suis coloribus graphicè depingit Bernardus Sermone LXVI, in Cant. Nec rationibus conuincuntur, quia non intelligunt: nec auctoritatibus corriguntur, quia non recipiunt: nec flectuntur suasionibus, quia subuersi sunt. Probatum est: mori magis eligunt, quàm conuerti. Horum finis interitus, Horum nouissima incêdium manet. Horum siquidem in facto Samson ex succensis vulpium caudis

*Impietatis Martyres hæretici. S. Ber. Serm. LXVI. in Cant.*

*NOTÆ.*

dis figura præcessit. Plerumque fideles iniectis manibus aliquos ex eis ad medium traxerunt. Quæsiti fidem, cùm de quibus suspecti videbãtur, omnia prorsus suo more negarẽt, examinati iudicio aquæ, mendaces inuenti sunt. Cùmque iam negare non possent, quippe deprehensi, aqua eos non recipiente, arrepto, vt dicitur, freno dentibus, tam miserè, quàm liberè impietatem non confessi, sed professi sunt, palam pietatem adstruentes, & pro ea *Mortem* subire parati: nec minus parati inferre, qui adstabant. Itaque irruens in eos populus, nouos hæreticis suæ ipsorum perfidiæ Martyres dedit.

*Hæreticos per Magistratum occidi posse.*

Approbamus zelum, sed factum non suademus: quia fides suadenda est, non imponenda. Quanquam melius proculdubio gladio coërcerentur: illius videlicet, qui non sine caussa gladium portat, quàm in suum errorem multos trajicere permittãtur. DEI enim minister ille est, vindex in iram ei, qui malè agit.

*Obstinati Sectarij Mortem hilariter tolerãt.*

Mirabantur aliqui, quod non modò patienter, sed & læti, vt videbatur, ducerentur ad *Mortem*: sed qui minus aduertunt, quanta sit potestas Diaboli, non modò in corpora hominum, sed etiam in corda, quæ semel permissus possederit. Nónne plus est sibimet hominem inijcere manus, quàm id libenter ab alio sustinere? Hoc autem in multis potuisse Diabolum, frequenter experti sumus, qui seipsos aut submerserunt, aut suspenderunt. Denique Iudas suspendit seipsum, Diabolo sine dubio immitente.

*Martyres dæmonis Hæretici.*

Ego tamen maius existimo, magisq; admiror, quòd potuit immisisse in cor eius, vt traderet Dominum, quàm vt semetipsum suspenderet. Nihil ergo simile habent constantia martyrum, & pertinacia horum: quia *Mortis* contemptam in illis pietas, in istis cordis duritia operatur. Et ideò Propheta, martyris forsitan voce dicebat: *Coagulatum est sicut lac cor eorum, ego verò legem tuam meditatus sum* pro eo videlicet, quod etsi pœna eadem videretur: longè diuersa esset intentio, illo vtiq; durante cor contra Dominum, isto, in lege Domini meditante.

*Ps. CXVIII.*

*Mortem sustinere ob vanam gloriam.*

XIII. SED & illi adulterare eandem *Monetam* censentur, qui, licet non perfidiæ, aliorum tamen notis vitiorum illam insigniunt. Si quis *Mortem* sustineret alacriter, vt nominis æternitatem apud gentiles assequeretur: vt familiæ decus amplificaret: vt suis satisfaceret appetitionibus; *Numum* cuderet, alterius sanè, quàm Principis effigie noscibilem, ideoq; nullius precij. Tales olim apud Romanos non

non pauci, popularis auræ mancipia, Mutij, Detij, Curtij. Quorum primus dexteram flammæ impositam constanter retinens, vt scias, inquiebat Porsenæ, quàm vile nobis sit corpus, gloriam spectantibus. Talis posterioribus seculis *Peregrinus*, qui ob immortale nomen sibi comparandum, in certaminibus Olympicis, se in rogum illicò exurendum coniecit. Quod, qui spectabat, refert Lucianus. *Lucianus in Peregri.*

XIV. QVIDAM, quamuis *Monetam* suam non adulterinam deferant, nec alterius, quàm Principis notâ signatam. Nam & fideles moriuntur, & sunt gratiæ ac caritatis ornatu insignes. Tamen minus perfectam producunt, illorum institorum instar, qui aurum, vel argentum accisum, arrosum, vel rubigine non obductum mòdò, sed excesum aliquantulum, ad mercatum adportant. Nimirum, qui peccatis, non quidem lethalibus, venialibus tamen non paucis deturpati, hinc migrant. Horum *Moneta* vt depuretur, & corrigatur, flammis indiget, & tamdiu in monetaria officina vritur, donec ab omni scoria, & rubigine libera, asperum numum, suo eum signo affabrè expresso Cœlitum oculis repræsentet. *Moneta accisa, arrosa, rubigine obducta.*

XV. NEGANT, fideles vllos cùm istiusmodi *Moneta* ad alterius vitæ mercatum proficisci, nouitij quidam magistelli. Sed agnouit hanc sortẽ antiquissimus Ecclesiæ Doctor Chrysostomus: qui dum agit de quæstuosissima emptione Regni cœlorum, pro Mortis numo: monet Christianos haud debere lugere fideles, mortuos, eo quod sint mortui, quoniam *Mors* ijs lucrum est vitæ melioris: sed lugendos esse, atque adiuuandos, si in aliquibus peccatis mortui sint. *Christianos mortuos non lugendos.* *Chrys. Hom. III. Epist. ad Philip.*

*Defleamus*, ait, *istos, iuuemus eos pro viribus, procuremus ijs aliquid auxilij. Quomodo? qua ratione? Precantes adhortemur, & alios, vt pro i[illegible]ret, pauperibúsque indesinenter pro illis eleemosynas demus.* Et mox: *Non frustra ab Apostolis sancitum est, vt in celebratione venerandorum mysteriorum, memoria fiat eorum, qui hinc discesserunt. Nouerant illi multum hinc emolumentum fieri, multum vtilitatis: stante siquidem vniuerso populo manus in cælos extendente, cætu item sacerdotali, venerandóque posito sacrificio, quomodo DEVM nõ placaremus pro iis orantes?* Eant iã & dicant Nouatores nostri non fuisse primis Ecclesiæ tẽporibus, notũ viris Apostolicis Missæ sacrificium: ignorasse primos Christianos propitiatoriã pro defunctis hostiã: nescisse flãmas expiatorias: orationes pro demortuis esse nuperũ inuentũ, nundinationẽ Pontificiorũ, Monachorũ persuasionem: hæc *Orandum pro defunctis.*

 enim

enim omnia Apostolorum æuo frequentari solita Chrysostomus asserit. Sed hæc sunt alterius considerationis. Illud repetimus, *Mortem* Iustorum esse magni precij *Monetam*: quâ cœlum emitur.

*Religiosi spiritualis Mors magni precij Ps. CXV.*

XVI. QVOD ad *Mortem Symbolicam*, qua Religiosus Mundo moritur transfert Hugo Cardinalis: *Preciosa in conspectu Domini* Mors *Sanctorum eius*: id est, ingressus Religionis, in quâ spiritualiter moriuntur Sancti eius: voluntariè amittentes motum & sensum: quia in religione non mouentur secundum propriam voluntatem: nec secundum proprium sensum reguntur, aut discernunt. Eorum cuilibet dicitur: *Alius te ducet, quò tu non vis*: audiunt omnes, si flaccescāt: *Si mortui estis cum Christo ab elementis huius mundi, quid adhuc tanquam viuentes mundo decernitis?* Et illud Bernar. *Qui semel vestri curam nobis commisistis, quid rursum de vobis vos intromittitis?*

*Ioan. vlt.*

*Ad Coloss. II.*

*Ingressus in religionem maximi valoris.*

Hæc Mors (inquit Carensis) licet abominabilis & contemptibilis sit in conspectu hominum: tamen preciosa est in conspectu Domini: id est, plena magno precio, quod sufficiat coram DEO, & ad ad omnium peccatorum abolitionem, & ad REGNI CÆLESTIS, ac iudiciariæ sedis EMPTIONEM. Et quidem, quod *Mors spiritualis*, per ingressum religionis plus valeat ad remissionem peccatorum, quam quæuis pœnitentia in mundo, agnoscunt Ecclesiæ Præsides: quia quantumcunque peccauerit homo, si in confessione dicat, se velle intrare Religionem, non iniungitur ei alia pœnitentia. Sed si dicat, se velle ire vltra mare, potuit commisisse tam graue crimen, vt censeat conscientiæ iudex, grauiorem illi iniungendam satisfactionem. Quod pluribus exequitur Hieronymus Platus adiungens alias eiusdem Mortis vtilitates, integro libro primo, de Bono status religiosi.

*NOTÆ.*

*Religiosa Mors emit regnum cælorum.*

Quod autem *Mors*, tanquam *Pecunia* sufficiat ad emptionem regni cœlestis, & sedis iudicariæ probat Hugo ex Christi pronunciato Matth. XIX. *Vos qui reliquistis omnia & sequuti estis me sedebitis super sedes duodecim iudicantes.* Et Matth. V. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Huc spectat Augustini dialogismus inter CHRISTVM, vt Mercatorem, & Christianum, vt Emptorem. Venale habeo. Quid? Regnum cœlorum. Quâ Moneta emitur? Paupertate Regnum: Labore, requies: MORTE VITA.

*Septem caussæ cur Mors Symbolica sit preciosa.*

XVII. ECCE quàm est hæc *Mors preciosa* in conspectu Domini, Preciosa sanè, tum, quia est introitus in veram vitam: Iob XI. *Cùm*

*Cùm te consumptum putaueris orieris vt Lucifer*. tum, quia est introitus in requiem. Apoc, XIV. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*. tum, quia est introitus ad securitatem. Job. XI. *Defossus securus dormies*. tum, quia est introitus in abundātiam. Iob. V. *Ingredieris in abundantia sepulchrum*. NOTÆ. tum, quia est introitus ad claritatem. Iob. XI. *Quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam*. tum, quia est introitus ad pacem & securitatem. Psal. CXLVII. *Qui posuit fines tuos pacem*. tum, quia est introitus ad æternitatem Eccci. II. *Coniungere DEO & sustine, vt crescat in nouissimo vita tua*. Quamobrē in solenni Religiosorū quorundam professione cantari dicitur iste versiculus. *Preciosa in conspectu Domini* Mors *Sanctorum eius*.

XVIII. SED & Religiosi ipsi, ac iusti omnes cantare possunt, dum hinc emigrant, quoniam norunt *Mortis* suæ precium: lugentibus & æternitatis lamenta iam tunc in *Morte* sua exordientibus improbis. Cùm hi, dum in bonis ducerēt dies suos ociosè cantillarint: illi lugentes & flentes auream sementem fecerint. Sic Sirenem (si verum est animal) perhibent in vita suauissimè canere, *Mortem* tristissimam obire: Cygnum è contrario pro gemitu in decessu cantum edere. Sirene, Cygnus.

*Dulcia defectâ modulatur carmina linguâ* Mart. lib. XIII. LXXVII
*Cantator* Cygnus *funeris ipse sui*.

Caussam me legere memini: quod crassior in priore sanguis; subtilior in posteriore cor occupet sub *Mortem*. NOTÆ. In iustis illa est ratio, quod mori lucrum æstiment: impij, illud ipsum omnium fortunarum suarum dispendium. Itaque illis verè conuenit, quod de Cygnis poëticè, id est, fabulosè scribit Plato: πλεῖστα καὶ μάλιστα ᾄδουσι γεγηθότες ὅτι μέλλουσι παρὰ τὸν θεὸν ἀπιέναι ὅπερ εἰσὶ θεράποντες: plurimū & maximè canūt, læti quod ad DEVM sint, cui seruiunt, iam migraturi. O quàm Plato in Phæd.

*Preciosa in conspectu Domini Mors sanctorum eius!*

# NOTÆ

## AD COMMENTATIONEM XXXII.

## MORS

# MONETA.

ABrahamus Ortelius *refert: Populis quibusdam in more fuisse positum, vt mortuorum ossibus pro* Numis *vterentur, non illis quidem in auro, argento, ære-ve impressis, sed reapse mortuorum reliquiis.*

*Non dissimile est, quod habet Herodotus libr. II. legem fuisse aliquando apud Ægyptios, qua iubebantur ij, qui sibi mutuo dari pecunias postulabant, cadauer patris depositum, fidei creditoris tradere. An-non isti* Mortem, *vt* Monetam, *æstimabant?*

Morte- Moneta emitur Vita, Gratia, Gloria.] *Faciunt huc, quæ docent Theologi de efficacitate* Mortis Martyrum. *Maximam enim imprimis vim habet ad remissionem culpæ, etiam mortiferæ: proindéque ad conferendam gratiam.*

*Sanctus Thomas Parte tertia, Quæst.* LXXVIII. *Articul.* I. *ad* 2. *Passio* (Mors) *pro Christo suscepta obtinet vim baptismi: & ideò purgat ab omni culpâ veniali, & mortali, nisi actualiter voluntatem peccato inuenerit inhærentem.*

*Clemens Romanus lib.* V. *Constitutionum Apostolicarum cap.* 5. *Qui Martyrio habitus est dignus, is lætitiam in Domino percipiat, quod tantam coronam adeptus sit, & quod propter confessionem ex hac vitâ exeat. Et si Catechumenus sit, recedat ad DEVM lætus. Cruciatus, quo propter DEVM afficitur, erit ei verior Baptismus: quod is quidem experientia ipsa* Mortis *commoritur* CHRISTO, *reliqui verò mysticâ repræsentatione.*

*Quo loco* Mors *externa pro Christo obita præfertur Baptismo, quo ad efficaciam aliquam, quia est realis configuratio cũ Christo. Quod adprobat*

*Sanctus Cyprianus Epist.* LXXIII. *vbi magna cum vehementiâ quærit: Numquid potest vis Baptismi esse maior, aut potior, quàm Confessio? quàm Passio?* ( Mors ) *vt quis coram hominibus confiteatur, & suo sanguine baptizetur.*

*Sed*

Sed copiosissimus, & facundissimus in hoc argumento est idem Carthaginiensis Antistes in libello, quem scripsit de laude Martyrij, quem Cypriani esse ex toto genere dicendi planè existimo, licet Erasmus abnuat. Ibi totus est in Monetæ huius precio amplificando. Et tria potissimũ exequitur: Quid sit Martyrium? Quantum sit? Cui rei prosit? Præclaris autem, varijsq; similitudinibus, & argumento, à cotidianis funeribus sumpto, ad Mortem pro Christo lubenter obeundam, hortatur. Porro inter virtutes Martyrij numerat, quod vniuersi doloris expertes Martyres Domini propitiatio coronet: ita vt in eos non cõpetat illud Christi: Vsq; ad quadrãtem nos vltimum reddere. Est enim talis Moneta Mors Martyris, vt pro omni, quamuis maximo debito, possit satisfacere.

Addit hoc Numo emi tum à Gehennæ metu securitatem: tum vitæ æternæ consequutionem: & ante hæc, peccatorum remissionem.

Meritò igitur Tertull. Apologetico ad Gentes, sub finẽ. Quis nõ pati (Mori) exoptet, vt totam DEI gratiam redimat? vt omnem veniam ab eo compensatione sui sanguinis expediat? Omnia enim huic operi (Morti pro Christo obitæ) delicta donantur. Idem in Scorpiaco ait Martyrib. nulla delicta posse imputari, quibus in lauacro vita ipsa deponitur.

His consentaneè docẽt Theologi cõmuniter. 1. Martyriũ per se vim habere magnã ad remissionẽ culpæ mortiferæ. 2. Conferre primam gratiam iustificationis. 3. Tollere etiam omnem pœnã, in quibus comparatur Baptismo.

§. VI. Pecuniæ duplex valor.] De hoc scriptores rei monetariæ. Nam in mutatione Monetæ geminus hic valor necessariò spectari debet. Intrinsecus, & Naturalis est ex metalli cõditione, & põdere: quib. accedit cudẽdi labor, & apparatus nõ sine sumptu susceptus. Extrinsecus, seu legalis cõstituitur lege Principis, penes quem, vt aliarum mercium, ita est pecuniæ præscribere pretia.

Morti nullus valor intrinsecus.] S. Ambr. lib. de Mortis bono triplicẽ Mortẽ nominat. Prima est bona. Secũda mala: Tertia indifferẽs. Mala est lethale peccatũ: per illã enim amittit anima vitã gratiæ & caritatis. Et de hac dicit DEVS per Ezech. cap. XVIII. 20. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Mors bona est sanctificatio, vel testificatio hominis, qua peccator moritur peccato. vt viuat Deo. De qua Apostolus Rom. VI. 4. Cõsepulti sumus cum Christo per Baptismum, in Mortem, vt bonam nimirum sortiamur. Ad eãdem pertinet, quæ Mortificatio dicitur: per quã expirãt vitia, vt virtutes reuiuiscãt. Mors indifferens, cui non est valor intrinsecus, cẽsetur Naturalis, quâ anima separatur à corpore. Hæc autẽ fit aut bona, aut mala ex adiunctis. Mala si adiungatur Mors animæ. Sic Mors peccato-

*rum dicitur pessima. Eius enim finis est alia Mors, quæ* Secunda *vocatur. Bona fit, si gratiæ valorem accipiat. atque ita appellatur* Preciosa, *nempe,* Monetæ *instar.*

*§. VII.* Principis imago *Monetæ* valorem addit.] *Fridericus II. Augustus Fauentiam obsidione premebat durissima hyeme. Obsessi obstinatissimi dedere se detrectabant: producebatur obsidio, deerát que in stipendium pecunia. Percuti Monetam è corio iussit: ex alterâ parte eius effigies, ex alterâ Imperij Aquilæ, aurei vnius valor singulis. Salutare consilium rei euentus aperuit. Ea arte recreato milite, vrbem in suam ditionem redegit. Peracto bello, integra fide pro coriaceis monetis totidem aureos numos reposuit. Collenucius lib. IV. Historiæ Neopolit.*

*In* Galliâ *etiam aliquando* Moneta *ex corio percussa est clauiculo argenteo distincta.*

Lugduno *autem in Batauis obsessis papyrus materiam dedit pro* Moneta, *Anno seculi superioris LXXIV. Budelius libr. I.* de Monetis *cap. I. Num. 34.*

Enicus Lupides *Comes Tondillanus, Dux insignis in bello Granatensi Almæ vrbi præfectus in summâ rei pecuniariæ desperatione dum expectaret pecunias à Rege Ferdinando, & Isabella, ex chartâ panuceâ fecit schedulas manus suæ subscriptione signatas: quasdam vocans aureos, quasdam argenteos numos, æreos asses, semisses, trientes, quadrantes: hisque inter se emptiones, & commercia facta sunt, pollicitus se daturum, pro illis fictitiis varias pecunias post receptionē. Greg. Tholosanus lib. III cap VI. Num. 26. ex Nebuss.*

*Idipsum fecisse tradit Sabellicus, Dominicum Michaëlem Ducem Venetorum, cùm procul abesset domo, classe Tyrum obsidens. Quoniam enim pecunia defectu stipendium numerare non poterat remigibus, & socijs naualibus,* loro *pecuniam publicâ formâ signauit: quam pro aureâ & argenteâ certis distinctam characteribus in stipēdium naualibus numerauit turmis, pollicitus fore, vt mox domi pro alutinis, aurei & argentei pari numero habentibus repræsentarētur numi; quod & factum. Gregor. Tholos. ibi. Num. 27.*

*Antiqua hæc est industria. Sic enim Clazomenij percusserunt* Numum ferreum *ad argenti rationem sestertiorum quadringentorum octuaginta. Et Timotheus Athenienſis bellum gerens cum Olynthiis, in pecuniæ inopiâ æreum fecit. Arist. Polit.*

§. *VIII. IX.* Mors Martyris Caritate formatur.] *Hæc effigies Principis. Lege Philippum Greuenum.*

*Hinc docent Theologi: Si is, cui Martyrium imminet, sit in peccato mortali, necessariam esse, ad fructum Martyrij, Contritionem, saltem indirectè, aut Attritionem, quæ putetur*

*Contritio*

*Contritio, tanquam opus necessarium ad vitandum nouum peccatum: quod fructum eius impediret. Alij etiam directè Contritionem vt dispositionem postulant. Sed sufficere Attritionem est verius: cum per se* Mors *Martyris, seu Passio & Martyrium valeat multum ad peccatorum remissionem.*

*§. XII.* Hæretici adulterantes Monetam-Mortē.] *Hæreticos non esse Martyres, licet putent se pro doctrinâ Christi occidi, constantissimè docent Theologi. Nam* Mors *ipsis non infertur odio doctrinæ Christi, sed hæreseos, quæ Christi doctrinæ repugnat. Augustinus Concion. II. in Psalm.* XXXIV. Pœna communis est latroni, & Martyri: Hæretico & Catholico: sed caussa dispar: Martyrem autem non pœna, sed caussa facit. *At existimant ipsi se iustam habere caussam. Sed falluntur: & est error illorum culpabilis. Nec sanè moriendo dant testimonium veritati, cùm illis* Mors *odio veritatis non irrogetur.*

*§ XIII.* Sustinere *Mortem* ob vanam gloriam.] *Acceptatio* Mortis, *vt constituat Martyrem debet fieri ob caussam honestam: sequius si fiat non est opus honestum, nec DEO gratum. Quid si aliquis statueret,* Mortē *pro fide subire ob vanam gloriam: V. C. ad famam patientiæ, aut sanctitatis: vel, ad nobilitandam familiam? De hoc ita pronunciat Leonardus Lessius libr.* III. *de Iustit. cap.* I. *Dubit.* III. *Num. 26. Quamuis per se non sit peccatum mortale huiusmodi finem intendere in* Mortis *discrimine obeundo, si aliàs sit caussa iusta (Quia quando opus per se licitum est, non est peccatum mortale, si quis ad illud ob finem indifferentem, aut venialem se applicet: & per illud huiusmodi finem quærat: vt patet in milite bello iusto operam dante.) Tamen in proposito vix sine peccato mortali fieri potest. Nam in huiusmodi negotio tenetur se ad DEVM conuertere, & robur ab eo flagitare, vt susceptum agonem decorè decertet. quod quomodo faciet, nisi opus illud, tanquam DEO gratum præstare velit? Deinde, in huiusmodi negotio occurrunt homini multæ rationes ob quas* Mors *sit acceptanda: vt, præceptum diuinum, præmium vitæ æternæ, euitatio damnationis, exemplum Christi, & Sanctorum, dignitas religionis Christianæ, & similes. Atqui moraliter vix fieri potest, vt quis omnibus istis prætermissis, solâ vanâ gloriâ moueatur in illo necessitatis articulo, nisi has omnes caussas contemnat: & hanc vnam tanti faciat, vt ob eam paratus sit* Mori, *quamuis alia caussa non subesset. Loquor enim in eo euentu, in quo vana gloria, vel similis finis est integrum motiuū hominis.*

*§. XVI.* Ingressus in Religionem, Mors preciosa.] *Fructus huius* Mortis *censetur: Plena ac integra remissio, ac condonatio omnium omninò criminum ac peccatorum, quæ in seculari*

*seculari vita, quocumque modo sint commissa. In quo consentiunt Theologi S. Antonnius* III. *P.* Tit. XVI *cap.* III. *§* 3. *citans Paludanū in* VI. *Dist.* XXXVIII *Q.* 3. *Syluester. V. Religio* III. *Dub* 23. *S. Thom S.* II *d.e. Quæst. vltima Art.* III. *ad3 & in* IV *Senten. Dist.* IV. *Quæst.* III. *Art* III *Quæst.* II *ad* 3. *Thom. Vvaldensis de Sacram. Tit.* IX. *cap* 8. *Quod roborat testimonio sanctissimi viri, qui visione quadam, se hoc edoctum ostendebat: cum narraret eādem se gratiam vidisse demitti super vestimentum Monachi, cūm sanctum habitum indueret, quā viderat super Baptisma. Multis aliis id confirmat Hieronymus Platus lib.* I. *de Bono statu Religiosi cap* 13.

*§ XVII.* Mors multis titulis preciosa Moneta.] *Fusè ac fructuosè de hac re differit Ludouicus de Ponte Tom.* I. *de Perfectione hominis Christiani Tract.* V. *cap.* 8. *quo exponit, in quo consistat bona Mortis præstantia. Et decem imprimis recenset excellentias* Mortis *Iustorum.* I. *Ea peccata finiuntur: & periculum recidendi.* 2. *Cessat carnis rebellio: pugna passionū: deprauata mundanorum societas: damna omnia, quæ ex his hostibus proueniunt.* 3. *In ea triumphatur de Dæmonibus, ac concupiscentiā.* 4. *Manet iustus confirmatus in gratia.* 5. *Obtinet donum Perseuerantiæ.* 6. *Caussa & lis inter Iustum ac Dæmonem finem accipit, lata pro iusto sententia.* 7. *Nisi purgandum quid superfit recta ad patriam cælestem calestem migrat* 8. *Licet corpus maneat in terra, certissima tamen spes est, quod gloriosum resurget.* 9 *Morte Iusti recreantur Angeli, & Cælites reliqui, qui suscipiunt animam tanquam ex longa & periculosa peregrinatione veniētem.* 10. *Ipse Angelorum Dominus quodammodo exit obuiam, vt & eos honoret, qui ipsum honorarūt, & hospitio in cælo excipiat illos qui ipsum in cordis hospitium exceperunt. Ioann* XIV. 3. Iterum veniam, & accipiam vos ad meipsum: vt vbi sum ego, & vos sitis. *O beati mortui, qui in Domino moriūtur: in eius scilicet vlnis* Innixi super dilectum suum, ascēdunt de hoc deserto delitiis affluentes. *Cantic.* VIII. 5. *vt suorum laborum præmio in æternā requie fruantur.*

*§. XVIII* Cantant Religiosi morientes, vt Cygni.] *Exēpla sunt huius generis quam plurima. Aliqua recenset Hieronym. Platus lib* I. *de Bono statu Religiosi cap.* XXXI. *Recentissima sunt, quæ acciderunt in* Societate IESV. *Vnius meminit, qui fugiente iam anima inflexa in cantum voce pronunciauit versiculum illum:* Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus: *& in eo ipso versiculo expirauit. Alium recenset, cui cùm denunciatum esset, instare* Mortem, *ter præ gaudio illum, qui hoc denunciabat, arctè est complexus. Alter ad* Mortis *denunciationem, quicquid habuit voculæ*

infirmæ,

*infirma, ac penè consumpta id totum collegit ad recitandum hymnum, TE DEVM* laudamus, *cum maximâ lætitiæ significatione.*

*Celebris est* Francisci Seraphici *cantus, qui cum grauissimis arderet totius corporis doloribus, nullum aliud fomentum habebat, quam vt & ipse diuinas laudes caneret, & alios canentes audiret. In quo cum à F. Helia penè obiurgaretur, quod potius præstaret extremo illo tempore lacrymis* Mortem *aduentantem excipere: respondit, non licere sibi aliud facere, quòd sciret se breui cum DEO fore. O Cygnum rationalem!*

*Cygnus in* Morte *cantans.*] *Cygnus, κύκνος, Olor, Poëtarum, quorum est* Symbolum, *carminibus nobilis, cantare dicitur moriturus. Lis est: An id verum? Et, An nunquã alias cantillet? Cygnum nunquã, nisi* Morti *vicinum, & tunc suauissimè modulari plurium est opinio: cui fauet Plato, & Aristoteles: adplaudit Poëtarũ vulgus. Sæpè Ouidius, lib. II. Fest.*

Flebilibus numeris veluti, canentia durâ
Traiectus pennâ, tempora, cantat Olor.

*Lib. V. Trist. Eleg. I.*

Vtq; iacens ripâ deflere Caystrius ales,
Dicitur ore suam deficiente necem.

*In Heroid. Epist. Didonis.*

Sic vbi fata vocant, vdis traiectus in herbis
Ad vada Mæandri concinit albus Olor.

*Martialis singulari encomio Cygnum laudat ab vltimo illo vitæ actu, quem dulci cantu hilariter finit.*

*Verùm non tantum sub finem; sed totâ vitâ canere volunt alij. Virgilius I. AEneid agens de XII. Oloribus Aquilæ metu dispersis.*

Aspice bissenos lætantes agmine Cygnos,
Æthereâ quos lapsa plaga Iouis ales aperto.
Turbabat cœlo, nunc terras ordine longo.
Aut capere, aut captas iam despectare videntur.
Vt reduces illi ludunt stridentibus alis.
Et cœtu cinxêre polum, cantúsque dedêre.

*Lib VII AEneid.*

Ceu quondam niuei liquida inter nubila Cygni.
Cùm sese pastu referunt, & longa canoros
Dant per colla modos: sonat amnis, & Asia longè
Pulsa palus. —

*Lib. X. AEneid.*

Crimen amor vestrum — —
Namque ferunt luctu Cygnũ Phaëtontis amati
Populeas inter frondes, vmbrámque sororum.

 Duin

Dum canit, & mœstum Musâ solatur amorem,
Canentem molli plumâ duxisse senectam,
Linquentem terras, & sidera voce sequentem.

*Accedit Orus, Oppianus, alij.*

*At Menander Myndius (Raderus ad Martialem lib XIII. 73. Alexandrum vocat, mendo fortasse Typographi) apud Athenæum libr IX. Dipnosoph. cap. 16. cùm multos Cygnos sequutus esset morituros, eos se non audisse canere dicebat. Lucianus quoque in libro de Electro, Cygnos ait* χρώζειν ὄυτω πάνυ ἄμουσον ἀσθενές, *non secus, ac coruos, & graculos: imò vt corui Sirenes præ illis videri possint Plinius lib. X. cap. 23. Olorum morte narratur flebilis cantus: falsò, vt arbitror, aliquot experimentis. Quem sequutus Pierius Valeria. lib. XXIII. Hierogly. Omninò, inquit, quod de Morte narratur, falsis aliquot experimentis compertum est. Tametsi Lucretius Poëta peruulgatam tangit opinionem, cum eos nece detortos, ac anxiè cruciatos, liquidam lugubri voce querelam attollere ait ex vallibus Heliconis.*

*Socrates apud Platonem Cygnos, tum magis, dulciúsque canere adfirmat, cùm se breui præsentiunt morituros, quasi lætantes, DEO gratias agere videantur, quod ad eum, cuius ministri sunt, migrationem parent. Addit: homines quosdam cum ipsi* Mortem *expauescant, Cygnos quoque falsò criminari, cantúsque huiusmodi dicere doloris argumentum esse, quem ex aduentante* Morte *cōceperint. Sed haud quaquam animaduertunt, nullam esse auem, quæ dum incommodo afficitur, emodulatur, aut cātillet. Sibi verò videri Cygnos non præ dolore canere: sed quia Phœbo sacræ sunt, eáque lætitia concitatæ, forsan & diuinatione præditæ, alterius vitæ bona præsagiunt. Hinc Tullius in QQ. Tuscul. Cygnos, ait, nos sine caussa dicatos esse Apollini, sed quod ab eo diuinationem habere videantur, quia præuidentes, quid in* Morte *boni sit, cum cantu, & voluptate moriantur.*

*Pierius Valerianus libr.* XXIII. *Cygnum putat esse Poëtæ* Symbolum. *Quod, veluti cygni senio confecti arguitioribus, ob gutturis exilitatem, organis affectis, suauiorem simul & vocaliorem emittunt vocem: ita etiam boni Poëtæ: quo per ætatem magis profecerunt, scribere itidem solent, & elegantius, & sapientius,*

*Vulgatæ de Cygni cantu persuasioni fauent Cicero* III. *de Orat. Horatius, alij. AElianus lib. 1. variar. cap. 14. dubiè loquitur. Ait: Ego verò Cygnum nunquam audiui canere, fortasse neque alius. Ideo recentiores plerique tradūt, scribere AElianum.* Cygnum *non canere, quod ipse non dicit. Contrarium potius insinuat, multis locis libr. 1. de Animal cap 32. lib. V. cap. 34 libr. X. cap. 36. lib. XIV. cap. 13.*

*Verùm,* Cygni *moribundi cantus vbique*

*vbique ferè celebratur: & vſurpatur frequenter, à Poëtis æquè, ac Oratoribus. Haud ineptè,* CHRISTVM *hymnis dicto ad* Mortem *ſeparante*, Cygno *cantanti comparat Philippus Boſquierus Concione* IV. *de Paſſione Domini. De Cygni & Sirenum in Morte diſcrimine diſſero libr.* III. Symbolo XXXVII. *&* XLII.

*Præter nominatos, lige Vlyſſem Aldrouandum libr.* XIX. *Ornitholog. qui cantum Cygni ex aſperæ arteriæ conſtructione confirmat, ea enim tubæ inſtar ſe habet, non fruſtra ſic à natura fabricata. His adde Didacum Lopez in Menſâ ſpiritualium ciborum*, Tit. Mors, *Num.* 25. 27. 30. 31. 33. 34. 35. 41. 63. 65. 67. *& Lælium Biſciolam, Tom.* II. *Horarum ſubſeciuarum libro* XII. *cap.* 6. *Tandem, Speculum Exemplorum, V.* Martyr, *Exemplo, ſignatè* XV. *quo, declaratur, quanta auiditate Sancti Martyrium expetiuerint, quod ſcirent pretioſiſſimam eſſe illam* Mortem, *& maximè quæſtuoſam: quod experiuntur nunc prudentiſſimi Negotiatores, qui*

Terrore victo ſeculi,
Pœniſque ſpretis corporis,
*Mortis* ſacræ compendio
Vitam beatam poſſident.



# COMMENTATIO XXXIII.

## MORS

# STIPENDIVM.

## *OBSONIVM, AVCTORAMENTVM.*

*Stipendia Peccati* Mors
Gratia *autem Dei, Vita æterna in Christo:*
Ad Roman. vi. 23.

---

BREVIARIVM.

1 *Duplex belli spiritualis Imperator, Deus, & Peccatum. Diuersum vtriusque Stipendium, Donatiuum, Auctoramentum.*

2 *Stipendium Peccati, Mors. Nihil vnquam, Stipendij nomine, minus, aut vilius datum.*

3 *Primus Mortis Stipendiarius, Adã. Huic DEVS comminatur. Morte morieris. Geminatio adfert necessitatem, certitudinem, velocitatem, violentiam.*

4 *Quattuor combinationes, Vita-viuere: Morte-mori: Morti-viuere: Vita-mori. Subtilis interpretatio Ambrosii.*

5 *Mors physica & moralis indicatur illa phrasi Morte mori. Triplex Peccati Stipendium, Mors, Corporis, Gratiæ, Gloriæ.*

6 *Stipendium peccati idem & diuersum. Corporis Mors eadem. Animæ & infernalis gradibus different.*

7 *Diuersis criminibus vnum respondet: Itaque omnibus criminosis vnum datur Stipendium, Mors.*

8 *Insania hominum qui ob tam vile stipendium durissimam seruitutem seruiant. Saga Cacodæmoni se deuouent, & scruta, cassas nuces, imò fimetum pro salario accipiunt. Viles animæ.*

9 *Commeatus, cibus, demensum ad militiam allicit. Quid ad Peccatũ? Mors: Obsonium Peccati. De voce quæsitum, ὄψον, ὀψώνης, Obsonator.*

10 *In nullius, quam Peccati castris cõmeatus vilior. Nam non occurrit alius, quàm Mors in ollâ, Mors in ollâ.*

11 *Eadem est militare Præmiũ, Donatiuũ, Congiarium. Spolia, Phaleræ, Præda.*

12 An

12 *An aliud Auctoramentum? Idem prorsus. Mors prima, Auctoramentum: Mors secunda, Stipendium.*

13 *Auctorati Peccatores: Mercenarij: Mancipia: venales animæ. Vnica cunctis Merces, Mors. Feralia omnia in Peccati castris.*

14 *In DEI Castris Donatiuum, Vita æterna.*

15 *Cur hæc non dicitur Stipendium? 1. Vt Gratia Christi exornetur. 2. Quia DEVS coronans humana merita, coronat sua bona. 3. Quia ex iuso beneficio suo, DEVS nulli est debitor. 4. Quia Merita, sunt liberalitatis diuinæ munera. 5. Quia nō sunt condignæ passiones ad gloriam. 6. Quia Donatiuum nititur gratuita promissione. 7. Quia quicquid est in Merito, rectè vocatur gratia. 8. Quia naturæ opera nō merentur vitam æternam. 9. Quia vita æterna non est obsonium, vile, ac cibarium.*

16. 10. *Elationi humanæ Paulus opponit Donatiuum gratiæ.*

---

## *Animosissimi in Ecclesiâ militante Ordinum ductores*

# Clerici.

I. SI quis belli Dux, conscripturus exercitum, proclamari iuberet, per præconem. Quicumque nomen ad militiam dare exoptat, pro *Auctoramento* accipiet *Laqueum*; pro *Stipendio*, *Furcam*; pro *Obsonio*, *Aconitum*: esset-ne tam delirus quispiam, qui nec aliorum spe munerum, nec alijs illectus præmijs, in album inscribi, & sacramentum dicere vellet? maximè, si in alio campo lustraturus esset copias Imperator, quibus certissimam addiceret victoriam, ingens æs militare, opima spolia, aureas, gemmeásq; coronas, torques ex vnionibus, aduersariorum arces, Regni sui vrbes, suum denique ad magna omnia & optanda, fauorem, beneficentiam, gratiam? *Duplex belli Christiani Imperator. NOTÆ.*

Tali ferè *Symbolo* insaniam nostram exagitat Paulus Apostolus, dum monet Romanos, vt relictis Peccati signis, ad DEI castra se conferant. Ad quod, cùm alia, tum illud etiam præcipuè, moueat, quod vtriusque militiæ tam diuersa sunt *Stipendia*. Itaque exhibet sacra fictione, quasi duplicem Archistrategum, DEVM & PECCATVM: vtrumque copias aduocantem: vtrumque *Stipendia* proponentem; vtrumq; *Donatiuum* addicentē. discrimen autem propositorum *DEVS & PECCATVM.*

breui colligit sententiâ: *Stipendia Peccati* MORS: *Gratia autem* DEI, *Vita æterna in* CHRISTO IESV *Domino nostro.* Et tamen non desunt, imò plurimi sunt, qui deserto DEO in verba contrarij Ducis iurare gaudent, séque illi sacramento obstringunt, non facturi, vt existimo, si quem Imperatorem eligunt, & quæ merces tam sceleratæ sit militiæ, diligenter perpenderent.

*Stipendium quid.* II. *Stipendia Peccati* MORS, inquit Paulus. O quàm exilem stipem militibus suis pendit hic Tyrannus! quàm malè suos habet! quam auarè remuneratur! Melius esset, nullum, quam tale *Stipendiū* adnumerare. De nullo ego Duce hactenus compertum habeo, qui minus, stipendij nomine, dederit. Veteres quidem Romani trecentis propè annis, nullum stipendium, militi assignasse scribuntur, si tamen id verum. Nam aliquid tum etiam tributum I. Lipsius ex Dionysio probat. At si nihil viritim accipiebant, stipendij loco esse poterat, liberari à molestissimis operibus, quibus domi mancipiorum instar, tantum non opprimebantur, in cloacis, vijs, muris, fanis extruēdis: ab his vacationem obtinere, & in bello gloriosè occumbere, sat magnum videri poterat stipēdium. Peius cum suis agit *Peccatum*, quod ne minimam quidem partem quietis à grauissimis laboribus concedit, & post toleratos intolerabiles, mercedis loco, *Mortem*, tanquam æs militare, adpendit.

*Morte mori.* III. PRÆMONVIT de hoc ipso Adamum, Peccati primum *Stipendiarium* DEVS, & ne ignorantiam aliquando, vel ipse, vel eius posteri prætexerent, energetico loquendi modo, rei indignitatem

*Gen. II. 17.* proposuit. *In quocumque die*, id est, tempore, horâ, momento, *comederis ex eo*, nempe, ligno vetito, id est, peccaueris, legis præuaricator, *Morte morieris.* Ac si diceret: quam primùm, immanissimo Tyranno, Peccato, sacramento teneri ob commissum crimen cœperis: intelligas nullum ab eo præter *Mortem* expectari posse stipendium.

MORTE MORIERIS. Non existimes inanem esse geminationem, aut per pleonasmum, grammaticaliter vocabulum moriendi iterari, latet aliquid, quod plurimū ad huiusce rei exaggerationem facit. Significatur enim eo Hebraismo, necessitas, & certitudo euētû futuri. Ita Rex Geraræ legem ferens: *Quicumque tetigerit hominis istius uxorem, Morte morietur.* Genes. XXVI. 11. Ita Moses supplicium infallibile interminans, seu constituens: *Omnis qui tetigerit montem, Morte morietur* Exod. XIX. 12. *Si quis dederit de semine suo idolo Moloch,*

*Morte*

*Morte moriatur* Leuit. xx. 2. Ita Saul filium exitio destinans: *Hæc faciat mihi Deus & hæc addat, quia Morte morieris Ionatha* 1. Reg. xiv. 44. Quod maximè verum est, cùm præceptum datur, & pœna capitalis transgressori statuitur. Quod est ergo *Peccati* immanissimi Tyranni *Stipendium*? *Morte mori*: id est, certissimò mori.

An hoc tantum? etiam *Citissimè mori*, quod repetitione eadem insinuatur. Certè primi parentes, peccando Mortem quo ad corpus incurrerunt, & accelerarunt. An hoc solum? etiam *Violenter mori*: sensu Philonis Hebræi, qui existimat, quoties in Scriptura S. sic geminatur *Mortis* mentio, nō significari *Mortē naturalem*, sed *violentam*, & iudiciariam: Adamus quidem & Eua, ferro, aut fulmine non sunt extincti, violenter tamen mortui dici possunt, quatenus contra naturam à Deo in statu innocentiæ constitutam, interierunt.

Philo lib. 1. Allegoriar.

IV. An non quidpiam aliud? Ita sanè: Nam denotatur aliquid peius dissolutione corporis & animæ. *Videamus*? igitur *quid intersit* (inquit Ambrosius subtilissimè de hac re disputās) *vtrum aliquis dicat* Moriemini, *an addat*, Morte moriemini. *Ostendere enim debemus nihil superflui in DEI esse mandato*.

S. Ambros. de Paradiso c. ix

Itaque hoc arbitror: cùm duo sint sibi contraria, Mors & Vita, secundum simplicem sermonem à vita viuere dicimus, à *Morte*, *Mori*. Si autem geminare velis vtrumque: quia vita vitam facit, dicitur: vita viuit: sicut habes in lege. Et quia *Mors Mortem* facit, dicitur: *Morte morietur*. Non est autē superflua ista geminatio. Est enim *Vita* ad *Mortem*: & est *Mors* ad *Vitam*: quia quis & dum viuit, moritur: & dum moritur, viuit. Fiunt ergo quattuor distinctiones; *Vita-viuere*: *Morte mori*: *Morti-viuere*: *Vitæ mori*.

Mors & Vita contraria.

Cùm igitur hæc se ita habeant, vsus & consuetudinis præiudicium debemus excludere: quia vsus hoc habet, vt communiter dicatur viuere, & qui *Vitæ viuit*; & qui *Morti viuit*: & communiter dicatur mori, vel ille qui *Morti moritur*, vel ille, qui *vitæ moritur*. Itaque ex quattuor illis duo significat, vt dicat viuentem viuere; nec melius, deteriúsque distinguat; vt dicat morientem mori; nec inter malam & bonam *Mortem* videatur discretio. Nam indiscreta quædam vita significatur: qualis irrationabilium, aut etiam paruulorum, & indiscreta Mors etiam sequestratio.

Quattuor combinationes.

Puto autem secundum Scripturas, quia *Vita viuere* admirabilem quandam illam vitam, beatámque significet, & hunc viuendi

Vita viuere.

vsum

vsum, spirandiq; munus cum beatæ vitæ gratia veluti coniunctum, & quadam participatione permixtum demonstrare videatur. Hoc est enim *Vita-viuere*, virtute viuere: beatæ vitæ actus habere, in istius corporis vita.

Morte mori. Contra vero MORTE MORI quid est aliud, nisi cum morte corporis deformitatem significare morientis, cuius & caro communi viuendi munere defraudetur, & anima vitæ æternæ vsum habere non possit.

Vita mori. Ps. LIV. 1. Tim. v. Est etiam, qui *Vita moritur*, vt qui viuit corpore, sed actu moritur suo: quales illi sunt de quibus ait Propheta: *Descendunt in infernum viuentes*. Et illa, de qua Apostolus dicit: Quoniam *viuens mortua est*.

Morte viuere. Quartum superest, quot sunt, qui etiam *Morte viuunt?* vt Martyres Sancti, qui vtique moriuntur, vt viuant. Moritur caro: sed viuit gratia mortuorum.

Mors physica. Mors Moralis. NOTÆ. V. BREVITER: declaratur eâ loquēdi formulâ, *Mors*, non tantùm corporis, & temporalis, quæ *Physica* dici potest, cùm sit totius Physici destructio: sed & animæ spiritualis, quæ in hac vita est amissio gratiæ diuinæ, ac *Moralis* appelletur, & æterna in gehennâ, quæ *Mors secunda* nuncupatur. Certè Adam, quàm primum ad Peccati signa se transtulit, corporeæ *Mortis* necessitatem incurrit: statim autem *Mortis* spiritualis denarius illi diurnus est numeratus: nam illico gratiâ diuinâ excidit: *Morti* verò sempiternæ, ac æternali fuit eodem momento obnoxius. Atque ita ex tribus illis integrum constituitur, quod Peccatis suis numerare solet, *Stipendium*. Nisi malis dicere tria esse *Stipendia*. Nam fortasse non sine caussâ Paulus Apostolus pluraliter dixit: *Stipendia Peccati Mors:* corporea, & spiritualis: temporanea & æterna corporis & animæ: eaq; duplex; huius, & alterius vitæ: gratiæ, ac gloriæ.

Stipendia augentur dignitatibus. VI. OLIM, & etiam-num, maioris dignitatis, & officij amplioris militibus plura dabantur stipendia. Lacedœmonij cum Daricum militi, duplum centurioni, quadruplum ductori στρατηγῷ promittebāt. Xenophon lib. VII. ἀναβάσεως. Erat autem Daricus viginti drachmarum numus, Drachmam verò indies dabant pro stipendio Athenienses. Sic bello Veiensi, quo primum apud Romanos vsurpata stipendia, pedites duos obolos accipiebāt indies: ductores ordinum, duplum: equites, drachmam ex Polybio. Erant in mensem subductione Lipsij, deni denarij: id est, Philippæus. *Peccatum* nullum obseruat

obseruat inter magnos paruósque; digniores, & minus dignos, discrimen: omnibus æquè stipendia illa tria admetitur. Liberalitatem hanc esse dixeris: ego tyrannidem iudico; nam omnes æquè necat. Quamuis cùm in numero sit æqualitas, qualitatis tamen differentiam adsignare liceat. In *Morte* quidem æternâ, semper, cuius intensio & remissio, si pœnam spectes, & dolorem, grauitati criminum respondet: in Morte temporaneâ, & corporis, non semper, quùm hæc sæpè leuior sit, pluribus sceleribus, quàm paucioribus, *Duci suo Peccato* obstrictis: ac proinde plus gratiæ illis fiat, id est, grauiorem monetam accipiant, & plus stipendiorum, qui minus sunt meriti. Sed omnibus vile, eijciendum, nulli optandum est *Stipendium*: quo tamē contenti esse coguntur, qui criminum fascinâ onerati, adeò vt in terram proni, vias ambulent difficiles, & in ærumnis continuis semper pauidi, & metu pœnè exanimati, ducunt dies suos.

VII. Hæc *Stipendia* sunt ambitiosi, luxuriosi, gulosi, iracundi, auari. Mercedem aliam non habebit, qui tanto labore, tot molestijs, tantâ virium contentione, tot concursationibus, quærit ambitiosè, quam non inuenit, dignitatem, officium, prælaturam, infulam, purpuram, sceptrum, diadema: *Stipendia Peccati Mors* Aliam stipem non expectet, post tot noctium vigilias, tot d erum cruciatus, post animi incredibilem carnificinam, corporis fœdos morbos, post luem Gallicam, Hispanicam, Neapolitanā, Hungaricam, post substātiæ omnis dilapidatione, post plagas, & cicatrices, post inhonesta vulnera ex meretricio cōflictu deportata filius prodigus, voluptatū venerearum consectator, lasciuus nepotulus: *Stipendia Peccati Mors*. Certet decumanis poculis: quotidie crapulā ructet, quam nūquam concoquat, diem nocti iungat bibendo & comedendo: sudet, vomat, concidat in Bacchico certamine ebrietatis mancipium: aliud præmium non reportabit: *Stipendia Peccati Mors*. Iracundiæ frena laxet, efferuescat, clamet, rixetur, Cacodœmoni se deuoueat, mille diras sibi imprecetur: fulmen, fulgur, tonitru in caput suum, & alienum aduocet: Sacramenti sanctitatem ad quodlibet dictum sacrilegus violet: in Cœlites, DEVMq; blasphemus, tartaro destinata linguâ inuehatur: terræ, aëri, pluuiæ, ventis, tēpestati, socijs, vicinis, filijs, parentibus, sibi maledicat, aliud donatiuum non obtinebit: *Stipendia Peccati Mors*. Genium suum defraudet Euclio: diuitijs accumulandis incumbat Ecclesiasticus, per simoniā, fraudes,

*Criminosi quid accipiant stipendium.*

illicitas nundinationes. rapiant latrones, sublegent furunculi, subducant lauerniones: mercatores decipiant, famuli retineant, domini mercedem debitam operarijs fideliter, & suo tempore non persoluant; deprædentur piratæ, in fiscum redigant omnia tyranni: ita strenuè sub Auaritiæ signis militent mortaliter auari, aliud æs non merebunt: *Stipendia Peccati Mors.*

*Stipendia in vili moneta.* VIII. Hæc scire Christianos, & tamen sub Peccati vexillo stipendia velle facere, an non incredibilis est salutem suam prodigentium insania? Cùm Perdiccâ in summa necessitate militi pro menstruo numeraret stanneam pecuniam: Veneti ad Tyrum scorteam, Galli in Bello Neapolitano coriaceam, Hollandi obsessa Lugduno Leydensi, papyraceam; aufugissent à signis omnes, nisi fide publica spopondissent duces, finito bello, singulis illius vice auream substituendam. Et militatur Peccato à tot hominum millibus, & pertinacissimè militatur, quibus tamen vilius multo, nec aliud additur *Stipendium.* Quid enim illo vilius? parum dico: quid execrabilius, quàm non temporaria solum corporis, sed æterna quoque animæ *Mors? Stipendia Peccati Mors.*

Quot fuerint querelæ, quantopere timuerint tumultum & secessionem proximo bello ciuili in Germania experti Duces, ob monetam, quæ in stipendium dabatur, aliquantulum vitiatam, sæpè audiuimus. Quid si tota fuisset imminuta, adulterata, in aliud æs mutata? Certissimè orta fuisset seditio: quam dolendum est, quod non excitent contra suum Jmperatorem PECCATVM, eius stipendiarij, quibus non nisi merum datur æris boni adulterium.

*Sagarum dementia.* Miramur dementiam Sagarum, & detestamur, quod cùm sciant *Stipendium*, quod sibi adnumeratur à tenebrarum Principe esse vilia scruta, fimum, alutam, monetæ specie blandientia: diuitiarum quasdam vmbras, voluptatem fictitiam, imaginarias delitias, phantasticum gaudium: idq; experimento didicerint, tamen sub illo stipendia facere non detrectent. Maior est, si res suis momentis pensitetur, deliratio lethaliter peccantiũ: nam nulla dissimulatione, clarè, & conceptis, absque ambiguitate, verbis, stipendij nomine illis, extremum pollicetur exitium: *Stipendia Peccati Mors.* O pollicitationem Alexandri donatiuis ampliorem.

*Militum commeatus, cibus, demensum.* IX. AT fortasse, quamuis vltimum, quod finito bello, *à Peccato* numeratur militi, sit *Mors*; tamen durante militiâ, alia dantur præmia,

præmia, quibus illecti, tam confertim ad belli signum à *Peccato* elatum aduolant. Est *Commeatus* haud dubiè dapsilis: cibus quotidie lautus, mensa opipara. *Stipendium* aliud miles magnoperè non curat, qui alioqui domi fame torqueretur, aut seruili labore vix tantum cibarij panis coëmeret, vt latranti ventriculo satisfaceret. Ita Romani suos in militiâ lactabant; dabantur enim, ne esuriret, militi in mensem, modij quaterni, quod demensum seruorum erat: cui accessit aliquando, quintus modius. Eques triplum accipiebat, modios duodecim, vt duos seruos aleret. Octo modijs satisfiebat sociorum equitibus, qui seruis paucioribus vtebantur. An igitur abundantem sibi militantibus *Peccatum* dat annonam, commeatum copiosum, in victum, delitias? *Sen. Epist. LXXI.*

Id Paulus nos doceat, gnarus quomodo in *Peccati* castris, sub pellibus miles agat: nec opus ad hoc excutere aliud, quàm quod à nobis tractatur, enunciatum: *Stipendia Peccati Mors.* Græcè scripsit Paulus Romanis, & quod nos *Stipendia* legimus, ipse dixit Ὀψώνια, de quâ voce litigant Grammatici; vtrumq; certè est verbum militare: & sibi respondet, vt ex Polybio, Dionysio, Plutarcho, alijsq; Græcis auctoribus docent Lexicographi. Communiter tamen *obsonium* ad victum refertur, & significat, quod cum pane comeditur: vel, quicquid præter panem & vinum apponitur. Simplicius quidam ὄψον dicunt. Quod tamen propriè denotat quoduis edulium ad esum ignis operâ concinnatum, siue assum, siue elixum, vt Athenæus exponit. Angustius, idem vocabulum apud Græcos ferè de piscibus efferri Plutarchus in sympοsiacis testatur: quod apud Comicum quoque sonare videtur, *Obsonium*, interpretante id seruo de minutis pisciculis. Laxius tamen & vulgo & apud eruditos capitur. Hinc *Obsonator*, Emptorem vocant Religiosi nonnulli: Dispensatorem Galli, Itali, Hispani: Plauto est Coquus nundinalis qui coëmptos è macello cibos, coquo tradit. *Obsonia.* ὄψον. προσόψημα. ὀψώνης. *obsonator.*

X. VTITVR ita eo vocabulo Paulus A. in prima ad Corinthios cap. IX. vbi probare volens, vt notat Chrysostomus, licuisse sibi commeatum ab ijs quærere, quos instituebat in CHRISTI disciplinâ, accersit exemplum ex militia: &, *Quis*, inquit, *militat suis stipendiis vnquam.* Est enim, quod monet Chrysostomus Euangelicæ prædicationis munus, periculosæ militiæ persimile, vt meritò Ministris Euangelicis stipendia debeantur. Sed Græcè dixit Apostolus, *1 Cor. IX. 7.* *Nemo suis stipendiis militat.*

ſtolus, ὀψωνίοις, de victu enim, & quæ ad ventrem ſpectant, ac ad vitam tolerandam ſint neceſſaria, diſſerit. Et ſunt, qui exiſtiment, prima *ſtipendia* fuiſſe *Opſonia*, ſic dicta, quod pro obſonio emendo darentur: an potius, quod antiquiſſima ſtipendia in obſonijs conſiſterent? prius verius: nam dabatur frumentum, & pecuniæ nonnihil, quo emerentur acceſſoria.

*Cibarium militare.* Theophylactus, ὀψώνιον, inquit, ſignificat *Cibarium*, quod militibus ab Imperatore datur. Iam facilè eſt dicere, quàm lautè ſuos habeat *Peccatum*, quem commeatum in caſtra ſua aduehi curet, quam annonam ſuppeditet. Certè viliorem, quam ego vllibi in vſu vnquam fuiſſe reperiam. Romani præter frumentum, dabant legumina, piſa, lentem, ſalem: non deerat in caſtris caro, & alia ad manducationem commoda. Caro Imperatori (ait Synesius) *Cibi caſtrenſes.* cœna erat è piſis pridianum pulmentum, & in ipſa, fruſta aliquot ſalitæ ſuillæ carnis. Spartianus, laridum, caſeum, poſcam nominat. Coctam carnem habebant, licet eam vendere Metellus prohibuerit: ſed ipſi aſſare poterant, aut elixare, nam veru, & ollam circumferebant. Itaque non neceſſaria ſolùm habebant: ſed & ad *Vulcatius in Auidio.* delitias nonnulla. Aliquando parcius agebatur: Auidius Caſſius Imperator, laridum & buccellatum tantùm ferre permiſit. Alicubi, pane ſolùm, & aquâ, ac interdum naſturcio victitabant. Quod apud Perſas vſitatum. Habebant igitur cibum ſaltem omnes, & alia ſine quibus humana natura non conſeruatur.

*Obſonia Peccati Mors.* At quid in *Peccati* caſtris diſtribuitur? *Obſonia Peccati Mors*: nihil ibi emitur, nihil aſſatur, nihil coquitur, præter vnicum hoc *Obſonium*. Profectò, exclamare poſſunt, qui hæc caſtra ſequuntur, *Lib. V Reg. IV 40.* vt olim filij Prophetarum: *Mors in ollâ*, *Mors in ollâ*. Et quis huic immaniſſimo Tyranno militet? Plutarchus in Craſſo, mali ominis rem exiſtimat, initio, cùm neceſſaria emetirentur, datam lentem, & ſalem, quod *Mortis* indicia præ ſe ferant: habebantur enim apud ſuperſtitioſos funebria. Quid ſi audiſſet in alicuius Imperatoris caſtris, non *Mortis Symbola*, ſed *Mortem* ipſam, vt *Obſonium* per capita oblatam?

*Præmia militaria.* XI. VERVM ſunt, quos nec ſtipendiorum opulentia, nec commeatuum lautitiæ ad Principis alicuius caſtra inuitent: modò ſciant in illis præmia benè meritis ampla ac ſplendida deferri. His enim excitantur plurimi, ac prouocantur ad arma induenda, & operam

tam suam vni potiùs, quàm alteri partium addicendam. *Donatiuorum* ergo fortasse illecebris, tam multi ex omni gente, linguâ, conditione homines inuitati *Peccati* stipendia merent. Nimirum expectant, si hostem percusserint, hastam puram, si deiecerint, & spoliauerint, phaleras, armillas, torques. Si fortiter pugnauerint, vexilla. Si in hosticum audacter inuecti fuerint, prædam, spolia, trophæa. Sed vnico verbo fraudem artificiosissimè detegit, & inanem spem præscindit, commonitor noster Paulus Apostolus, hortans ne quid improuidè aggrediamur. Nam Polybius γαῖσον δόρας ἀσίδηρον. Hasta pura sine ferro.

*Stipendia Peccati Mors*: *Obsonia* dixit Paulus: *Obsonium* autem, inquit Nazianzenus, significat τὸ βασίλικον σιτηρέσιον, καὶ τὰς ὑπαρχούσας ἐννόμους τοῖς ἀξιώμασι δωρεάς: *Regium commeatum*, & DONA, *quæ ex lege dignitatibus* seu Magistratibus *tribuebantur*. Quo pacto vocabulum illud potuit intelligere Tertullianus, qui, *Stipendia*, ait, *delinquentiæ Mors*: *Donatiuum autem DEI vita æterna*: vtriusque Imperatoris *Donatiua* opponens. Itaque *Peccatum*, non liberalius donatiua & præmia, quàm commeatum, & stipendium donat: imò eandem *Mortem*; exitium scilicet, ac interitum temporalem ac sempiternum, vt pro castrensi mercede & annonâ, ita pro *Donatiuo* exponit. Donatiuum. Orat. XXIII. Lib. de Resur. car. ca XLVIII.

Nec aliud à *Peccato* expectandum est *Congiarium*: hoc illius est munus, hoc honorarium, hæc missilia. Si coronas expectet, qui *Peccato* militat, *Mortem* obtrudet: hanc & ciuicam, & obsidionalem, & muralem, & castrensem, & naualem, & rostratam apud se haberi adfirmabit; frustra alias expeti. Et tamen ad *Peccati* vexillum cateruatim vndique accurritur. Congiarium. Corona.

XII. AN quid aliud est, quod mundum dementet? Cùm nouus conscribitur exercitus, aliquibus imponere solet; adolescentibus maximè, & rerum imperitis, *Auctoramentū*, id est, ea pecunia quæ in antecessum datur, in album referri volentibus, quâ acceptâ, obligantur, qui dant nomen. Vnde *Auctoratus*, vocatur, qui auctoramento est obligatus, & auctorare est sacramento adigere, ac stipendio obligare: ducta fortasse similitudine, vt suspicantur Grammatici, ab actione; in qua, qui emebat, *Auctor* dicebatur, res vero coëmptæ, *auctorata*: id est, auctori suo addictæ. Ita Liuius, *Pignore proditorem auctoratum scribit*. Quocirca liberalissimi sunt, qui copias cogunt, in auctoramentis profundendis: pediti dant quinque, Auctoramentum Caparra Ital. Guerdon Gal. Auctoratus. Liui. lib. XXXVIII.

ſex, octo aureos: equiti duodecim, viginti, triginta, quinquaginta. Quod eſt autem *Auctoramentum Peccati*? oſtentat fortaſſe delitias, honores, opes. Audi ſapientem Romanum: *Nullum ſine auctoramento malum eſt. Auaritia pecuniam promittit, Luxuria multas, ac varias voluptates. Ambitio purpuram & plauſum: & ex hoc potentiam: & quicquid potentia poteſt, mercede te vitia ſolicitant.* Sed non omnia quæ rutilant, aurum ſunt. Ne fallaris, Præconem agit Paulus in DEI oppoſitis caſtris, & altiſſima voce edicit:

Sen. Epiſt. LXIX.

Auctoramentum Eraſmus.

*Stipendia Peccati Mors.* Quod *Stipendia* vertit Interpres vulgatus, non-nemo, *Auctoramentum*, interpretatur: & ſanè, vox ὀψώνια, explicationem illam admittit. Vocem, quam antiquus habet Interpres, retineo, ſententiam tamen Apoſtoli, ſi rem ſpectes, *Auctoramentum* haud repudiare arbitror. Non quod quiſquam *Mortis* obiectu, quaſi propoſito præmio, vel auctoramento alliciatur, ſi rationis compos, quid-nam ſit, quod offertur, attendat. *Metu* enim *Mortis* nemo ſapiens ad *Peccatum* auctoratur: imò abſterretur potius. Eo enim argumento DEVS primum parentem â peſſimo conſilio auocare voluit, illud inculcando. *Quocumque die comederis Morte morieris.* Sed quòd, vt deterreat hominem à nefariâ illa militia, prudentiſſimè Apoſtolus, illud, quo aliqui inuitari ſolent homines ad ſumenda arma, dicere voluerit eſſe *Mortem* in *Peccati* caſtris: vt ſic retraheret à ſuſcepto ſemel propoſito, qui exiſtimant, *Peccatum* etiam pro *Auctoramento* offerre, quod militantis commodum ſpectet. Quaſi dicat: non ita eſt: ſed *Auctoramentum* peccati eſt *Mors*.

Mors prima auctoramentũ.

Mors ſecunda Stipendium.

PORRO, quemadmodum *Auctoramentum* datur ante *Stipendium*, quod non niſi poſt nauatam operam perſoluitur, ita concipio *Peccatum* auctoramenti inſtar, dare *Primam Mortem*, quæ corporis dicitur, aut *Mortem-moralem*, ſeu gratiæ oblationem: ſtipendij loco, *Mortem-ſecundam*, quæ eſt alterius vitæ, & æternâ ac gloriâ ſpoliat.

Auctoramentum merces.

XIII. DENIQVE, ne quid ſit, quod quemquam fallat, idem nomen *Mercedem* quamlibet, & cuiuſuis operis ſignificat. vti *Opſonium*, Græca vox, quaſi ὀψὲ ὤνιον, precium quod veſperi datur. Ita *Auctoramentum* apud Romanos, erat præmium, pretium, aut merces, qua gladiatores alliciebantur ad pugnam, & ludis quodammodo obligabantur, ac ſe in hæc verba addicebant.

*Vri, vinciri, ferróque necari.*

Quæ Horatius expreſſit in Satyris.

*Quid*

*Quid refert vri, virgis, ferróque secari*
*Auctoratus eas.* Lib. II. Saty. 7

Habet eadem Seneca Epistola XXXVII. vbi Sapientiæ & Athleticæ comparationem instituens dicit: *Eadem honestissimi huius, & illius turpissimi* Auctoramenti *verba sunt,*

*Vri, virgis, ferróque necari.*

*ab illis, qui manus arenæ locant, & edunt, ac bibunt, quæ per sanguinem reddant, cauetur, vt istis vel inuiti patiantur: à te, vt volens, lubénsque patiaris.* Hoc modo alibi ludit, Claudium inter nouos auctoratos ferulis vapulare voluisse. Et M. Tullius vniuersè *Mercenarijs*, dicit, *mercedem esse auctoramentum seruitutis.* Quo sensu Plinius, lib XIV cap. I. *Vindemiatorem, qui ad vindemiam in grandibus, & proceris arboribus, & excelsissimis pergulis pendentem operas suas locauerat, auctoratum* vocat. Tandem, Seneca lib. IV. de Benef. cap. 34 notans Philippi Macedonis calliditatem scribit, eum, hominem venalis animæ crebris *Auctoramentis* accendere solitum. Sen in Ludo de Claud. Cæs. morte.

Itaque quocumque te conuertas, quicquid in Peccati regno consideres, quicquid ab illo sperare potes, funestum est ac ferale, tam, optandum, quàm *Mors* corporis & vnà *Mors* animæ. Hæc *Auctoramentum*, hæc *Commeatus*, hæc impurissimæ militiæ est *Stipendium*. Nec est quod quis aliud expetat: nec iure aliud ab illo Tyranno postulare potest. Nam quoscumque *Peccatum* centuriat, ad hoc tantum *Stipendium* admittit. Est autem lex iustitiæ, quam generatim omnibus militibus proponit, & inculcat optimus Concionator Ioannes Baptista, postquam monuisset, neminem concutiendum, nec faciendam calumniam: *Contenti estote stipendijs vestris.* Feralia omnia in Mortis castru.

XIV. CETERVM, augetur immensùm, improborum insania, ex oppositi Ducis liberalitate, qua spretâ, *Peccato*, tam turpiter auctorantur: Subdit enim Paulus *Gratia DEI, vita æterna*: hoc est, gratuitum DEI donum: seu *Donatiuum* DEI est vita illa immortalis, & beata, in qua omnis felicitatis cumulus. Quantum inter vtrumque Principem, & præmia vtriusque discrimen? Et tamen reperiuntur qui hoc relicto, ad illius aram conuolent. tantum potest animi prauis institutionibus deprauati obstinatio, & non semel præconcepta de commentitio bono, vel eius vmbra, opinio. Mille sunt istiusmodi, in quibus rationem homo non sequitur, sed impetum: nec mercedem, finémque attendit, sed vulgi sensum. *Quid enim magnificum* Vita æterna Donatiuum Dei. Seneca lib II. de Ira cap 11.

*gnificum consequitur ille, qui meditatus est, per intensos funes ire? qui sarcinæ ingenti ceruices supponere? qui somno nō submittere oculos? qui penetrare in imum mare?* Horum certè ad finem operis non magno auctoramento labor peruenit. Sed pulchrum putant, esse funambulos, baiulos, vigiles, vrinatores, ô insaniam! sed maior est illorum, qui *Peccato, Mortis auctoramento* sponte se obligant: immortalis vitæ *Donatiuum* insuper habent.

*Vita æterna cur nō sit dicta stipendium.* XV. SED quare non dixit Paulus, bonus haud dubiè Orator, & Dialecticus, *Stipendia Iustitiæ est vita æterna*. Hoc enim poscere videbatur antithesis: hoc postulare cōsequutionis ratio: hoc sensus ipse, & aptus orationis nexus exigere. Sic enim vtrique seruituti, aut militiæ merces responderet. Sed Pauli aliud fuit iudicium, qui *Gratia DEI*, inquit, *vita æterna*.

1. AN, quia disputat in ea Epistola, contra Iudæos ac Gentiles operibus legis vel naturæ præfidentes, ideoq; gratiæ beneficiū quod Christi est, fuit exornandum, & extollendum?

2. AN, quia, quum *Peccatum* ex natura sua mereatur *Mortem*, & hæc quasi *stipendium* omninò debitum illi reddatur: bona tamen opera, seu merita iustitiæ, non ita respiciunt vitam æternam: quia manant ex gratia indignis collata: atque ita ipsa quoque sunt quædam gratia? vt rectè Augustinus Epist. cv. primam gratiam, absolutè vocet gratiam: vitam autem æternam gratiam pro gratia. Et DEVS *cùm coronat nostra merita, quid aliud coronat quam sua dona?* eleganter dicit Cœlestin. Papa ad Episcopos Galliæ, & Patres Synodi Tridentinæ. *Cœlestin. cap. XII. Trid. Sess. VI. cap. 16.*

3. AN, quia DEVS nulli mortalium quicquam debere potest? vt Origenes, Chrysostomus, Theodoretus admonent, & scribit S. Hieronymus: quod intellige, si excludatur omne illius beneficium. *S. Hier lib. II. Commen. in Ezech.*

4. AN, quia merita hominum, quibus vita æterna tanquam præmium ac Merces redditur, diuinæ sunt liberalitatis beneficia? quod frequenter Augustinus inculcat, & cum superioribus conuenit. Eandémque rationem dat Chrysostomus, qui, *Non dicit*, inquit, *Merces beneficiorum vestrorum vita æterna, vt ostenderet, quod non ex propriis viribus, virtutibúsque liberati sint: neque debitum, aut merces aut laborum sit retributio: sed omnia illa ex diuino munere acceperint*. Et Prosper. *Datur vnicuique sine merito, vnde tendat ad meritū: & datur ante vllum laborem, vnde quisque mercedem accipiat secundum suum laborem*. *NOTÆ.* *Prosp. lib. II. Vocat. gen. c.*

5. AN

5. AN, quia non sunt condignæ passiones huius vitæ ad futuram gloriam? Gratia igitur est vita æterna: quia tam exiguum est, quod pro illa adpendimus, vt nihil videri possit, si æterno præmio conferatur.

6. AN, quia gratuita promissione, ac ordinatione, DEVS constituit dare hominibus propter officia virtutum cœlestem gloriam: sine qua promissione, nec obligaretur DEVS ad illud *Donatiuum* offerendum, nec homini illud deberetur?

7. AN, quia natura humana suis viribus ad supernaturalem finem non potest pertingere, nec eum naturaliter postulat: est autem ad eum statum liberaliter à DEO euecta: ideóq; quicquid est, in illo merito, vocatur gratia?

8. AN, quia cum vita æterna non possit esse *Stipendiũ* operũ naturæ. *Mors* tñ horum, & *Auctoramentum*, & *Obsonium*, & *Stipendium* est? Negari tamen non debet, Beatitudinem æternam, esse ac dici posse *Stipendiũ* operum bonorũ, quæ ex gratiâ & in gratia fiunt. Quamuis Apostolũ *Vitã æternã* noluisse vocare *Stipendiũ* Cornelius suspicetur: quia Græcè est, ὀψώνιον, scilicet vile, & cibarium stipendium, hoc aũt non conuenit excellentissimo præmio iustitiæ, quod est vita æterna.

XVI. Magis ad Theologi palatum sapidè Aug. Epist. cv. ad Sixtum Vide, obsecro te, in quanta breuitate, quàm vigilãter verba posuerit. Cùm n. dixisset, *Stipendiũ* peccati *Mors*: quis non congruentissimè, & consequenter addere iudicaret, *Stipendium autem Iustitia Vita æterna*. Aut si nollet dicere, *Iustitiæ*, diceret, *Fidei*: quoniam *Iustus ex fide viuit*. Vnde etiam & *Merces* appellatur plurimis SS. Scripturarum locis: nusquã verò dicta est merces, iustitia, vel fides, quia iustitiæ, vel fidei redditur merces. Quod est autem merces operanti, hoc militanti est stipendium. Sed B. Apost. aduersus elationem, quæ vsque adeo magnis tẽtat irrepere, vt & sibi propter ipsam dicat datum angelum Satanæ, à quo colaphizetur, ne verticem præsumptionis erigeret. Aduersus hanc igitur elationis pestẽ vigilantissimè militans, *Stipendiũ*, inquit, *peccati Mors* Rectè *Stipendiũ*, quia debetur: quia dignè retribuitur: quia merito redditur. Deinde, ne iustitia de humano se extolleret bono merito, sicut humanum meritum malũ, non dubitatur esse peccatum, non è contrario retulit dicens: *Stipendium Iustitiæ, vita æterna*: sed *Gratia Dei vita æterna*. Et hæc, ne præter Mediatorem aliqua alia via quæreretur, adiecit: In CHRISTO JESV *Domino*

*Abacu* 11 4. *Rom* 1. 17.

*nostro*. Tanquam diceret: Audito, quod *Stipendium Peccati* sit *Mors*, quid te disponis extollere? O humana, non iustitia, sed nomine iustitiæ, planè superbia: quid te disponis extollere, & contrarium *Morti, Vitam æternam*, tanquam debitum *Stipendium* flagitare? Cui debetur vita ęterna, vera iustitia est: Si autem vera iustitia est, ex te non
Iacob. 1. 17. est: desursum est, descendens à Patre luminum, vt haberes eam: si tamen habes eam, profectò accepisti. Quid enim habes, quod non accepisti? Quapropter, ô homo, si accepturus es vitam æternam, *Iustitiæ* quidem *Stipendium* est, sed tibi gratia est, cui gratia & ipsa *Iustitia*. Tibi enim, tanquam debita redderetur, si ex te tibi esset *Iustitia* cui deberetur. Nunc ergo de plenitudine eius accepimus, non solùm gratiam, quâ nunc iustè in laboribus, vsque in finem viuimus, sed etiam gratiam pro hac gratia, vt in requie posteà sine fine viuamus.

---

# NOTÆ.

§. I. DVo belli Christiani Duces.] *Est illustre, & multorum exercitatione indéque ad seueriora conuersione, nobile, Meditationis lemma*, DE DVOBVS VEXILLIS, *inuentũ Sancti Patris* IGNATII. *In ea contẽplanti proponũtur duo Duces, duob. cum vexillis. Vnus*, Lucifer *in cãpo Babyloniæ, in solio igneo & fumoso, vultu horribili, qui habita ad suos sequaces cõcione, eos dimittit in omnes ciuitates, & loca, vt iniectis laqueis, occultè trahant homines ad cupiditatem diuitiarum, honorũ, voluptatum: vt sic sensim præcipitentur in barathrum superbiæ, malorúmq; omnium. Ex aduerso, in campo Ierosolymitano consistit Dux alter, Christus: humilis quidem: speciosus tamen, prorsúsque amabilis, Apostolos, Doctores, Pastores, dimittens in mundum vniuersum ad seminandum Euangelium: additis documentis, vt quoscunque possunt, inducant*, Primò, *in Paupertatis adfectum, diuitiis contrarium*: Secundò, *in desiderium opprobrij, & contemptus sui: vnde virtus Humilitatis, ad imitationem capitis: inde omnes virtutes, quibus proposita amplissima præmia. Nos* Primum Ducem, Peccatum *dicimus, quoniam illius* Stipendium *esse dicit* Mortem *Paulus*.

§. II. Apud Romanos antiquitus nullum stipendium.] *Legendus Ioann. Valtrinus De Militiâ Romanâ: & I. Lipsius libro V. de Mil. Dialogo* XVI, *vbi existimat Stipendium proprie constitutum septendecim*

*cim circiter annis ante vrbem captam: anteà tamen frumenti aliquid è publico datum, vt Dionysius lib V. & libr.* IX. *insinuat:*

§ *III.* Morte morieris.] *De hac formulâ Genesis* II.17. מוֹת תָּמוּת Mot thamoth: *Moriēdo vel* Morte mori. *Præter Interpretes ibi, lege M. Delrium Tom.*I. *Adagior. Adag.* 2.

*S. Gregorius libr.* VI. *Registri Epist.* 195. *Sed qualiter verum habuit sententia contra Adam: siquidem non eodem die mortuus est secundum corpus, neque, vt videtur, secundum animam: saluatus enim fuit per pœnitentiam? Respōdemus nos: hominem primum, quâ die peccauit, animâ mortuum dici, atque per hunc omne genus humanum in hac* Mortis *& corruptionis pœnâ damnatum: & sic mortuam animā dicimus, quod non à substantia viuendi, sed à qualitate viuendi cessauerit: id est: non est Adæ anima ita mortua, vt non esset: sed ita mortua, vt beata non esset. Postmodum vero Adam per pœnitentiam ad vitam rediit. Per secundum vero Adam, & modò à* Morte *animæ & postmodū ab omni corruptione carnis in æterna resurrectione liberari nos posse confidimus.*

*S. Thom. S.* IIdæ *Q.* CLXIV. *Art.* 1. *Statim mortui sunt primi parentes: quia licet diutius vixerunt, illo tamen die mori cœperunt, quo Mortis legem, quâ in senio veterascerent acceperunt.*

§. *IX* Obsonium.] *Sæpè occurrit, & refertur tum ad annonam, tum ad pecuniam. Apud Dionysium lib.* IX. *cùm Veientes pacem peterent, scribitur* Frumentum in menses datum, & pecuniam in stipendium definitam (*Græcè* χρήματα ἐς ὀψωνιασμὸν.) *Polybius*: Stipēdium pedites accipiunt in diem duos obolos Græcè: ὀψώνιον δ' οἱ μὲν πεζοὶ λαμβάνουσι τῆς ἡμέρας δύο ὀβολούς.

§. *XI.* Præmia militaria.] *De his Lipsius lib. V. Milit. Dialogo* XVII *qui est de Hastis, Armillis, Torquib. Phaleris, Spoliis.*

§. *XIII* Auctoramentum.] *Iterum Seneca Epist.* LXXI. Quid miraris, si vri, occidi, alligari iuuat?

*Petronius.* In verba Eumolpi sacramentum iurauimus, *Vri, vinciri, verberari, ferróque necari*, tanquam legitimi gladiatores. *Hinc in verba Editoris, aut Lanistæ iurabāt. Vide Lipsium lib.* II. *Saturnal. cap.* 5.

§ *XV.* Gratia DEI vita æterna.] *De hac sententia, præter Interpretes S. Pauli, disputant Theologi cum S. Tho. P.* IIdæ. Tit. Meritum *Breuiter Cōcilium Tridentinum. Bene operantibus vsque in finem & in DEO sperantibus proponenda est vita æterna: & tanquam* Gratia *filiis DEI per Christum Iesum misericorditer promissa: & tanquam* Merces *ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda. Sess.* VI. *ca.* 16. *Legendus Augustin. in Enchiridio cap.* XVII, *Epistol. CV. lib. de Gratia & lib. arb. c.* VII, *&* VIII. *in Psal.* CII.

# COMMENTATIO XXXIV.

## MORS TRIBVTVM.

*Mors Naturæ lex est: Mors Tributum, Officiumq́ mortalium. Seneca, lib. VI. QQ. Nat. Cap. 32.*

---

BREVIARIVM.

1 *Numus vnus, vario respectu, Stipendium, Arrha, Mineral, Sostrum, Tributum. Diuersa eidem Morti denominatio.*

2 *Contemptus vitæ, ac Mortis ex Natura, & naturalium consideratione. Mortis nomen non reformidat, qui Tributum esse cogitat.*

3 *Mors pœna hominis præuaricantis contra Pelagianos.*

4 *Moriendi necessitas ex Peccato. Homo creatus inexterminabilis. Imago AEternitatis. Inuidia Diaboli Mors prorepsit.*

5 *Mors vitiata naturæ Tributum. Mors, certo sensu, naturalis.*

6 *Tributi caussa iusta sit oportet. Hanc habuit DEVS, Mortem indicendo.*

7 *Proportio in Tributis seruanda. Ea exactissimè seruatur in Mortis pœna. Querela ex improportione apud Romanos, Iudæos, Belgas. Lenissimum Tributum, Mors, quam optant multi.*

8 *In Tributo exigendo spectatur æqualitas. Mors omnibus æquè aduenit.*

9 *Homo Dei Tributarius, non Dæmonis.*

10. *AEqualitas Mortis querelas tollit: & æquitatem animi inducit.*

11 *Tributa iusta non remittenda. Fata manent omnes: nulli in hac re datur priuilegium.*

12 *Tributorum exactores Publicani. Mortis Tributum colligunt. quattuor potissimum Bellum, Pestis, Fames, Morbus. Horum mira industria, fraus, crudelitas.*

13 *Bellum, Publicanorum princeps breui tempore maximum Tributum colligit. Quot bello mortui, apud Iudæos.* 14. *apud Romanos.* 15. *Græcos. & Gallos.* 16. *In diuersis monarchiis.* 17. *In Iaponia, vno prælio.* 18. *in Belgio, signatè, obsidione Ostendanâ.* 19. *In rebellione Bohemicâ, & Imperio.*

20 *Pestis Bello crudelior Nominantur plurimæ: Italica, Germanica, Africana*

Græc

Græca, Bizantina, Parisiensis, Pisana. Ruthena, Scotica, Veneta, Francica, Flandria, Rhenana, Burgundica, Constantinopolitana. 21. Vbique Pestis. Ab omni plagâ, Regiones pestifera. Senes etiam peste mortui.

22 Magis sæuit Fames. Horrenda eius exẽpla. Samaritana. 23. Ierosolymitana. Scythica, Persica, Sulcanica, Moscouitica, Polonica, Germanica, Gallica, Anglica, Scotica, Africana, Hispanica, Calaguritana, Italica, Romana, Placentina, Picena, Mediolanẽsis, Arabica, Bizantina.

25. Morbus Tributum exigit. Omnium membrorum Morbi lethales.

25 Tandem, Senectus addit coronidem, nemini parcens.

27 A Tributo communi nullus immunis: æquo ergo animo, cùm appellaberis, Morere.

---

## *Fidelissimi Ærario cœlesti Præfecti, Quæstores,*

# Clerici.

I. EADEM pecunia, si militi, pro operâ mercenariâ soluatur, dicitur *Stipendium*: si emptionis nomine detur, vt constet fides de precio, vocatur *Arrha*: si Magistro pro institutione offeratur, nuncupatur *Mineruale*: si Medico, pro euratione, & restitutâ valetudine numeretur, appellatur *Sostrum*: si populo imperetur, & à singulis tributim, pro census portione colligatur, nominatur *Tributum*. Ne quis miretur, *Mortem*, quam haud ita pridem *Stipendium* fecimus, nunc *Tributum* censeri. Est hoc à Senecâ confictum *symbolum*, quàm ingeniosè, dicam, si prius, quomodo ille contra *Mortem* animum firmet, ex naturæ, & naturalium contemplatione, exposuero. *Pecunia varia denominatio.*

II. *Ingenti*, inquit, *animo* Mors *prouocanda est, siue nos æquo vastóque impetu aggreditur, siue quotidiano, & vulgari exitu. Nihil refert, quàm minax veniat, quantúmque sit, quod in nos trahat: quod à nobis petit, minimum est. Hoc senectus à nobis ablatura est: hoc auriculæ dolor: hoc in nobis humoris corrupti abundantia; hoc cibus parum obsequens stomacho: hoc pes leuiter offensus.* *Contemptus vitæ, & Mortis.*

*Pusilla res est hominis anima: sed ingens res est, contemptus animæ. Hanc qui contempserit, securus videbit maria perturbari, etiamsi illa omnes excitauerint venti: etiamsi æstus aliquâ perturbatione mundi totum in terras verterit*

*Oceanum. Securus aspiciet fulminantis cæli trucem, & horridam faciem: frangatur licet cælum, & ignes suos in exitium omnium, imprimis suum misceat: securus aspiciet ruptis compagibus dehiscens solum. Illa l cet inferorum regna retegantur, stabit super illam voraginem intrepidus, & fortasse, quò debet cadere, desiliet.*

*Quid ad me, quàm sint magna quibus pereo? Ipsum perire non est magnũ. Proinde, si volumus esse felices: si nec hominum, nec Deorum, nec rerum timore versari: si despicere fortunã superuacua promittentem, leuia minitantem: si volumus tranquille degere, & ipsis Diis de felicitate controuersiam facere; anima in expedito est habenda. Siue illam insidiæ, siue morbi petent, siue hostium gladij, siue insularum cadentium fragor, siue ipsarũ ruina terrarum, siue vasta vis igniũ vrbes agrósque pari clade cõplexa cum a libet illi, eam accipiat. Quid aliud debeo, quàm exeuntem hortari, & cum bonis omnibus emittere? vade fortiter, vade feliciter.*

a qui volet illa accipiat.

*Nihil dubitaueris reddere. Non de re, sed tempore est quæstio. Facis, quod quandoque faciendum est. Nec rogaueris, nec timueris: nec te, velut in aliquod malum exiturum, retuleris retrò. Rerum natura, quæ te genuit, expectat, & locus melior ac tutior. Illic non tremunt terræ: nec inter se venti cum magno nubium fragore concurrunt: non incendia regiones, vrbésque vastant, non naufragiorum totas classes sorbentium metus est: non arma contraria dispositа vexillis, & in mutuam perniciem multorum militum par furor: non pestilentia; & ardentes promiscuè communes populis cadentibus rogi.*

*Istud leue est quid timemus? Graue est: potius semel incidat, quàm semper impendat. Ego autem perire timeam, cùm terra ante me pereat: cùm ista quatiantur, quæ quatiunt, & in iniuriam nostram non sine sua veniunt? Helicem, Burimque totas mare accepit, ego de vno corpusculo timeam? Quantum potes igitur ipse te cohortare contra metum Mortis.*

Metus Mortis viles facit.

*Hic est, qui nos humiles facit. hic est, qui ipsam vitam, cui parcit, inquietat, ac perdit. hic omnia ista dilatat, terrarum motus & fulmina. Quæ omnia feres constanter, si cogitaueris nihil interesse inter exiguum tempus & longum.*

*Horæ sunt, quas perdimus. Puta dies esse, puta menses: puta annos: perdimus illos, nempe perituros. Quid, oro Te, refert, num perueniam ad illos? fluit tempus, & auidissimos sui deserit. Nec quod futurum est, meum est, nec quod fuit. In puncto fugientis temporis pendeo, & magni est modicum fuisse. Eleganter ille Lælius sapiens, dicenti cuidam, sexaginta annos habeo: Hos, inquit, dicis sexaginta, quos non habes? Nec ex hoc quidem intelligimus, incomprehensibilis vitæ conditionem, & sortem temporis, semper alieni, quod annos numeramus amissos.*

Hoc

*Hoc affigamus animo, hoc nobis subinde dicamus.* Moriendum est. *Quando? Quid tua?* MORS NATVRÆ LEX EST. MORS TRIBVTVM: Officiũque mortalium: malorumque omnium Remedium est. *Optabit illam, quisquis timet. Omnibus omissis, hoc vnum meditare, ne* Mortis *nomen reformides. Effice illam tibi cogitatione multa familiarem, vt si ita tulerit, possis illi vel obuiam exire.*

III. AVDIO *Mortem* vocari *Legem*, TRIBVTVM, *Officium* naturæ. At illud nonne veræ Theologiæ aduersatur? Si enim naturæ illud imperatum est, & Deo pẽditur: vel hominibus initio ortûs impositum, vt Naturæ, tanquam Dominæ pendatur. Itaque *Mors* est naturalis: primis parentibus imperata antequam ligni vetiti comestione se polluissent. Ergo *Mors* non est pœna. Esse autem, docet manifestè Apostolus, ad Romanos V. in accuratissimâ de *Mortis* & *Peccati* acoluthiâ, disputatione: & satis constat ex Genesi, vbi comminatur DEVS *Mortem*, vt pœnam præuaricatoribus præcepti. *In quacumque die comoderis ex eo*, Morte *morieris*. Quibus locis ex sertè scribunt Interpretes sacri, errasse Senecam, Ciceronem, Philosophos, ac cum ijs Pelagianos, docentes, *Mortem* naturam esse, non pœnam. Cuius contrarium definit Concilium Mileuitanum, C. 1. & multis locis demonstrat S. Augustinus.

*An Mors natura Tribut͂ũ.*

*Gen. II. 17.*
*Cornelius vtroque loco.*
*Iustinia ad Rom.*
*Lorin. Sap. II, 23.*

IV. Certè negari non debet, moriendi necessitatem, deindéque *Mortem*, subsequutam fuisse Peccatum ab Adamo, & Eua commissum. Clarissima sunt ad hanc rem stabiliendam, Scripturæ diuinæ testimonia: istud palmarium, quod paullò ante recitatum est, in quo non de *Morte* solùm animæ, sed & corporis, ac temporaneâ agitur. vt cum Augustino, Scholæ Theologicæ sentiunt, & decernit Arausicanum, ac Tridentinũ Concilia. Ezechielis XIV. 4 *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Per vnum hominem* Peccatum *in hunc mundum intrauit, & per Peccatum* MORS inquit Paulus. Et Concilium Arausicanum Can. II. *Iniustitiã DEO dare conuincitur, qui* MORTEM, *quæ est pœna peccati, sine peccato, quod est meritum* Mortis *ad nos transisse dicit.*

*Moriendi necessitas ex peccato*
*NOTÆ.*

*Rom. V. 12.*

Iam verò si primœuam hominis conditionem, & felicissimũ Innocentiæ statum spectemus, fide constat, in eo protoplastos immortalitatem habuisse, quæ in eo consistebat, vt, quod eleganter dixit Augustinus, possent non mori. DEVS, inquit Salomon, *creauit hominem inexterminabilẽ.* Græcè ἐν ἀφθαρσίᾳ: id est, *incorruptioni, immortalitati*: vel, *ad immortalitatem, ad incorruptionem*: nimirum, vt esset immortalis, &

*Aug lib. de corrept. & grat. cap. II.*
*Sap. II. 23.*

talis, & incorruptibilis DEI beneficio. Budæus in Pandectis vertit, *Ad naturam non interituram*. Iustinianus, *In integritate ab interitu prorsus alienâ*. Cornelius simpliciter, *Immortalem & incorruptibilem*. Quod non solùm intelligitur de homine secundum animam, quæ ex naturâ, non dono supernaturali est talis, sed etiam de corpore, vt Lorinus, ex ijs, quæ mox inibi subduntur, probat.

*Homo imago æternitatis.* Pergit Sapiens: *Ad imaginem similitudinis suæ fecit illum.* Quod Græcè legitur καὶ εἰκόνα τῆς ἰδίας ἰδιότητος ἐποίησεν αὐτόν, *Et imaginem propriè*, siue *suæ proprietatis*, vt mauult Budæus, *fecit illum*. Vel, *ad imaginem sui propriam*: vt legit Cantacuzenus, & Michael Glycas, qui ex professo hinc probat, hominem caducum corpus ab initio non habuisse. Et refellit, dicentes, Adami naturam mediam fuisse inter mortalem, & immortalem, vt loquitur Philippus Solitarius in Dioptra. Quod tamen non est, cur magnopere reijciatur: potuit enim non mori, licet posset etiam mori.

*Homo DEO similis æternitate.* Porro, in quibusdam codicibus est ἀϊδιότητος *Æternitatis*. Quod si sequaris, dicas; Hominem conditum esse immortalem, & quasi quandam imaginem Æternitatis. Quo spectat etiam, quod in alijs libris inuenio, ἰσότητος *æqualitatis*: nempe, participatæ, quoad durationem. Quæ quomodo se habuerit docebunt pluribus Doctores eximij, Bellarminus, Molina, Valētia: præter Geneseos Enarratores Cornelium, Delrium Salianum.

Denique subdit Salomon: *Inuidia autem Diaboli* Mors *introiuit in orbem terrarum*. Inuidit tantum felicitatem homini *Malignus*: quia tamen cogendi potentiam non habebat, sed solùm persuadendi versutiam, tam vafrè cum primis illis hominibus egit, vt in fraudem mulierem induxerit, & per hanc, Adamum in exitium percipitarit. Tunc homini MORS, tanquam TRIBVTVM, est imperata. *Aug. Tract. XLI. in Ioann.*

*S. Orientius.*

*Prima mali labes, heu! fœmina te dolus anguis*
*Ac hominem per te reppulit à Domino.*
*Erepti tu caussa boni: tu ianua* MORTIS,
*Tu citò decepta tu citò decipiens.*

canit S. Orientius in Commonitorio suo. Qui, quomodo dicat, Euam decepisse, Adamum scilicet, quo pacto multi ex Patribus loquuntur: cùm tamen Apostolus disertè pronunciet, Adamum non fuisse seductum, exponit Delrius in Notis ad sanctum illum Poëtam: & fusè declarauimus *Prima Parte Theologia* lib. III. *Comm.* XI *Exercitatione* *1 ad Timot. 2. 14.*

*citatione* XIII. Itaque perperam MORS, TRIBVTVM Naturæ audit, improbè natura, immortalitate nobilis, infamatur.

V. EST quidem verum, Naturæ, in primis nostris progenitoribus, integritati, ab omni corruptionis labe immuni, donatæ, singulari conditoris munere addente, quod ex se non habebat, *Mortem* non esse *Tributum*. Sed ea consideratione, dici debere: TRIBVTVM NATVRÆ VITIATÆ: aut naturæ noxiæ: seu, quod eodem tendit, Peccati: aut hominum peccatorum. Tamen, si hominis naturam per se ipsam spectes, quomodo illam tantummodò contemplari potuit Seneca, & Philosophorum natio, erat omninò ex intrinsecis suis principiis mortalis, & *Mors* illi quodamodo naturalis. Est enim homo, constans pugnantibus elementis, natura sua dissolubilis, nec potest absque extrinsecis præsidiis, corruptioni & *Morti* in omne æuum se subducere. Hoc igitur intuitu, *Mors*, simpliciter naturæ *Tributum* est. Quod tamen non erat illi persoluendum, Principis munificientiâ, & priuilegio personali exempto, quamdiu, in voluptatum horto, tanquam Regiâ, non solùm, vt domesticus, & palatinus, verum etiam, vt filius censebatur. *Hominis natura in Adamo.*

Neque hoc vnquam negauit Augustinus, qui alicubi expressè scribit, Adamum, antequam DEI præceptum violaret, hactenus fuisse *Mortalem*, quia *Mori poterat*. Quo pacto non incelebres Theologi, *Mortem* homini naturalem appellarunt: sed illud, quicquid erat naturæ humanæ, siue vitium, siue imbecillitas iustitiæ originalis admirandâ vi, ac ligni vitalis subsidio emendabatur. Atq; ita verum omninò est, DEVM non fecisse *Mortem*, quia non oritur ex primâ illa hominis, quam DEI munere obtinebat, cõstitutione, vt Augustinus docet. At enim, quà moriendi necessitatem adfert, est pœna peccati, à DEO homini indicta; & sic DEVM habere potest auctorem, sicut *Tributum*, à Principe imperatum. Atq; ita Sapiens. *Bona*, inquit, *& mala* Mors *& vita à DEO sunt* Quæ consentanea sunt Conciliorum Arausi:ani, & Tridentini definitionibus. *Aug. lib. 1. de Pecc mer & remiu. cap 3. NOTÆ. Lib retract, cap XXVI. Sap. 1. 13. Ecc. 11. 14.]*

VI. DICAMVS igitur, vt omnis euitetur erroris suspicio: MORTEM, naturæ corruptæ esse TRIBVTVM. In *Tributo* autem illud imprimis seruandum monent boni Theologi, vt iusta imponendi sit caussa. Ea in omnibus oneribus, ac pœnis exigitur. Quis neget, *Mortem Tributum* esse iustissimum? Auctorem specta. Is supremus est Princeps, penes quem in omni republicâ, Tributa impe- *Tributi caussa*

randi ſolet eſſe poteſtas. Nam eſt ius Maieſtatis. L. III. c *noua vectigalia*. Et ſat eſt Principem impoſuiſſe, niſi manifeſtè ſit contra omnem æquitatem, vt iudicetur, iuſtum eſſe. Prudenter Ioannes de Salas: *Difficillimum eſt iudicare iniuſtum eſſe* Tributum *à legitimo Principe ſubditis non exemptis: quia non poſſunt priuati omnes iudicare de cauſsà, quæ Principem mouit ad imponendum* Tributum: *ſæpe enim eſt occulta, & iuſta*. Itaque etiamſi nobis non conſtaret de cauſſa huius *Tributi*, præſumenda eſſet, quia à Principe iuſtitiæ eſt impoſitum. Sed cauſſæ etiam iuſtitia manifeſta eſt. Quid iuſtius, quàm ingrato auferre donum, ſub conditione gratitudinis donatum. Dictum fuerat Adamo, immortalis eris, quamdiu gratus fueris: gratitudinem fœdè depoſuit, beneficium perdidit, *Tributarius* factus eſt.

*De leg. Tract. XIV. Diſp. XV Sect. 10.*

VII. DEINDE, in *Tributo* attenditur proportio, vt cauſſæ reſpondeat, vt non excedat facultates ſubditorum, vt non ſit nimis oneroſum. Quod, quia non ſeruatur aliquando à Principibus, oritur ſeditio, bellum ciuile, fœda regionum vaſtitas. Quo periculo Reipublicæ, Olennius à Romanis impoſitus regendis Friſijs tributum ſupra facultates genti illi imperarit, narrat Tacitus. Quid conſequutum ſit, ex Claudij Imperatoris, in hac re, acerbitate: quid ex vectigalibus nouis, & inauditis Caligulæ, docet Suetonius. Quid in Republica Hebræa acciderit, conſtat ex Sacris litteris. Putant enim multi, conqueſtos eſſe Iſraëlitas apud Roboamum de iugo duriſſimo propter ordinarium *Tributum*, ſexcentorum ſexaginta ſex talentorum auri, quæ duodecim fere milliones noſtrates efficiunt: ſicq; ſciſſum eſſe regnum. Numus decimus in Belgio rebellionis occaſio fuit: quàm iuſta, cenſeant Bataui, qui ſi decimum modò numum retineant, ſibi gratulantur.

*Proportio in Tributis.*

*Tacit. lib IV. annal.*

*Suet. in Claud. & Calig.*

*NOTÆ.*

*Lib II Tora. cap. IX. 3 L III. Reg. 11.*

MORS *Tributum* eſt leuiſſimum, quod mortales omnes facillimè poſſunt pendere: non pauperes minus, quàm diuites: pueri æquè ac ſenes: in virili quoque ætate omnes. In eo ſiquidem vita datur, peculium cuiuſque proprium: ſed pleriſque tam graue, vt eo ſe exonerari, quàm primum deſiderent, etiam antequam à Supremo rerum Moderatore exigatur. Quot enim ærumnis preſſi, quæ mortalibus ſunt communes, anhelant ad *Mortem*, priuſquam eius exſoluendæ hora aduenerit? Quotuſquiſque eſt, qui non aliquando *Mortem* aduocet? quis illam non quandoque, voto, quamuis tacito, & ſilenter expetit, tametſi palam, vitam ſe retinere velle, præ ſe ferat,

ferat. Multorum vox est, sed quæ non ab omnibus exauditur.

*Nonne mori satius, vita quàm ferre pudorem?* Claud. de Bel. Gal.

Ab hac solatium mendicant multi, malis obruti:

*Vna tamen spes est, quæ me solatur in istis,* Ouid. Trist. VI.
*Hac fore* Morte *meâ non diuturna mala.*

Sapientis de eadem est iudicium:

*— — neque est* Plaut. Ruden.
*Melius* Morte *in malis rebus.*

Philosophi Christiani hæc querela, quod lacessita, non adsit:

Mors *hominum felix, quæ se nec dulcibus annis,* Boet. 1. 7.
*Inserit: & mæstis sæpè vocata venit.*
*Eheu! quàm surda miseros auertitur aure,*
*Et flentes oculos claudere sæua negat.*

VIII. PRÆTEREA, *Tributum*, vt iustum sit, postulat æqualitatem in ijs, in quibus æqualis est caussa. Vnam familiam facere tributariam, vel pauculas aliquas, alias à *Tributo* eximias habere, nisi quid peculiare id suadeat, iniustitiæ speciem habet, & querelas parit. Vbi par est caussa, paria sint oportet onera. Quod in nullo vnquam *Tributo* exactius seruatum, quàm in *Morte*: quæ, quia vt pœna peccati, hominibus fuit imposita, eo ad omnes Adami posteros transmisso: *Mors* etiã æquè ad omnes peruasit: vt culpæ æquali, æquale responderet tributum. In Tributo æqualitas.

Notari id voluit Paulus Apostolus de hac consequutione agens, additis particulis caussalibus; *Sicut per vnum hominem* Peccatum *in hunc mundum intrauit, & per peccatum* Mors: *& ita in omnes homines* Mors *pertransijt*. Nemo DEVM *Mortis Tributum* imperantem iniustitiæ acuset. Est hoc omnibus commune, quia communis omniũ caussa. Nemo liber à culpâ: nemo ergo liber à *Tributo*. Cuncti mortales peccato sunt inquinati: cuncti igitur *Tributarij*. Vt peccatum omnes afficit: ita *Mortis Tributum* spectat vniuersos; ne illo quidem excepto, qui innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, *Peccatum* pro nobis factus est, licet peccatum non fecerit: ne quisquam priuilegium caussaretur. Idem Tributum Adæ impositum: hoc est, moriendi necessitas post peccatum contracta, cunctis eius posteris est imperatum; quemadmodum idem Adæ peccatum sobolem eius omnem inquinauit. Rom. V. 12.

*Videte Fratres*, inquit Augustinus, *genus humanum à primi illius hominis* S. Aug. Ser. IV. de verb. Apost.

*minis* Morte *defluxisse. Etenim peccatũ à primo homine intrauit in hunc mundum, & per peccatum* Mors: *& ita in omnes homines pertransiit. Attendite, Fratres, & considerate verbũ*, pertransijt, *inde enim est, & paruulus reus. Peccatum nondum fecit: sed traxit. Etenim illud peccatũ non in fonte mansit, sed pertransiit, non in illũ, aut illum, sed in omnes homines pertransiit.* Genuit peccatores Morti obnoxios primus peccator, & primus præuaricator.

Æquè igitur *Tributum* omnibus est mandatum, quia æquè omnes caussa adficit: imò, quamuis non æquè nonnullos caussa contingat. Nam præter CHRISTVM Dñm, de quo ante, eius SS. *Mater* creditur à peccato omni fuisse immunis, *Tributum* tamẽ, quia ex primi *Tributarij* posteris vna, pendere debuit. Eadem ratio est aliorum, siqui eximio aliquo DEI beneficio, à peccatis fuere præseruati.

*Homo Dei Tributarius.*

IX. COLLIGIT ex hoc Origenes, nos non Dæmonis, sed DEI esse *Tributarios*. Quia, quamuis inuidiâ Diaboli *Mors* introiuerit in orbem terrarum, vt Sapiens loquitur. Ea tamen, quatenus *Tributum* est, à DEO, vt supremo Domino, præscripta est, & per familiæ parentem posteritati, vt onus personale, relicta. *Omnes homines*, inquit ille, *qui in hoc mundo nascuntur, & nati sunt, in lumbis erant Adæ, cum adhuc esset in paradiso: & per ipsum* Mors, *quæ ei per præuaricationem aduenit, consequenter & in eos pertransiit, qui lumbis eius continebantur. Vnde Apostolus alio loco dixit:* Sicut in Adam omnes moriuntur; ita & in CHRISTO omnes viuificantur. *Ergo neque ex Diabolo, qui ante mulierem peccauerat: neque ex muliere, quæ ante virum præuaricata est: sed per Adam, ex quo omnes mortales originem duxerunt, verè dicitur intrasse peccatum, & per peccatum* Mors.

*Orig. Epist. ad Roman.*

*1. Cor XVI. 21.*

*Æqualitas Mortis querelas tollit.*

*Sen. Epist. XXX*

X. HANC *Tributi* vniuersalis æqualitatem obseruauit è Philosophis, Seneca: eiusq; considerationem valere existimat plurimum, ad compescendas morientium querelas, & sopiendam hominum contra DEVM iniquissimam accusationem. *Mors enim necessitatẽ habet æquam, & inuictam. Quis queri potest in ea conditione se esse, in quâ nemo non est? Prima enim pars æquitatis, est æqualitas.*

*Sen. Epist. LXXVII.*

Sed mira est hominum quorundam insania. Nemo tam imperitus est, vt nesciat, sibi quandoque hoc *Tributum* esse persoluẽdum: cum omnibus moriendum sit: tamẽ cùm prope accesserit, cùm pecunia hæc numeranda, tergiuersatur, tremit, & plorat. *Quid fles miser? quid trepidas? omnes hac necessitate ducuntur. Eò ibis, quo omnia eunt. Ad hanc legem natus es: hoc patri tuo accidit: hoc matri: hoc maioribus: hoc omnibus ante te: hoc omnibus post te. Quantus te populus moriturus sequetur? quantus comitabitur?*

*bitur? Fortior, vt opinor, esses, si multi tibi commorerentur. Multa millia hominum hoc ipso momento, quo tu mori dubitas, animum variis generibus emittunt. An non putabas te aliquando peruenturum ad quod semper ibas? nullum sine exitu iter est.*

XI. SED deflectimus à *Tributi Symbolo*. Quod si diligenter verses, non miraberis, post tot annorum millia, nulli illud Reipublicæ, nulli Regno, nulli familiæ remissũ. Monent Politici, *Tributa* antiqua, si iusta sint, non esse dimittẽda. Contrariũ si fiat, lædi maiestatẽ Principis, infringi vires reipub. debilitari cõmune ærariũ Ita Honorius, & Arcadius, Theodos. & Valentinian. Imperatores, ne Tributa minuerentur, curarunt. Et queritur alicubi Cicero, de illorũ imminutione. Ad quam, dum Nero, profusissimus iuuenis, inclinaret, à prudentibus retractum narrat Tacitus, cùm dicerent, fore; vt vis imperij frangeretur. Fuit in hoc *Tributo* exigendo hactenus immotus, primus illius institutor. Semel præscripsit, exegit semper: nec vlla in parte diminui passus est: nec minuetur dum mundus stabit. *Seruanda Tributa iusta.* *Cic. ad Attic.* *Lib. XIII. Annal.*

*Fata manent omnes: omnes expectat auarus*
*Portitor: & turba vix satis vna ratis.* *Ouid. ad Liuiam.*

Nullum hic inter egenos & opulentos discrimen.

*Omnibus est eadem lethi via: non tamen vnus* *Cornelius Gallus.*
*Est vita cunctis exitiíque modus,* *Maximinianus.*
*Hac pueri atque senes pariter, iuuenésque ferentur:*
*Hac par diuitibus pauper egenus erit.*

Omne humanũ genus, quodcumq; est, quodcumq; erit, *Morte* damnatum est. Omnes, quæ vsquequaque ponuntur vrbes, vbi fuerunt, aliquando quærentur & vago exitij genere tollentur. Alias destruẽt bella: alias desidia, paxq; ad inertiam versa consumet: & magnis opibus exitiosa res, luxus. Natura, nostram non aliam legem voluit, quàm suam: quicquid composuit, resoluit.

XII. PORRO, quoniam *Tributorum* Collectores non sunt ipsi Principes, sed quibus illud ex officio incũbit, quales olim Publicani, simile quid hic euenire animaduerto. Colligit vitæ, necisq; Dominus *Tributũ Mortis* per administros suos, illi muneri destinatos. Qui, quamuis plurimi sint, tot nimirũ, quot sunt caussæ, quæ hominẽ vitâ priuant: quas quis, DEVS bone! enumeret? tamen quattuor potissimùm sunt capita, *Bellum*, *Pestis*, *Fames*, *Morbus*. Hi Principes Publicanorum nominari possunt, quorum incredibili auiditate, *Tributorum Exactores.* *Bellum. Pestis Fames. Morbus.*

& in exigendo feueritate fit, vt magis ipfi, quàm Principes metuantur: magis illos, mortales, quàm Dominum *Tributi* fugiant, imò execrentur. Nimirum, habent illos, vt quondam prouinciales, Publicanos, tanquam harpyas, & hirudines populi: tanquam fraudatores imperij, velut ærufcatores, & emunctores familiarum ac thefaurorum: vnde illis & in Euangelio infamia.

*Publicanorum fraudes, induftria, auiditas*

Mirum autem eft, quibus artibus, & fraudibus, *Tributorum Exactores*, quàm plurimum, breuiffimo tempore corraderent, & peculio tributarios fpoliarent. Sed inertia eft omnis iftiufmodi hominum induftria: & parcitas, ipforum rapacitas: & continentia, inexplebilis licet, auaritia, ad illorum quattuor, quos *Tributum Mortis* colligere dicebam, technas, folertiam, auiditatem. Vis videre quantum finguli aliquando, huius *Tributi* collegerint? Quod autem femel alicubi fecerunt: femper faciunt, vbicumque commorantur, nam folum aliquando: mores, aut naturam, nunquam mutant.

*Bello mortui. Apud Iudaeos I. Lip lib. II. de Conft cap. 20. Ex Iofepho.*

XIII. BELLVM, fæuiffimus & rapaciffimus eft *Exactor*. Is ad Iudæos miffus, non totis feptem annis collegit *Tributi* nomine, duodecies centēa, & quadraginta millia. Ne de fumma dubites fubdūcam, boni Arithmetici calculis: & valet non parum, ad pectus conftantiâ firmandum, in hoc ciuili bello.

Ierofolymis primùm interfecti, iuffu Flori — *fexcenti triginta.*

Cæfareæ ab incolis, odio gentis & religionis vno tempore — *viginti millia.*

Scythopoli (Cœlæ-Syriæ vrbs eft) — *tredecim millia.*

Afcalone in Palæftina ab incolis — *duo millia, quingenti.*

Ptolomaide pariter — — — *duo millia.*

Alexandriæ in Ægypto fub Tib. Alexando Præfide — *quinquaginta millia.*

Damafci — — — — *decem millia.*

Atque hæc per feditionem, aut tumultum gefta: legitimo deinde, & aperto à Romanis bello

Ioppe captâ à Cefio Floro cæfi — — *octo millia, & CCCC.*

In monte quodam Cabulono — — *duo millia.*

In pugna ad Afcalonem — — *decem millia.*

Per infidias iterùm — — — *octo millia.*

Aphacæ cùm capta effet — — *quindecim millia.*

In monte Garizim — — *vndecim millia, & DC.*

Iotapæ

Iotapæ — — — *triginta millia.*
Ioppe iterum captà, submersi — — *quatuor millia ducenti.*
In Tarichæis cæsi — — — *sex millia & D.*
Gamalæ, tam interfecti, quàm sponte præcipitati — *nouem millia.*

Nec quisquam homo natus ex ea vrbe saluus, præter duas mulieres sorores.

Giscalâ desertâ, in fugâ trucidati — — *bis mille.*
& fœminarum, ac puerorum capti — — *tria millia.*
Gadarensium cęsa — — — *tredecim millia.*
Capti — *duo millia, & ducenti.* præter eos, qui in flumen desilière, infiniti.
Jn Idumææ vicis cæsi — — *decem millia.*
Gerasij — — — *mille.*
Machærunte — — — *mille & CC.*
In silua Iardes — — — *tria millia.*
In Massadâ castello, suâ manu perempti — *nongenti & LX.*
In Cyrenecà Catulo Præside cæsi — *tria millia.*
In vrbe Ierosolyma per omne tempus obsidionis, mortui, aut cæsi *decies centena millia.*
capti — — — *nonaginta septem millia.*

Innumeri alij fame, exilio, miseriis extincti sunt: Omitto in eadem gente cœdem nominatissimam, quâ vno prælio Beniamitæ ceciderunt viginti quinque millia centum, Judicum XX. & Jsraëlitis, duobus præliis immissa diuinitus clade, nunc viginti duo millia: nũc vndeuiginti millia. *Ex Beniamitis cæsi 25100. Ex Israëlitis 40000.*

X I V. IDEM *Tributi* huius *Exactor*, vagatus per Jtaliam, Hispaniam, Siciliam, non totis annis septendecim, quibus contra Pœnos secundò pugnatum est, confecit *quindecies centena millia hominum.* *Secundo bello Punico. Lib. de Consf. Lib. 11. cap. 12*

Cùm Cæsar & Pompeius de Imperio centarent, exhibuit ad *millia trecenta.*

Vnus C. Cæsar gloriatur, *vndecies centena, & nonaginta duo millia hominum prælijs à se occisa.* In quam rationem non veniunt strages ciuilium bellorum: sed editæ tantum in externos paucis annis, quibus Hispaniæ, aut Galliæ præfuit. *Plin. lib. VII.*

Eodem æuo Pompeius in delubro Mineruæ inscribi fecit:

*Fusa*

*Fusa à se, fugata, occisa, in deditionem accepta, hominum vicies semel centena* LXXXIII. *millia.*

Q. Fabius *centum decem Gallorum millia*. C. *Marius ducenta Cimbrorum*. Aëtius his posterior, in Catalaunico prælio, *centum sexaginta duo millia* Hunnorum occidit: Bello *Tributi* rationes conficiente.

Aëtius.

Græcia. Plut. lib. de defectu oracul.

XV. QVOD, dum Græciam peruaderet, ita illam exhausit, vt auctor sit Plutarchus, quod fidem non mereretur, nisi à fide dignissimo, de gente propriâ, esset traditum; vniuersam Græciam non fuisse, suo æuo conficiendis tribus millibus militum. Quod nûc in Germaniâ opidum, quamuis non admodum frequens, vnde hæ copiæ, pôst tot millia trucidata, non possint educi? ad eam tamen solitudinem populosissima prouinciarum, Bello *Tributum* exigente erat redacta.

Annales Gallorum memorant, *trecenta septuaginta* Saracenorum *millia* à Carolo Martello in acie cæsa, aut profligata.

XVI. PLVRES bello consumpti, collidentibus inter se Monarchijs, Chaldæorum, Babyloniorum, Medorum, Persarum, Græcorum. Deinde irrumpêtibus in Africam, Wandalis: in Asiam, Tartaris: in Ægyptum, Cerassis: in Hispaniam, Mauris: in Britanniam, Pictis: in Galliam, Anglis: in Italiam, Hunnis, Gothis, Visigothis: in Belgicam, Danis: seu Northmannis, quorum tantam stragem edidit Arnulphus Rex, vt ex innumerabili multitudine vix superessent, qui ad classem aduersum nunciũ ferrent: in Indiam occidentalem, Lusitanis: in Orientalem, Iberis; vbi à vicinis tricenísque militibus passim strati sunt inermes, vt seges à falce. In insularum maximis Cuba, Hayti, Iucayæ, quæ olim quingentis, aut sexcentis hominibus millibus abundabant, pôst belli recensionẽ vix superfuerunt, quindecim aut viginti, qui propagationi sufficerent.

Sigeber. Anno 895.

An. M.D.XV Bello Ozacensi

XVII. HAVD ita pridem in Iaponiâ, certantibus, Daifû, & Fideyori, tanta mortalium strages est edita, vt Iapones vulgo arbitrati sint, nullum aliud prælium, ex ijs, quæ apud se celebrauit antiquitas, maiorem mortalium vim intra duas horas assumpsisse: cuius numerum tametsi plus alij, alij minus augeant, centum millibus tamen plerique circumscribunt. Ferunt flumen Ozacense, altum alias, alueóque latiore, cadaueribus oppletum, velut pontem fugituris aperuisse: & ad duas retrò leucas, cùm sanguine flueret, velut metu contractũ, refugisse. Ita scribit Nicolaus Trigautius in Triumphis Iaponicis lib. v, cap. 1.

XVIII. QVA

XVIII. QVA sæuitia idem *Tributum* egerit in Belgicâ, quinquaginta, quibus inibi pugnatùr annis, quis verbis satis aptè exprimat? Sed quid opus verbis? tot exercitus, terrâ, marique deleti, tot acies fusæ, tot opida vi capta, & in ijs homines ad internecionem deleti: tam numerosus miles è validissimis populis in vnam non maximam prouinciam immissus, instructæque horrente, ac frendente Oceano classes, vt integi integra potuerint maria, Belgicúmq; quà equite quà pedite solum tegi, vt scribit facundus Belga, Exactoris Belli immanitatem satis testantur. *Bellum Belgicum.* *ROT. Æ.*

Fortasse in nulla orbis parte tam exiguis circumscripta limitibus, maioribus animis, contentione, ingenio, quàm in Belgica pugnatum repugnatúmque, nullibi plus sanguinis effusum, ac proinde, nullibi tantum *Tributi*, quantum ibi, collegit Bellona.

Vna, sed toto orbe famosa obsidio Ostendana, ad Oceani Flandrici littus, vel me tacente, id loquitur, inquit Serenissimi Alberti Austrij Historiographus. In quâ quidem obsidione, quæ annos tres, ac totidem menses tenuit, centum viginti amplius mortalium millia vtrinque ceciderunt. Canant Poëtæ, & fabulis attollant, Troiæ obsidium decennale; Tyri expugnationem inter clarissima Alexandri M. facinora extollat Græcia; Lacones in obsidendâ pertinaciter Messana, annos viginti posuerint: Vna OSTENDA Flandrica, commune sepulchrum Aquilonis, & Austri ducum simul, & militum acerba cinis, illustribus veterum factis, & luminibus obstruit. *Obsidio Ostendana.* *An. M. DC.*

Et tamen, de quo erat certamen? *De parua arcâ. De tumulis, aut sterili tantùm de puluere*, canebat ille. At alter: De supremo inter Hispanum, & æmulos Reges dominatu, ac gloria: imò de Europæ quodammodo Jmperio. Sed hoc non disputo. Publicani fatalis acerbitatem describo, tantum *Tributi*, tam paruo tempore corradentis. *Ioan. Scaliger in Epig.* *Aub. Mira.*

XIX. NON tam longo tempore durauit Bohemica secessio rebellium, aduocato in subsidium, Germanorum & aliorum Septemtrionalium robore: in quo tamen, & subsequuto mox bello Germanico, non pauciores *Mortis Tributum* persoluere coacti sunt. Numerum inire non potuimus. Ingentem fuisse colligere licet ex partis vtriusque copijs, & repetitis prælijs, *Bellum Bohemicum. Anno M.DC.XX.*

NOTÆ. ſed Pragenſi potiſſimùm: in quo diuinitùs reportatam fuiſſe de ſeditioſis victoriam, Angelis cœlitus miſſis, agmen Catholicorum ductantibus, & hoſtibus terrorem inijcientibus, ipſi illi, qui, poſt cæſos, ſuperfuerunt, faſſi ſunt. De quo narrationem elegantem, piámque & ad Angelorum, Belli Ducum optimorum honorem promouendum eximiam, habet Hieremias Drexelius in Horologio de Angelo cuſtode. Numeroſiſſimæ autem cædis imaginem exhibent

TROPHÆA PARALLELA

VICTORI. MAGNO. POLLENTI. POTENTI. INVICTO.

MAXIMILIANO ELECTORI BOICO

erecta, in quibus Brenni antiquiſſimi Boi celebris mentio.

A Brenno Rege Æterna Fama erectum.

——— *BOHEMIA*

*Experta eſt* Boicæ *quid valeant manus:*
*Capere vt creperis tympana buccinis,*
NOTÆ. *Intermiſta ſono clangere Martio,*
*Et roſtri intonuit bombus ahenei.*
*Index non fatui fulminis, & necis.*
*Quis fixos profugo tunc mihi tergore*
*Mucrones numerat? cæſaq́ue lucidis,*
*Victorum gladio corpora collibus?*
*Quis diſiecta ſolo brachia colligat?*
*Coiurant Boico flumina fulmini.*
*Et quos prateriȷ́t dextra necant aqua.*
*Nec iam Molda rubra ceſſerit Allia*
*Faſtis nacta aliud nomen in Vngaris.*
Anno ante Christum N. CCCXXXVIII. *Sic Brennus clypeum fulmineum rotans,*
*Et ſeptem geminis vltima collibus,*
*Intentans gladij vindicis impetum,*
*Vix tandem innumera cæde coercuit.*
*Teſtis dira nigri nominis Allia.*

Qua

*Quæ tunc purpureo tardior alueo*
*Florem Romulei roboris obruit.*
*Nec Brenni erubuit vulnificam manum,*
*Pincernam Ausonij dicere sanguinis.*
*Sed Brennus neque sic ebrius, integram*
*Ad Romana sitim mœnia detulit.*
*Illic patricio sanguine curiam*
*Depingens capitum messe senilium,*
*Dispersit vacuis funera compitis,*
*Bustum Roma fuit: totaq́ montium*
*Depressa in cinerem gloria concidit.*

Ita Bellum grassatur, tanquam Publicanus, vt *Tributum* colligat. PESTIS.

XX. NEC cedit illi alter ex hac tribu, æquè crudelis, cui nomen PESTIS: imò crudelior Artaxeris Regis sensu, cuius est illa postulatio ad Medicorum principem. NOTÆ.

MORBVS, *qui appellatur nomine* Pestis *nostrum inuasit exercitum, & cum plura sæpius fecissemus, remedium nullum hactenus est datum. Quare omninò rogamus, vt aliquod adiumentum nobis quamprimùm transmittas, siue ex his, quæ naturâ habentur, siue arte proueniunt, siue cuiusuis hominis peritiâ, quo morbus hic curari queat. Nec impensæ, nec muneribus in hac re parcas. Nam per totum longè serpit exercitum. Et cùm hostes, feram bestiam habeamus, non pugnãdo expugnamur. Quippe pecora interimit dira lues, & quã plurimos ita inficit, vt nulla curâ sanari possint: atque tela indies acerbiora iaculando immittit.* Aliquot exemplis auiditatem incredibilem huius *Exactoris* delineo. In Epist. ad Hippocr. Med. fol. 66.

Clementis VII. tempore Pestis toto triennio adeò Italiam est peruagata, vt vix decimus quisque ex millesimo homine, superfuerit, cùm ob Iubileum, Romam commigrantium vndique hominum contagione, squalore, situ, pedore omnia inficerentur. Refert Platina. Et suo æuo id etiam contigisse scribit Petrarcha. Romana. Circa Ann. M CCC LIX.

Anno M.D.XXVIII. pestilentiæ lues diffusa per omnes Italiæ Regiones, tertiam ferè mortalium partem absumpsit: deficienteque passim annonâ, quæ immenso pretio, cunctis in vrbibus Italica.

creuerat, multi, inopesq; præsertim, insolitis vtentes cibis, contactâ tabe sensim interierunt. ita Iouius in Historia. Non mitior fuit, quæ Anno M.D.LXIV. Germaniam primò, deinde etiam Galliam peruasit, quæ nullam in frequentissimis vrbibus domum, quam non inficeret, reliquit inuiolatam.

Germanica.

Africana pestilitas, quæ euersa Carthagine orta, in solâ Numidiâ, octingenta hominum millia deleuit. In maritima Africâ ducenta. Apud Vticam, triginta millia militum, qui ad oræ eius præsidium relicti fuerant. Auctor Orosius libro quinto, capite octauo.

Africana.

Jn Græciâ, Michaeli Duce imperio, tam auarè *Tributum* hoc exegit, ὥςε ἀδυνατεῖν τοὺς ζῶντας ταφῇ παραδιδόναι τοὺς θνήσκοντας, verba sunt Zonaræ: *Vt viui prorsus pares non essent mortuis sepeliendis.*

Græca.

Quid de illa dicam, quæ Iustiniano Principe, Bizantij, finitimisque locis sæuiente, in singulos dies quinque millia funerum dedit, interdum etiam decem, vt testes fidi Procopius, *a* & Agathias *b*.

Bizantina.

a Lib. II. de bel Per.
b Lib. V Hist.

Sed finis non esset dicendi vno die, si catalogum texere esset animus quot vbiq; peste perierint. Legatur de peste Parisiensi Ritius Neapolitanus: de Genuensi, & Pisana, Iacobus B acellus: de Ruthenâ, Cranz us: de Scoticâ. H. Boëthius: de Venetâ: Egnatius; de Francicâ, Æmilius: de Neapolitanâ Sigonius: de Flandricâ, Meyerus: de Rhenana, Auentius: de Burgundicâ, Sigebertus: de Constantinopolitanâ, Paulus Diaconus: de generali orbis Romani, Zonaras.

Pestilentiæ celebres NOTÆ.

XXI. NEQVE existimes, hunc *Tributi* fatalis Exactorem non esse vbique metuendum, quod non nisi à meridianis partibus ad occasum Solis peruagetur. Jta quidem asserit Plinius. Sed dictum illud argui mendacij ab ipsomet Plinio obseruat Lælius Bisciola. Narrat enim ab Hippocrate venientem ab Illyrijs pestilentiam prædictam: Jllyris autem, Epiro, & Macedoniæ finitima, si ratio habeatur Græciæ, in occasu est. Ammianus etiam Marcellinus commemorat, Seleuciæ direpto, & aperto templi adyto quodam, Chaldæorum tabem exilijsse incurabilium morborum, qui Marci, & Veri temporibus, ab ipsis Persarum finibus ad vsque Rhenum, & Gallias omnia fœdarit. Et alibi refert, ab Æthio-

Plin. lib. VII. cap 50.
L. Bisciola lib XIV Hora Subseciua.
Ammia. lib. XXII.
Am lib. XIX

Æthiopiâ, versus Septentrionem, *Pestem* vniuersum ferè orbem populatam.

Constat *Pestem* Anni M.D.XIV. à Foro-Iulio ad finitimas regiones peruagatam. Anno M.D.XXIV. in ipsa Italia natam. Anno M.D.LXXVI. ex Germaniâ, siue ab Heluetijs deportatam ad Italos. Anno M.XXV. natam in Germaniâ, quâ tertia hominum pars confecta est, vt adnotauit Io. Cuspinianus.

Addit Bisciola in omni ferè terrarum tractu pestiferas esse quasdam regiones, à quibus, aut nunquam, aut raro *Pestis* auellitur. Vnde patet, etiam falsum esse, quod Plinius eodem loco scribit: nunquam ferè aliter, quàm hieme, malum illum hospitem sæuire, nec ternos menses excedere. Contrarium probat Germania, quam inter regiones pestiferas numerant Itali. Tholosæ aliquando, & in prouinciâ (inquit Iulius Scaliger *a*) tam diu perseuerauit, vt septennium superaret. Alibi quinquagesimum excessit annum, vt illa, quæ commemoratur ab Euagrio *b*, sub Iustino Imperatore, & à Nicephoro *c* totum fere terrarum orbem depasta: quæ nec certo, nec definito tempore cœpit grassari: sed alicubi ineunte hieme, alibi æstate, aut autumno, vel vere. Vt & illa, quam describit Sigebertus, vniuersum per orbem diffusa: in quâ multo plures perierunt, quam superstites relicti fuerint. Illa quoque, quæ sub Gallo & Volusiano Imper. per quindecim continuos annos incredibiliter vrbes omnes exhausit, de qua Zonaras Tom II.

*Regiones pestiferæ.*

*a Exerc. xxxx*

*b Lib. iv. Hist. E. cap 29.*
*c Lib xv i. cap 11.*

*Sig. An. M.VI*

At, à Senibus Pestis *Tributum* non exigit. Fallitur, qui id adfirmauit, aliorum dictis nimis credulus Plinius. In pestibus commemoratis, senes non fuerunt liberi ab interitu. Nec in Germania excipiuntur à pestilentia. Idem obtinere in Italia testantur Itali. Súntque in senibus ij humores, qui luem illam excipere possunt, ac fouere.

*Senes peste etiam intereunt.*

*Bisciol Lib. xiv cap. 9*
*Scal Exerc. XCIV.*

XXII. MAGIS tyrannicè & crudeliter idem mortalitatis *Tributum* exigit, tertius ordine Publicanus, cui nomen FAMES. Exempla aliquot seligo, auditu horrenda. Sed haud aliter ab hoc orbis vastatore mandatum Principis exequutioni redditur.

*FAMES.*

In Palæstina, quàm dirè sæuijt? *Facta est fames magna in Samaria: & tam diu obsessa est, donec venundaretur caput asini octoginta*

*Fames Samaritana.*

*argenteis: & quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis*, inquit diuinus Scriptor. Intereà crescunt cum vitijs augmenta famis: & peccata matrum, appetunt cadauera filiorum: & alternis vicibus mulieres duæ suos natos deuorare disponunt. Prô dolor! fame stimulante, in cibum pietas vertitur: in pabulũ suscepta soboles commutatur. Ante parricidium geritur, quàm ad funestas epulas veniatur. Anima artibus elicitur, & matrum viscera polluntur. Innocens sanguis effunditur, vt parentum fames rabida saginetur. Fixum illis est, horret Natura, insontis sanguinem fundere: innocentis carnes concoquere: decoctos artus auidis faucibus transuorare, vt natum conuertant in cibum, quem DEVS condidit in solatium.

*Lib IV. Reg VI. 5. Ioseph lib IX. cap. 4. S. Aug. Serm. CCXI de Tēp.*

*Mater mactat filium, vt comedat.*

Mactatur è filijs alter, coquitur, adponitur: cerne viscerum suorum carnifices furias. Postquam ad funestas epulas ventum est, vna alteram exhortatur. Recipe, recipe miseranda mater in viscera filium, nuper visceribus procreatum. Esto tui nati sepulchrum: esto eius corporis diuersorium: esto eius monumentum. Intra te, paululum comestus infans redeat; qui præ fame viuere iam iamque non poterat. Materni sinus, qui vitalem intra se nutrierant: & nutritum in lucem protulerant, particulatim sibi redditum cognoscant. Recipiat nũc comestum vterus, quem viuum ediderat partus. Repetat habitaculum mortuus, vnde nuper exierat viuus: quoniam fames vrget, necessitas cogit. Cur enim nato superstite, moriar, & non magis natum ego mater consumam?

*Certamen parricidarum.*

Deuoratus erat vnus, mactandus alter. poscitur ab illâ, quæ suum interemerat: subtrahitur ab altera, quæ suum sibi seruare auebat. Initur certamen: congrediuntur triuenificæ. Negat hæc se facturum in proprio, quod cum matre fecerat in alieno. Sufficit, aiebat, mihi sufficit tuo sceleri mulier consensisse: sufficit me funestas epulas degustasse: sufficit me innocentis carnibus mea me viscera polluisse. Crudele tecum participaui consilium, vt nefandum exercerem in filio parricidium. quod tecũ admisi, expiare non possum, nefandum scelus recusare non valeo. Esto saltem releuata in meo, quæ sic grauaris in tuo. Desine meo scelere: desine tuo grauiore commisso. Vtinam nec faceres tu, quod fecisti: nec ego scelus admitterem, quod incurri, vt homicidium facerem, & parricidium perpetrarem. Ex me disce, quid feceris: quia & ego per te merui, quod amiserim. Quare illud, quod cogis, non facio, quod suades, effugio:

effugio: quod ingeris, perhorresco. Sed minimè satisfactum fuit rabidæ belluæ, quæ iam natum suum condiderat in viscera. Itur ad Regem: noua instituitur certatio: enormitas sceleris patescit: caussa, quæ non alia, quàm fames, publicatur. Sceleratum factum prodit dolor: immane facinus pietas perfida denudat. Ardet insana mulier, quia parricidiũ, fame perurgente, fecit: ardet quia filium deuorauit: sed plus ardet, quia in communi caussâ post pactum, altera filium subduxit. Itaque Regem compellat, actionem instituit.

Aut ego, Rex iuste, cum hac moriar: aut certè, vt hæc meum, ita illius natum inuadam. Pactum nostrum iustitia iniqua, Iudex æquissime, confirma; quia ego nunquam natum meum occidissem: nisi sua illum occidendum amore placito locauisset. Ergo, Domine Rex, aut meum, qui comestus est, reddat; aut suum, qui absconditus est, prodat. Certè, vt dignum est, vtrasque nos pari sententia percute; ne aut ego, post tantum facinus, viuam: aut hæc sese gaudeat, non fuisse in suum filium parricidam. Rex horrescens famis crudelitatem, ad scelestissimarum mulierum facinus ingemuit, sciditq; vestimenta, sat gnarus non in vna familia constitisse Exactoris morosissimi tyrannidem.

XXIII. Longe autem acerbior fuisse putatur Jerosolymitana fames, de qua Iosephus, Hegesippus, Hieronymus. Certè in ea filijs non pepercerunt matres. Harum vnam refert Iosephus, ex opulentioribus, cùm filium brachijs teneret extremâ laborantem fame, his eum verbis compellasse. Quid de te faciã fili mi? Si famem, quâ domi premimur euaseris, hostilis te deuorabit gladius. si & hũc effugeris, dura te seruitus manet, & ad triumphum reseruatus, populo eris ludibrium. An non ergo modò perire satius. Paruulus gemens, vlulans, singultiens, & matris plorantis in genis plorans, dolorem illi, desperationem, ac furorem auxit.

*Fames Ierosolymitana*
*Ios. lib. vi c 1.*
*Lib vii. cap 7. & 8.*
*Heg lib 1.*
*Excid cap 44.*
*S Hiero. lib. 1. Comm in Thre cap. 1.*

Denuò, itaque, concepta rabie, tremente linguâ: Ah morere inquit, fili & intra viscera, è quibus prorepsisti, iterum te immitte Illi tu in alimentum cede, qui hoc te corpore donauit. Rursus in me viues: & ipsa per te, donec moriamur ambo. Eia dilecte, non diuellamur. Vix dixerat, & dicto citius dilectum pignus pugione transfodit, veru affigit, igne torret, & mediam tenelli corpusculi partem deuorat: alteram in diem posterum recondit. Milites canum instar rabidorum, fame exagitante, cibum vndique captantes, ad assæ carnis nidorem

nidorem fores effringunt: intrant, &, quam olfecerant, carnem proferri efflagitabant, vrgent, minitantur. Tacite respondet, belluâ immanior, parens: equidem hactenus fida vobis extiti: & aperto armario repostam filij medietatem extrahit, & hospitibus apponit. Detestatus facinus miles, stetit attonito similis: non mulier: quæ, vós-ne, inquit, matre, quæ genuit, mitiores, & delicatiores? Comedite, vorate, ipsa præiui, quæ peperi: illi horrore, pudoréque suffusi, pedem retulerunt.

Fames Scythica.

XXIV. POTVIT-ne spectari quidpiam crudelius? An fortasse hoc æquè dirum? Cyrus exercitum duxerat in Scythiam, vbi ad extremam rerum omnium penuriam redactus, fame pœnè deletus fuit. Sanè se mutuo milites cœperunt deuorare: interijssentque omnes in immensa quadam solitudine, nisi Arimaspi commeatum suppeditassent.

Persica.

Huic iugatur fames Persica: in qua sortiti ex seipsis, decimum quemque comederunt, rege Cambyse; quo spectaculo territus, intermisit, quam in Æthiopes expeditionem susceperat. Auctor Herodotus lib. III.

Sulcanica. Anno M. CCC. XXXVII. Villan. li. XII.

Quàm atrox illa fames: cuius meminit Villaneus, quum, viris omnibus peste absumptis, fœminæ in vrbe Alidia Sulcaniæ, mutuo se deuorarunt.

Seruia.

In Seruia, obsidente Sinderouiam Aurathe II Nouomontani & Samandrini ad illam famem redacti sunt, vt super obscenos cibos, etiam suas cogerentur manus rodere. vt narrat Cuspianus.

Moscouitica.

An M. D. LXIX.

Cùm Ioan. Basiliades Moscorum Dux, rusticorum ingentem multitudinem ad arcis regiæ extructionem misisset, & vetuisset annonas ad illos deuehi, ita à fame malè sunt habiti, vt nouem ex suo numero mactatos comederint. Quod scribit Alexander Guagninus in Moscouia.

Polonica. Anno M. CCCXV. XVII. XVIII.

Immitis etiam fuit Polonica, quæ magnam vastissimi Regni partem, ita vastauit, vt consumptis omnibus, quæ mandi poterant, cadaueribus, non abstinerent mortuorum: & liberi in parentes: hi sæuirent in liberos, vt *Tributum Mortis*, quod tam immaniter exigebatur, non persoluerent; referente Martino Cromero libro IX. rer. Polon.

Germanica. A. D CCC. XLIX.

In Germaniam delata Fames horrida, vniuersam deformauit anno D.CCC.XLIX. Quo tempore inuentus est pater, qui filium

ſium ducebat in filiam, eius necem cogitans, & ex illo ferales epulas: quas apparaſſet, niſi incurriſſet in ceruæ à lupis laniatæ cadauer, quo & ſe, & filium pauit. ex Sigeberto, & Chronico Hirſaugienſi. *Sig ad A.850.*

Gallia non minus ferocientem horruit: quãdo in agro Lingonenſi carnes humanæ coctæ publicè venum ſunt expoſitæ: vt tradit Rob. Ab. in Chronic. *Gallica. A.M CXLVI*

Nec Anglia fuit libera: in qua ſub Guilhelmo Rege depopulantibus inſulam Danis, renouata fuit memoria carnis humanæ guſtandæ. *Anglica.*

Quæ calamitas Scotiæ fuit communis Quod Regnum duabus diſſectum factionibus Eduardi Ballioli, & Dauidis Bruſij ad extremam rerum omnium redactum penuriam, vicinorum pueros, clam ſubducebat, vt ſe aleret. Æmilio ſcriptore. *Scotica. Æmil. lib. III*

An immunis Africa? in qua, poſt primum bellum Punicum, ſeditioſi Carthaginienſiũ ſtipendiarij, fame ſunt domiti, poſtquam captiuorum corpora, & ſeruorum crudeliter abſumpſiſſent. Narrat Sabellicus Ennead. IV. lib 9. *Africana.*

Hiſpani in ſumma inopia carnibus ſe pauerunt non ſemel Numantiæ à Romanis: Sagunti à Pœnis obſeſſi, vt Auguſtinus etiam memorat, lib. III. de Ciu. cap. 20. Iterum Perpiniani Gallis obſidentibus, vt refert Marinæus, libr. XVIII. Hiſpan. rerum. Cum non horruerunt cadaueribus Gallorum veſci, poſtea & ſuorum. Inuentæq; ſunt matres, quæ ſimul, atque fœtum ediderant, præ famis rabie, in illum iterum immiſerunt. Item, quæ ſuos liberos occiderunt, vt vorarent, vel ab alijs occiſos dentibus dilacerarunt. *Hiſpana.*

Calaguritani, qui & ipſi Hiſpani, vrbe à Cn. Pompeio cincta obſidione, vxores ſuas, ac liberos, macello deſtinarũt, mẽſis intulerũt, partem deuorarunt, partem ſalire, vt ſeruaretur, non dubitarunt. *Calaguritana. Valer. Max. lib VII. cap 6.*

*Calagirutanis nati, Vxoréſque fuerunt*
*Eſca, feras omnes, quas ſuperat feritas.* *Ioan. Breſſ.*

At fortaſſe nullibi frequentius, nullibi aſperius imperium de *Tributo* exigendo exequutus eſt hic Publicanus, quam in Jtalia. Cum ad Romam conſideret Alaricus Gothorum Rex, tanta fuit omnis annonæ caritas, vt in Circo audita vox ſit, *Pone pretium humanæ carni.* Siquidem in infantulos matres deſæuierunt. Scribunt Zoſimus lib. VI. Hiſt. & Sozomenus lib. IX. cap. 8. *Italica.*

Similem Vrbis calamitatem deplorat his verbis Hier. Epiſt. ad *Romana.*

 Marcel.

Carol. Sigon. lib. X. Occid. Imp.

Marcel. *Haret vox, & verba singultus intercipit: capitur Vrbs, qua totum cepit orbem. Imò fame prius perit, quàm gladio: & vix pauci qui caperentur reperti sunt. Ad infandos cibos erupit esurientium rabies, & sua inuicem membra laniarunt, dum mater non parcit filio, & recipit vtero, quem nuper effuderat.*

Placentina Sig. ib.

Iidem Romani sub Totila, in se, suaq; membra sæuos morsus conuerterunt, vt habet Sigonius lib. XIX. Imp. Occid.

Ticina.

Placentini etiam, eodem tempore, carnes humanas apposuerunt, nefaria se dape contaminantes.

Procopius de bel. Goth. Lib II.

Italiam, vastantibus Gothis, sub Iustiniano, tam fœdè fuit actũ, vt in solo Piceno, quinquaginta hominum millia fame interierint.

Mediolanẽs.

Gothis Belisarium in vrbe obsidẽtibus, duæ mulieres, viros septendecim per insidias noctu interfecerunt, & comederunt: ipsæ à decimo octauo, qui id agi senserat, cæsæ.

Tandem, Vitigis temporibus, B. Datius Episcop. Mediolan. auctor est in sua diœcesi mortui filioli carnibus sustẽtatam matrem. De his Blondus, Sigonius, Hermannus, & ex recentioribus, Iustus Lipsius, Lælius Bisciola, Petrus Cotonus, qui hoc addit.

NOTÆ.

Initio hæresis Caluinisticæ quinq; ipsis annis: ab anno scilicet M D.XXVIII. vsque ad XXXIII. tantam temporum fuisse confusionem, vt Æstatis locum occupãte Vere: Hiemis, Autumno, frumentum sub terrâ germinare non potuerit, quod formicæ, bruchi, erucæ, & limaces, granum, ac herbescentem caulem exederent. Inde tanta caritas, raritasq; omnis alimoniæ sequuta est, vt homines cateruatim siluas, & agros peruagarentur stipem quæritãtes: ditiores panem, è glande & filicis semine pinserẽt, nobiles ei furfures adderent. Duæ in Burgundiæ quodam pago mulieres, nesciæ, quo amplius cibo, famem propulsarent, herbam noxiam, cui scylla nomen, quæ porris & cepis siluestribus non absimilis omninò, auidè comederunt: quæ illas ita infecit, ac veneno suffudit, vt manuum, pedúmque extremitates lacertæ instar virerent, & de sub vnguibus toxicum extillarent: mox horrendùm inflatæ, extinguebantur. Quod fortassis, hæresis iam inualescẽtis fuit symbolum ac prognosticum.

Arabica fames

Cardan. lib. VIII. de var. cap. 45.

Nullam igitur orbis partem intactam relinquit tertius hic Publicanus, *Fames*, vt quam maximum *Tributum* colligat: eius gratia etiam in Arabiam se conferens. *Famem* namque Arabicam ex Auenzoare memorat Cardanus: qua premente, cadauera mortuorum fuêre eruta, medullas vt comederent famelici. Sed maior haud dubiè

biè fuit illa, quam ex Dione Nicæo nominat Xiphilinus, in Seuero, cùm Bizantij obsessi se mutuis morsibus impetebant, & vorabant. *Bizantina.*

XXV. QVOD si quis horum trium manus euaserit, illum excipit infallibiliter MORBVS, cuius plures sunt asseclæ, quàm hominis membra; ne quisquam se tutum existimet, licet aliqua corporis parte sit sanissimus. Capitis regiam inuadit mæror, catalepsis, lethargus. Oculos, suffusio, sugillatio, opthalmia. Aures, grauitas, sibilus, tinnitus, surditas, vermis. Nares, os, fauces, destillatio, grauedo, obstructio. Dentes, Odontalgia. Pectus, spirandi difficultas, tussis, asthma. Pulmonem, tabes. Latera, pleuritis. Ventrem, diarrhæa. Aluum, tormina. Intestina, dolor colicus, lienteria, ileus. Renes, nephritis. Lumbos, lumbago. Vesicam, stranguria. Pedes, podagra. Manus, chiragra. Articulos omnes, arthritis. totum corpus, hydrops, herpes, lepra, &, quo nomine, morborum infinitas species comprehendimus, *Febris*. *MORBVS.*

XXVI. IN Publicanorum numerum referri posset SENECTVS. Sed quid opus multiplicare? cui non notum istud: *SENECTVS*

*Senectus ipsa est Morbus.* *Terent. Thor. IV. 1.*

Imò *Mors*. Nam dicitur quidem *Senex*, quasi *Semi-nex*. Sed & *Senex*, *Mortem* significat. Sisenna. *Quoniam neque* MEA NEX *neque intercessio posse videtur illorum dementem reprimere audaciam*. verè Poëta:

*Hæ sunt primitiæ* Mortis: *his partibus ætas* *Cornel. Gal.*
*Defluit, & pigris gressibus ima petit.*
*Non habitus, non ipse color, non gressus euntis,*
*Non species eadem, quæ fuit ante, manet.*
*Labitur ex humeris demisso corpore vestis*
*Quæque breuis fuerat: iam modò longa mihi est.*
*Contrahimur, miróque modo decresimus ipsi:*
*Diminui nostri corporis ossa putes.*
*Nec cælum spectare licet: sed prona* Senectus
*Terram à qua genita est, & reditura videt.*
*Fitque tripes, prorsus quadrupes, vt paruulus infans:*
*Et per sordentem flebile serpit humum.*
*Ortus cuncta suos repetunt, matrémque requirunt:*
*Et redit ad nihilum, quod fuit ante nihil.*
*Hinc est, quod baculo incumbens ruitura* Senectus,
*Assiduo pigram verbere pulsat humum.*

*Et numerosa mouens, certo vestigia passu,*
*Talia rugato creditur ore loqui,*
*Suscipe me genitrix, nati miserere laborum,*
*Membra velis gremio fessa fouere tuo.*

*A Tributo nemo eximitur sine caussa.*

XXVII. ITAQVE, vt videtis, præclarè dictum est, *Mortem* viciatæ naturæ esse *Tributum*. Ex quo *Titulo* discas, Te, quis quis es, ab eo pendendo, non fore eximium. Quis id speret, si caussam non habeat: quam habere non potest, qui ab Adamo prognatus, culpæ est particeps. Nō vacaret reprehēsione Princeps, qui ita *Tributo* quosdam subderet, vt alijs: quorum æqualis est conditio, illud remitteret, & censeretur peccare, aut prodigalitate, aut iniustitia. Et Tu, DEVM velles in tui gratiam committere, quod absque nominis detrimento, fieri non posse haud ignoras! Hactenus quidem nulli facta est ab hoc *Tributo* persoluendo exemptio: numerabunt enim tandem omnes, quod semel est impositum: ne Tu ergo vana, inanique spe lacteris.

*Obligatio est soluendi Tributa.*

Sed illo etiam mitigabis instantis tibi *Mortis* superuacaneum metum, si memineris: Omnes obligari ad *Tributum* soluendum, vt constanter docent Theologi. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari*, inquit CHRISTVS: nempe *Tributum*, vt Interpretes monent. Et Paulus; *Reddite omnibus debita, cui Tributum, Tributum.* Quod cum DEO debere te fatearis: si ad illud persoluendum vocaris, quocumque tandem tempore, ne retrageris.

*Matth. XVII.*

*Rom. XIII.*

*Ouid. ad Liu.*

*Hoc rigidum ius est, & ineuitabile* Mortis.

*Tributum* à te exigitur, proportionatum, iustum, debitum. Quid tricaris? quid friuolè excipis? quid moras nectis? quid differri diem nequicquam postulas?

*Nulli iusso cessare licet.*
*Nulli scriptum proferre diem.*
*Recipit populus vrna citatos.*

Si tibi consultum velis, ad primam nominationem placidè annuens,

MORERE.

NOTÆ

# NOTÆ.

*III. & IV.* Mors naturalis.] *Mortem homini pœnam esse, definitum est contra Pelagianos à Concil. Mileuita. C. 1. Arausicano. Can.* I. *& 2. Clarè Concilium Tridentinum Sessione V. Si quis non confitetur primum hominem Adam, cùm mandatum* DEI *in paradiso fuisset transgressus statim sanctitatem, & iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse: incurrisséque per offensam præuaricationis huiusmodi iram, & indignationem* DEI: *atq; ideò* Mortem, *quam anteà illi comminatus fuerat* DEVS, *& cum* Morte *captiuitatem sub eius potestate, qui* Mortis *deinde habuit* imperium, *hoc est*, Diaboli, *totúmque Adam, per illam præuaricationis offensam secundum corpus, & animam in deterius commutatum fuisse, anathema sit.*

*Et mox. Si quis inquit stū (Adam) per inobedientiæ peccatum,* Mortem, *& pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse: non autem &* Peccatum, *quod est* Mors *animæ, anathema sit. Sæpe de hac re agit Augustinus. Legendus libr.* 1. *de Peccator merit. libr. de correpi & gratia. lib. Retract. cap.* XXVI. *Bellarminus libr. de Gratia primi hominis cap.* IX. *Molina Tract. de Oper.* VI. *duer. Disput.* XXVIII. *Greg. rius Valentia Tom.* 1. *Disp.* VII *Quæst* IV. *Punct.* 1. *&* 2.

§. *V.* Homo mori poterat.] *Mortem homini naturalem eo sensu vocari posse concedunt Interpretes S. Pauli Roman. r.* V. 12. *& vocat Sotus in* 11. *Disput* 19 *Vide Stapletonum in Antidotis Ep st. ad Rom. cap. V.*

§. *VII.* Proportio in Tributis.] *De hac disputant, & vniuersè definiunt Theologi* Titulo, Lex. *& casuum conscientiæ Scriptores,* Voce. Tributum, Gabella, Vectigal. *De* Tributo *à Roboamo imperato consule Ioann. Baptistam Vilalpandum Tom.* II. *libr.* V. *Disput.* 3 *Ioannem Pinedam, De rebus Salomonis, libro* IV. *cap.* 24. *Quantæ querelæ fuerint de* Numo decimo *in Belgis, Acta & nostri temporis historici testantur. Sed audi Belgam.*

Tributa *non nego grauia esse, quibus premimur: sed ita, si sola, & per se ea videas, non si componas cum priscis. Pleræque omnes prouinciæ sub Romano Imperio, fructuum ex agro pascuo,* Quintam *quot annis persoluere: vt Appianus libro* 1. *satis clarè innuit:* Decimam *ex agro aruo. Nec defuère Antonius & Cæsar, nouem, decémque annorum* Tributa *exigere in vnum annum. Iulio Cæsare interfecto, cum arma sumpta*

*pro libertate. singuli ciues* Vigesimam-quintā *omnium bonorū depēdere iussi. Et hoc amplius: Senatorij ordinis omnes in singulas ædium suarum tegulas*, sex asses. *quod aperte scribit Dio lib.* XLVI. *Quæ immensa fuit cōtributio, nostrisq; sensibus, nec credenda, nec reddenda. At Octauianus Cæsar (credo ratione sui nominis hab.tâ*, Octauam *omnium bonorum partem à libertis exegit, & accepit. Iustus Lipsius lib.* II. *de Constantia cap.* 23. *vbi plura huius generis.*

*§. XIII.* Bello mortui.] *Latissimus narrandi campus. Paucula exempla collegi è variis gentibus, plura Auctor Theatri* Volumine II. *libr.* VII. *Titulis* Mortui prælio terrestri: Vi aperta: Victoria cruenta: In acie cæsi: Cæsi vi occulta, insidijs.

*§ XVIII.* Bellum Belgicum.] *Colligit Carolus Scribanius, Originum Antuerpianar. cap.* 1. *De Ostenda Aubertus Miræus in vita Alberti Austriaci pag.* 38.

*§ XIX.* Bellum Bohemicum.] *Plurimis, seditione durante, potiti victoriis luculentissimis Catholici: nulla, sine Cælitum manifesta opitulatione, ipso hoste testante: Nobilissima fuit Pragensis: subsequta altera ad Rhenum in Archidiœcesi. Hochstensis: deinde VVinpinensis, tum Palatina, postea Gallo-Belgicâ, tandem VVestphalica. Consule Trophæa Monachcensia, & Gloriam Bellicam ab Ingolstadiensibus scriptam.*

*§. XX.* Pestis Tributi Exactor.] *Hic alter locus est longè amplissimus. ingentem exemplorum farraginē habet Auctor Theatri l. c.* Tit. Pestilentiæ memorabiles.

*De Peste Parisiensi Ritius Neapolitan. libr.* III. *Franc. Reg. de Genuensi Iacobus Bracellus libr.* IV. *Belli Hispanici. De Ruthena Cranzius libr.* XI. *VVandal ca.* 5. *De Scoticâ, Hector Boëthius libr.* XVI. *De Veneta Egnatius libr.* VI *cap.* 7. *De Francica Æmilius lib.* VIII. *De Neapolit. Sigonius lib. XV. Regni Ital. De Flandrica, Meyerus in Chro. Fland. De Rhenana, Auentitinus l br.* IV. *Annal. De Burgundica, Sigebertus An D.CCC XXIV De Cōstantinopolitana, Paulus Diaconus lib. XX. Rer. Rom. De generali orbis Zonaras Tom. II.*

*§ XXII.* Fames-Exactor.] *Proprius est Titulus in Theatro*: Inanitione, Defectu cibi, Fame mortui, *Huic adfinis*, Siti mortui.

*Consule nominatim, Blondum lib.* IV. *Decade* I. *Sabell. cum Enneade* VIII, *libr.* III. *Sigonium libr.* XIX *de Imp. Occid. Iustum Lipsium libr.* I. *de Constantia, ca.* 23 *vbi habet Pestis, Famísque priscæ insignia maximè exempla. Lælium Bisciola Tom.* I. *Horarum subsecivarum lib.* XVII. *ca.* 12. *Petrum Cotonum Concione* XVII. *de Morte.*

§ *XXV.* Morbus, Febris, Senectus.] *Et horum sunt exempla innumera, per locos digesta in Theatro* In

quo

*quo alij Exactores, quorum commemoratione locupletari potest hic Titulus.*

*Est* Fulmen, Naufragium, Terræmotus, Hiatus, *simili sexcenta*.

# COMMENTATIO XXXV.

## MORS

## CAPITATIO.

I. EST connexum proximè superiori *Symbolum*. Disputari enim posset: propriè ne magis *Mors, Tributũ* dicatur quam *Capitatio*? Nam si nominum ratio habeatur, *Tributum* vocari videtur, quod tributim persoluitur. Quo pacto *Comitia tributa* apud Romanos erant, in quibus tributim suffragia populus ferebat: sicut *Centuriata*, in quibus cẽturiatim: Curiata, in quibus curiatim. Quod autem tributim fit, sæpè singulos non contingit. Id de *Morte* dici non potest, quæ viritim, & per capita, nullo exempto, persoluenda est. *Tributum quid.*

II. AD *Capitationem* igitur propius accedit. Sic census vocatur, aut pensitatio, quæ per capita exigitur. Quâ thesauros Regũ, Dauidis, ac Salomonis, immensùm penè auctos Ioannes Baptista Willalpandus disputat. Sed multo magis augetur *Capitatione Mortis* ærarium Iustitiæ diuinæ, quomodo subterraneæ mortuorum fossæ concipiuntur, quàm vllo capitum censu, potentissimi ac opulentissimi Monarchæ nummarium repositorium. *Capitatio quid.* *Vilalp. To. II. Par. II libr. V. Disp. I. I. cap. 50.*

III. VERVM: ne nimis rigidi vocabulorum censores simus, & hoc ipsum *Tributum* appellari potest. Siue *Tributum* velimus dictum, cum Festo, quia ex priuato in publicum tribuitur: siue, cum Varrone, quod ea pecunia, quæ populo imperata erat, *tributim* à singulis, pro portione census, solueretur. Et Latinis vsitatum est, vt *Tributum* vocent quodlibet munus, quod à subditis soluitur. *Tributum vnde.*

Simili analogiâ MORS dicatur, CANON. Quo pacto, iam passim vocatur legitima & ordinaria pensitatio. Item, INDICTIO, VECTIGAL, CENSVS, PORTORIVM.

COM-

# COMMENTATIO XXXVI.

## MORS MVLCTA.

*Theramenis magnanimitas.*

I. THERAMENES, postquam Ephori capitis sententiam in illum pronunciassent, abijt ridens. Rogantibus, qui aderant, an etiam contemneret Spartanorum leges? Nequaquam, inquit, quin gaudeo potius, quod hæc mihi MVLCTA soluenda est, cùm eam nec indixerim cuipiam, nec à quopiam mutuo acceperim. Vir innocens nō accusauit patriæ suæ leges: sed hoc felicitatis esse iudicabat, quod mori iuberetur, qui neminem ad *Mortem* adegisset, nec cuiquam deberet vitam, nisi sibi. Facetè autē MORTEM, vocauit MVLCTAM, rem atrocem molliori vocabulo leniens. Iure verò cogitur soluere pecuniam, qui eam, vel extorsit ab alio vel mutuo sumpsit. Laudat hunc animum Plutarchus in Laconicis, ac Cicero, l. Tusculanarum.

*Adam Morte mulctatus.*

II. ET nobis, MORS est MVLCTA, qua ob commissum crimen, primum Parentem, eiusq; posteritatem omnem mulctauit DEVS, dum illum è Paradiso exclusit, bonis omnibus, naturæ gratuitò superadditis, exutum. Et Tibi hanc MVLCTAM scito dictam esse: ne, dum soluenda erit, Theramene gentili, & idololatra sis deiectior.

COM-

# COMMENTATIO XXXVII.

# MORS

# FILIA-PECCATI.

## NEPTIS-CONCUPISCENTIÆ,

*Concupiscentia, cùm conceperit, parit Peccatum: Peccatum verò, cùm consummatum fuerit, generat* Mortem.

Epist. Iacob. 1. 15.

---

BREVIARIUM.

1 *Peccatum, ceu fœmina, gestans vterum: cuius fœtus, Mors. Homo quilibet Vir. Concupiscentia, Meretricula. Hæc concipit, parit, educat Peccatū, Mortis, Matrem. Lis est in Mortis Genealogia, de Auo, Patre, Matre.*

2 *Peccatum consummatum. 1. quod opere externo completur. 2. quod consuetudine roboratur. 3. quod consensu interno perficitur. Tres motus Concupiscentiæ, Suggestio, Delectatio, Consensus: hic ad consummationem spectat.*

3 *Peccatum Mortale, sensu S. Iacobi, Mater est Mortis: cuius Auia, est Concupiscentia. quæ per se non est mala: ad malum tamen proritat. Lex carnis, & membrorum legi mentis repugnans.*

4 *In Adami & Euæ lapsu, imago est lapsus cotidiani. Serpens typus fit Delectationis: Eua Appetitus sensitiui: Adam, Rationis. Per Euam supplantauit Dæmon Adamum: Idem nos per carnis Concupiscentiam.*

5 *Serpens, Imago Diaboli. Mulier sensualitatis: Vir Rationis. A Diabolo principium est tentationis: eam suscipit sensualitas, grauidatur concupiscētia: generat Mortem.*

6 *Mors tum temporanea, tum æterna Concupiscentiæ est filia.*

7 *Partus peccati quatergeminus. Monstrum quadriforme. 1. Mors Corporis. 2. Mors animæ per priuationē gratiæ. 3. Mors animæ per negationē gloriæ. 4. Mors corporis in inferno, inflictione pœnæ*

8 *Pugnandum viriliter contra Concupiscentiam. Post concupiscentiam non eundem. Miser qui Concupiscentia traditur.*

9 *Impediendus est nobis partus Concupiscentiæ. Si pariat, actum est de vita: nam Mortem edit. Ne des consensum. Consensisti? quasi concubuisti.*

10 *Diabolus, Maritus est voluntatis improbæ, in quam immittit pestif.rum semen. hinc fœtus, peccatum: & huius, Mors.*

11 *Non solus Diabolus Mortis est Auus. Est ipse Homo, & in eo Natura vitiata.*

12. *Gradatim moritur, qui peccat. 1. incipit infirmari. 2. est prope Mortem. 3. incip t mori. 4. moritur,*

13 *Antithesis luculenta est inter conceptum Concupiscentiæ, & Deipara, tum in modo, tum in termino.*

14 *In Mortis genealogia est 1. Mater, Concupiscentia 2. Pater, Voluntas. 3. Illius semen, Titillatio. 4. Illius, consensus in fieri. 4. Filia, Peccatum. 5. Neptis, Mors.*

---

# *Ecclesia- Catholica- Orthodoxa Hyperaspista*

# Clerici.

*Fictiones Symbolicæ Iacobi Apostoli.*

I. AD *Symbolicam* hoc refero, cùm sit fictio personæ, altiore sensu, per signum corporale, quidpiam denotans. Formatur enim PECCATVM, vt mulier vterum gerens, quæ si non abortiat, MORTEM, vt primogenitam suam procreat, abominandum sanè fœtum. Sed non vnâ fictione rem tantam ingeniosus Apostolus ob oculos ponit: totam enim seriem procreationis, conceptus, & partus, velut in tabulâ, suis coloribus graphicè delineat. Primò enim, fingit hominem quemcumque libertate donatum, veluti *Virum*: & *Concupiscentiam*, tanquam *Meretriculam*, quæ improuidum, & thesauri sui non satis diligentem custodem, ad amorem, & amplexum solicitet, illecebrosis blanditiis. Hoc enim indicant voculæ, *abstractus*, & *illectus*. *Vnusquisque*, inquit, *tentatur à* Concupiscentia *sua, abstractus, & illectus*. Græcè ἐξελκόμενος, καὶ δελεαζόμενος; *extractus*, & *inescatus*. Deinde, fingit ex hominis in errorem inducti complexu, *Concupiscentiam* concipere: sicq; vterum aliquamdiu ferre. Postea parere prolem, nempe, *Peccatum*. Ad hæc, *Prolem* infelic ter editam, ex eodem viro: id est, patre suo, (ô abominandum incestum) grauidam, MORTEM g gnere. Atque ita, quemadmodum *Peccati Mater*, est *Concupiscentia*:

ita

ita *Peccatum* ( quod Græcis fœminino genere effertur, (ἁμαρτία) vt *Mortis Mater* concipi debet. Sanè, ficut de *Concupiſcentia* dicit Iacobus, τίκτει, hoc eſt *parit*: ſic de *Peccato* pronunciat, ἀποκύει, id eſt, *enititur*: Interpres latinus vertit, *generat*. Vtrumque autem ad fœminas parientes ſpectat.

Hæc ferè ſunt *Symbolica* huius imaginis membra, in quibus tamen denominandis, non omnes conueniunt. Quamuis enim *Mortis* genealogiam omnes in eâ agnoſcant, tamen in auorum ſerie,& recenſione totius generis. nonnihil mutant; Iucundum eſt autem, nec inutile, nominare poſſe, tam præclari fœtus maiores, vt certò ſciatur, cuiúſnam venuſta proles ſit primogenita. Itaque accuratè hic diſtinguendi ſunt, *Auus, Pater, Mater*, in eaq; nominandus *Vterus* ſemen recipiens, *Conceptus*, *Natiuitas*, ſeu *Partus*: nam omnia hæc *Symbolum* iſtud complectitur, & ab Apoſtolo indicantur. Qui, dum dicit, *Peccatum conſummatum* gignere *Mortem*; *Matrem* quidem huius, periphraſi quadam deſcribit, non tamen ita illius nomen exprimit, vt de eo non litigent nomenclatores. *Genealogia Mortis.*

II. QVODNAM enim eſt *Peccatum conſummatum*? An illud ſolùm, quod operis exterioris perpetratione complementum accipit? An, quod conſuetudine roboratur? An quod conſenſu interno perficitur? Variant docti Interpretes: qui in eo tamen conueniunt, quod à Iacobo diuerſi exprimuntur modi, quibus *Concupiſcentia* hominem ad malum perducit: *Peccatum conſummatum.*

1. Et quidem, Thomas, Gradus tentationum quattuor nominat: quorum *Primus* ſit *Delectatio*. qua homo allicitur: *Secundus* verò, *Conſenſus*, quo peccatum concipitur: *Tertius* autem, *Operatio*, qua peragitur, & eſt quaſi partus: *Quartus* tandem, *Conſuetudo*, qua conſummatur peccatum. Conſuetudine ergo firmatum *Peccatum* eſt *Parens Mortis*.

2. Gagnæius *Conceptionem* Peccati vocat *Delectationem*, quæ vſque ad conſenſum peccati perducit: *Partum* autem, & conſummationem, ponit in pleno conſenſu, externiq; operis exequutione, quæ deinde ſit *Mortis Genitrix*.

3. Rickelius Carthuſianus collocat *Primo* loco, *Delectationem*, quæ ſit veluti *Conceptio*, ac inuitet ad peccandum: *Secundo*, *Partum*, per plenum conſenſum, vt ſit Mortale interius: *Tertio*, *Conſummationem*, quæ conſiſtat in peccato Mortali exteriore. *Peccatum* autem ita con-

summatum, gignere *Mortem*, per consuetudinem, & obstinationem.

*Tres motus Concupiscentiæ a Hom. XVI. in Euang.*

4. Ven. Beda distinguens triplicem modum, quo tentatio agitur: seu tres Concupiscentiæ motus à Gregorio *a* nominatos, *Suggestionem, Delectationem, Consensum: Suggestionem* quidem considerat, non vt peccatum, sed caussam peccati: *Delectationem*, vt peccatum veniale; Consummationem, per plenum consensum: & hunc esse *Parentem Mortis*, nimirum, animæ, ac proinde, *Peccatum mortale.*

*b Lib 1. de Amiss. gr. ca. 9 c. T 11 Disp. 16. Sect 2 & 3. NOTÆ.*

Hanc Bedæ conceptionem probant, & illustrant, Robertus Bellarminus, *b* & Joannes Salas *c* qui, per *Concupiscentiam*, quæ, cùm conceperit parit Peccatum, intelligunt, Motum imperfectè voluntarium, ac proinde, Peccatum quidem, sed veniale: per peccatum verò consummatum generans *Mortem*, id, quod est Mortale. Sic enim defenditur facillimè distinctio peccati Venialis & Mortalis. Verum id aliis argumentis satis euincitur.

*Peccatum Mortale mater.*

III. NAM si Iacobi mentem spectes, de Mortali solùm loqui videtur, vt Nicolaus Serarius, & Ioannes Lorinus in eam Epistolam adnotarunt: opponitur enim, *Corona vitæ, Peccatum*, eiusque partus. Quod si ita est, vt *Symboli* membra rectè constituantur, distinguere oportet, *Conceptionem peccati*, & illius *Natiuitatem*, quod postrema expositio non satis commodè facere potest. Certe id quod concipitur, postea nasci solet. Præterea in illa sententia, *Concupiscentia* inducitur, quæ & *Mater* sit *Peccati*, & *Mortis Genitrix:* diuersitatem verò agnoscit Græcus æquè, ac Syrus: ita vt *Concupiscentia* pariat quidem *Peccatum:* hoc verò generet *Mortem*: ac proinde *Concupiscentia, Mortis* sit *Auia*, non *Mater*.

*Concupiscentia auia.*

*Ordo procreationis Mortis*

Itaque Doctores, quos laudauimus, cum iisque Caietanus, Petrus Steuuartius, Salmeron, Estius in hunc ferè modũ huius procreationis ordinem concipiendum existimant. *Primò*, est homo, in quo est Ratio, Voluntas, Concupiscentia, Sensus. In sensum plurima incurrunt, pulchra, amœna, suauia. *Secundò*, igitur *Concupiscentia*, ad similitudinem fœminæ concipientis, accipit variorum obiectorum semen, siue acerborum, siue iucundorum; tum eorum, quæ vltrò se offerunt, tum, quæ ingeruntur ab alio, seu homine, seu dæmone. Hi autem dici possunt *Primi motus*, in quibus nondum est peccati malignitas, & à Beda vocatur, *Suggestio*; quod nomen retineri potest, quamuis non sit caussa extrinseca suggerens. *Tertiò*. hunc in modum grauidata *Concupiscentia*, eadémque stimulata propensione

pensione naturali, Rationem adgreditur, quam sollicitat, tum ab iucundis, molestisque retrahendo, tum ad suauia aduocando: prætereà abstrahendo à virtute, præceptis diuinis, ipsóque DEO, & ad creaturas, ac scelera conuertendo, vt sibi obsequatur. Hoc si assequatur, & ratio interius deliberatè consentiat; *Quartò*, partus consequitur, & quod conceptum fuerat, in modum prolis editur, ac nascitur, expectatus nimirum infans, quod *Peccatum* dicitur. *Quintò*, adolescit tam infelici prognata sidere filia, vel exequutione operis externi, vel sine hoc, interna iteratione, ac consuetudine: maximè, si hæc opus externum respiciat, vel perseuerantia in illo, & obstinatione, absque iteratione alia. Hoc verò nominatur *Peccatum consummatum*. Quod, *Sextò*, *Mortem* generat: nempe, quia reipsa, & actu in gehennam percipitat, quæ dicitur, *Mors secunda* respectu reatus, prius contracti; & propter *Mortem gratiæ*, quâ moritur anima, subitò, ac peccauit.

Quæ quidem *Mors* intuitu *Mortis* æternæ, est instar conceptus. Quare à tempore peccati, in anima generati, simul concipitur *Mors animæ*, & gestatur quodammodo in vtero, donec peccator, post consummationem peccati, id est, perseuerantiam in illo, vsque ad finem vitæ, quod aliquando est vnicum, nec iteratione repetitur, in quo quis moritur, æternis supplicijs addicatur.

Est igitur *Concupiscentia*, primò virgo nullis fœdata criminum maculis, non mala per se, quamuis ad malum inclinet, cùm sit fomes, lexque carnis, ac membrorum, repugnans legi mentis: posteà fit *Mater Peccati*, & *Auia Mortis*, quam idcircò rectè diximus, *Concupiscentiæ Neptem*, & *Filiam Peccati*. Quod siue internum tantùm, siue simul externum, si ante *Mortem* corporalem non retractetur, generat *Mortem* æternæ damnationis, trahens ad pœnam æternam, vt exponit Iacobus de vitriaco. Peccatum quidem lethale statim gignit *Mortem* animæ & reatum *Mortis* æternæ, seu damnationis. Hæc tamen generatio est solummodò conceptio quædam, si comparetur, cum reali *Mortis* infernalis præsentia.

*Concupiscentia non est per se mala.*
*Rom. 7. 23.*
*Dom 11. post Pascha.*

IV. POTEST hoc *Symbolum* illustrari historia primorum parentum, quâ miserabilis ipsorum lapsus enarratur, & prima *Mortis* generatio. Erant ibi tres personæ: *Serpens*, sub quo latebat *Dæmon*, *Adam*, *Eua*. Dœmon à Serpente venit ad virum, mediante muliere, quæ *Mortis* fuit caussa. Et quidem Origenes, *Serpentis* nomine

*Adami, Euæq; lapsus.*

*Delectationem* significari existimat. Vt enim in peccato primorum parentum, tres fuêre, qui ad consummandum peccatum operam præstarunt, ita in quolibet peccato, quod *Mortem* generat, reperitur *Delectatio* tanquam *Serpens*; *Appetitus sensitiuus* infirmus ad resistendum, *Delectationi*, tanquam, *Mulier*: & *Ratio*, ab appetitu sensitiuo sollicitata, eique tandem consentiens, tanquam *Adam*, delitias suas nolens offendere.

*Schema tentationis.* A qua interpretandi ratione, non est alienus S. Augustinus, modò pro *Symbolica* habeatur eius expositio non exclusa litterali. Sic enim scribit in Psal. XLVIII. *Quomodo Adamum, per Euam supplantauit Diabolus: sic nos per carnem vult supplantare*, id est carnis concupiscentiam. Et lib. II. de Genesi contra Manichæos. *Etiam in vnoquoque nostrum nihil aliud agitur, quum in peccatum quisq. dilabitur, quàm tum actum, est in illis tribus, Serpente, Mulìere, & Viro.* Nam primò fit *Suggestio*, siue per cogitationem, siue per sensus corporis. Quæ *Suggestio* cùm facta fuerit, si cupiditas nostra non moueatur ad peccandum, excluditur Serpentis astutia: si autem mota fuerit, quasi Mulieri persuasum erit. Sed aliquando *Ratio* viriliter, etiam commotam Cupiditatem refrenat, atque compescit. Quod cùm fit, non labimur in peccatum, sed cum aliquantula luctatione coronamur. Si autem *Ratio* consentiat, & quod libido commouit, faciendum esse, decernat, ab omni vita beata, tanquam Paradiso, expellitur homo. Iam enim peccatum imputatur, etiamsi non subsequatur factum: quoniam rea tenetur in consensione conscientia. Breuissimè Franc. Georgius Venetus in Problematis: *Consummatur peccatum: quando Superior pars deteriori præbet assensum, vel illam sequitur. Quod primus parens effecit, qui Mulieri obtemperauit.*

*Lib. II. cap. 4*

*Tom IV. Sect. VIII. Probl. 454.*

V. ENVCLEATIVS hæc exponunt Theologi, cùm de caussa peccati disputant, & de peccato originali. Statuunt enim *Serpentis* imagine intelligi vel *Diabolum*, vel *Sensitiuam* hominis cognitionem, per quam proponitur obiectum. *Mulieris* hieroglyphico indicari *Appetitus* inclinationem in obiectum propositum, ac consensum in delectationem. Quoniam autem, motio in rem propositā est actus appetitus sensitiui: consensus autem in delectationem reuocatur ad *Rationem* conuenientem Appetitui, ideo *Mulier* comparatur partim *Appetitui sensitiuo*, vti fit ab Augustino, loco indicato, partim *Rationi*.

*Caussa Peccati*

Sed

Sed quoniam *Vir* proprium est *symbolum Rationis*, estque Muliere superior; diuidi solet *Ratio* in duplicem portionem, quarum prior dicitur, *Ratio inferior*, cuius functio est, *Primò*, versari circa obiecta inferiora. Deinde, examinare eadem obiecta ad motiua quædam inferiora, qualia sunt naturalis honestas, ac leges humanæ. *Tandem*, consentire aut dissentire circa eadem: non quidem actu perfectissimo, qui altiùs habet principium, sed minus consummato. *Ratio inferior.*

Posterior, *Rationis superioris* nomen habet, eiusq; officia sunt, *Primum* quidem, versari circa obiecta superiora, ac diuina per se, ac primariò; secundariò autem circa inferiora, veluti subditarum sibi potentiarum. *Ad hæc*, examinare obiecta omnia ad regulas diuinas. *Denique*, consentire in id, quod est in re proposita perfectissimum. Atque ita consensus in delectationem, tribuitur parti Inferiori, consensus in actum, Superiori. *Ratio superior.*

Hæc ingeniosè accommodat S. Augustinus *Serpenti* suggerenti, *Mulieri* annuenti, comedenti, virum irritanti, & *Adamo* consentienti. *Cùm huic intentioni mentis*, inquit, *quæ in rebus temporalibus, & corporalibus, propter actionis officium, ratiocinandi viuacitate versatur, carnalis ille sensus, vel animalis, ingerit quandam illecebram fruendi se, id est, tanquam publico, atque communi, quod est, incommutabile bonum, tunc, velut* Serpēs, *alloquitur fœminam. Huic autem illecebræ consentire, de ligno prohibito manducare est. Sed iste consensus si sola cogitationis delectatione contentus est: superioris verò auctoritate consilij, ita membra continentur, vt non exhibeantur iniquitatis arma peccato sic habendum existimo, velut cibum vetitum sola mulier comederit. Si autem in consensione malè vtendi rebus, quæ per sensum corporis sentiuntur, ita decernitur quodcumque peccatum, vt si potestas sit, etiam corpore compleatur, intelligenda est illa mulier dedisse viro suo, secum simul edēdum illicitum cibum.* *S. August. lib. XII. de Trin.*

Quæ subtilius examinare, & secundum regulas Scholasticorum, non est huius loci: cum *Ratio superior* aliquando etiam consentiat in delectaitonem: & *Inferior* in actum: Sat hîc habeam dixisse, cum D. Bonauentura: *In illo modo tentandi sensibili, cognoscimus nos modum, & progressum tentationis inuisibilis. Et sicut ille à serpēte venit ad virum, mediante muliere: sic iste, à sensualitate peruenit ad superiorem portionem Rationis, mediante inferiore.* Idem notat Fr. Georg. Venetus, in Problematis docens: Quod à diabolo sit principium tentationis: Concupiscentiam esse medium, & instrumentum quoddam quo Diabolus *Modus tentationis antiquissimus.* *S. Bona in II. Dist. XXI Q. 3.*

lus vtitur, cui homo consensum accommodat. Sic igitur per plenè deliberatum consensum nascitur *Malefica*, quam *Peccatum* dicimus, quæ Mortem, *vt* Filiam, generat.

Fran. Suar. To. IV. Sect. VIII. Prob. 455.

VI. ET quam *Mortem?* non solùm illam damnationis, seu gehennæ, de qua potissimùm sermo erat Iacobo, vt præter citatos, docet Fulgentius lib. I. ad Monimum cap. 5. Cromatius in Matth. cap. v. Theodorus Studites in Sermo cxiii. verum etiã, temporaneam. Nam vt disserit Vrbanus Papa IV. in Psalmum quinquagesimum: *Peccatum* gignit *Mortem momentaneam corporis*, per animæ ab hoc ipso separationem: deinde verò *Animæ*, per subtractionem gratiæ, quæ eius est vita: inducendo etiam priuationem iuris ad gloriam, ac procurando obligationem pœnæ perpetuæ: nimirum, tum *Damni*, quæ in Scholis est ipsa gloriæ priuatio: tum *Sensus*, quæ si animam separatam spectet, significat dolorẽ: qui post resurrectionem erit in composito animato, sensibilis.

Partus Peccati quatergeminus.

VII. ITAQVE non inconcinnè fingimus vno partu eijci à meretricula, *Peccato*, quatergeminas filias, nisi Monstrum malis efformare quattuor capitum. Certè quadruplex *Mors*, est proles vnius illius *Matris* maledictæ: *Prima*, Corporis, quæ communis est omni homini, & bruto: *Secunda*, Animæ, per amissionem gratiæ. *Tertia* item animæ, per priuationem gloriæ, cum dolore. *Quarta* iterum corporis, post resurrectionem, cum in illo erit dolor sensibilis, & mori volens, mori haud poterit, vt ita semper moriatur. Quamuis autem anima humana veraciter immortalis perhibeatur. vt loquitur Augustinus, habet tamen quandam & ipsa *Mortem*, cùm eam deserit anima, quia vita animæ, inquit, DEVS est. Idemque obseruat Nazianzenus Orat. XIX.

Aug. lib. XIII. de Ciu. cap. 2.

Concupiscentia non est peccatũ.

VIII. PORRO, ne sine fructu, in sola contemplatione huius imaginis hæreat intelligentiæ obtutus, colligamus nonnulla, quæ vsum habeant, & à sanctis Doctoribus obseruata sunt. Quorum primum sit, quod anteà insinuabam, & nostri temporis Sectarios torquet: Concupiscentiam neque peccatum esse originale: neque primum illius motum, esse actuale peccatum, etiam veniale, donec partus prodeat: qui puidem partus, sensu Apostoli, spectat ad *Peccatum Mortale*: licet, secundum analogiam, gradus illi, superius nominati, conuenire possint *Peccato Veniali*, cuius tamen filia non est *Mors*, licet eius quoque proles sit *Macula*, quâ animum inficit. Itaque monet Augustinus

Augustinus non semel, inuoluntarios carnis motus absque culpa esse tum in vigilante, tum in dormiente. Pugnandum autem viriliter esse contra Concupiscentias nostras, quæ dimissis in Baptismo peccatis, remanent: cum quibus regenerati assiduè bellum gerunt, & post luctam recipiunt coronam. In nobis autem est, cum diuina gratia, vt ijs resistamus, & post illas non eamus. Væ autem ijs, qui ob sua demerita traduntur in concupiscentiam cordis sui, erit illis pessimè in tempore nouissimo. Eccl.xv:11.30. Rom 1.24.

IX. Deinde, extremè laborandum nobis, si vitam nostram diligimus, ne Concupiscentia pariat: nam si semel prolem edit, quæ sit *Mortis* mater, non est nostræ potestatis, abortum procurare, nam certò certius *Peccatum* generat *Mortem*. Potest quidem contingere, vt Concupiscentiæ conceptus ad maturitatem non perueniat, sicque illa abortiat, antequam sit tempus pariendi: non potest tamen fieri, vt eius filia, *Peccatum*, si lucem aspexerit, fœtum perfectũ non edat. Est enim lex æterna: *In quocumque die peccaueris*: id est, quocumque tempore, quocumque momento: eo ipso, quo peccas, *Peccatum* parit *Mortem*: vt Sol, quàm primum esse incipit, radios vibrat: sunt enim necessariò hæc connexa: quod in Concupiscentiæ conceptu, & generatione nõ accidit. Ideoq; danda est opera, vt vel conceptus Concupiscẽtiæ dissipetur: vel, quod est tutius, vt non concipiat: non enim parit, nisi conceperit: non concipit, nisi illexerit: id est, ad malum perpetrandum, obtinuerit voluntatis consensum. Impediendus partus Concupiscentiæ.

Igitur, *noli consentire Concupiscentiæ tuæ* suadet Augustinus. *Non est, vnde concipiat nisi de te. Consensisti? quasi concubuisti in corde tuo. Surrexit Concupiscentia? Nega te illi: noli eam sequi.* Concupiscentia cùm conceperit, parit peccâtum: Peccatum verò, cum consummatum fuerit generat Mortem. *Ergo ne abstraharis à Concupiscentia tua. nega te illi, noli eam sequi: illicita est, lasciua est, turpis est: alienat te à DEO. Noli dare consensionis amplexũ, ne plãgas partum. Quia si consenseris. id est si amplexatus fueris, concipit.* Cùm autem conceperit, parit peccatum. *Nondum times?* Peccatum generat Mortem. *Vel Mortem time. Si peccatum non times, time quo perducit peccatum. Dulce est peccatum, sed amara est MORS. Ipsa est infelicitas hominum Propter quod peccant, morientes hic dimittunt, & ipsa peccata secum portant* (adde peccati sobolem *Mortem*, quæ æternùm cruciabit) *Peccas propter pecuniam? hic dimittenda est. Peccas propter villam?* August. lib. L. Homiliar. in 41. cap 8.

*hic dimittenda est. Peccas propter mulierem? hic dimittenda est. Et quicquid est, propter quod peccas, quando oculos in* Morte *clauseris, hic dimittis: & ipsum peccatum, quod committis,* eiusque partum, Mortem, *tecum portas.*

*Voluntas mariti instar.* Caue igitur, ne Concupiscentiæ voluntatem accommodes. Concupiscentia per se non parit *Peccatum* absque voluntate. Hæc illius est *Coniunx* hæc instar Mariti est, quatenus, per consensum suũ liberum, efficit, vt actus facultatis concupiscentis, qui loco cuiusdam seminis fœminini est, veluti formetur, & erumpat, tanquam in fœtum peccati. *Consensisti,* inquit Augustinus: *quasi concubuisti in corde tuo.* Itaque ipse *Homo*, qui peccat, *Concupiscentiam* suam impraegnando, vnde deinde *Mors* oritur, *Auus* est *Mortis*.

*Diabolus maritus improbi a Hom. XIII in Iosue.* X. ALIA fictio est Origenis, *a Improbi hominis anima,* ait, *Diabolum Maritum habet, ex quo eiusmodi edit sobolem*: & dolet, quod cõiunctio animæ nostræ fuerit primò cum malo viro, & marito pessimo, Diabolo. Quam contemplationem Adamantij promouet in Sacræ *b Tom. IV. Sect. VIII. Problem. 451.* Scripturæ problematis Franciscus Georgius Venetus *b. Quærit*que, Quomodo concupiscentia concipiat, & pariat nisi ab aliquo grauidetur? *Respondet*: Nonne sicut DEVS seminat semen suum, verbum diuinum videlicet: Ita Diabolus, velut Simia, DEVM malè effingẽs, conatur in parte animali seminare malum semen, malæ, & lethalis concupiscentiæ contra regulas diuinas? sicut fecisse legimus in prima muliere, partem hanc animalem repræsentante. Quæ quidem pars animalis, dum conceptum illum à Diabolo seminatum, in opus producit, siue internum, siue externum etiam, parit *Peccatum*: hoc verò consummatum, generat *Mortem. Diabolus* igitur quemadmodum *Maritus* est animæ peccatricis, ita *Auus* est *Mortis*.

Quærit idem Venetus, cur Peccati partus dicatur MORS. An id habeat ab Auo, an verò à propriâ malignitate? Nam fœtus ille seminatus fuit ab *Angelo Mortis*, qui est *Diabolus*: & infert *Mortem* animæ, priuans ipsam participatione arboris vitæ. Hinc dictum fuit primo parenti: *Quacumque hora comederis de ligno,* id est, contra legem feceris, *Morte morieris*: quia videlicet, separaberis à DEO, sine quo anima moritur: sicut corpus, abeunte anima, occidit.

*Auus Mortis.* Conuenit Thomas Anglicus insignis Commentator Epistolæ D. Iacobi in designando *Mortis Auo*: disquirens enim de concupiscentiæ conceptione, quam putat esse de consensu operis, aut morosæ delectationis, quæ est quasi occulta formatio maligni fœtus, ait,

ait, illam esse ex Diabolo, tanquam *Patre* agente, & tanquam semen immittente: ex *Concupiscentia* tanquam *Matre* suscipiente, ac consentiente. Quò spectat, quod rebellis populi Hebræi pater dicatur Amorhæus, & mater Cethæa. Sed quid clarius, quàm quod Christus, *ex Patre Diabolo* esse improbos pronunciat? Nam reuerà: *Ezech. XVI. 3. 45. Ioan. V. 44.*

*Inuentor vitij, non est DEVS: Angelus illud*
*Degener, infami conceptum mente creauit.* *Prudent. in Hamartigenia*

XI. Non existimes tamen, solum *Cacodæmonem* esse *Mortis Auum*, vel illum semper esse. A quocumque *Concupiscentia* concipit: ille *Parens* est *Peccati*, & *Auus Mortis*. Præterquam autem, quod à *Diabolo*, grauidatur etiam *Concupiscentia* à *Natura* iustitiæ primigeniæ donis destituta, adiuuantibus ad illud ipsum caussis extrinsecis, tum ad voluptatem, tum ad iram, indignationem, aliósque affectus prouocantibus: accedente etiam improborum consuetudine, suggestione, ac irritamentis: qui Diaboli partes agunt egregie. Concinnè Nazianzenus in Carmine: *Natura Concupiscentiam impregnat.* *Tetrast. Sent. LII.*

Τὶ πάντα τὸν δύϛηνον αἰτιμώμεθα
ἐχθρὸν, διδόντες τῷ βιοῦν ἐζουσίαν:
μέμφου σεαυτὸν, ἢ τὸ πᾶν, ἢ τὸ πλέον
τὸ πῦρ παρ' ἡμῶν, ἡ ἢ φλὸξ τοῦ πνεύματος.
*Quid culpam in hostem semper vertimus,*
*Cum nostra præstent robur ipsi crimina?*
*Te criminare prorsus, aut certè magis*
*Ignis tuus: nam flamma vera Dæmonis.*

Originariè tamen omnis Concupiscentiæ conceptus in Cacodæmonem referri potest, vt Parisiensis Cancellarius animaduertit. Suadente enim Diabolo siue per se, siue per suos, proximè, aut remotè, Concupiscentia concipit, & parit: quo loquendi modo vtitur Canon de percutiēte Clericum *a*. Alioquin rectè negant Theologi peccatum omne esse à Diabolo immediatè, quos longo ordine nominat Ioan. Salas *b*. Et fertur malus Spiritus, cùm, nescio quis improbus, tentationis originem in eum referret, luculenta alapa inflicta, mendacem arguisse. Fatetúrque Augustinus, non semper immitti à malo genio proximè tentationem omnem: sed quemque ad peccandum tentari, innato præ cupiditatis fomite, & incentiuo, si. q; in diuersa peccata moueri. *Tra. 11. de cogi. et pecc. Consid. 15.* *a XVII Q. 4. c. Siquis suadente.* *b P. II. Disp. L. Sect. 3.* *S. Aug. lib. II. de Gen. contra Manich. ca. 14 Et Tr. s. LVII.*

XII. Porro, quemadmodum sunt gradus in generatione

*Mortis*, & in eius maioribus, nam concipitur, & nascitur: agnoscit *Auum, Patrem, Matrem*: ita gradatim moritur, qui Concupiscentiæ suæ obsequitur, & conceptus illius est caussa. Explicat id ingeniosè Doctor Angelicus, dum illustrat historiam de filio Reguli Euangelici, qui incipiebat mori, vt est apud Ioannem capite IV. Quando enim tentatur quis, incipit infirmari: sed quando tentatio præualet, ita, vt inclinet ad consensum, est propè *Mortem*: quando autem consentit, incipit mori: cùm verò consummatur peccatum, moritur *Morte* peccatorum pessima, quæ hic incipit, & in futuro, absque fine, terminatur.

*Ioan.* IV 49. *Lect.* 1.

*Psal.* XXXIII. 21.

*Antithesis conceptus Concupiscentiæ, & Mariæ.*

XIII. A quâ *Morte*, vt præseruemur, castâ prece supplicemus illi, quæ *Vitam Mortis* debellatricem mundo edidit. Quam vt magis æstimes, quamuis, quomodo non summè æstimes mortalium, cœlitúmque Reginam, & DEI Matrem? Si tamen accedere quidpiam potest, ad illam æstimationem, quam de *Dominatu* habes: contemplare antithesin conceptus, partúsque virginei, cum illo, quo à nobis *Mors* procedit. Concepit illibata Virgo, in qua lex carnis, siue fomes peccati, extinctus omnino fuit: vel aliquamdiu ligatus, vt loquuntur Theologi, sed extinctus posteà: concepit, dico, diuino illam imprægnante, per aurem, Spiritu: nostram Concupiscentiam, vel Satan, vel malefica voluptas, vel male suada natura grauidat. Quid concepit? Hominem plenum gratiæ, & veritatis. An hominem tantùm? imò, Θεάνθρωπον, DEVM-HOMINEM. Quid nos concipimus? furiam infernalem, vel si quid illâ detestabilius, *Peccatum*. Illa generi humano peperit DEI Filium, salua virginitate: nos profligata castitate, quam Diaboli contubernio fœdamus, per consensum, Cacodæmonis filiam edimus, *Peccatum*. Illa mundo salutem, vitámque perpetuam, partu suo, generauit: nos ex filia, *Neptem* gignimus, matri simillimam, quam *Mortem* dicimus, tum gratiæ, & animæ; tum vitæ, & corporis: tandémque, nisi mactata filia, fœtum etiam illius teterrimum contrucidemus, quod contritionis clauâ possumus, *Mortem* sempiternam.

*Genealogia Mortis*
*Cornel. à Lapide ad Rom.* VII.

XIV. VIS breuiter omnia *Symboli*, hactenus explicati, membra: & totam *Mortis* genealogiam, cum gradibus consanguinitatis, & affinitatis? Accipe illam, tanquam in tabula pictam, penicillo Interpretis eximij. *Mater* Peccati, est *Concupiscentia* habitualis. *Pater*, libera

libera *Voluntas*: *semen matris*, est titillatio, seu *Delectatio*, quam ingerit Concupiscentia. *Semen Patris*, est *Consensus* voluntatis in fieri. *Proles*, est *Peccatum*, in facto esse: Proles hæc vel est imperfecta, vt *Embryo*, & fœtus incompletus. Talis est, *Peccatum veniale*, ex indeliberatione commissum. Vel, est proles omninò formata. Talis est, *Peccatum mortale*, omninò deliberatum: & consensu voluntatis consummatum. *Neptis* verò huius patris, & matris, est MORS, tum præsens, tum futura, & gehennæ æterna.

---

# NOTÆ.

*§. II.* BEllarminus.] *Libr.* 1. *de Amissione gratiæ cap.* 9. *existimat S. Iacobum Apostolum distinguere Tentationem à Peccato, & Peccatum à Crimine: ita vt constituat tres Motus Concupiscentiæ. Vnum inuoluntarium, quo quis ad peccatum incitatur sine vllo consensu: atque hic est caussa peccati, si accedat consensus. Alterum imperfectè voluntarium, ideóq; peccatum quidem, sed veniale. Tertiũ perfectè voluntarium, qui sit peccatum mortale. Quod adprobat Ioannes Salas P.* I *dæ. Tom.* II. *Tract.* XIII. *Disp.* XVI. *Sectio.* 2. *&* 3. *Idem repetit Bellarminus libro V. de Amis. Grat. cap* 7.

§. *VII*, Mors animæ.] *Ezechiel.* XVIII. 4. Anima quæ peccauerit ipsa morietur. *Vide Gregorium Nazianzen. Orat.* XIX. *Et Interpretes ad illud.* In quocumque die comederis ex eo, morte morieris; *Genes.* II, 17.

*§. VIII.* Concupiscentiã non esse peccatum.] *Intellige propriè dictum & formaliter. Hoc constantissimè contra nostri temporis sectarios adfirmant omnes Catholici, antiquos sequuti Patres, imprimisque Augustinum ex cuius omnibus Tomis id demonstrat Bellarminus lib. V de Amissione Gratiæ cap.* 8. *fatetúrque Caluinus, qui sic scribit lib.* III. *Institut. cap:* III. *§.* 10. Neque opus est multum inuestigãdo laborare, quid hic veteres sentiant, quando vnus Augustinus sufficere ad id potest, qui fideliter, magnáque diligentia omnium sententias collegit. Ex illo igitur sumant Lectores, si quid de sensu antiquitatis habere certi volũt. Porro inter illũ, & nos hoc discrimẽ est, quod ipse quidẽ Concupiscẽtiæ morbum Peccatum vocare non audeat, sed ad illum designãdũ infirmitatis nomine contentus,

tus, tum demum fieri peccatum, docet, vbi vel opus, vel consensus accedit. Nos autẽ illud ipsum pro peccato habemus, quod aliqua omninò cupiditate homo titillatur. *Vide Confession. Augustinianam Hieronymi Torrensij libr. II. cap. 2.*

Peccati Venialis proles, Macula.] *Disputant Theologi. S. Thomas P. IIdæ. Quæst. LXXXVI. Art. 1. & 2. tum Quæst. CIX. Art. 7 putatur tanquam proprium effectum peccati mortiferi Maculam constituere: quod Macula non videatur esse aliud, quàm priuatio gratiæ, quæ est animi nitor, & cultus.*

*Sed Alexander Part. IV. Quæst. XV Mem. III. Artic. III. § 4 scribit: Veniale peccatum esse natura sua Maculam, & tenebras.*

*S. Bonauentura in II. Dist. XLII. Art II. Quæst. I. & Argentin. in II. Distinct. XLII. Quæstio. I. Artic. II. Concl. I. ad 2 distinguunt hoc modo: Aut macula est priuatio gratiæ, quæ est mentis munditia, & decor. ac tunc venialis culpa non est Macula, nec inducit Maculam in animam. Aut Macula dicitur actus carens bonitate, & honestate, quam actio hominis voluntaria debet habere: & tunc culpa venialis, hoc ipso, quod malũ in moribus est, ac DEO displicet, censetur macula.*

*Similis est distinctio iuniorum. Peccatum Mortale infert menti Maculam, quæ est priuatio gratiæ, quam excludit ab anima, vel excluderet, si eam reperiret: quæ gratia hominem mundat, & ornat interius atque ita veniale delictum non est Macula. At enim omnis actus per se malus, per se quoque est Macula, quia est actio rationis ordine ac conuenientia carens, & ita mentem polluit, ac maculat: quia mens operis deformitate inquinatur. Plura in Exercitationibus Scholasticis.*



COM-

# COMMENTATIO XXXVIII.

# MORS PRIMOGENITA.

*Deuoret pulchritudinem cutis eius, consumat brachia illius Primogenita Mors.*

Iob. XVIII. 13.

## BREVIARIUM.

1 *Baldad antiquus Sophus Impio Mortem Primogenitam optat.*

2 *Mors Primogenita. 1. Superbia 2. Diabolus. 3. Morbus grauissimus. 4. Mæror. 5. Mors præcox. 6. Mors maximè acerba. 7. Mors primæua. 8. Mors Superbiæ respondens.*

3 *Mors alia iuuenis, alia senilis, alia vigorosa: hæc sine robore.*

4 *Morti, vt Primogenito, ius est in paternum regnum Peccati. Salomon, & Christus, Primogenitii iure heredes.*

5 *Mors prima Angelorum, & Hominum, Superbia. Mors deuorat, vt Manduco: exugit vt Hirudo.*

6 *Pulchritudo cutis. 1. Gloria temporalis. 2. Cutis membrorum. 3. Membra sub cute. 4. Partes corporis. 5. Decus carnis, flos, vigor, robur. 6. Filij, nepotes. progenies.*

7.8 *Brachia, quæ Mors consumit, 1. Opera. 2. Robur, vires, potentia. 3. Christus. 4. Milites, Duces, Exercitus. 5. Famuli, amici, clientes. 6. Patroni. 7. Diuitiæ. 8. Animæ facultates. 9. Quicquid vitæ necessarium. Hæc omnia consumit Mors, amara Diuiti voluptuario: dulcis Pauperi ægro.*

Fidelium,

ſummatum, gignere *Mortem*, per conſuetudinem, & obſtinationem.

*Tres motus Concupiſcentiæ a Hom. XVI. in Euang.*

4. Ven. Beda diſtinguens triplicem modum, quo tentatio agitur: ſeu tres Concupiſcentiæ motus à Gregorio *a* nominatos, *Suggeſtionem, Delectationem, Conſenſum*: *Suggeſtionem* quidem conſiderat, non vt peccatum, ſed cauſſam peccati: *Delectationem*, vt peccatum veniale; Conſummationem, per plenum conſenſum: & hunc eſſe *Parentem Mortis*, nimirum, animæ, ac proinde, *Peccatum mortale*.

*b Lib 1. de Amiſ. gr. ca. 9 c. T 11 Diſp. 16. Sect 2 & 3. NOTÆ.*

Hanc Bedæ conceptionem probant, & illuſtrant, Robertus Bellarminus, *b* & Joannes Salas *c* qui, per *Concupiſcentiam*, quæ, cùm conceperit parit Peccatum, intelligunt, Motum imperfectè voluntarium, ac proinde, Peccatum quidem, ſed veniale: per peccatum verò conſummatum generans *Mortem*, id, quod eſt Mortale. Sic enim defenditur facillimè diſtinctio peccati Venialis & Mortalis. Verum id aliis argumentis ſatis euincitur.

*Peccatum Mortale mater.*

III. NAM ſi Iacobi mentem ſpectes, de Mortali ſolùm loqui videtur, vt Nicolaus Serarius, & Ioannes Lorinus in eam Epiſtolam adnotarunt: opponitur enim, *Corona vitæ*, *Peccatum*, eiuſque partus. Quod ſi ita eſt, vt *Symboli* membra rectè conſtituantur, diſtinguere oportet, *Conceptionem peccati*, & illius *Natiuitatem*, quod poſtrema expoſitio non ſatis commodè facere poteſt. Certe id quod concipitur, poſtea naſci ſolet. Præterea in illa ſententia, *Concupiſcentia* inducitur, quæ & *Mater* ſit *Peccati*, & *Mortis Genitrix*: diuerſitatem verò agnoſcit Græcus æquè, ac Syrus: ita vt *Concupiſcentia* pariat quidem *Peccatum*: hoc verò generet *Mortem*: ac proinde *Concupiſcentia, Mortis* ſit *Auia*, non *Mater*.

*Concupiſcentia auia.*

*Ordo procreationis Mortis*

Itaque Doctores, quos laudanimus, cum iiſque Caietanus, Petrus Steuuartius, Salmeron, Eſtius in hunc ferè modū huius procreationis ordinem concipiendum exiſtimant. *Primò*, eſt homo, in quo eſt Ratio, Voluntas, Concupiſcentia, Senſus. In ſenſum plurima incurrunt, pulchra, amœna, ſuauia. *Secundò*, igitur *Concupiſcentia*, ad ſimilitudinem fœminæ concipientis, accipit variorum obiectorum ſemen, ſiue acerborum, ſiue iucundorum; tum eorum, quæ vltrò ſe offerunt, tum, quæ ingeruntur ab alio, ſeu homine, ſeu dœmone. Hi autem dici poſſunt *Primi motus*, in quibus nondum eſt peccati malignitas, & à Beda vocatur, *Suggeſtio*; quod nomen retineri poteſt, quamuis non ſit cauſſa extrinſeca ſuggerens. *Tertiò*. hunc in modum grauidata *Concupiſcentia*, eadémque ſtimulata propenſione

pensione naturali, Rationem adgreditur, quam sollicitat, tum ab iucundis, molestisque retrahendo, tum ad suauia aduocando: præterea abstrahendo à virtute, præceptis diuinis, ipsóque DEO, & ad creaturas, ac scelera conuertendo, vt sibi obsequatur. Hoc si assequatur, & ratio interius deliberatè consentiat; *Quartò*, partus consequitur, & quod conceptum fuerat, in modum prolis editur, ac nascitur, expectatus nimirum infans, quod *Peccatum* dicitur. *Quintò*, adolescit tam infelici prognata sidere filia, vel exequutione operis externi, vel sine hoc, interna iteratione, ac consuetudine: maximè, si hæc opus externum respiciat, vel perseuerantia in illo, & obstinatione, absque iteratione alia. Hoc verò nominatur *Peccatum consummatum* Quod, *Sextò*, *Mortem* generat: nempe, quia reipsa, & actu in gehennam percipitat, quæ dicitur, *Mors secunda* respectu reatus, prius contracti; & propter *Mortem gratiæ*, quâ moritur anima, subitò, ac peccauit.

Quæ quidem *Mors* intuitu *Mortis* æternæ, est instar conceptus. Quare à tempore peccati, in anima generati, simul concipitur *Mors animæ*, & gestatur quodammodo in vtero, donec peccator, post consummationem peccati, id est, perseuerantiam in illo, vsque ad finem vitæ, quod aliquando est vnicum, nec iteratione repetitur, in quo quis moritur, æternis supplicijs addicatur.

Est igitur *Concupiscentia*, primò virgo nullis fœdata criminum maculis, non mala per se, quamuis ad malum inclinet, cùm sit fomes, léxque carnis, ac membrorum, repugnans legi mentis: posteà fit *Mater Peccati*, & *Auia Mortis*, quam idcircò rectè diximus, *Concupiscentiæ Neptem, & Filiam Peccati*. Quod siue internum tantùm, siue simul externum, si ante *Mortem* corporalem non retractetur, generat *Mortem* æternæ damnationis, trahens ad pœnam æternam, vt exponit Iacobus de vitriaco. Peccatum quidem lethale statim gignit *Mortem* animæ & reatum *Mortis* æternæ, seu damnationis. Hæc tamen generatio est solummodò conceptio quædam, si comparetur, cùm reali *Mortis* infernalis præsentia.

*Concupiscentia non est per se mala.*

*Rom. 7. 23.*

*Dom 11. post Pascha.*

IV. Potest hoc *Symbolum* illustrari historia primorum parentum, quâ miserabilis ipsorum lapsus enarratur, & prima *Mortis* generatio. Erant ibi tres personæ: *Serpens*, sub quo latebat *Dæmon*, *Adam*, *Eua*. Dœmon à Serpente venit ad virum, mediante muliere, quæ *Mortis* fuit caussa. Et quidem Origenes, *Serpentis* nomine

*Adami, Euæq; lapsus.*

*Delectationem* significari existimat. Vt enim in peccato primorum parentum, tres fuêre, qui ad consummandum peccatum operam præstarunt, ita in quolibet peccato, quod *Mortem* generat, reperitur *Delectatio* tanquam *Serpens*; *Appetitus sensitiuus* infirmus ad resistendum, *Delectationi*, tanquam, *Mulier*: & *Ratio*, ab appetitu sensitiuo sollicitata, eique tandem consentiens, tanquam *Adam*, delitias suas nolens offendere.

*Schema tentationis.* A qua interpretandi ratione, non est alienus S. Augustinus, modò pro *Symbolica* habeatur eius expositio non exclusa litterali. Sic enim scribit in Psal. XLVIII. *Quomodo Adamum, per Euam supplantauit Diabolus: sic nos per carnem vult supplantare*, id est carnis concupiscentiam. Et lib. II. de Genesi contra Manichæos. *Etiam in vnoquoque nostrum nihil aliud agitur, quum in peccatum quisq; dilabitur, quàm tum actum, est in illis tribus, Serpente, Muliere, & Viro.* Nam primò fit *Suggestio*, siue per cogitationem, siue per sensus corporis. Quæ *Suggestio* cùm facta fuerit, si cupiditas nostra non moueatur ad peccandum, excluditur Serpentis astutia: si autem mota fuerit, quasi Mulieri persuasum erit. Sed aliquando *Ratio* viriliter, etiam commotam Cupiditatem refrenat, atque compescit. Quod cùm fit, non labimur in peccatum, sed cum aliquantula luctatione coronamur. Si autem *Ratio* consentiat, & quod libido commouit, faciendum esse, decernat, ab omni vita beata, tanquam Paradiso, expellitur homo. Iam enim peccatum imputatur, etiamsi non subsequatur factum: quoniam rea tenetur in consensione conscientia. Breuissimè Franc. Georgius Venetus in Problematis: *Consummatur peccatum: quando Superior pars deteriori præbet assensum, vel illam sequitur. Quod primus parens effecit, qui Mulieri obtemperauit.*

*Lib. II. cap. 4.*

*Tom. IV. Sect. VIII. Probl. 454.*

V. ENVCLEATIVS hæc exponunt Theologi, cùm de caussa peccati disputant, & de peccato originali. Statuunt enim *Serpentis* imagine intelligi vel *Diabolum*, vel *Sensitiuam* hominis cognitionem, per quam proponitur obiectum. *Mulieris* hieroglyphico indicari *Appetitus* inclinationem in obiectum propositum, ac consensum in delectationem. Quoniam autem, motio in rem propositã est actus appetitus sensitiui: consensus autem in delectationem reuocatur ad *Rationem* conuenientem Appetitui, ideo *Mulier* comparatur partim *Appetitui sensitiuo*, vti fit ab Augustino, loco indicato, partim *Rationi*.

*Caussa Tentati[onis]*

Sed

Sed quoniam *Vir* proprium est *symbolum Rationis*, estque Muliere superior, diuidi solet *Ratio* in duplicem portionem, quarum prior dicitur, *Ratio inferior*, cuius functio est, *Primò*, versari circa obiecta inferiora. Deinde, examinare eadem obiecta ad motiua quædam inferiora, qualia sunt naturalis honestas, ac leges humanæ. *Tandem*, consentire aut dissentire circa eadem: non quidem actu perfectissimo, qui altiùs habet principium, sed minus consummato. *Ratio inferior.*

Posterior, *Rationis superioris* nomen habet, eiusq; officia sunt, *Primum* quidem, versari circa obiecta superiora, ac diuina per se, ac primariò: secundariò autem circa inferiora, veluti subditarum sibi potentiarum. *Adhæc*, examinare obiecta omnia ad regulas diuinas. *Denique*, consentire in id, quod est in re proposita perfectissimum. Atque ita consensus in delectationem, tribuitur parti Inferiori, consensus in actum, Superiori. *Ratio superior.*

Hæc ingeniosè accommodat S. Augustinus *Serpenti* suggerenti, *Mulieri* annuenti, comedenti, virum irritanti, & *Adamo* consentienti. *Cùm huic intentioni mentis*, inquit, *quæ in rebus temporalibus, & corporalibus, propter actionis officium, ratiocinandi viuacitate versatur, carnalis ille sensus, vel animalis, ingerit quandam illecebram fruendi se, id est, tanquam publico, atque communi, quod est, incommutabile bonum, tunc, velut* Serpēs, *alloquitur fœminam. Huic autem illecebræ consentire, de ligno prohibito manducare est. Sed iste consensus si sola cogitationis delectatione contentus est: superioris verò auctoritate consilij, ita membra continentur, vt non exhibeantur iniquitatis arma peccato sic habendum existimo, velut cibum vetitum sola mulier comederit. Si autem in consensione malè vtendi rebus, quæ per sensum corporis sentiuntur, ita decernitur quodcumque peccatum, vt si potestas sit, etiam corpore compleatur, intelligenda est illa mulier dedisse viro suo, secum simul edēdum illicitum cibum.* *S. August. lib. XII. de Trin.*

Quæ subtilius examinare, & secundum regulas Scholasticorum, non est huius loci: cùm *Ratio superior* aliquando etiam consentiat in delectationem: & *Inferior* in actum: Sat hîc habeam dixisse, cum D. Bonauentura: *In illo modo tentandi sensibili, cognoscimus nos modum, & progressum tentationis inuisibilis. Et sicut ille à serpēte venit ad virum, mediante muliere: sic iste, à sensualitate peruenit ad superiorem portionem Rationis, mediante inferiore.* Idem notat Fr. Georg. Venetus, in Problematis docens: Quod à diabolo sit principium tentationis: Concupiscentiam esse medium, & instrumentum quoddam quo Diabo- *Modus tentationis antiquissimus.* *S. Bona. in II. Dist. XXI. Q. 3.*

lus vtitur, cui homo consensum accommodat. Sic igitur per plenè deliberatum consensum nascitur *Malefica*, quam *Peccatum* dicimus, quæ Mortem, *vt* Filiam, generat.

Fran. Geo. To. IV. Sect. VII. Prob. 455.

VI. Et quam *Mortem*? non solùm illam damnationis, seu gehennæ, de qua potissimùm sermo erat Iacobo, vt præter citatos, docet Fulgentius lib. I. ad Monimum cap. 5. Cromatius in Matth. cap. V. Theodorus Studites in Se. mo CXII verum etiã, temporaneam. Nam vt differit Vrbanus Papa IV. in Psalmum quinquagesimum: *Peccatum* gignit *Mortem momentaneam corporis*, per animæ ab hoc ipso separationem: deinde verò *Animæ*, per subtractionem gratiæ, quæ eius est vita: inducendo etiam priuationem iuris ad gloriam, ac procurando obligationem pœnæ perpetuæ: nimirum, tum *Damni*, quæ in Scholis est ipsa gloriæ priuatio: tum *Sensus*, quæ si animam separatam spectet, significat dolorē: qui post resurrectionem erit in composito animato, sensibilis.

Partus Peccati quatergeminus.

VII. Itaqve non inconcinnè fingimus vno partu eijci à meretricula, *Peccato*, quater geminas filias, nisi Monstrum malis efformare quattuor capitum. Certè quadruplex *Mors*, est proles vnius illius *Matris* maledictæ: *Prima*, Corporis, quæ communis est omni homini, & bruto: *Secunda*, Animæ, per amissionem gratiæ. *Tertia* item animæ, per priuationem gloriæ, cum dolore. *Quarta* iterum corporis, post resurrectionem, cum in illo erit dolor sensibilis, & mori volens, mori haud poterit, vt ita semper moriatur. Quamuis autem anima humana veraciter immortalis perhibeatur, vt loquitur Augustinus, habet tamen quandam & ipsa *Mortem*, cùm eam deserit anima, quia vita animæ, inquit, Devs est. Idemque obseruat Nazianzenus Orat. XIX.

Aug. lib. XIII. de Ciu. cap. 2.

Concupiscentia non est peccatū.

VIII. Porro, ne sine fructu, in sola contemplatione huius imaginis hæreat intelligentiæ obtutus, colligamus nonnulla, quæ vsum habeant, & à sanctis Doctoribus obseruata sunt. Quorum primum sit, quod anteà insinuabam, & nostri temporis Sectarios torquet: Concupiscentiam neque peccatum esse originale: neque primum illius motum, esse actuale peccatum, etiam veniale, donec partus prodeat: qui quidem partus, sensu Apostoli, spectat ad *Peccatum Mortale*: licet, secundum analogiam, gradus illi, superius nominati, conuenire possint *Peccato Veniali*, cuius tamen filia non est *Mors*; licet eius quoque proles sit *Macula*, quã animum inficit. Itaque monet Augustinus

Augustinus non semel, inuoluntarios carnis motus absque culpa esse tum in vigilante, tum in dormiente. Pugnandum autem viriliter esse contra Concupiscentias nostras, quæ dimissis in Baptismo peccatis, remanent: cum quibus regenerati assiduè bellum gerunt, & post luctam recipiunt coronam. In nobis autem est, cum diuina gratia, vt ijs resistamus, & post illas non eamus. Væ autem ijs, qui ob sua demerita traduntur in concupiscentiam cordis sui, erit illis pessimè in tempore nouissimo. Eccl.xv.17.30. Rom 1.24.

IX. Deinde, extremè laborandum nobis, si vitam nostram diligimus, ne Concupiscentia pariat: nam si semel prolem edit, quæ sit *Mortis* mater, non est nostræ potestatis, abortum procurare, nam certò certius *Peccatum* generat *Mortem*. Potest quidem contingere, vt Concupiscentiæ conceptus ad maturitatem non perueniat, sicque illa abortiat, antequam sit tempus pariendi: non potest tamen fieri, vt eius filia, *Peccatum*, si lucem aspexerit, fœtum perfectũ non edat. Est enim lex æterna: *In quocumque die peccaueris*: id est, quocumque tempore, quocumque momento: eo ipso, quo peccas, *Peccatum* parit *Mortem*: vt Sol, quàm primum esse incipit, radios vibrat: sunt enim necessariò hæc connexa: quod in Concupiscentiæ conceptu, & generatione nõ accidit. Ideoq; danda est opera, vt vel conceptus Concupiscẽtiæ dissipetur: vel, quod est tutius, vt non concipiat: non enim parit, nisi conceperit: non concipit, nisi illexerit: id est, ad malum perpetrandum, obtinuerit voluntatis consensum. Impediendus partus Concupiscentiæ.

Igitur, *noli consentire Concupiscentiæ tuæ* suadet Augustinus. *Non est, vnde concipiat nisi de te. Consensisti? quasi concubuisti in corde tuo. Surrexit Concupiscentia? Nega te illi: noli eam sequi.* Concupiscentia cùm conceperit, parit peccâtum: Peccatum verò, cum consummatum fuerit generat Mortem. *Ergo ne abstraharis à Concupiscentia tua. nega te illi, noli eam sequi: illicita est, lasciua est, turpis est: alienat te à DEO. Noli dare consensionis amplexũ, ne plãgas partum. Quia si consenseris. id est si amplexatus fueris, concipit.* Cùm autem conceperit, parit peccatum. *Nondum times?* Peccatum generat Mortem. *Vel Mortem time. Si peccatum non times, time quo perducit peccatum. Dulce est peccatum, sed amara est MORS. Ipsa est infelicitas hominum Propter quod peccant, morientes hic dimittunt, & ipsa peccata secum portant* (adde peccati sobolem *Mortem*, quæ æternùm cruciabit) *Peccas propter pecuniam? hic dimittenda est. Peccas propter villam? hic* August lib. L. Homiliar. in 41. cap 8.

*hic dimittenda est. Peccas propter mulierem? hic dimittenda est. Et quicquid est, propter quod peccas, quando oculos in* Morte *clauseris, hic dimittis: & ipsum peccatum, quod committis,* eiusque partum, Mortem, *tecum portas.*

*Voluntas mariti instar.* Caue igitur, ne Concupiscentiæ voluntatem accommodes. Concupiscentia per se non parit *Peccatum* absque voluntate. Hæc illius est *Coniunx* hæc instar Mariti est, quatenus, per consensum suũ liberum, efficit, vt actus facultatis concupiscentis, qui loco cuiusdam seminis fœminini est, veluti formetur, & erumpat, tanquam in fœtum peccati. *Consensisti,* inquit Augustinus: *quasi concubuisti in corde tuo.* Itaque ipse *Homo*, qui peccat, *Concupiscentiam* suam imprægnando, vnde deinde *Mors* oritur, *Auus* est *Mortis*.

*Diabolus maritus improbi a Hom. XIII in Iosue.* X. ALIA fictio est Origenis, *a Improbi hominis anima,* ait, *Diabolum Maritum habet, ex quo eiusmodi edit sobolem:* & dolet, quod cõiunctio animæ nostræ fuerit primò cum malo viro, & marito pessimo, Diabolo. Quam contemplationem Adamantij promouet in Sacræ *b Tom. IV. Sect. VIII. Problem. 451.* Scripturæ problematis Franciscus Georgius Venetus *b. Quærit* que, Quomodo concupiscentia concipiat, & pariat nisi ab aliquo grauidetur? *Respondet*: Nonne sicut DEVS seminat semen suum, verbum diuinum videlicet: Ita Diabolus, velut Simia, DEVM malè effingẽs, conatur in parte animali seminare malum semen, malæ, & lethalis concupiscentiæ contra regulas diuinas? sicut fecisse legimus in prima muliere, partem hanc animalem repræsentante. Quæ quidem pars animalis, dum conceptum illum à Diabolo seminatum, in opus producit, siue internum, siue externum etiam, parit *Peccatum*: hoc verò consummatum, generat *Mortem*. *Diabolus* igitur quemadmodum *Maritus* est animæ peccatricis, ita *Auus* est *Mortis*.

Quærit idem Venetus, cur Peccati partus dicatur MORS. An id habeat ab Auo, an verò à propriâ malignitate? Nam fœtus ille seminatus fuit ab *Angelo Mortis*, qui est *Diabolus*: & infert *Mortem* animæ, priuans ipsam participatione arboris vitæ. Hinc dictum fuit primo parenti: *Quacumque hora comederis de ligno,* id est, contra legem feceris, *Morte morieris*: quia videlicet, separaberis à DEO, sine quo anima moritur: sicut corpus, abeunte anima, occidit.

*Auus Mortis.* Conuenit Thomas Anglicus insignis Commentator Epistolæ D. Iacobi in designando *Mortis Auo*: disquirens enim de concupiscentiæ conceptione, quam putat esse de consensu operis, aut morosæ delectationis, quæ est quasi occulta formatio maligni fœtus, ait,

ait, illam esse ex Diabolo, tanquam *Patre* agente, & tanquam semen immittente: ex *Concupiscentia* tanquam *Matre* suscipiente, ac consentiente. Quò spectat, quod rebellis populi Hebræi pater dicatur Amorhæus, & mater Cethæa. Sed quid clarius, quàm quod Christus, *ex Patre Diabolo* esse improbos pronunciat? Nam reuerà: *Ezech. xvi. 3. 45. Ioan. v. 44.*

*Inuentor vitij, non est DEVS: Angelus illud*
*Degener, infami conceptum mente creauit.* *Prudent. in Hamartigenia*

XI. Non existimes tamen, solum *Cacodæmonem* esse *Mortis Auum*, vel illum semper esse. A quocumque *Concupiscentia* concipit: ille *Parens* est *Peccati.* & *Auus Mortis*. Præterquam autem, quod à *Diabolo*, grauidatur etiam *Concupiscentia* à *Natura* iustitiæ primigeniæ donis destituta, adiuuantibus ad illud ipsum caussis extrinsecis, tum ad voluptatem, tum ad iram, indignationem, aliósque affectus prouocantibus: accedente etiam improborum consuetudine, suggestione, ac irritamentis: qui Diaboli partes agunt egregie. Concinnè Nazianzenus in Carmine: *Natura Concupiscentiam impraegnat.* *Tetrast. Sent. LII.*

Τὶ πάντα τὸν δύςηνον αἰτιμώμεθα
ἐχθρὸν, διδόντες τῷ βιοῦν ἐξουσίαν:
μέμφου σεαυτὸν, ἢ τὸ πᾶν, ἢ τὸ πλέον
τὸ πῦρ παρ' ἡμῶν, ἢ ἡ φλὸξ τοῦ πνεύματος.
*Quid culpam in hostem semper vertimus,*
*Cum nostra præstent robur ipsi crimina?*
*Te criminare prorsus, aut certè magis*
*Ignis tuus: nam flamma vera Dæmonis.*

Originariè tamen omnis Concupiscentiæ conceptus in Cacodæmonem referri potest, vt Parisiensis Cancellarius animaduertit. Suadente enim Diabolo siue per se, siue per suos, proximè, aut remotè, Concupiscentia concipit, & parit: quo loquendi modo vtitur Canon de percutiẽte Clericum *a*. Alioquin rectè negant Theologi peccatum omne esse à Diabolo immediatè, quos longo ordine nominat Ioan. Salas *b*. Et fertur malus Spiritus, cùm, nescio quis improbus, tentationis originem in eum referret, luculenta alapa inflicta, mendacem arguisse. Fatetúrque Augustinus, non semper immitti à malo genio proximè tentationem omnem: sed quemque ad peccandum tentari, innato præ cupiditatis fomite, & incentiuo, sicque in diuersa peccata moueri. *Tra. 11. de cogit. pecc. Consid. 25.* *a XVII Q. 4. c. Si quis suadente.* *b P. II. Disp. L. Sect. 3.* *S. Aug. lib. II. de Gen. contra Manich. la. 14 Et Ps. LVII.*

XII. Porro, quemadmodum sunt gradus in generatione

*Mortis*,& in eius maioribus, nam concipitur, & nascitur: agnoscitq; *Auum, Patrem, Matrem*: ita gradatim moritur, qui Concupiscétiæ suæ obsequitur,& conceptus illius est caussa. Explicat id ingeniosè Do-
Ioan. IV 49. Lect. 1. ctor Angelicus, dum illustrat historiam de filio Reguli Euangelici, qui incipiebat mori, vt est apud Ioannem capite IV. Quando enim tentatur quis, incipit infirmari: sed quando tentatio præua-
Psal. XXXIII. 21. let, ita, vt inclinet ad consensum, est propè *Mortem*: quando autem consentit, incipit mori: cùm verò consummatur peccatum, moritur *Morte* peccatorum pessima, quæ hic incipit, & in futuro, absque fine, terminatur.

*Antithesis conceptus Concupiscentiæ, & Mariæ.* XIII. A quâ *Morte*, vt præseruemur, castâ prece supplicemus illi, quæ *Vitam Mortis* debellatricem mundo edidit. Quam vt magis æstimes, quamuis, quomodo non summè æstimes mortalium, cœlitúmque Reginam, & DEI Matrem? Si tamen accedere quidpiam potest, ad illam æstimationem, quam de *Dominatua* habes: contemplare antithesin conceptus, partúsque virginei; cum illo, quo à nobis *Mors* procedit. Concepit illibata Virgo, in qua lex carnis, siue fomes peccati, extinctus omnino fuit: vel aliquamdiu ligatus, vt loquuntur Theologi, sed extinctus posteà: concepit, dico, diuino illam imprægnante, per aurem, Spiritu: nostram Concupiscentiam, vel Satan, vel malefica voluptas, vel male suada natura grauidat. Quid concepit? Hominem plenum gratiæ, & veritatis. An hominem tantùm? imò, Θεάνθρωπον, DEVM-HOMINEM. Quid nos concipimus? furiam infernalem, vel si quid illâ detestabilius, *Peccatum*. Illa generi humano peperit DEI Filium, salua virginitate: nos profligata castitate, quam Diaboli contubernio fœdamus, per consensum, Cacodœmonis filiam edimus, *Peccatum*. Illa mundo salutem, vitámque perpetuam, partu suo, generauit: nos ex filia, *Neptem* gignimus, matri simillimam, quam *Mortem* dicimus, tum gratiæ, & animæ; tum vitæ, & corporis: tandémque, nisi mactata filia, fœtum etiam illius teterrimum contrucidemus, quod contritionis clauâ possumus, *Mortem* sempiternam.

*Genealogia Mortis Cornel. à Lapide ad Rom. V. 12* XIV. VIs breuiter omnia *Symboli*, hactenus explicati, membra: & totam *Mortis* genealogiam, cum gradibus consanguinitatis, & affinitatis? Accipe illam, tanquam in tabula pictam, penicillo Interpretis eximij. *Mater* Peccati, est *Concupiscentia* habitualis. *Pater*,

libera

libera *Voluntas*: *semen matris*, est titillatio, seu *Delectatio*, quam ingerit Concupiscentia. *Semen Patris*, est *Consensus* voluntatis in fieri. *Proles*, est *Peccatum*, in facto esse: Proles hæc vel est imperfecta, vt *Embryo*, & fœtus incompletus. Talis est, *Peccatum veniale*, ex indeliberatione commissum. Vel, est proles omninò formata. Talis est, *Peccatum mortale*, omninò deliberatum: & consensu voluntatis consummatum. *Neptis* verò huius patris, & matris, est MORS, tum præsens, tum futura, & gehennæ æterna.

---

# NOTÆ.

*§. II.* Bellarminus.] *Libr.* 1. *de Amissione gratiæ cap.* 9. *existimat S. Iacobum Apostolum distinguere Tentationem à Peccato, & Peccatum à Crimine: ita vt constituat tres Motus Concupiscentiæ. Vnum inuoluntarium, quo, quis ad peccatum incitatur sine vllo consensu: atque hic est caussa peccati, si accedat consensus. Alterum imperfectè voluntarium, ideoq; peccatum quidem, sed veniale. Tertiũ perfectè voluntarium, qui fit peccatum mortale. Quod adprobat Ioannes Salas P.* II *dæ. Tom.* II. *Tract.* XIII. *Disp.* XVI. *Sectio.* 2. *&* 3. *Idem repetit Bellarminus libro V. de Amiss. Grat. cap.* 7.

§. *VII.* Mors animæ.] *Ezechiel.* XVIII. 4. Anima quæ peccauerit ipsa morietur. *Vide Gregorium Nazianzen. Orat.* XIX. *Et Interpretes ad illud.* In quocumque die comederis ex eo, morte morieris; *Genes.* II, 17.

*§. VIII.* Concupiscentiã non esse peccatum.] *Intellige propriè dictum & formaliter. Hoc constantissimè contra nostri temporis sectarios adfirmant omnes Catholici, antiquos sequuti Patres, imprimisque Augustinum ex cuius omnibus Tomis id demonstrat Bellarminus lib. V de Amissione Gratiæ cap.* 8. *fatetúrque Caluinus, qui sic scribit lib.* III. *Institut. cap:* III. *§.* 10. Neque opus est multum inuestigãdo laborare, quid hic veteres sentiant, quando vnus Augustinus sufficere ad id potest, qui fideliter, magnáque diligentia omnium sententias collegit. Ex illo igitur sumant Lectores, si quid de sensu antiquitatis habere certi volũt. Porro inter illũ, & nos hoc discrimẽ est, quod ipse quidẽ Concupiscẽtiæ morbum Peccatum vocare non audeat, sed ad illum designãdũ infirmitatis nomine contentus,

# COMMENTATIO XXXVIII.

# MORS PRIMOGENITA.

*Deuoret pulchritudinem cutis eius, consumat brachia illius Primogenita Mors.*

Iob. XVIII. 13.

## BREVIARIVM.

1 *Baldad antiquus Sophus Impio Mortem Primogenitam optat.*

2 *Mors Primogenita. 1. Superbia 2. Diabolus. 3. Morbus grauissimus. 4. Moeror. 5. Mors praecox. 6. Mors maximè acerba. 7. Mors primaeua. 8. Mors Superbiae respondens.*

3 *Mors alia iuuenis, alia senilis. alia vigorosa haec sine robore.*

4 *Morti, vt Primogenito, ius est in paternum regnum Peccati. Salomon, & Christus, Primogeniti iure heredes.*

5 *Mors prima Angelorum, & Hominum, Superbia. Mors deuorat, vt Manduco: exugit vt Hirudo.*

6 *Pulchritudo cutis. 1. Gloria temporalis. 2. Cutis membrorum. 3. Membra sub cute. 4. Partes corporis. 5. Decus carnis, flos, vigor, robur. 6. Filij, nepotes. progenies.*

7.8 *Brachia, quae Mors consumit, 1. Opera. 2. Robur, vires, potentia. 3. Christus. 4. Milites, Duces, Exercitus. 5. Famuli, amici, clientes. 6. Patroni. 7. Diuitiae. 8. Animae facultates. 9. Quicquid vitae necessarium. Haec omnia consumit Mors, amara Diuiti voluptuario: dulcis Pauperi aegro.*

*Fidelium,*

braicè Abaddon, Græcè autem Apollyon, Latinè habens nomen Exterminans. Itaque illi, *Primogenitam Mortem*, exponunt, quasi *Principem Mortis*, qui *Mortis* habet imperium. Quod iis placet, qui, vt ex Hebræo verti potest, legunt *Primogenitus Mortis*: vt Pagninus, Vatablus, Tygurina, Caietanus, alijq; Hebraizantium.

Atque ita *Primogenitus Mortis*, vt notat Ioan. de Pineda per oppositionem dici posset, *Primogenito ex mortuis*, vt Paulus loquitur: aut, *Primogenito mortuorum*, vt scribit Ioannes in Apocal. Quod Christo conuenit, tum quia, primus fuit resurgentium ad vitā immortalem: & quasi iterum genitus, nouo resurrectionis natali: tum quia, principium, ac princeps istius resurrectionis, & quasi repertor. *Ad Colos. I. 18, Apoc. I. 5.*

Tertio: Rab. Ioseph, & Hebræi communiter, intelligunt, *Morbum*, siue grauissimum, quem certa, & ineuitabilis *Mors* præmittit. Quod sequuntur Vatablus, & Titelmannus: siue illum, qui primo corripit impium. Cùm enim ærumnæ, ac calamitates humanæ omnes sint partus *Mortis*; commodè prima infirmitas, *Primogenitæ* nomen occupare videtur. Minus probatur, quod habet R. Dauid, dictum, per hypallagen, *Deuoret Primogenitus Mortis*: hoc est, *Mors* deuoret *Primogenitum* impij. *III Morbus.*

Qvarto igitur, Caietanus nominat *Mœrorem*. Quia *primum*, inquit, *quod gignit* Mors *est* Mœror: *quilibet enim tristatur, cogitans se moriturum*. Et mœror corrodit membra, iuxta illud Prouerbior. XVII. 22. *Spiritus tristis exsiccat ossa*. *IV. Mœror.*

Qvinto. Lyranus exponit *Mortem* præcocem, & immaturam, sensu minime contemnēdo, qui posterioribus non displicuit. Ac *V. Mors præcox.*

Sexto: Pineda, & Mercerus, germanam putant expositionem *Mortis primogenitæ*, vt sit *Mors* quædam acerbior, feralior, ac funestior ceteris: atque inter omnes moriendi rationes, præcipua, ac princeps efficacitate, acerbitate, cruciatu & sensu doloris. Ducitur hæc expositio ex analogia *Primogeniti* in hominibus: apud quos *Primogenitus*, sicut aliis est prior natiuitate, ita & dignitate, ac iure primogenituræ: præterea corporis firmitate, ac robore à parentibus iuuenibus accepto. Vnde Hebræis *Primogenitus* appellatur robur, ac fortitudo parentum. Inde, *Primogenitus*, idem est, quod *Primarius*, ac *Princeps*. Sic dicitur Christvs *Primogenitus omnis creaturæ*, licet ipse non sit creatura, sed creaturarum Dominus, fons, origo. *VI. Mors maximè acerba.*

Ita quoque apud Isaiam, cap. XIV. 30. nominantur *Primogeniti pauperum*, id est, præcipui, primarij, pauperrimi. Et Hebræorum XII. 23. *Ecclesia primitiuorum*, quos *Primogenitos* dixerat: Non quod omnes primi soluerint matrum vteros, vt loquitur Theodoretus; sed quia maior honor primogenitis, lege tribuebatur, eorum præstantiam & honorem ea appellatione significat. Ex quib. conficit Pineda, *Mortem* minimè vulgarem: sed in suo genere nobiliorem: id est, acerbiorem *Primogenitæ* typo exprimi.

Theod. ad Colos. 1.

Peccatum Mortis parens.

III. PORRO, quoniam *Mortis* parens est *Peccatum*, quod alio *Symbolo* est probatum, addit ingeniosè idem Auctor: videri *Peccatum* multas quasi ætates, & gradus habere: ita, vt in iuuene vegeto, florente, opulento, sit quodammodo ætatis iuuenilis, ac roboris integri: in sene autem imbecillo, & vel ex ignorantia, egestate, metu, aut simili impotentia delinquente, quodammodo senile, ac infirmum. Itaque cùm *Mors*, ceu pœna, Peccato respondeat, vt filia, efficitur, vt *Mors*, quæ Peccato iuueni, ac forti respondet, videatur *Mors Primogenita*: nempe primaria: quam duplex dolorum & cruciatuum portio comitetur: in qua maximè se prodat *Peccati parentis* virtus, seu potius virus exitiale. *Mors* autem aliis peccatis respondens, haberi potest *Mors secundaria*, minus exaggerata doloribus, ac cruciatibus: quippe *Mors* secundo genita: atque ita imbecillior, & minus acerba. Hæc eruditè & perquam accommodatè dici quis ambigat? Attamen

VI. Mors primaria. Cornel. Rom. V. 12.

SEPTIMO: Cornelius magis sapidum, pium, genuinúmque *Symboli* sensum existimat, quem habet Chaldæus, vt *Mors* propria peccatoris, seu *Peccati* proles, dicatur *Primogenita*, Princeps & Regina; propter ius primogenituræ, quo in parentis, nempe *Peccati* regnum, & heres succedit. Hôc interpretamento, Baldad vocat, Impietatis in impio dominantis *Primogenitam Mortem*. & optat, vt sicut impietas impio est dominata: sic eidem dominetur *Mors*, quæ est filia, ac heres illius tyranni, idq; ex asse: vt quàm latè patet Regnum impietatis: tam latè pateat Regnum *Mortis*. Quasi dicat: Mors, *quæ prima per peccatum inuecta est in mundum, adeóque quasi* Primogenita Peccati filia *in regno peccati princeps successit & imperat*: *illa* Mors *deuoret eum*. Ita accipitur *Primogenitus* Psal. LXXXVIII. 28. *Et ego*, ait DEUS, *Primogenitum ponam illum* (nimirum Salomonē & eius antitypum CHRISTUM) *excelsum præ regibus terræ*. Ac si dixisset: Salomon & CHRISTUS in Israele,

in Israele, ac regno meo succedent, & latissimè regnabunt, tanquam Primogeniti filij mei, qui sum Rex Regum, ac Dominus Dominantium.

Quod si superiorem interpretationem magis probes: imprecabitur Baldad, vt diuina vindicta non differat impij potentis supplicium: sed statim acerbissima illum Morte, & merita auferat: *Morte* nimirum *Primogenita*, quæ ætatis florem, vires, robur: omnia denique ad felicitatem præsidia momentò demetat, deuoret, absumat. Addit Pineda

V. OCTAVO: Si Peccatum & Mors in communi comparetur: Quemadmodum tum primum hominis, tum Angelorum peccatum, fuit Superbia: ita *Mortem* Superbiæ debitam, dici posse *Primogenitam*. Quo epitheto fortasse Baldad pungere voluit Patientem, ac si notaret arrogantiam illius, quæ scelerum aliorum caussa fuerit. *VIII. Superbia respondens.*

Huic igitur *Primogenitæ* accommodantur à Baldad nonnulla, quæ non nisi *Symbolicè* explicari possunt. Vt dum dicitur, *Deuorare*. quod proprium est *Manduconis*, quâ figurâ *Mortem* alibi describimus. Alij idem verbum reddunt, *Exugere*, vt Hirudines solent: & hoc aliud est *Mortis Symbolum*, alibi tractatum. *Mors deuorat.*

VI. QVID autem est *Pulchritudo cutis*, quam totam absumit? *Pulchritudo cutis*, inquit Gregorius, *est gloria temporalis, quæ dum foris concupiscitur, quasi species in cute retinetur*. In Hebræo propriè est, *membra* vel *rami cutis*. An per hypallagen, quasi cutis membrorum? An designãtur membra, quæ sub cute delitescunt? An membra idem sunt, quod partes? quasi dicat: omnes partes deglutiet: nihil relinquet intactũ. An eùm vox originalis ad fortitudinem referatur, & decus quoddam benè constituti corporis, Interpres pulchritudine cutis omnia complecti voluit, florem, vigorem, aptam membrorum figuram, coloris suauitatem, quæ omnia à *Morte* abligurientur, vt rectè verterint LXXta: *Mors deuoret speciosa eius*. Deuoret, vt famelicus lupus, vt insatiabilis gluto, vt insaturabile barathrum: deuoret, vt Ignis: deuoret, vt gladius. Quod facit sanè, & tam facilè quam pirum vulpes com'est. R. Leui alijque nonnulli, per Pulchritudinem cutis, *filios* & progeniem intelligunt. Quod adprobat Nicetas. An quia vocabulum originale, fulcra, vectes, ramos significat, & ad filiorum traduces, ramosámque sobolem trahi potest? *Pulchritudo cutis.* *Lib. XIV. Mor. cap. 8.* *Filij.*

VII. BRACHIA quoque, quæ *Mors* consumptura dicitur Sym- *Brachia.*

*Opera.* bolicum quid sapiunt. *Brachiorum verò nomine*, ait Gregorius, *non incongruè opera designantur: quia corporale opus brachiis agitur, Pulchritudinem*

*NOTÆ.* *igitur cutis eius, & brachia illius* Primogenita Mors *deuorat, quia iniqui gloriam vel operationem superbia supplantat. Potuit enim etiam in hac vita sine culpa gloriosus existere, si superbus minimè fuisset. Potuit auctoris sui iudicio quibusdam suis operibus commendari, nisi hæc ipsa opera ante eius oculos elatio supplantaret. Sæpè n. quosdam diuites videmus, qui opes & gloriam habere sine culpa potuissent, si hoc habere cum humilitate voluissent. Sed extolluntur rebus, inflantur honoribus, dedignantur ceteros: omnémq; vitæ suæ fiduciā in ipsa abundantia rerum ponunt. Vnde & quidam diues dicebat:* Anima habes multa bona reposita in annos plurimos, *requiesce, comede, bibe, epulare. Quas cogitationes dum supernus Iudex aspicit, de ipsa hac eum sua fiducia euellit.*

*Luc. XII.*

*Brachium robur.* VIII. Sed plura latent sub *Brachij Symbolici* inuolucro, quæ omnia cùm in *Mortis* prædam cedant, illius siue potentiam, siue violentiam mirum in modum exaggerant. Imprimis *Brachij* hieroglyphico, indicatur, potentia, robur, vires, Ps. lxxxviii. *Tuum est brachium cum potentia: firmetur manus* (sinistra) *tua. & exaltetur dextera tua.* Hoc est: omnia potes, vtens manu, non solū dextra, quæ potentiæ est signum, sed & sinistra, quæ solet esse infirmior: verè ambi-dexter. Solet enim brachium, manus nomine etiam designari. Ps. lxx. 18. *Donec annunciem brachium tuum*: id est, donec prædicem potentiam. Ps. xcvii. 2. *Saluabit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius.* Et in Virginis Mariæ cantico. *Fecit potentiam in brachio suo.* Et apud Isaiam: *Brachium Domini, cui reuelatum est?* Agitur de Incarnatione Verbi; in qua interuenit summa Dei potentia: cùm antea minora quædā opera, nempe digitorum Dei, in conspectum se darent: In incarnatione ipsum brachiū apparuit: Ps. lxxvi. 16. *Redemisti in brachio tuo populum tuum.* Ps. lxxviii. 11. *Secundum magnitudinem brachij tui.* Psal lxxxviii. 11 *In brachio virtutis tuæ.* Job. xl. 4. *Indica mihi si habeas brachium sicut* Devs. Quicquid itaque est potentiæ, quicquid roboris, quicquid virium in impio: imò non in impio solùm, sed mortali quccumque, tandem *Primogenita Mors* consumit. Certè nulla ab orbe condito potestas, nullum Regnum fuit, aut Imperium, quod non deuorauerit.

*Isa. LIII. 1. Psal. VIII 4. Exod. VIII. 19.*

*Verbum. Christus.* Quid? in *Brachium Domini*, quo Dei Verbum significatur: aut Christvs, quà homo, & vt est instrumentum coniunctum Diuinitatis, manum extendere, & dentes immittere non dubitauit furia

ria hæc infernalis, sed quanto suo damno, alibi demonstrauimus.

Ad hæc. *Brachia* sunt gloriosi milites, magnanimi duces, numerosus exercitus, qui robur sunt Imperij. Sed hæc *Mors* ita confringit, diminuit, consumit, vt nulla spes sit reparationis. Gloriari potuit, tanquam DEI administra in Ægyptum amandata. *Brachium Pharaonis Regis Ægypti confregi: & ecce non est obuolutum, vt restitueretur ei sanitas, vt ligaretur pannis, & fasciaretur linteolis, & recepto robore posset tenere gladium* Ezechielis XXX.21. Milites Austri vocat Daniel Brachia, quæ non pedetentim conterit, sed momento confringit & absumit *Mortis* violentia. *Milites.* *Daniel. XI.15. XXII.31.*

Homo alterum hominem, per quem solet agere quicquid agit, *Brachium* suum appellat, inquit Augustinus: & si auferatur, dolens dicit: *Brachium meum perdidi*; & ei, qui abstulerit dicit: *Brachium meum mihi abstulisti.* Brachium itaque sunt amanuenses, famuli, amici, clientelæ. His omnibus hominem *Mors* spoliat. *Famuli, amici.* *Aug. Tract. LIII. in Ioann.*

Patrocinio quoque aliorum, quod *Brachio* exprimitur: quomodo, *Ponere Carnem Brachium suum* dicitur, qui in patrocinio hominum confidit, non nisi carne ac sanguine constantium: aut in robore ac viribus infirmis. *Patronus.* *Ier. XVII.5.*

Diuitiis etiam, quorum *Symbolum* sunt *Brachia*. Psalmo XXXVI 17. *Brachia peccatorum conterentur.* Quod Eusebius de diuitijs exponit. Augustinus, Basilius, Cyrillus, Theodoretus de robore & potentia: Didymus nouo hieroglyphico, de actricibus animæ facultatibus, quæ instar sunt *Brachiorum.* Sed non incommodè *Brachia* opes denotant. Quo pacto: *Carnem brachij proximi deuorare,* dicitur Isaiæ IX. qui opibus, & ad vitam necessarijs spoliat: Sicut facit *Mors*, quæ omni corporis, & rerum externarum præsidio, tum internarum copia, denique vt nihil intactum relinquat, vita ipsa exuit. Hoc enim continet verbulum *Consumit*: quod Dauid alio vocabulo expressit, Latinè nos, *conterit:* Zacharias, *arefacit: Brachium eius ariditate siccabitur*: Ezechiel *confringet.* Quæ omnia significant *Mortem Primogenitam*, florem, robur, sanitatem, audaciam, magnos spiritus, amicos, filios, denique, omnia punctulo temporis absumere. O MORS, *quàm amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantiis suis, viro quieto, & cuius viæ directæ sunt in omnibus,* *Diuitiæ.* *Potentia.* *Zach. XI.17.* *Ezech. XXX. 21.* *Eccles. XLI.1.*

 *& ad-*

*& adhuc valenti capere cibum!* Hanc non metuit, qui bonis sponte orbatus, & nullius rei mortalis desiderio irretitus hîc detinetur: imò, aduocat

Ecc. XXX 17.

O MORS, *bonum est iudicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus, defecto ætate!*

---

## NOTÆ

§. I. PRimogenita.] *De* Primogeniti *significatione agũt Interpretes Matthæi 1. 25.* Peperit filium suum primogenitum. *Vbi Maldonatus ex Hieronymo aduersus Heluidium, notat Primogenitum Mariæ dici Christum: non quod post eum alius, sed, quod ante eum, nemo genitus sit. Hunc esse Scripturæ S. vsum, vt Vnigeniti etiam Primogeniti dicantur: quia, qui vnigenitus est, necessariò ante omnes alios est; id est, nemo ante eum genitus est: quod est, esse Primogenitũ. Sic Exodi* IV. *22. DEVS vocat populũ Israel primogenitũ suum, cum aliũ non haberet. Exod.* XII. *29. dicitur percussisse omnia primogenita terræ Ægypti: inter quos fuisse nonnullos vnigenitos dubitari non potest. Exodi* XIII. *2. &* XXII. *29. iubet omnem primogenitum sibi sanctificari. Quo nomine etiam vnigenitos intelligi certum est: nam non expectabatur, donec alij nascerentur.*

*Multis alijs id probat Quirinus Salazar, quem lege Prouer.* IV. *3. ad illud*: Ego vnigenitus coram matre mea. *Ibidemque Rodolphum, Iansenium, Caietanum, Lyranum, Baynum, Ioannem Arboreum, Barradium To. I lib. V. ca 9. Salmeronem To.* III. *Tract. 28. Pinedam tum Iobi* XVIII. *tum libr.* I *de Salomone cap.* 8. *Hieronymum Lauretum in Sylua Allegoriar. V. Primogenitus.*

*Petrus Berchorius in Dictionario Morali multos numerat ex SS. Primogenitos: distinguens Primogenitum in Gloriosum, Virtuosum, Vitiosum. Primus est Dei filius Primogenitus æternaliter: Secundus, Homo sobrius, Primogenitus virtualiter: Tertius, Diues impius, Primogenitus temporaliter.*

*Primus Primogenitus in Trinitate: Secundus, Primogenitus in bonitate: Tertius, Primogenitus in prauitate. Deducit hoc pluribus vt solet: cui volupe, perlegat.*

§. VII. Brachia.] *Allegoriam* Brachij, *quæ ad hunc locum spectat, habet Hieronymus Lauretus in Sylua: docétque, in DEO significare virtutem*

*tutem gubernatiuam: in Christo, Diuinitatem, aut virtutem, quæ operata est in Passione: indicare etiam Sanctos, in quibus, & cum quibus DEVS iudicaturus sit mundum. Item Apostolos, Prædicatores, Opera. Lege, si placet, Galenum lib. 11. de vsu par.*

# COMMENTATIO XXXIX.

## MORS

## VIPERA.

*Caput aspidum suget, & occidet eum lingua Viperæ.*

Iob. xx. 16.

---

BREVIARIVM.

1 *Vipera occidit linguâ. Lingua Viperæ inquietum malum, plenum veneno mortifero.*

2 *Lingua Viperæ trisulca, Fames, Pestis, Bellum. Bisulca, Seniū, Morbus. Vniformis, Naturæ vitiositas. Aspidis caput, Suggestio blandior: Lingua Viperæ, violenta tentatio. Vipera, Concupiscentia: eius partus Mors, parenti exitialis.*

3 *Viperinā prolem ex vtero proreptantem matrem interimere plurimorum assertio est: & idcirco Pharisæos, Genimina viperarum dictos. Mors, Vipera, Matrem suam Concupiscentiam: Item, Peccatum, eandem, dum effunditur, interimit.*

4 *Viperam viuam parere, plurimorum opinio est. An idcirco dicta Vipera?*

5 *Fœcundissima est Vipera: numerosam semper effundit sobolem. Fœcundior Mors. Mater omnium morientium. Steriles sunt, præ hac vnâ fœcundissima matres.*

6 *Vipera pernicies longè, lateq; serpens. longiùs, latiusq; Mortis.*

7 *Dens Mortis venenosissimus, vt Viperæ, ijs maximè infestus, qui præ cæteris eminent.*

8 *Vipera abortum creat attactu. id competit vtrique Morti, corporis, & animæ.*

9 *Morsus à Vipera nulli dispari malum pandit: Mortuorum cum viuentibus non*

non est conuersatio.

10 *Vipera inter venenata nihil nocentius. Morte nihil atrocius: nihil terribilius.*

11 *Vipera paruum animal: Mors exilis magnos necat.*

12 *Temperies Viperæ varia. Mortis vel varia temperies vel nulla. Ipsa tota intemperies. aequè calida, ac frigida.*

13 *Vipera nunquam mitescit. Aspis dicitur. Mors incurabilis.*

14 *Mors, vt Vipera sæuit maximè tempestate calidâ.*

15 *Vipera volans, Iaculus, Cenchris, Acontia. Maior Mortis velocitas: Mors repentina.*

16.17 *Punctus à Viperâ, cauet: quia intelligit, quantus inde cruciatus. Læsus à Morte, & Peccato cautos facit: vtinam ipsus-met fuisset cautus.*

18 *Vipera hominem vorans Symbolum gentilitium Vice-Comitum, Simulacrum Mortis, quæ deuorat insatiabiliter.*

---

## *Illustres aulæ cœlestis Palatini*

# Clerici.

VIPERA in *Symbolicâ Theologiâ* diuersissimarum rerum est simulacrum: sed nihil æquè ad viuum, ac *Mortem* repræsentat: adeò, vt dum huius est imago, rationes omnes aliarum repræsentationum videantur coire in vnicam hoc *Symbolum*.

*Vipera lingua occidit.*

I. IMPRIMIS, *Vipera* linguâ occidit. Habemus id ex diris Sophar Naamathitis, in impium hypocritam iactatis, Iobi xx. *Caput aspidum suget, & occidet eum lingua Viperæ*. Omnium quidem serpentum venenatæ sunt linguæ, atq; terrificæ, & motus celerrimi, adeo vt idcirco bisulcæ, aut trisulcæ videantur, quod scribit Plinius; *a* & Isidorus, *b* At signatè id de *Vipera* refertur, quod geminam iactet, simulq; caudam intorqueat. Quid de lingua hominum dicit Iacobus Apostolus, esse *inquietum malum, plenum veneno mortifero*, ad linguam viperæ rectè transferas.

*a* Lib. 11. cap. 37. *b* Lib. 12. Orig. cap. 4. Cap. 3. 8.

*Lingua Mortis.*

II. QVÆ est *Lingua Mortis*, quam tanta celebritate vibrat, & mortales interimit? In *Mortis* corpore, quod pingunt *Symbolici* linguam trisulcam exprimit triplex illud instrumentorum genus, quo hominibus exitium adfert: *Fames, Pestis, Bellum*: Aut, si bisulcam vis, *Senium* & *Morbus*. Si vnicam, sed quæ tantâ velocitate vibretur, vt dispertita videatur, & plurium sit instar, Naturæ vitiositas: quam dicere possis, immedicabilem hominum phthisin. Linguæ etiam *Sym-*

*bolo*

*bolo* exprimitur, Imperium, quod illi eſt in omnia, quæ vita ſunt prædita, & hominem maximè, cui linguæ altioris calamo præſcriptum: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Deniq; *quadrifida* huius *Viperæ lingua*, eſt contrariarũ ſemperq; pugnantium quatuor qualitatum antipathia, quæ omnes tandem, ſi nihil eſſet aliud, enecat.

Aliud quidpiam, ſed non minus *ſymbolicè* per *Viperæ linguam*, intelligit Papa Gregor. qui illam Sopharis ſententiam ita exponit. *Aſpis* paruus eſt ſerpens: *Vipera* verò prolixioris eſt corporis: & *Aſpides* oua gignunt, atque ex ouis eorum filij procreantur: *Viperæ* autem, cùm conceperint, filij earum in ventre ſæuiunt, qui ruptis lateribus matrum ex earum ventribus procedunt. Vnde & *Vipera*, eò quod vi pariat, nominatur. *Vipera* itaque ſic naſcitur, vt violenter exeat, & cum matris extinctione producatur. *Aſpidis.* *S. Gregor. libri XV. Mor. c. IX*

*Quid ergo per* Aſpides *paruos, niſi latentes* Suggeſtiones *immundorum Spirituum figurantur, qui cordibus hominum parua prius perſuaſione ſurrepunt? Quid verò per* linguam Viperæ, *niſi violenta Diaboli tentatio deſignatur? Prius enim leniter ſurrepit: poſtmodum verò etiam violẽter trahit.* Caput itaque Aſpidum *ſugit, quia initium ſuggeſtionis occultæ paruum prius in corde naſcitur, ſed occidit eum* lingua Viperæ, *quia poſtmodum capta mens veneno violentæ tentationis necatur.* *Suggeſtioni*

*Impius igitur & hypocrita* Caput Aſpidum *ſuget, & occidet eum* Lingua Viperæ: *quia cum iniquam ſuggeſtionẽ antiqui hoſtis libenter ſuſcipit, violentis ſe poſtmodum eius tentationibus deuictus tradit. Vnde & in paradiſo quoque ſtanti homini verba blandæ perſuaſionis intulit: ſed quem ſemel rapuit ad conſenſum, iam nunc etiam renitentem trahit, & corruptionis ſuæ delectationibus deuictum penè violenter interficit.* *Tentatio violenta.*

Hanc allegoriam ſi ſequi lubet, dicemus, *Viperam* eſſe *Concupiſcentiam* à Diabolo grauidam: quæ *Peccatum* gignit, viperinam prolẽ: à qua *Mors* generatur, exitialis & ipſa *Vipera*, quæ peccati æquè, ac peccatoris eſt partus. At hic inſtar *Viperæ* matrem ſuam: nempe peccatum, ac peccatorem conſumit. Atque hanc eſſe *Symboli* huius rationem exiſtimat in Epiſtolam ad Romanos Cornelius. Quæ ſanè ſimilitudinis optimæ accommodatio plurimum facere poteſt, tum ad peccati deteſtationem, tum ad illius, & *Mortis* malignitatem æſtimandam. *Vip. vita priua.* *Rom. V.*

III. Scribunt naturæ ſerutatores induſtrij, *Viperã* fœminã, incitatiſſimo libidinis impetu ferri in caput comparis, ac illud exſu- *Viperæ conceptus.*

gendo, ore concipere: quid nisi ex venenosissimo capite pestiferum toxicum? Fœtus autem ex venenato hoc semine prognatos, parenti exitiales esse, matrémque interimere. Narrat hoc vt receptū à caussarum naturalium gnaris Herodotus, cuius illa sunt verba.

Herod lib. III. *Viperæ, cùm libidine agitantur, ac per paria coëunt, fœmina collum maris in emittenda genitura comprehendit: & arctè amplexa, non prius dimittit, quā deuorauerit, & mas quidem hoc pacto perit. Fœmina verò talem luit masculo pœnam. Quod filij, dum adhuc intra vterum sunt, patrem vlciscentes, matricem ambedunt, eiúsque aluo ambesa, ita partum faciunt.* Estque hæc vulgaris opinio: vnde *Viperam* volunt dictam, quasi vi parientem, quod erosis matris lateribus, cum eiusdem interitu prodeant pulli: Græcè etiam, ἔχιδναν, ὅτι γονὴν ἔχει ἐν ἑαυτῇ ἄχρι θανάτου. Approbare vidētur

NOTÆ. hanc opinionem, quam referunt, nec refellunt, grauissimi Patres, Basilius, Chrysostomus, Athanasius, Isidorus Pelusiota, Euthymius, Epiphanius, Hieronymus, Augustinus. Eandem rem tradiderunt, Horus, Apuleius, Plutarchus, Galenus: & eleganter versibus expressit Nicander in suis Theriacis, dum de *Echidna*, hoc est, *Vipera* fœmina canit.

*——— Feruente libidinis æstu*
*Sæuo dente sui resecat caput illa mariti.*
*Ast vbi post vegetam cœperunt pignora vitam,*
*Iam propinqua adsunt maturi tempora partus,*
*Indignam cari mortem vlciscentia patris,*
*Erosâ misera nascuntur matris ab aluo.*

Iudæi genimina Viperarum. Matth III.7. Mat.XXIII.33 Eiusdem persuasionis sunt sacri Interpretes, qui caussam inquirunt, cur Ioannes Baptista, & Christus Iudæos nominauerint, *progeniem*, ac *genimina Viperarum*, maximè Pharisæos, ac Sadducæos: illam autem dant præcipuam, quod inuidia flagrarent, quæ lacerat propria viscera. Ad hæc; quod suos-met Doctores, ac Prophetas interfecissent, Psal. V. DEVM etiam ipsum deseruissent, ac CHRISTVM matris adfectu eos complectentem, occisuri essent: Denique, quia errassent ab vtero, pessimorum parentum filij pessimi imitatores. Auctores nominat Maldonatus in Matthæum Nicolaus Serarius, *a* Barradius, *b*

a in Tribar. b Tom. II. li. I. cap. 5. c Lib XII. Etymolog. His adiunge Isidorum, qui diserte scribit, *c* quod masculus ore inserto *Viperæ* semen expuat; illa autem ex voluptate libidinis in rabiem versa, caput maris ore receptum præcidit. atque ita fit, inquit, vt parens vterque pereat, masculus cùm coit: fœmina cùm parturit.

Tot

Tot auctoribus nititur opinio, exitialem esse patri, matriq; viperinum fœtum, & enecta matre prodire ex eius aluo: *fortasse falsa*, inquit Bisciola: sed *tanta tamen, vt pro vera celebretur à plurimis*: quod etiam Ioan. de Pineda in Iobum asserit. Quibus adde Romanos, qui parricidas insuebant intra culeum, cum *Vipera, cane, simia, gallo*. Quod in simili scelere fieri voluit patrum æuo summus iustitiæ cultor Andr. Auria. An non, quia *Viperam* vt parentis necatricem agnoscebant? *Tom. II lib IX. cap. 17.*

Præclara MORTIS imago, cuius mater, *Concupiscentia*, dum ex homine, eius concubitum per illicitam rerum corporearum delectationem, appetente, concipit: illique haustas per sensuum apprehensiones, formas, tanquam noua peccatorum semina communicat, ab ipsa *Concupiscentia*, tanquam ab Echidna mas, deuorato per peccatum capite gratiæ, interimitur. Est enim peccatum interitus animæ. At verò *Concupiscentia* dum pariendo, scelus effundere conatur, illam ipsam imprimis corrodit: sopitur enim in illa ardor ille, ac æstus, quo maximè nomen suum tuebatur, vt iam non sit, quæ fuerat antea: tandemq; per *Mortem*, vt extremum *Viperæ* exitialis fœtum, mater, & iterum pater, interitu altero: id est, corporeo, enecantur. *Iac. Aug. Thuan.*

Cerne mihi hominem appetitionibus suis fræna laxantem dum in eo *Concupiscentia*, siue carnis, siue oculorum in delitias suas feratur, diceres illam, dulcissimum sanguinem ad quem dudum vt concupitum pabulum anhelabat lambere, & exsugere: quod quid est aliud, quam summa voluptuate caput viperinū, suctu tenacissimo humore omni exhaurire: tantus est in capienda delectatione illa sensuali æstus. Sed illa ipsa libido, voluptario mortifera est, & quæ tandem erodit, eius non solum viscera animæ (quomodo potentias ac facultates internas nominare licet) quod fit, per peccatum: sed etiam exteriores corporis, per *Mortem*. Sic enim *Vipera* summa voluptate concipit, & exsugit caput masculi: at deinde, acerbissimo cruciatu, imo interitu, parturit, dum pariendo emoritur. Certè eodem momento, quo peccator per concupiscentiæ delectationem, & voluntatis assensum scelus parit, enecatur, nec alio, quam, quem generat, fœtu.

Paullò aliter Ioannes Bustamantinus: *Vipera*, inquit, salacissima, Concupiscentia carnis est, libidine, ac voluptate instigata, & ardens: maris caput præscindit ebria, cōcipit, paritq; filios, primo partu excludens oua, quæ fota cùm consummata fuerint, in fœtú que *Ioan. Bustam. lib III. de animal. SS cap. 4.*

 abie-

abierint, matri mortem inferunt, lateribus parentis confessis, & diruptis. Haud secùs Concupiscētia nostra, & passiones generatim caput rationis amputant. Jlla concipit vitium, & deformitatem, quæ cùm cōsummata fuerint, *Mortē* vitæ gratiæ generāt. imò non solum spiritus *Mortem*, verum luxu nimio, & vitiorum nimietate *Mortem* corporalem, & improuisum exitium. Quam bellè hîc quadrat?

Ἐξ ἐχίδνης πάλιν ἔχιδνα γίγνεται

*E Vipera rursum nascitur vipera.*

Adag. Iunij Cen. III 98. Quod etsi communiter in improbi præceptoris improbum discipulum: & scelesti patris consceleratum filium iactetur; non minus benè tamen de *Concupiscentia Mortem* generante dicitur: vtraq; enim vterum, in quo concepta est, disrumpens, parenti interitum adfert.

Vipera viuum parit. I V. QVOD multo certius est, quàm quòd de *Vipera*, tot auctorum asseueratione firmatum protulimus. Nam istud nemo negat: imò, nec in dubiū vocari potest: est enim supremi Principis, qui moueri nescit, sigillo roboratū: *In quocumq; die comederis*, nempe de fructu vetito, quod fit in quolibet scelere, *Morte morieris*. De hoc ambigūt plurimi: sunt etiam, qui planè abnuant. Sane apud Philostrotum, a Apollonius imprudentem censet illorum sermonem, qui dicunt *Viperarum* filios absque matre nasci: quia nec patiatur id natura, neque experientia comprobet: sed visa sit, quos peperit lingua lambere, & quodammodo expolire. Quod hoc tempore viri graues etiam testantur. Inter quos, Ioannes Bustamantinus: seruata viperina progenie, vtero gerente *Vipera*, in amphoram vitri, alta furfuribus, & caseo, vsque in partus diem, reperit illam non ruptis lateribus, visceribusque elisis parere.

a Lib. II. c. 14 [?]

b Libr. XXV. de animal. cap. vlt. Albertus autem, b quod de *Vipera* vulgo iactatur, mendacium vocat, & impossibile: Qoniam natura nunquam dedit actum, cuius non daret naturalem potentiam, & facultatem: aliter namque deficeret in necessarijs. Ac vult dici *Viperam*: quasi vi intrinseca parientem, prius quidem ouum, deinde animal. Quod non concedunt eruditi, existimantes vocari velut *Viperam*, quod non oua, vt ceteri serpentes; sed viuum pariat animal.

Viuipara. NOTÆ.

Lib. IX. cap. 31 & 32. Arist. lib V. de hist. anim. cap. vlt. Ælianus quoque, quamuis vulgarem sententiam referat, eam tamen, Theophrasto auctore, repudiare videtur. Aristoteles vero narrat *Viperam* parere catulos membranis (quæ vocantur secundæ)

obuo-

obuolutos, quæ tertia die rumpuntur: aliquandp contingere, vt qui sunt adhuc in vtero, abrosis membranis erumpant. Sic quoque opinantur docti recentiores, Cœlius Rhodiginus, Gulielmus Canter. Delchampius Plinij Scholiastes, Iacob. Pontanus, Franc. Toletus, in Luc, Lorinus in Act. Apost. Ioan. Brodæus. Sed nemo fusius, accuratiusq; de hac re egit, quàm Ioan. Bustamantin lib. III. de SS. animalibus cap. II quod est de partu, & modo concipiendi viperarum.

V. At alia multa isti in *Vipera* considerant, ob quæ præclarum sit *Mortis Symbolum.* Est *Vipera* fœcundissima: plures semper effundit catulos, adeò vt Aristoteles referat, pluribus illam diebus parere, & singulis excidere vltra viginti. Atque ita Theophrastus fatetur, in partu mori matrem, quod disrumpatur sponte vterus, cùm adeò sit angustus, vt tam numerosæ prolis multitudinem, & incrementum capere non possit. *Theoph apud Pier. lib XIV. Hierog.*

Sed non exæquat hæc fœcunditas incredibilem *Mortis* feracitatem, cuius vterus, cùm sit capacissimus, & multorum milliũ copiâ fœtuum non impleatur, nunquã, licet cotidie plurimos pariat, disrumpitur. Quot moriuntur diebus singulis, tot sunt *Mortis filij*. Quæ phrasis in diuina Scriptura vsitata est, & ad hoc *Symbolum* spectat, in quo *Mors*, vt *Vipera* semper par.ẽs, & inexhaustæ fœcũditatis concipitur. Sunt autem *Filij Mortis*, tum, qui *Morte* digni; tum, qui *Morti* adiudicati sunt, quales merito habentur mortales omnes: prius damnati, quàm nati, *Mortis* omnes, vt victimæ futuri, ita filij semper. Fuerunt matres aliquot stupendæ fœcunditatis. Mulierem viginti edidisse fœtus habet Aristoteles, [a] quattuor vicibus enixam, quinos singulis. Sub Agamundo Hunnorũ Rege, meretricẽ septẽ vno partu produxisse Annales memorant. Vno abortu duodecim puerperia egesta scribit Plin. [b] viginti duos abortus eiecisse aliã, narrat Auicenna: septuaginta fœtus articulatos emisisse quandã refert Albert. Qui alterius meminit, sexaginta filiorum matris. Celebrat etiam Craconia Margaritam, Comitis Virboslai vxorem, quæ triginta sex fœtus vno partu edidit. Sed quid hæc ad Margarithã Batauicam, quæ vtero gestare potuit trecentos sexaginta filios, quos etiam simul & semel emisit, viuos omnes, & sacro deinde latice tinctos? *Filij Mortis.* *a Lib. VII. hist cap. 4.* *b Lib. VII. cap. II.*

Hæ omnes, & si quæ aliæ, steriles dicendæ sunt, cùm *Morte* comparatæ. Habet illa in capacissimo ventre ex venenato peccati semine conceptos terrigenas ad vnum, oẽs & mométis singulis *Mors mater cunctor moruentium.*

myriades aliquot effundit: nec cessabit, donec vniuersos egerat. Est enim *Mors* mater cunctorum morientium, multo magis propriè, quam Heua, viuentium. Hoc enim, vt bene notat Ioan Mariana in Genesin, accommodatè accipiendum est, & restringi debet ad filios hominum: istud autem etiam ad iumenta, imò res insensibiles, ac latissimè ad inanimes etiam extendi debet. Nam

Gen. III. 20.

*Mors etiam saxis, nominibúsque venit.*

*Pharisæi genimina Viperæ. Paranesi ad Gen.*

VI. SED ad *Viperam* regrediamur, cuius progeniem, & genimina dictos Pharisæos: ac Sadducæos indicat Clemens Alexandrinus ob perniciem, quam vita, & doctrina sua, tanquam contagione longè, latéque sparsa, inferebant. At nunquam fuit tam contagiosa lues, quæ ita vniuersè omnes infecerit, quam *Mortis*, cuius sola præsentia, cuncta irremediabiliter intereunt.

*S. Hier. in cap. XXX Isa. Greg. Hom. XX. in Euang.*

VII. ALIAM caussam dat Hieronymus, & Gregorius, qui notari maximè putant pestilentem eorum, venenosissimámque maledicentiam, calumniantium, & quasi mordentium, omnes quidem, sed illos maximè, qui eminent in Republica, & Synagoga. Malignus est dens *Mortis*, plenus toxico, quo mordentur cuncti, sed in illos præsertim immittitur, qui reliquos animi, corporisque ornamentis antecellunt. Itaque licet multis præditus sis naturæ dotibus: quamuis sapientia, opibus, nobilitate, imò sanctitate quam plurimos post te relinquas, noli tibi securitatem spondere: sed magis metue, aut saltem, si metuere *Mortem* nolis, magis illum cotidie expecta, omni momento paratus: nam hæc sunt eius irritamenta: his illa *Vipera* potissimum insidiatur.

*Aug. in Sent. Ser. vlt.*

*Diuitiis flores*, inquit Augustinus, *& maiorum nobilitate te iactas, & exultas de patria, & pulchritudine corporis, & honoribus, qui tibi ab hominibus deferuntur, respice teipsum, quia mortalis es, & quia terra es, & in terram ibis: Circumspice eos, qui ante te similibus splendoribus fulsêre. Vbi sunt, quos ambiebant ciuium potentatus? vbi insuperabiles Imperatores? vbi qui cõuentus disponebant & festa? vbi equorum splendidi inuectores? vbi exercituũ duces? vbi satrapæ tyrannici? Nunc omnia puluis, omnia fauilla: nunc in paucis versibus eorum memoria est. Respice sepulchra, & vide, quis seruus, quis dominus, quis pauper, quis diues? Discerne si potes, vinctum à rege, fortem à debili, pulcherum à deformi. Memor itaque naturæ, ne extollaris aliquando: memor autem eris, si te ipsum respexeris.*

*Vipera abortũ facit.*

VIII. PLINIVS traditum scribit à veteribus: mulierem prægnantem

gnantem si *Viperam* siue studio, siue incuria transcenderit, abortum facere. vsque adeò *Viperæ* venenum, vel adflatu solo in humani generis perniciem grassatur. Vnde iuniores nonnulli, abortiuum incommodum per *Viperam* mulieris pedi suppositam significare commenti sunt, vt existimat Pierius Valerianus in Hieroglyphicis. Id, quàm bellè quadret in vtramque *Mortem*, corporis & animæ, quis Theologiæ sacræ vel mediocriter peritus non animaduertit, cùm cogitat, bonorum operum semina, diuinis adflatibus in hominis anima, iam viuentis formam penè nacta, Peccati contactu, abortus instar, egeri? Imò animata, & ad maturitatem perducta, tanquam cadauer vita ac spiritu destitui. Mortificantur enim, vt in scholis loquimur, omnes virtutum actiones, omnia Christiani hominis officia, merita omnia venenato *Viperæ* illius sibilo. *Morte* etiam corporis, quicquid tantum fuit exequtioni destinatum, aut in proposito, tanquam in vtero, abortiuo quodam interitu perit. Nam nisi dum viuis, bonorũ operum fœtum edideris, vita priuatus frustra pariendi tempus postulabis. *Non mortui laudabunt te Domine.* *Pier. lib. XIV*

IX. QVÆ verò de morsu *Viperæ* ponuntur à Platone in Symposio: eius scilicet ictu tactos aperire nolle quid patiantur, nisi ijs, qui similiter ægrotant: nonne ad mortuos commodè transferri potest? quibus cum viuentibus iam non est amplius conuersatio, vt ijs (nisi DEO aliter statuente) quis rerum suarum sit status manifestent, & dolores gaudiaq; communicent. Magnum inter nos & illos firmatum est chaos. Qui similiter afficiuntur, miscent colloquia. suo illi in foro agunt: in mundo agentibus suum etiam, vbi liberè agant, relinquunt. *Morsus Viperæ*

X. IAM verò nihil est natura in omni, inter animantia venenata, quæ mortalibus exitio esse solent *Vipera* nocentius, atrocius nihil, perniciosiusve. Certè Horatius summam malignitatem veneni viperini contemplatus, hoc in comparationem trahit, cum agit de Sibari adolescente Romano, nobili, ac potente, sed segni & ignauo, ac Lydiæ philtris dementato, vnde illi amor inertiæ, inhonestum ocium, exercitationum ingenuarum odium, fuga luctæ, & detestatio olei, quo inungebantur athletæ, & luctatores, vt lubrici resilirẽt, sicque manum captare volentium effugerent. *Vipera inter venenata nihil nocentius.* *Hor. lib. I. Ode 8.*

*Cur oliuum sanguine viperino cautius vitat?*

nimirum, venenum perniciosissimum exprimere sic putabat posse.

Cic Arusp. resp 47. Cicero de Arusp. resp. *Etiam ne in sinu atque delitijs, quidam optimi viri* Viperam *illam venenatam ac pestiferam habere potuerunt*: Hac icone, id, quod maximè est exitiale, denotans. Similiter Ouidius maximam describens rabiem, *Viperam* nominat:

Ouid. lib. II de Arte

*Læsa* Vipera *ignaro pede.*

Cic lib. I de finib. Et iterum Cicero, ad mali exaggerationem: *Cui viperino morsu venæ viscerum veneno imbutæ tetros cruciatus cient.* Non nesciuerunt hoc Scythæ, qui sagittas suas intingere solebant, viperina sanie, & humano sanguine, quo irremediabili scelere mortem illicò adferebant leui attactu. Auctor Plinius, & insinuat Horatius.

Plin. lib II. cap. 53. Horat. Epod.

*Quid hoc veneni sæuit in præcordijs?*
*Num viperinus hic cruor*
*Incoctus herbis me fefellit?*

Vel hoc solo, vt *Mortis* sit hieroglyphicum, meretur *Vipera*. Si à doctis, indoctis ve; Græcis aut barbaris, seruis, aut liberis, quæras, quid iudicent in rerum natura, ipsi naturæ esse perniciosissimum, atrocissimum, terribilissimum? vna omnium vox est: *Mors*. Quæ si sit animæ, aut gehennæ: nihil illa excogitari potest nocentius: si autem corporis, nihil huic ea potest accidere tristius, cum ea intereat.

Quantitas Viperæ

Nicand in Theria. Ælia. lib. XVI.

XI. Est parua quidem *Mors*, vt *Vipera*, quæ communiter duos, aut tres palmos æquat: nam portenti instar est, quod refert Nimphes lib. IX. de Ptolomæis Ægypti, nec dissentiunt Nicander & Ælianus, in Troglodydite esse *Viperas* decem & septē cubitorum magnitudinis. Apud nos sanè exiguum est animal. De paruitate *Mortis* dicere non attinet, cùm tam exilis sit corpulentiæ, vt in puncto acus tota possit consistere: non est tamen colossus vllus tam ingens, quem non sternat, vt

Ouid. lib II. de remed.

*Parua necat morsu spaciosum* Vipera *taurum.*

Temperies Viperæ. a Libr. I. de Gen anim ca. 10. b Lib II. de locis affect. & Gal lib XI. Simplic. Io. Bustam. lib. III. cap. 1.

XII. De *Vipera* temperie multa est altercatio. Eam totam frigidam esse docet Aristoteles, *a* à quo non recedunt Aëtius, Paulus, Dioscorides, & Galenus, *b*. At hic alibi *Viperæ* carnes, vt calefaciētes laudat, & exsiccantes natura, ideóque morbis frigidis prodesse adfirmat. Vt certamen componat Complutensis Medicinæ Moderator, dicit, Viperæ temperiem variam nimis esse: nec vnius qualitatis, temperamentive.

Mortis temperamentum.

Ita se res habet, cùm de *Mortis* temperamento disputatur. Quamuis, quid est opus illi temperamentum adsignare, quæ tota est in-

est intemperies? quæ ex intemperie ortum habet, & intemperiem progenerat: quam nunquam, nisi intemperiæ agitassent primos homines, mundus agnouisset. Quia tamen *Mors*, vt animal concipitur, & nunc, vt *Vipera*, temperamentum aliquod illi detur. At non aliud quam *Viperæ*. varium: imò contrarium: non ad iustitiam, neque ad pondus: sed illis oppositum. In Febricitantibus *Mors* calida videtur, & frigida: in senibus, merum frigus: in iuuenibus, calor: in hydropicis, humida: in hecticis, sicca. Natura tamen reuerà videtur dicenda, frigida, vt *Vipera*. Talis omnium consensu est, caussaliter saltem, vt Philosophi murmurant: siquidem frigidum relinquit cadauer, saxi instar.

XIII. *Viperæ* est ea feritas, vt nunquam mitescat. Quis cicurem vnquam vidit? quis domi aluit? quis mansuetam habuit? Monent Medici, ne appropinques: bestiam illam esse intractabilem: nunquam ad consortium hominum venire absque nocendi auiditate: semper venenum spargere, aut esse in procinctu. Docent id Aristoteles, Galenus, & è nostris, Ambrosius. qui addunt, *Aspides* mansuefactas, & hominibus blanditas, tanquam sociennas, nunquam verò *Viperam* domesticæ fuisse consuetudinis. De Aspide, præter Plinium, ex quo id refert Beda, & Nicolaus Serarius, testis est Albertus, qui in Ægypto altam ait, adeò cicurem, & hospiti suo gratam, vt, cùm accidisset, heri puerum à suis catulis venenari, indignata, in filios, beneficij immemores, & ingratos, sæuiēs, illos ipsa peremerit. Cui nihil vnquam simile lectum de *Vipera*, quæ nescit feritatem deponere.

*Vipera nunquam mitescit.*

*NOTÆ.*

*Beda Iacob. III. Nic. Sera. ib. Alb. libr. XXV. de animal. Plin. lib. X. cap. 74.*

In quo non est vltima *Symboli* huius ratio: *Mortem* enim esse incicurabilem omnes asserunt. Disputari quidem posset, quid in hac re sit contumacissimum. Et Iacobus Apostolus linguam nominare videtur, tanquam non patientem vllo modo freni. *Omnis*, inquit, *natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & ceterorum domantur, & domita sunt à natura humana: linguam autem nullus hominum domare potest: inquietum malum, plenum veneno mortifero.* Verùm reperti sunt, qui, si non humana industria, diuina certè ope ac singulari beneficio linguam habuęre domitam, & religione frenatam: in chamo etiam constrictam: vt Pambus ille æqualis Athanasij, quem refert Palladius decedentem adfirmasse: ex quo eremum incolere cepisset, nullum se protulisse

*Mors incicurabilis.*

*Iacob. III. 7. 8.*

*In Lausiaca cap. 10.*

 verbum,

verbum, quod prolatum nollet. Et fuerunt alij in Christiana religione celebres, qui arctiore fibula, & epistomide, quam Harpocrates, aut Angerona linguam continuerint. At nullius sanctitas, nullius eloquentia, nullius apud DEVM, quamuis eximius fauor obtinere potuit, vt capistrum *Mors* acciperet. Est enim feritas illius, DEO sic statuente, indomabilis, donec tandem ipsa, postquam omnia abligurierit, à triumphatrice Vita deuorata absumatur.

*Vipera sæuit tempestate calida.* XIV. INTERIM *Viperæ* qualitates obtinet, quæ sæuit potissimum, tempestate calida. id venenatis animalculis commune. In *Vipera* etiam notatum à sacris Interpretibus Actuum XXVIII 3. vbi: *Cum congregasset Paulus aliquantam sarmentorum multitudinem, & imposuisset super ignem*, Vipera, *à calore procedens inuasit eius manum.* Illustrat id Lorinus versibus Gabriæ in fabulis.

*Anguem fouebat rusticus suo in sinu,*
*Brumæ rigente frigore. hic ignem calens*
*Punxit fauentem, sustulit cita nece.*

Eadem est *Mortis* tempestas, vt alibi demonstrauimus. Dum enim vel adfectuum æstus, maximè, iracundiæ, libidinis, intemperantiæ, hominis corpus inflammat: vel aëris quoque est intemperies: aut maligna febrium flamma, interiora depascitur, *Symbolica Vipera* prosilit, & plurimos necat.

*Vipera volans.* XV. PORRO illa magnoperè *Mortis* velocissimum impetum exprimit, quæ *Vipera volans* dicitur ab Isaia cap. XXX. 6. Vbi vel Iero-

*NOTÆ.* solymitani comparantur, cum *Regulis*, & *Viperis*, vt exponit Hieronymus: vel describuntur effigies Deorum Ægyptiorum, vt Procopius explicat: vel, quid sit in solitudine, quâ in Ægyptum est iter, prædi-

*Deut. XXXI. 10.* citur, vt interpretatur Adam. *In terra tribulationis, & angustiæ, leæna, & leo ex eis*, Vipera & Regulus *volans*. Sed nonne mundus vniuersus terra est tribulationis, & angustiæ? nonne locus horroris, & vastæ soli-

*Isaia XXX. 6.* tudinis? In ea *Vipera volans* & *Regulus*. In Hebræo est, *Serpens ignitus volans*, vt notat Sanctius. Qui licet ad regulum tantummodo istud epi-

*Lib. III de ani mal. SS. c. 3.* thetum referre videatur: tamen ad *Viperam* etiam pertinere ostendit Ioannes Bustamantius, qui putat designari illam *Viperæ* speciem, quæ

*Iaculus, Cenchris. Acontia.* dicitur Iaculus, quam Aëtius vocat Cenchritem, & Acontiam, à verbo ἀκοντίζω iaculor. quo nomine dictus fuit Lycaonis filius, quod iaculis fuerit potentissimus.

Hoc Viperæ genus volat, estque reliquis exitialius. Eius morsibus,

bus, & venenato ictu extinctus ferè fuit Catonis in Africâ exercitus, cui maximè infestus fuit

*Et natrix violator aquæ, Iaculique volucres.* Luc. lib. 1.

Huius forma *Viperæ* effingenda *Mors* esset, vt illius velocitas, & in homines impetuosa vibratio exprimeretur. Nam *Iaculum* ex arborum ramis vibrari Plinius asserit: imò instar missibilis globi, è tormento bellico, more pilarum excussi ocyssimè, & impetuosissimè ferri insinuant Auicenna, Ælianus, Galenus. Aliqua est hæc similitudo, quis omnimodam poscat, cùm de *Mortis* celerrimâ, & incomparabili velocitate agitur? Momentò illa peruadit immensum penè spacium, sanè tantum discurrit breuissimo tempore, NOT. Æ. Plin lib. VIII. cap. 23.

*Quantum non iaculum Parthi, non impetus Austri.* Claud.

Hinc *Mortis* repentinæ, & inexpectatæ, typus solet esse *Vipera*, eiusq; venenum. Orpheus apud Ouidium excusans se ab audaci facto descensus ad inferos Mors repentina.

*Caussa viæ est coniux in quam calcata venenum* Ouid lib. X. Meta:
*Vipera diffudit.* ——

Nimirum subita morte interijsse significare volebat amantissimam Euridicen. Quod vsurpare etiam potuisset Adam, cum viam inferorum patefactam animaduerteret Euâ suâ à *Vipera* læsa. Plura istiusmodi suggerent amatori sacræ eruditionis Physiologi Medicique, qui de natura ac proprietatibus huius animantis scripserunt, alijq; *Notis* nostris inserti.

XVI. Sed illud ad extremum minimè omittendum. Vt *Viperâ* læsi alijs non reuelant, quæ patiuntur, nisi idem sint experti, quod ex Platone nuper adduximus: ita alios non intelligere, quales sint eorum anxietates & cruciatus. Percussos verò deinde cautè viuere in posterum, astutosque euadere. Hinc adagium: *Est Vipera læsus. Est punctus Vipera semel.* Quod si ad *Mortem*, quæ *Peccatum* est transferatur, præclarum continet documentum, vt non vereamur illius angores, molestias, & inde ortas ærumnas alias manifestare, Christo siue proximè, siue in ministris, illi quidem *Vipera* etiam percusso, sed non vulnerato, nec eius veneno infecto: ministris verò, etiam ictis & saucijs. Horum contactu alleuabitur dolor, sicut leuari percussos, dum percussis referunt anxietates docet Plato: nam imbibunt veneni cruorem quo vulneratus grauabatur. Traxit Christvs, & trahit quotidie per sacerdotes ad se venenum nostrum, modò per familia-

rem Sacramenti congressum, & pœnitentiæ attactum latentem intus putidum sanguinem manifestemus & eijciamus. Mortuus est enim ipse pro nobis, vt nos pristinæ sanitati restitueret. *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras: attritus est propter scelera nostra, liuore eius sanati sumus. Omnes nos errauimus quasi oues, vnusquisque in viam suam declinauit: & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Propter scelus populi mei percussi eum.* Cum eo agentes subleuamur: scit ille dolores nostros: habemus Pontificem, qui compati possit infirmitatibus nostris: eius attactu virus refundimus. Quid quod ille nouo quodam seu sympathiæ, seu antipathiæ genere omnia trahat ad se ipsum?

*Isai, LIII.*

*A Vipera percussus.*

XVII. At vtinam nos à ferali *Vipera* percussi, eiusque infecti veneno cauti euadamus, ne nos illa iterum inuadat. Satis est semel punctos esse: fugiamus, quasi à facie colubri peccatū. Porro, vt nemo nouit, quid patiantur, qui viperino dente sunt morsi, nisi & ipsi idem sint experti: ita nullus cognoscit, qui sint conscientiæ angores, quæ carnificina, quod gehennæ par supplicium eius, quem peccati virus infecit, nisi aliquando & ipse ictum exceperit. *Mortis* autem corporeæ non dissimilis est ratio, quam nemo melius describeret, quam qui semel sustinuisset eius impetum. Sed tantum semel ab hac *Vipera* pungimur: faxit DEVS, vt ab altera, quæ vitam animæ absorbet, non sæpius pungamur.

*Vipera illius callidos facit*

Quod si quis ad nos rediret aliquando, quem *Vipera* venenosissima, quæ *Mors secunda* dicitur, linguæ spiculo transfixisset, quàm ille cautè ageret, ne virulento illius adflatu denuo inficeretur, factus ex calore, quem *Vipera* ingenerat, callidus & versutus. Quod per *Viperæ* morsum fieri Physiologi pronunciant. Hanc calliditatem spondebat, qui lethaliter ab hac *Vipera* ictus, rogabat vt mitteretur Lazarus mendicus ad fratres, ne & ipsi saucij eodem toxico, venirent ad locum tormentorum. Meliori successu cautelam è Viperæ fatalis morsu reportauit monachus ille in deserto de quo ita

*Luca XVI.27*

*Ioan. Clima. Gradu VI. de Mortis memoria.*

Ioannes Climacus. *Non tacebo tibi, & solitarij Thoribitici in Choreb habitantis insinuare narrationem. Ille sui ipsius animæ nullam curam penitus gerens, in omni negligētia semper degebat. Extremè igitur aliquando corpore infirmatus, quasi vnius horæ spacio perfectè migrauit à corpore. Et in semetipsum iterum rediens, deprecabatur quidem, nos omnes confestim recedere, portā verò cellæ obstruens intus annis XII. mansit, cum nullo colloquium, nec paruum, nec magnum habens, nil aliud, præter panem, & aquam gustans tantummodò, sedens,*

*& ea,*

*& ea, quæ viderat in ecstasi, stupens, sic quærens intendebat, vt nunquam deinceps proprium morem commutaret intendens, existens, & excedens, calidas lachrymas sine strepitu semper fundebat.*

*Cùm autem migraturus esset ad Dominum, portam destruentes intrauimus, & multum deprecantes, hoc solum audiuimus ab eo: Indulgete mihi: Nemo memoriam* Mortis *habens, poterit aliquando peccare. Nos verò stupebamus, ita prius negligentem, vidētes beata mutatione & transformatione sic repente mutatum & transformatum. Sepelientes verò eum sanctè in propinquo Castri monasterio, post diem sanctas illius reliquias quærentes, non inuenimus.*

XVIII. TANDEM sileri hic non debet, quod ad huius *Symboli* illustrationem non parum facit, alicubi pictam, sculptam, celatamq; celebrari *Viperam*, quæ hominem deuoret. Possétne imago esse magis viua *Mortis*, quàm *Vipera hominem vorans?* Ita spectatur, in tabulis, quæ clarissimæ Vice-Comitū in Insubria familiæ insignia exhibent. Siquidem eius Princeps domus, Otho, tali imagine gentē suam cohonestare voluit. Causa istiusmodi traditur. Vollux erat Saracenorū trans Iordanē ductor, cùm Ierosolymā Christiani obsiderent. Cùm eo, ex prouocatione singulari bello pugnâuit Otho Vice-comes, & victo atq; occiso spolia detraxit: inter cætera, galeā, cuius in cono septem ingyros conuoluta eminebat *Vipera*, hiāte ore hominē vorans. Ille in suæ tranferens conum victoriæ monimentum, addita octaua spira, transmisit posteritati. Auctores Gulielm. Tyrius, Copius Mediolanensis, Sigonius Mutinensis, Paulus Iouius. *Vipera hominem vorans* NOTÆ.

Ex eadem ostentum victoriæ datum alteri eiusdem familiæ viro illustri, qui Mediolani tenuit Principatum, Azonem Itali indigitant. Rem ab adolescēte auditam Francisc. Petrarcha, ita describit libr. I. *rer. memorabil.* Actium iussu patris, Castrutiū ducem ad bellum contra Bononienses sequutum, cum fortè ex equo descendisset, in agro quieuisse: in eius dormientis galeam, nulla interriti iuuenis nóxia sibilantē horribiliter feram per decoras ipsius genas sensim delapsam. Eam ille liberam non minus gratè quàm generosè, abire passus, ad omen traxit victoriæ, cui magno ipse fuit adiumento. Idem refert Gabriel Simeon Italus in Compēdio quod lingua patria edidit de Ducibus Mediolanensibus. Certè si *Mortis Symbolum* est *Vipera*, ea sese ostentans solummodò, & illæsum pertransiens Ducem, atq; ad hostes cum sibilo se conferens, vt victoriæ ostentum haberi potuit, si quod, sine superstitione admitti valet. *Petrar lib. I. Tract. VI. cap. vlt.*

rem Sacramenti congressum, & pœnitentiæ attactum latentem intus putidum sanguinem manifestemus & eijciamus. Mortuus est enim ipse pro nobis, vt nos pristinæ sanitati restitueret. *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras: attritus est propter scelera nostra, liuore eius sanati sumus. Omnes nos errauimus quasi oues, vnusquisque in viam suam declinauit: & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Propter scelus populi mei percussi eum.* Cum eo agentes subleuamur: scit ille dolores nostros: habemus Pontificem, qui compati possit infirmitatibus nostris: eius attactu virus refundimus. Quid quod ille nouo quodam seu sympathiæ, seu antipathiæ genere omnia trahat ad se ipsum?

*Isai, LIII.*

*A Vipera percussus.*

XVII. At vtinam nos à ferali *Vipera* percussi, eiusque infecti veneno cauti euadamus, ne nos illa iterum inuadat. Satis est semel punctos esse: fugiamus, quasi à facie colubri peccatũ. Porro, vt nemo nouit, quid patiantur, qui viperino dente sunt morsi, nisi & ipsi idem sint experti: ita nullus cognoscit, qui sint conscientiæ angores, quæ carnificina, quod gehennæ par supplicium eius, quem peccati virus infecit, nisi aliquando & ipse ictum exceperit. *Mortis* autem corporeæ non dissimilis est ratio, quam nemo melius describeret, quam qui semel sustinuisset eius impetum. Sed tantum semel ab hac *Vipera* pungimur: faxit DEVS, vt ab altera, quæ vitam animæ absorbet, non sæpius pungamur.

*Vipera ictus callidos facit*

Quod si quis ad nos rediret aliquando, quem *Vipera* venenosissima, quæ *Mors secunda* dicitur, linguæ spiculo transfixisset, quàm ille cautè ageret, ne virulento illius adflatu denuo inficeretur, factus ex calore, quem *Vipera* ingenerat, callidus & versutus. Quod per *Viperæ* morsum fieri Physiologi pronunciant. Hanc calliditatem spondebat, qui lethaliter ab hac *Vipera* ictus, rogabat vt mitteretur Lazarus mendicus ad fratres, ne & ipsi saucij eodem toxico, venirent ad locum tormentorum. Meliori successu cautelam è Viperæ fatalis morsu reportauit monachus ille in deserto de quo ita

*Luca XVI.27*

*Ioan. Clima. Gradu VI. de Mortis memoria.*

Ioannes Climacus. *Non tacebo tibi, & solitarij Thoribitici in Choreb habitantis insinuare narrationem. Ille sui ipsius anima nullam curam penitus gerens, in omni negligẽtia semper degebat. Extremè igitur aliquando corpore infirmatus, quasi vnius horæ spacio perfectè migrauit à corpore. Et in semetipsum iterum rediens, deprecabatur quidem, nos omnes confestim recedere, portã verò cellæ obstruens intus annis* XII. *mansit, cum nullo colloquium, nec paruum, nec magnum habens, nil aliud, præter panem, & aquam gustans tantummodò, sedens,*

*& ea,*

*& ea, quæ viderat in ecstasi, stupens, sic quærens intendebat, vt nunquam deinceps proprium morem commutaret intendens, existens, & excedens, calidas lachrymas sine strepitu semper fundebat.*

*Cùm autem migraturus esset ad Dominum, portam destruentes intrauimus, & multum deprecantes, hoc solum audiuimus ab eo: Indulgete mihi: Nemo memoriam* Mortis *habens, poterit aliquando peccare. Nos verò stupebamus, ita prius negligentem, vidêtes beata mutatione & transformatione sic repente mutatum & transformatum. Sepelientes verò eum sanctè in propinquo Castri monasterio, post diem sanctas illius reliquias quærentes, non inuenimus.*

XVIII. TANDEM sileri hic non debet, quod ad huius *Symboli* illustrationem non parum facit, alicubi pictam, sculptam, celatamq; celebrari *Viperam*, quæ hominem deuoret. Possétne imago esse magis viua *Mortis*, quàm *Vipera hominem vorans?* Ita spectatur, in tabulis, quæ clarissimæ Vice-Comitû in Insubria familiæ insignia exhibent. Siquidem eius Princeps domus, Otho, tali imagine gentẽ suam cohonestare voluit. Causa istiusmodi traditur. Vollux erat Saracenorũ trans Iordanẽ ductor, cùm Ierosolymã Christiani obsiderent. Cùm eo, ex prouocatione singulari bello pugnâuit Otho Vice-comes, & victo atq; occiso spolia detraxit: inter cætera, galeã, cuius in cono septem ingyros conuoluta eminebat *Vipera*, hiãte ore hominẽ vorans. Ille in suæ tranferens conum victoriæ monimentum, addita octaua spira, transmisit posteritati. Auctores Gulielm. Tyrius, Copius Mediolanensis, Sigonius Mutinensis, Paulus Iouius. *Vipera hominem vorans.* NOTA.

Ex eadem ostentum victoriæ datum alteri eiusdem familiæ viro illustri, qui Mediolani tenuit Principatum, Azonem Itali indigitant. Rem ab adolescẽte auditam Francisc. Petrarcha, ita describit libr. I. *rer. memorabil.* Actium iussu patris, Castrutiũ ducem ad bellum contra Bononienses sequutum, cum fortè ex equo descendisset, in agro quieuisse: in eius dormientis galeam, nulla interriti iuuenis noxia sibilantẽ horribiliter feram per decoras ipsius genas sensim delapsam. Eam ille liberam non minus gratè quàm generosè, abire passus, ad omen traxit victoriæ, cui magno ipse fuit adiumento. Idem refert Gabriel Simeon Italus in Compẽdio quod lingua patria edidit de Ducibus Mediolanensibus. Certè si *Mortis Symbolum* est *Vipera*, ea sese ostentans solummodò, & illæsum pertransiens Ducem, atq; ad hostes cum sibilo se conferens, vt victoriæ ostentum haberi potuit, si quod, sine superstitione admitti valet. *Petrar. lib. I. Tract. VI. cap. vlt.*

*Vipera pariens Alcia. Embl. 1.*

Aliò detorquet schema gentilitium Vice-comitum Mediolanensium Andreas Alciatus, Emblemate primo Illustrissimo *Maximiliano* Duci inscripto: fingit enim infantem, vel anniculum puerum rubore tinctum euomi à *Vipera*: ac proinde, parientem potius inducit, quàm deuorantem.

*Exiliens infans sinuosi è faucibus Anguis,*
*Est gentilitijs nobile stemma tuis.*
*Talia Pellaeum gessisse nomismata Regem*
*Vidimus: hisque suum concelebrasse genus:*
*Dum se Ammone satum, matrem anguis imagine lusam*
*Diuini & sobolem seminis esse docet.*
*Ore exit. Tradunt sic quosdam enitier angues*
*An quia sic Pallas de capite orta Iouis?*

*Claudius Minos in Embl. Alciat.*

Sequitur Poëtæ fictionem Claudius Minos eámque eruditè exornat. Nec mihi displicet æquè per *Viperam parientem*, ac *vorantem Symbolicè Mortem* exprimi. Vt enim suo loco probatum est, non tantum illa est viuentium deuoratrix, & *Manduco*, sed morientium etiam omnium Mater fœcundissima. Et hominum quidem quosdam parit ad gloriam, quosdam ad summũ dedecus. Felices nos, si, quemadmodum Seuero dormienti, caput sine noxâ cingens, & Aurelio alludens, & Tiberio blandiens, & Maximino adrepens *Vipera*, Imperium portendit: ita *Mors*, ob vitam innocenter transactam, nos placidè sopitos amplectens, nunquam intereituræ gloriæ nobis sit præsagium.



NOTÆ

# NOTÆ

§. III. *Vipera* necat matrem in partu.] *Ita sentiũt omnes isti: Basilius Homil.* IX. *in Hexaem. Chrysost. Homil.* XI. *in Matth. Athanas. Quæst.* LVI. *ad Antioch. Isidorus Pelusiota libr.* I. *Epist.* 105. *Hieronym. Epist. ad Præsid. & de cereo pasch. Augustinus Serm.* LXXXIII. *de Temp. Apuleius libr.* I. *Plutarchus Opus. de Garrulit. Galen. de theriaca ad Pison. Plinius lib. X. cap.* 62.

Genimina Viperarum.] *Chrysostomus Homil. XI. Benè illos Baptista, Genimina Viperarum vocauit. Siquidem id serpentum genus in parentis festinat exitium: vt aluo exesa in vitam prodeat morte gignentis. Quod isti quoque faciebant patrum sanguine, ac matrum madentes: & sceleratis manibus eos, à quibus ad veritatis lumen ducebantur magistros interficientes.*

*Auctor Imperfecti. Viperarum natura est, rumpere viscera matrum suarum, & sic nasci. Quoniam ergo Iudæi assiduè persequentes Prophetas, corruperunt matrem suam Synagogã, ideo viperarum genimina nuncupantur.*

*Similia habent Beda Matthæi* III. *ibidemque Euthymius & Theophylactus. Augustinus quoque Sermon.* I. *Dominica tertia Quadragesimæ: Sicut*, inquit, *aiunt, Viperas dilacerato materno vtero nasci: ita & Inuidiæ natura, illam animam, à qua concepta est, consumit, & perdit.*

*Basilius Hom.* IX. *cit. Viperas vtero matris eroso fama est in lucem exire, decentes scilicet mercedes, præmiaque parenti reddentes.*

§ IV. *Vipera* viuens parit.] *Legendi* Pierius *Valerianus lib* XIV. *vbi scribit, fuisse hac ætate, qui* Viperas *viuariis inclusêre, eásque aliorum instar animalium parere, educaréque fœtus suos experientia cõpererũt. Cælius Rhodigin. l.* VI. *c.* 13. *Gul Canterus lib.* VI. *Nouar. lect. cap.* 16. *Delacampius ad Plinium lib. X. cap.* 62. *Pontanus ad* III. *Georg. Franciscus Tolet. Matth.* III. *Annot.* 22. *Ioan. Lorinus Actuum* XXVIII. 3. *Ioann. Brodæus. libr.* III. *Miscellan. cap.* II. *Ioan. Bustamantinus lib.* III. *de Animal. SS. cap.* III.

§. V. Mulieres fœcundæ.] *Mira sunt in hoc genere, quæ narrari possent, sed omnia accuratè congessit Simon Maiolus Colloquio* III. *Canicularium, nominatis auctoribus. Miraculo autem tribuit, quod refertur de Margarita Hollandica, & contigit Anno M. CC. LXXVI. quamuis Fulgosus, & Nauclerus aliũ annum, sed perperam nominent.*

*nominent. Peperisse* CCCLXIV *vetus habet inscriptio, & est in Annalibus, ac traditione gentis.*

*§. VII. Vipera* ob maledicentiam. ] *Gregorius Homil. XX. Notandum, quòd mala soboles malorum parentum actionem imitantes, genimina Viperarum vocantur. Quia per hoc, quod bonis inuident, eósque persequuntur: quod quibusdam mala retribuunt: quod læsiones proximis exquirunt; quoniam in his omnibus patrum carnalium vias sequuntur, quasi venenati filij de venenatis parentibus nati sunt.*

*§. XII. Vipera* nunquam mitescit.] *De serpentibus mansuefactis copiosè Simon Maiolus, Colloquio* VIII. *Canicularium. Legendi Aristoteles Sectio. X. Problema.* 44 *Galenus lib. de anim. mor cog cap. 3. Ambrosius in Hexaëm.*

§ *XV. Serpens* volans,] *De hoc genere Auicenna libr.* IV. *Fen.* VI. *Tractatu* III. *cap.* 40, *Galenus de Theriaca ad Pisonem cap.* 5. *Ælian libr.* IX. *cap.* 49. *De aliis S. Basilius Homil.* VII. *in Hexaë. Ambros. libr.* V. *Hexae. cap.* 7. *Pierius libr.* XIII. *&* XIV. *Berchorius lib X. cap.* 13 *Arator libr.* II. *Carminum in Actus Apost.*

§ *XVII. Vipera* ictus callidos facit.] *Aristot. lib.* I. *Physiog. vbi de calidorum natura: Galenus libr.* I. *Quod mores. cap.* 5. *&* 7. *Bustamantin. libr.* III. *cap.* 5.

*§. XVIII. Insignia* Gentis Vice-Comitum.] *De his Guliel Tyri. libr. de bello sacro: Sigonius in Ital. Bisciola Tom.* I. *lib.* XVI. *cap* 8. *Iouius in vitis Ducum Mediolanensium.*

*Sunt alia, quæ considerāt Physici, & Patres in* Vipera *quibus ornari potest hoc Symbolum. Auctor imperfecti existimat Pharisæos, & Sadducæos absque labore salutem se consequuturos per Baptismum putasse, & ideò ad aquam instar* Viperæ *confugisse. Natura* Viperarum, *inquit, talis est, cùm momorderit hominem, statim* Vipera *currit ad aquam: si autem aquam non inuenerit, moritur. Ideò & istos omnes vocabat* genimina Viperarum, *qui peccata mortifera committentes currebant ad Baptismum, vt quemadmodum* Viperæ, *per aquam periculum mortis euaderent.*

*S. Ambrosius Lucæ* III. *in Vipera, vt Serpente, Prudentiā attēdit. Quod de Serpente dicitur Genes.* III. I. Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ: *ad* Mortem *referri potest, est enim ibi vox* ערום, Gharum, *quæ à LXXta vertitur* φρονιμώτατος, *sed in malam partem accipi debere, & pro maligna, ac veteratoria astutia satis indicat Latinus Interpres, & Aquila, conuertens πανοῦργος. quod proprium Mortis est epithetum, cuius astutiæ nemo, quamuis maximè versipellis imponere hactenus potuit, vel imponet vnquam.*

COM-

# COMMENTATIO XL.

# MORS
# DEPOSITIO-
# TABERNACVLI.

*Certus, quod velox est Depositio Tabernaculi mei.*

Epist. II$^{da}$ Petri 1.14.

## BREVIARIVM.

1 *S. Petrus, memor officij pastoralis, Mortis memoriam ingerit, illustri Symbolo Tabernaculi, quod deponitur.*

2 *Tabernaculum multiplex. 1. Pastoritium. 2. Castrense. 3. Viatorium. omnia tegunt, & muniunt.*

3 *Materia Tabernaculorum varia. Communis sunt Pelles. Corporis figura Tabernaculum. In eo pellis, corium, saccus.*

4 *Corpus, ceu Tabernaculum, expanditur in aluo. Mouetur postea: nunquam in eodem statu permanens.*

5 *Tabernaculum figitur. Ismaelis genius. abeo Ismaelitæ, Arabes, Nomades, Scenitæ, Tentoriales. Tabernaculum corporis facillimè auellitur.*

6 *Tabernaculum monet, homines esse Peregrinos, Viatores, Aduenas, Circumforaneos.*

7 *Tabernaculum milites circumferunt. Vita hominis militia. Sub pellibus agendum homini, quid palatia meditatur, & æternas domos? Cur tantum temporis in corporis cura ponitur?*

8 *Sponsa, nigra: ambusta à Sole, vt Tabernacula Cedar: formosa, vt Pelles Salomonis.*

9 *Tabernaculi breuis vsus, quid seculum cogitatione transcendis? Instat Tabernaculi Dissolutio.*

10 *Pontificum Romanorum vita breuis. Nemo attigit annos S. Petri. Texitur Catalogus.*

---

## *Spontanei terra Peregrini, quà cœli municipes*

# Ecclesiastici.

*Petrus memor officij pastoralis.*

I. CVM sciret Petrus, reuelatione diuinâ, instare sibi diem transitus ad alteram vitam, vt officio summi Pastoris satisfaceret, quibus suis monita, quæ toties dederat, repetere, & vltimæ voluntatis quasi sigillo signata relinquere voluit, vtens illustri, ad *Mortis* memoriam omnibus infigendam, *Symbolo*.

*Iustum arbitror*, inquit, nam id officij ratio postulat, *quam diu sum in hoc tabernaculo suscitare vos in commonitione. Certus quod velox sit* DEPOSITIO TABERNACVLI MEI. Simplicissimè dixisset, *Sciens*: nam Græcè est εἰδὼς, quod breui moriar. Sed emphasim habet *Symbolica* loquutio, quam simplex formula non continet. Pictura *Symboli* constat partibus potissimùm duabus, *Tabernaculo*, & eius *Depositione*, vel deiectione, aut amolitione, auulsionéque. *Tabernaculum* suam habet materiam, pelles, corium, stramen, aut telam ceratam: firmatur columnis, funibus, clauis: deijcitur incisione funium, auulsione clauorum, impetu irruentium, & modis alijs.

*Tabernaculum pastoritium.*

II. PORRO Corporis imago est *Tabernaculum*: huius verò sunt species variæ. Est *Tabernaculum pastoritium*, quo vtuntur gregum custodes, ad vmbram, vel quietem nocturnam: tum etiã cultores agrorum, vt fructus recondant, & meridientur, *Tugurium*, & *Cucumerarium*

*NOTÆ.*

vocant

vocant Sacræ litteræ: fit ex stramine, vel fœni manipulis.

Est *Castrense*, quod erigitur, vel extenditur à militibus vt ab aë- *Castrense.*
ris iniurijs sint liberi: *Papilionem* etiam vocant, vel *Tentorium*.

Est *Viatorium*: ita voce illud, quod quidam secum deferunt, va- *Viatorium.*
gi & errores. Sunt enim qui domum circumferunt, vt limaces, co-
cleæ, testudines. Mos hic barbaris Nomadibus, ac Scenitis.

Conueniunt hæc omnia, quod habitationem præstent, te- סוכה
gant, operiant, muniant. Inde enim apud Hebræos Tabernaculi סכך.
nomen intelligunt litterati. radix significat velare, protegere, ope- *Succah Sacan.*
rire: vt *Tabernaculum*, sit velut opertorium, & protectio. Aliter quoq;
in lingua sacra appellatur, nomine, quod habitationem, aut com משכן
morationem denotat. Competit vtrumque corpori, quod animam שכן.
tegit, & est illi, instar domus, quam inhabitat. Concipimus enim ani- *Miscan Sacan.*
mam in corpore, tanquam in tugurolo, vnde migrare dicitur, quan-
do illud animare desinit.

III. Materia Tabernaculorum fuit varia. Conficiebantur ta- *Materia Tabernaculorum.*
men plerumque, maximè militaria, ex pellibus. vnde introductum
vsu loquentium, vt pelles, pro tentorijs, vel tabernaculis vsurpentur.
Ab Habacuk nominantur *Pelles terræ Madian*: quod licet aliqui ver- *Habac. III 7.*
tant, *Aulæa terræ Madian*, seu, vt ex Hebræo transfert Castrius, *Corti-
næ terræ Madiã*: constat tamen nihil aliud significari, quam castren-
sia Madianitarum tabernacula. Sensus enim est: Pro iniquitate vidi
tentoria Æthiopiæ in nihilum redacta & turbata tabernacula Ma-
dianitica. Frequentius id occurrit apud profanos. Liuio, *Sub pellibus
hyemare*, est, degere in tentorijs: Item, *Sub pellibus durare*. Cæsari fre- *Liui. lib. III. Dec III.*
quens ea loquutio. Et apud Vopiscum in Aureliano mentio fit ten- *Deca. IV lib 7. Cæs. lib. III.*
toriarum pellium. Ab his Pelliones dicebantur apud Romanos qui
illas adparabant: de quibus in Artifice Symbolico.

Aspice nunc *Corpus*, cuius extima pars est pellis, corium, sac- *Corpus, & Tabernaculum, firmatur.*
cus, qui extenditur, vt eo tegamur, liberi ab aëris iniurijs: intenditur
hoc *Tabernaculum*, neruis tanquam funiculis: ossibus, quasi malo, & *NOTÆ.*
columellis, alijsq; ligneis armamentis sustinetur, ne corruat: pedi- *Pineda Iob. XVIII 24.*
bus, quasi clauis figitur, ac consistit, vt concipit Ioan. de Pineda, & *Lorin. II. Petr. 1.14.*
Lorinus. Potest sanè quilibet dicere, ad DEVM conuerso sermone:
*Pelle & carnibus vestisti me, ossibus & neruis compegisti me*; instar architecti *Iob X. XI.*
tabernaculum meum erigens.

IV. IAM verò, quadrat in corpus, quod *Tabernaculo*, seu tento- *Corpus extenditur.*

 rio

rio solet attribui. Nam extenditur imprimis, seu expanditur, tam in vtero materno, vbi non vna pellis hominem tegit, quàm toto vitæ tempore. Jd enim proprium est tabernaculorum Gen. XII. 18. *tetendit tabernaculum.* Imò solo tendendi vocabulo, *Tabernaculum* indicatur, vt idem sit tendere, quod tabernaculari. Poeta Latinus:

Virg. lib. 1. Æneid.

*—— Dorica castra,*
*Desertósque videre locos, littúsque relictum:*
*Hîc Dolopum manus, hîc sæuus tendebat Acilles:*

Liu. lib VII. de bello Maced. Mouetur.

Liuius *Coarctatio plurium in angustiâ tendentium.* Mouetur deinde frequentissimè, quod de domo propriè dici non potest. Quamuis *Tabernaculum* dicere posses domum mobilem: & domum, Tabernaculum immobile: quomodo Aristoteli locus est vas immobile. De Abrahamo scribitur Gen. XIII. 18. *Mouens Abraham tabernaculum*: quod ex originali etiam legi potest, *extendens.* Mouetur quotidie *Tabernaculum* corporis nostri, quod nunquam in eodem statu permanet. Mouetur à cœlo, terra, aere, igne, aquâ: mouetur à qualitatibus internis: mouetur ab animâ, sicut dolium à suo Diogene: denique mouetur à *Morte*, à quâ, dum transfertur, conuoluitur. Et quid hæc *Motio*, ac *Conuolutio* est aliud, quàm *Mors* ipsa? quam Petrus, *Depositionem* appellat.

Tabernaculum figitur. Gen XVI 12. κατὰ πρόσωπον

V. Idem porro Symbolum alijs verbis exprimitur ab eadem imagine sumptis. *Taberculum* figi dicitur. Jta Genesis de Ismale legas: *E regione omnium fratrum suorum figet tabernacula.* Nimirum erit homo impauidus, & virium suarum securus, qui habitare audeat directò contra habitationem fratrum suorum, fixis tentorijs: quod etiamnum multi Arabum faciunt degẽtes in papilionibus, ob hoc *Nomades* seu *Pascuales*, aut pastoritij dicti, & *Scenitæ*: id est, *Tentoriales.* Alij de tentorijs bellicis exponunt; quasi instructo exercitu, castra fratribus opponere auderet.

Tentoriales.

Tabernaculum auellitur.

Et nobis fixum est corporis *Tabernaculum*, cùm primùm concepti & nati viuere incepimus. Sed quod fixum fuit, auelli solet: nam extractis clauis, refixisq; paxillis, & funibus, vel incisis, vel ruptis, aut solutis, concidit *Tentorium.* Hoc alterum Mortis est Symbolum: *Auulsio Tabernaculi.*

Tabernacula peregrinorum.

VI. MONEMVR hac *Mortis* imagine nos in mundo peregrinos esse, & hospites: non ciues, & indigenas: his enim certæ & immobiles

mobiles ſunt domus; iſtorum ſunt *Tentoria*, & papiliones: qui vagantur perpetuò, & modò hic, modo alibi agunt, relictaq; ſede, in quam vel caſu, vel conſilio delati erant, aliò facillimè commigrant. Viatores ſumus, non comprehenſores. Quamdiu hic viuimus, peregrinamur, & ciuitatem futuram inquirimus. Nobis mandatum eſt: *Domum non ædificabitis, ſed in* Tabernaculis *habitabitis, vt viuatis diebus multis ſuper faciem terræ, in qua vos peregrinamini.* Itaque *Cariſſimi, obſecro vos tanquā aduenas & peregrinos abſtinere vos à carnalibus deſideriis, quæ militāt aduerſus animam.* Talis CHRISTVS ipſe fuit, de quo Ioan. *Habitauit in nobis*, Græcè, ἐσκήνωσε: i. e. fixit *Tabernaculū* velut Colonus & Viator. Heb XI 13. Ier. XXXV. 7. 1. Pet II. XI. Ioan I. 14. Ier. XIV. 8.

VII. DEINDE verò, dum *Corpus* audio eſſe *Tabernaculum*, concipio illum, qui in eo commoratur, *Militem* agere. Ita reuera eſt: milites ſumus. Militia eſt vita hominis ſuper terram. Milites ſumus omnes, qui CHRISTO Imperatori nomen dedimus, & nos illi ſacramento adſtinximus. Decet Chriſtiannm Militem, quod de Romano prædicat Liuius, *in opere & labore, niuibus pruinisque obrutum, ſub pellibus durare.* Eia militate, *Viri præſtantiſſimi*, qui cæterorum eſtis Duces, quia dignitate, ac ordine maiores, ſed militate bonā militiā, vt monet Archiſtrategus. Non adamate plumas, non lectos eburneos, non inculcatas culcitras, nō molles puluillos, non ſtriatas cortinas, non ampla palatia, non deauratas aulas, non depicta domicilia: *Tabernaculum* veſtrum habetis: fixum eſt corporis veſtri *Tentorium*, adparatæ pelles, ſub his hyemate, nec alterius domus vos cupiditas torqueat. Si occurrat ambitio, ſi vrgeat vanitas, ſi titillet caro, ſi moleſtet voluptas, dicite magnanimi: *Arca Dei Iſrael & Iuda habitant in papilionibus, & Dominus meus, & ſerui Domini mei ſuper faciem terræ manent: & ego ingrediar domum vt comedam & bibam? Per ſalutem tuam, & ſalutem animæ tuæ non faciam rem hanc.* Tabernaculum militiæ. 1. Tim. I. 18. 2. Reg. XI. XI

VIII. Adhæc. Si *Corpus* eſt *Tabernaculum*, quod tandem *Mors* auellet: ad quid tanta eius cura, vt non compluatur lacrimis, non maceretur pœnitentia, non nigreſcat aduerſitatibus, non ſordidetur contumelijs, non contrahatur inedia, nō exſiccetur imbibeſia, non exponatur ventis inuidentium? Cur maior habetur ab Eccleſiaſticis ratio cuticulæ, quā ſacræ in altaribus mappæ, cur mundiora ſunt in Clericis collaria, quā in aris corporalia? cur ſubtiliores ſunt pro corpore lodices, quam pro ſacramēti aſſeruatione, telæ? Si *Corpus* eſt *Tabernaculum*, cur metuunt, quibus aliorum eſt commemdata ſalus, Corporis cura poſt habenda.

 æſtum,

æstum, niues, grandinem, à quibus vt sint liberi, domi desident, de suis magis delitijs, quam ouium sibi commissarum incolumitate solliciti.

Tabernacula Cedar. VIII. At si egrediamur, decolorabimur. O verè Phrygiæ! Ergo tantoperè tibi cordi est pelliculæ cador, & niueum oris decus? An tu sponsa? Vtinam Dei. Ergo Sponsam imitare. Audi, *Nigra sum* Cant. 1.5. *sed formosa filia Ierusalem, sicut* Tabernacula Cedar, *sicut pelles Salomonis.* Gloriatur corpus suum Cedarenis Tabernaculis esse simile. Vim habet ea comparatio. Cedareni enim, vt pote iam à primo suo parente Ismaële vitæ pastoritiæ, latrocinijs, bellóque dediti, vt optimè Cantico um Interpres Delrius obseruat, *Tentoria* habebãt, æstu imbribus, puluere, cruore & alijs belli sordibus denigrata, quales fuere naues & tentoria decimo belli anno Græcorum ad Ilium, tabulis Hom. Iliad. 53. corruptis, funibus attritis solutisq;. Gaudet igitur Sponsa, se, in Dilecti gratiam, expositam omnibus cœli iniur j reportasse corpus fuscatum instar *Tentoriorum* Agarenicorum

Pelles Salomonis. Nihilominus hæc, hominum oculis deformis, hæc nigra, hæc aspectu fœda, ait se Sponsi haud dubiè intuitu decoram, formosamq; instar pellium Salomonis: quas credibile est omni cultu & apparatu fuisse exornatas, ac splendidas, quippe in imperio prorsus pacifico, quod tam diu sanguinis, sudorisque expers fuerat: plane qualia venientis recens ad bellum Rheti apud Poetam,

—— *niueis* Tentoria *velis.*

Virg. Æneid. 1 Vide Menoch. Si, vt officio tuo satisfacias, Ecclesiastice, vt animarum saluti inuigiles, vt Christo, quod muneris tui est, collabores: vt ouiculas tuas, si quas habes, pascas, vt tibi ipsi, occasiones mali præscindendo, consulas, egrediaris, & vageris post gregem ouium tuarum, si soli te exponas, per colles & valles, cursites, per mare nauiges, alienas terras petas: ideóque domum sudore, fuligine, atrore deturpatus reuertaris, non te angat corporis tui fœditas: videberis quidem, hominum, nonnisi quæ parent exterius intuentium, iudicio mendaci, fuscus, sicut *Tabernacula Cedar* eris tamen reuerà, coram Deo, Angelis, & Cœlitibus pulcher, & elegans sicut *Pelles Salomonis.*

Taberna uli breuis vsus. IX. Memineris te in corpore esse, tanquam in *Tabernaculo. Tabernaculum* autem ad breue tempus vsui est viatori, ac militi, cui vtrique fideles omnes, imò mortales vniuersim, comparantur. Hic breuitatis vitæ tibi in mentem veniat, & nunquam excidat. Sæpè

*Taberna-*

*Tabernaculum* ad vnum tantum diem, ad vnam noctem figitur. Multi, eodem, quo oriuntur, die; eadem nocte, quâ ad lucem, quamuis malignam lucernæ, veniunt, occidunt. Et quamuis diutissimè vitam extendant, tamen, tandem, *auferetur* de ijs corpus, & vita, *quasi Tabernaculum vnius noctis*, Isaiæ XXXII. Quid ergo multos annos tibi spondes? quid constantissimam ætatem exspectas? quid seculum cogitatione transcendis? Stulte, non habemus *hic ciuitatem permanentem sed futuram inquirimus peregrinãtes à Domino. Tabernaculum* nostrum est temporaneum, non perpetuum, imo nec instar domus, aut palatij fixum: itaque non poterit non esse velox DEPOSITIO TABERNACVLI NOSTRI. *Isai xxxii. 10.* *Heb xi. 13.*

At id fortasse in plebeis obtinet: *Mors* instat agrestibus: ignobiles primò inuadit, pauperum *Tentoria* deijcit, potentum tabernaculis parcit, Principum papiliones non attingit. Erras, erras: magnatorum pelles primo complicat; Regum, Imperatorum, Pontificum *Tabernacula* disturbat: his primùm imminet, ad alios paullatim progreditur. Quod potissimùm euenire solet Principibus Ecclesiasticis, ne quis magnoperè ad cathedram aspiret, & in ea felicitatem suam sitam existimet. *Mors velociter imminet.*

X. Pauci, multis annis fixum habuerunt vitæ suæ, in dignitate ecclesiasticâ, *Tabernaculum*. PAPAS Romanos percurrite, & ijs, inferiores Episcopos, Ecclesiarum Antistites, ordinis sacrati Principes. Primus, post CHRISTVM immortalem, non successor, manet enim in æternum secundum ordinem Melchisedech, sed vicarius, clamat: *Velox est depositio tabernaculi mei*: id est, breui moriar, decedens vitâ simul, & Pontificatu. Et quot annis, quæso, illum gessit laboriosissimus Papa? Qui multum illi tribuunt, & censentur accuratiores Chronographi, numerant annos viginti quattuor, menses quinque, dies vndecim. Quia volunt inijsse Pontificatum anno Claudij II. CHRISTI, XLV. die XVIII. Ianuarij: mortuum verò, anno Neronis XIII. CHRISTI LXIX. vitæ suæ octuagesimo. Tunc illius *Tabernaculum* MORS disiecit. Nullius autem Põtificis Tentorium tam diu inuiolatum permisit, neque post hac sinet intactum; si vox DEI, est, vox populi. Spargitur enim, tanquam lege sancitum: Nemo Pontificum videbit dies *Petri*. Et sanè hactenus nominari non potuit vllus. Diutissimè post *Petrum vixisse* censetur *Principibus Ecclesiasticis.* *Pontificum breuis vita.* *Petrus quot annis vixerit.* *Annis LXXX Pontifex annis XX. V.*

*Adria-*

ADRIANVS I. At hic non excessit annos XXII. menses X, dies XVII. Secundum hunc longæuior fuit

ALEXANDER III. qui peruenit ad annum XXI. menses XI. dies XXIII.

SYLVESTER I. ad annum XXI. dies IIII.

LEO I. ad XX. menses XI. dies II.

LEO III. ad XX. menses V. dies XII:

Posteà, longissimum spacium, fuit annorum XX. & dierum aliquot. Itaque vixit in Pontificatu

ZEPHERINVS, annis XX. dies VII. martyrio coronatus.

INNOCENTIVS III. & IOANNES XXI annos XVIII.

VIGILIVS XVII. Quantum ex hoc spacio detractum in ijs, quorum vita in Pontificatu fuit, quasi *Tabernaculum* vnius anni, imò mensis, imò hebdomadis?

ANTHERVS compleuit, præcisè, vnum mensem: addunt tamen aliqui, dies XIV.

VALENTINI, & LEONIS V. *Tabernaculum* stetit, mẽsem vnum, dies X.

PIVS III. superfuit dies XXVI. Nostro tempore:

LEO XI. dies XXVII.

DAMASVS II. dies XXIII.

MARCELLVS II. dies XXII.

SISINNIVS, dies XX.

THEODORVS II. totidem.

CÆLESTINVS IV. dies XVII.

BONIFACIVS IV. dies XV. Cui tñ Platina adsignat dies XXVI.

VRBANVS VII. dies XII.

STEPHANVS II. dies III. quem iniustè è catalogo expunxerunt aliqui.

Obseruabat hæc Bernardus, & digna iudicabat, quæ gratulatorijs suis ad Eugenium, in summum Pontificem electum, insererentur. Itaque sic *Patri-Sancto* consulit, sic illum animat, *Confortare, & esto robustus: manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum. Vindica tibi animi tui constantia, & vigore spiritus, partem, quam dedit extra fratres tuos Tibi Omnipotens Pater; quam & tulit de manu Amorrhæi in gladio, & arcu suo. In omnibus tamen operibus tuis:* Memento Te esse hominem: *& timor eius, qui aufert spiritum Principum, semper sit ante oculos tuos. Quantorum in breui*

*Epist. CCXXXVII. Ann 1145.*

*Roma-*

*Romanorum Pontificum* Mortes *tuis oculis aspexisti? Ipsi te prædecessores tui, tuæ certissimæ, & citissimæ decessionis admoneant, & modicum tempus dominationis eorum, paucitatem dierum tuorum nunciet Tibi. Iugi proinde meditatione, inter huius præsentis gloriæ blandimenta*, Memorare nouissima tua. *Quia, quibus successisti in Sedem, ipsos sine dubio, sequeris ad Mortem.* Aureum monitum.

XI. Nec summorum tantum Pontificum ea sors, in eandem nati videntur ceterarum Ecclesiarum Antistites, si non omnes, certè plurimi. Vix reperias, sanè ego non memini, imò securus adfirmo, non esse, cuius *Tabernaculum* tam diu, quàm *Remigij* steterit, qui amplius septuaginta annos summâ cum laude Rhemensem Ecclesiam administrauit. Non multi ad vigesimum, pauciores ad trigesimum, ad quadragesimum paucissimi perueniunt. Non arduum esset hîc, è cuiusque Sedis in Europâ tabularijs, nominare, longo ordine, Præsules, quorum velox fuit Depositio Tabernacvli. Sed nolo hanc summam inire Mogvntiæ, cùm sat sit, ad vestrorum vos Archiepiscoporum fastos remittere, in quibus nigro notatum calculo reperietis, quoto, quisque amplissimæ dignitatis anno, incisis *Tabernaculi* sui funibus, & laceratis à Morte, pellibus, vasa collegerit. Pauculos nomino, ordine præpostero, vt primi occurrant, qui recentissimæ sunt memoriæ. *Antistites Ecclesiarum breui aui.*

Ioannes Adamvs, Princeps, si quis alius, magnanimus, addo & iuuenis, nam trigesimo sexto ætatis anno salutatus est Archiepiscopus, stationem obtinuit annis II. mensibus VII. diebus XXVIII. *Archiepiscopi Moguntini breuissima vita.*

Vriel sedit annis VI. menses IV. dies XXII. mortuus ætatis XLV. Ante hunc.

Iacobvs præfuerat annis III. mensibus VI. diebus XVII. mortuus ætatis XLVI.

Albertvs III. qui adolescens annorum XVII. Archiepiscopus gubernationnem suscepit, annis II. in ea dignitate vitam egit, mox in adolescentiæ flore extinctus.

*Flos erat exsurgens Moganis* Albertus *in hortis*
*Summum spondebat prima iuuenta Ducem.*
*Cuius virtute illustri, ceu flore virebant.*
*Verno, quàm latè Tuisconis ora patent.*
*Sed spirare Notus cœpit vehementior, atque*

 *Præscidit*

*Præscidit heu telo* MORS *inimica decus.*

CONRADVS II. annis VII. Præsul vixit

IOANNES I. annis item II.

HENRICVS II. annis II.

CHRISTIANVS II. annis non amplius II.

ERBO annis etiam II.

HATTO II. annis II.

SVNDEROLDVS annis II.

MARCOLPHVS annum tantummodò I.

*Vixit Annos XLVII. Men. IV. dies XVI. Præfuit Bab. ann. XIII. Mensis V. dies VII. Herbip. An. V. Mens. II. dies XXIII.*

Ceteros nominare non attinet, quibus tardior aliquantulum, sed non multo, fuit *Tabernaculi depositio.* In Te finio, IOANNES GODEFRIDE: cui pares, in eâ ætate, dignitate, prudentiâ, vitæ moderatione, ac constantiâ, morum suauitate, pacis, bellíque artibus, & Reipublicæ administrandæ dexteritate nostra ætas paucos tulit: sed communis multis sors, tuis immatura, TIBI haud improuisa, omnium dolore, post paucos delati honoris, at semper turbidos, bellorum ciuilium tempestatibus, annos sustulit. Sed

*Dignum laude virum Musa vetat mori.*

TIBI *scribitur, vtinam plures inde sapiant!*

OLLVS FVIT.

*Aschausen.*

*Versa* ROTA *est. collapsa* DOMVS. CINIS *vndique fusus.*

*Vitæ summa breuis,*

*Spem nos vetat inchoare longam.*

*Cur Pontifices Romani citius quàm alij Principes moriantur.*

XII. ITAQVE non summis Pontificibus tantùm, sed & aliis, inferioris ordinis Præsulibus, expectanda est, vel metuenda aut potius optanda, velox *Tabernaculi sui Depositio.* Est tamē in supremo illo Pastore quidpiā peculiare: quod vel ipsū spectat, vel ad eruditionē Orbis vniuersi, cui præest, pertinet. Notauit id subtiliter, ac piè, sapientissimus Cardinalis Petrus Damiani, & ad Alexandrum II, scripsit.

Qui à Petro sollicitè exquisierat: *Cur Apostolicæ sedis Antistes, nunquam diutius viuat* (verba sunt, vel Pontificis, vel Cardinalis) *sed intra breue temporis spacium diem claudat extremum: adeo vt post B. Petrum Apostolum, qui per quinque circiter annorum lustra præsedit, nemo postmodum Romanorum Pontificum hoc spacium præsulatus æquauerit.* Addit: *modernis immò temporibus, vix quispiam in prædictæ Sedis culmen euehitur, qui metam quattuor, vel, vt multum, quinque transcendat annorum.*

Quæ

*Quæ considerantibus, inquit. prodigialis, vt ita loquar stupor oboritur, quoniam hæc breuiter viuendi necessitas, quantum ad nostram notitiam, in nulla aliâ, totius orbis Ecclesiâ reperitur.*

At, fortasse, creantur omnes Pontifices prouectæ ætatis, quos etiam, non electos extinxisset breui senium: fortasse corpore sunt minus valido, infirmæ valetudinis, teneræ, vt Medici nostri loquuntur, complexionis. Contrarium docet experientia, & sat constat ex historia. Nostro æuo Sixtum V. vidimus intra quinquennium defunctum, hominem roboris eximij, haud deuexæ ætatis, constitutione corporis inuidendâ. Firmæ fuit valetudinis & florentissimæ ætatis Leo X. octauo tamen anno decessit. Totidem vixit Ioannes XII, qui duo de viginti annos vix attigerat, imberbis adhuc, vix iuuenis, quando Pontificatum inijt. *Sixtus V.* *Leo X.* *Ioannes XII.*

*Quantum* igitur *mortalibus diuina dispensationis reuelatur arcanum* (inquit Damiani) *videtur nobis, quia idcirco hoc iudicij cælestis ordo disponit, vt humano generi metum* MORTIS *incutiat. Et quam despicienda sit temporalis vita gloria, in ipso gloriæ principatu euidenter ostendat: quatenus, dum præcipuus hominum, tam angusti temporis compendio moritur, tremefactus quisque ad præstolandi sui obitus custodiam prouocetur: & arbor humani generis, dum cacumen, ac verticem suum tam facilè corruisse considerat, flatu concussa formidinis, in suis vndique ramusculis contremiscat.* *Vita PP. RR. breuis.*

XIII. Obijci posse, dicit deinde: Cur & Regibus ob eandem caussam hæc eadem viuendi breuitas non occurrit? Nam & Octauianus Augustus imperauit annis LVI. Dauid XL. recenti memoriâ Rudolphus Austrius XXXV. Præter hos alij Principes, Reges, Imperatores, etsi minusculè, non tamen ad instar Romanorum Pontificum, breuissimâ regnauerunt temporum quantitate. Respondet discrimen esse: quod vnus omni mundo Papa præsideat: Reges autem plurimos in orbe terrarum sua cuiusque Regni meta concludat. *Quia quilibet Imperator ad Papæ vestigia corruit: tanquam Rex Regum, & Princeps Imperatorum cunctos in carne viuentes honore, ac dignitate præcellit. Vnde quolibet Rege defuncto, administratione, eius Regnum tantummodo, cui præerat, destituitur: cùm verò Sedis Apostolicæ Pontifex moritur, vniuersus, tanquam communi Patre, mundus orbatur. Quid enim Africa de Regibus Asiæ, aut quid AEthiopiâ de Principibus sentit Hesperiæ? Nam siue moriantur, siue viuant, quia procul à se remoti sunt, vtrumque indifferenter ignorant.* *Imperatorum & Regum vita longior.*

Addit aliud discrimen: quod violenta *Morte* perire soleant *Principes violenta Morte præcepti.*

multi è Regibus, & Imperatoribus, nominátque Caium, Neronem, Galbam, Othonem, Vitellium, Macrinum, Antoninum, Alexandrum, Maximinum, Gordianum, Decium, Gallum, Volusianum. Quia ergo *Principes*, inquit, *seculares diuersis* Mortis *casibus exponuntur, cor audientium eorum exitu non atteritur. Papæ vero vita, quia soli naturalis obitus lege concluditur, eius ex hac vita transitus, sine graui formidine non auditur.*

*Papa naturali morte defungi tur intelligo, nisi martyrio auferatur.*

*Martyres PP. numerantur xxvii. aut xxx*

*Porro, quia terreni Principes regni sui quisque limitibus includuntur, caussa non est, cur per alienas mundi prouincias eorum obitus diffundatur: Papa verò, quia solus est omnium Ecclesiarum vniuersalis Episcopus, cùm luce priuatur,* Mors *eius per ampla terrarum regna diffunditur. Et sicut Sol, quia solus lucet, si eclipsim fortè sustineat, præsto, necesse est, vt tenebras totus vbique mundus incurrat: sic Papa, cum ex hac vita recedit, illicò quia vnus in mundo est longinqua regnorum spacia* Mortis *eius fama percurrit: & consequens est, vt quos tam sublimis, singularisque persona casus obturbat, propria quoque vocationis exitum tremefactis visceribus expauescant.*

*Mors Papæ Eclipsis.*

*Mors Pontifici in saluti populorum deseruiat.*

Salubre hinc elicit prudens Cardinalis documentum, vt obseruetur, quàm velit Omnipotens DEVS Romani Pontificis vitam hominibus in ædificatione prodesse, cuius etiam *Mortem* decreuit saluti gentium ministrare. Quanto studio debet lucris animarum, dum adhuc viuit, insistere, cuius etiam *Mors* prouidetur ad Creatorem suum animas hominum reuocare: vt dum se Patrem orbis esse considerat, ab inculcanda tot filijs hæreditate, desidiá non torpescat.

*Caussa festinata mortis in PP.*

XIV. ALIÆ his adiungi possunt caussæ cur citius moriantur Pontifices. Oneris, quo premuntur penè immensitas, quâ in medio vitæ cursu opprimi & concidere, si officio suo satisfacere velint, & obligationis rationes perpendere, quid mirum? Dei tanquam benignissimi patris indulgentia, quæ citius exonerat illos, quos grauius vrgeri conspicit: cauétque ne defessi, animo corruant. An & Petri prærogatiuæ sic augentur? ob quam caussam Pontificum nemo Petri nomen assumit. Tandem mitigatur hoc modo summam illam in terris dignitatem appetendi cupiditas. Quid tantoperè desideras, quod quietem tibi tuam interturbabit, & benè fixi *Tabernaculi* paxillos euellet, ac vita exturbabit ocyus.

*Boni cupiunt Tabernaculũ suum dissolui.*

XV. ITA omnibus prodest huius *Symboli* consideratio, quam renouant quotidie Boni, & eius dissolutionem ardenter concupiscunt,

ſcunt, quod faciebat Paulus. Quamdiu autem in eo ſunt, laborant, militant, ſudant, ingemiſcunt, & ad eius depoſitionem anhelant. Eorum enim eſt illa conteſtatio: *Qui ſumus in hoc* Tabernaculo *ingemiſcimus, grauati, eo quod nolumus expoliari ſed ſuperueſtiri, vt abſorbeatur, quod mortale eſt à vita.* Hæc cauſſa gemituum, vt mortalis corporis amictu liberi, immortali ſuperinduantur, & ab immortali vitâ mortalitas aboleatur, aut abſorbeatur. II. ad Corinth. v. 4.

Vbi videtur fingere Paulus, vt *Symbolici* ſolent, MORTEM, tandem à *Vita* eſſe deuorandam. Alibi enim eâdem imagine dicit: *Abſorpta eſt* MORS *in victoria.* Quod quid ſit, exponit clariſſimè Auguſtinus: nimirum à *Mortis* tyrannide eximi: ab ærumnis, & calamitatibus, quibus mortalitas hæc obnoxia eſt, penitus liberari. Mortale hoc, ſeu MORS à *Vita* deuoratur, inquit Tertullianus, dum eripitur *Morti*, per ſuperindumentum demutationis. I. Cor. XV. 51. In Catenam Bedæ. Tert. lib. v. in Marc. cap. XII. De Reſur. Car. cap. XLII. cap. LIV.

XVI. Impij horrent *Tabernaculi* ſui diſſolutionem: vnde ad metum illis incutiendum inter minas, *Tabernaculi* auulſio numerari ſolet: *Auellatur de Tabernaculo ſuo fiducia eius.* Iob XVIII. Spem habes Peccator, in corporis robore, membrorum firmâ conſtitutione, eleganti vultus ſpecie: nititur fiducia tua tot annorum, non tentata morbis valetudine: immortalem te cenſes, quia procul à te *Mortem* agere autumas: at mox aderit tuúmque illud elegans & venuſtum corporis *Tabernaculum*, acſi eſſent pelles Salomonis, corruet, ſanitatis clauis reuulſis, & neruorum funibus diſruptis. Iob. XVIII. 14.

*Qui oderunt Te*, Domine, *induentur confuſione*, & Tabernaculum *impiorum non ſubſiſtet.* Dum ſunt in ipſo ætatis flore, virides, rubicundi, ſucculenti, dum æternitatem ſibi ſpondent ex præſenti firmitate, ſubitò incurabili oppreſſi morbo, incidentur nerui, corrugabitur cutis, rumpentur arteriæ, conuellentur claui: nutabunt pedes, conuoluentur pelles, concidet *Tabernaculum.* Hoc eſt præmium impietatis: de quo eodem Iſaias. *Ecce confundentur & erubeſcent omnes, qui pugnant aduerſum te: erunt quaſi non ſint, & peribunt viri, qui contradicunt tibi. Quæres eos & non inuenies viros rebelles tuos, erũt quaſi non ſint & veluti conſumptio hominis.* Tabernaculum impiorum. Iſa. XLI. XI.

Nimirum, *Tabernaculum impiorum non ſubſiſtet*, auelletur, & amplius non erit. Quod multi intelligunt de familia, liberis, poſteritate: his enim nititur ſpes improborum. Auctor catenæ in Iob, euerſionem *Tabernaculi* ſic interpretatur: Omnis impiorum viuendi ratio Tabernaculum familia, liberi, poſteritas.

tio euertetur, eorundem quoque memoria interibit.

*Tabernaculum Insternum.*

Cuius oppositum euenit DEVM sanctè colentibus, & bonam militiam dum sunt in hoc corpore mortali militantibus. His enim, quamuis momentaneum hoc (peccato ea habēda est gratia) auellatur, deponatur, concidat: moriuntur enim communi sorte omnes, postea tamen iterum erigetur explicabitúrque, in cœlestibus campis, vbi non iam amplius militans, sed triumphans Comprehensorum exercitus Imperatori suo gratulantes epinicium perpetuæ laudis occinunt, vident *Tabernaculum Dei cum hominibus quoniam ibidem habitat* cum ijs eorum DEVS, qui ipsorum gratiâ, Cœlum, quod extendit sicut pellem, innumeris illustratum siderum gemmis, ab omni sorde *expurgatissimum* & nunquam mouendum *Tabernaculum* esse voluit.

*Apoc. XXI. 22. Ps. CIII. 3.*

*Tabernaculū facillimè transfertur.*

XVII. INTERIM, dum hic degimus in puluere, & multis inquinatum sordibus, & perpetuò mobile inhabitamus: tum, ne in eo nostra collocetur fiducia, tum vt ad illud aspiremus assiduè. Hoc enim efficit consideratio *Tabernaculi* temporanei: quæ suggerit, præter hactenus commemorata, conditionē quandam, siue vitæ humanæ, siue impendentis *Mortis*. Et est *facilitas*, quâ quilibet ex hac vita exturbatur.

*Isa. XXIV. 19*

Vtitur ad illam indicandam eo *Symbolo* Isaias agens de totius orbis vastitate, in quâ, *Agitatione agitabitur terra sicut ebrius; & auferetur quasi* Tabernaculum *vnius noctis*. Hoc est, vt in sua paraphrasi exponit Caspar Sanctius: eâ facilitate dissoluetur, quâ disturbari solet *Tabernaculum*, quod ad vnius noctis moram excitatum est. Obseruat autem idem, non loqui Prophetam de *Tabernaculo* excitato ad pomorum custodiam: sed de *Tabernaculis*, seu *Tentorijs*, quæ secum vehere solent potentes, ac delicati, cùm iter faciunt, aut cùm venationis, alteriúsue similis exercitationis causa proficiscuntur, quales erant pelles Salomonis. Cùm enim non rarò contingat, vt nox adrepat, priusquam ad tectum, & commodum hospitium diuertant, ne cogantur pernoctare sub dio, *Tabernaculum* erigunt, quod statim, ac illuxit, dissoluunt, & alio transferunt. Sic Iacob plura ferebat pro copiosâ familiâ tabernacula: & Laban fixisse dicitur, quod tulerat secum ad iter, *Tabernaculum* in monte Galaad.

*Gen. XXXI. 33. 25.*

*Ezechias Mortem dissolutioni Tabernaculorum comparat.*

An eandem hanc facilitatem, quâ DEVS vitam hanc mortalem auferre potest, ac consueuit, respiciebat Ezechias, cum diceret audiat

ditâ Dei sententiâ: *Generatio mea ablata est, & conuoluta est à me, quasi* Tabernaculum *pastorum*. Generatio mea: id est, vitæ meæ series, tam facilè incisa est, quàm solent abrumpi funes tabernaculorum pastoritiorum. Alij tamen ad breuitatem id referunt: nam Tentoria pastorum non diu in eodem loco manent, sed sæpissimè pro naturâ loci & pecudum commoditate transferuntur.

Vtrumque æquè significatur, ac corpori conuenit, quod & facillimè & breuissimo temporis interuallo dissipatur, sicut dissipari solent & conuolui, quæ prius explicata fuerant, atque extensa pastorum *Tabernacula*.

Eâdem analogiâ *Mortem* dixeris, *Tugurij* dissipationem, desumptâ imagine ex Isaia, qui agens de vastitate hostili, quæ imminebat Ierosolymæ, comparat illam istiusmodi *Tabernaculo*: *Relinquetur filia Sion vt Vmbraculum in vinea, & sicut* Tugurium in *Cucumerario*. *Mors Tugurij dissipatio.* *Isaiæ 1. 8.*

Vt enim finita vindemia (vindemiæ tempus est vita, in quâ meritorum botri colliguntur) collectisq; è cucumerario fructibus, vmbraculum, quod erectum erat in vineâ, ad collectoris commoditatem, & custodis munimen, ita dissipatur, vt nec speciem amplius habeat, nec vsum: sed supersint solum nuda statumina, & non iam *Tabernaculum* sit, sed, eius, quod fuit, vestigium. Ita pulchrum illud corporis *Tentorium* MORTE aduentante, ac vastitatem inferente, ita dissipatur, vt non amplius tabernaculi nomen mereatur, & non sit corpus humanum, nisi, vt loquuntur Philosophi, æquiuocè.

XVIII. Quid si dicamus, *Vitam*, siue *Corpus*, cuius *Depositio*, seu Dissolutio, aut Dissipatio, MORS est, *Tabernaculum* esse, non ex tabulis, vel corio, aut pellibus, aut arborum ramis, seu stramentis, sed ex aranearum telis contextum. Profectò, si vita nostra est Aranearum tela conuoluta, aut expansa, aptissimum *Mortis Symbolum* erit, istiusmodi *Tabernaculi Dissipatio*. *Anni nostri sicut aranea meditantur*, id est, æstimantur. *Tabernaculu Aranearum.* *Psal. LXXX. IX.*

Quid enim anni nostri, nisi multiplicium filorum rotula in gyrum acta? quod corpus nisi perflatile textricis bestiolæ tentoriolum? quid haud difficilius, quàm tenuissimũ araneæ conopeum, scoparum ductu, *Mortis* manu profectò disijcitur, & Aranea latens dissipantis fit præda.

Et nos tamen, ac si hîc firmam domum inhabitaremus, multorum nobis annorum vitam adpromittemus, Tabernaculi tempora- *Iesus in Tabern. n. 14.*

nei haud memores. Quod non faciunt, qui serio animæ salutem procurant, & conantur Deo esse, quàm gratissimi. Hi scientes, quod non habeant hic ciuitatem, futuram inquirunt, peregrinãtes à Domino. interea verò temporis in *Tabernaculo* se commorari cogitant, atque ita se habènt, ac si velox sit futura eius depositio, quæ in nullis, quamuis maximè macrobijs potest esse admodum remota.

Orig. Hom. XXIII. in Num. · *Lætatur autem super te* DEVS (verba sunt Origenis) *cùm te viderit in hoc mundo in* Tabernaculo *habitantem: cùm te viderit non habere fixum, ac fundatum animum, ac propositum super terram, nec desiderantem, quæ terrena sunt: nec vmbram vitæ huius, quasi possessionem propriam, sed veluti in transitu positum ad veram illam patriam festinantem, ac dicentem: Incola ego sum, & peregrinus sicut omnes patres mei.*

Hoc pacto, si festum Tabernaculorum celebraueris, deponetur quidem hic mortale & temporaneum, sed aliud tibi statuetur

Isa. XXXIII 20 immortale, ac sempiternum: *Tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit, neque auferentur claui eius in sempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur.* Aspira anima fidelis ad locum *Tabernaculorum*, bellissimo ordine in cœlitum amænissimis hortis dispositorum, quorum si elegantiam, concinnitatẽ, ornatum, cernere posses, exclamares haud

Num. XXIV 5. dubiè, patriæ desiderio accensus. *Quam pulchra* Tabernacula *tua Iacob, &* Tentoria *tua Israel, vt valles nemorosæ, & fluuij, iuxta hortos irrigui, vt* TABERNACVLA, QVÆ FIXIT DOMINVS.

---

# NOTÆ

§. II. Tabernaculorum species variæ.] *Petrus Berchorius in Repertorio Morali, Tabernaculum sic definit: Est domus portatilis, vel mutabilis facta de pellibus, pannis, folijs, seu lignis. Quod si in bonum capiatur, dicit inueniri in S.S. quattuor genera Tabernaculorum 1. ad Habitandum, 2. ad Meditandum. 3. ad Militandum. 4. ad Festinandum. Primum esse Tabernaculum Pudicitiæ virginalis: Secundum, Tabernaculum conscientiæ cordialis: Tertium, Tabernaculum Ecclesiæ temporalis: Quartum, Tabernaculũ familiæ supernalis. Explicat deinde: quomodo sit Tabernaculũ Humanitas Christi: B. Virgo, Homo iustus: cõsciẽtia boni viri. Quo pacto Tabernaculum debeat eleuari, & extolli per contemplationem: ornari,&*

*ri, & depingi, per honestam conuersationem: serari & claudi, per virtutum occultationem: purgari, & tergi, per culparum abdicationem.*

§. *III.* Corpus Tabernaculũ.] *Pet. Berchorius l. c. Tabernaculum accipitur in deteriorem partem: & in SS. est triplex.* 1. Corruptibile: *quod signat statum mortalitatis.* 2. Detestabile: *quod signat statum prosperitatis.* 3. Exte ribile: *quod signat statum pœnalitatis. Tabernaculum corruptionis est Tabernaculum corporis, in quo scilicet anima miserabiliter hospitatur. Corpus enim Tabernaculum dicitur, quia Tabernaculum ad manendum, non semper, sed pro tempore extenditur. Sic corpus ad manendum non semper: sed pro tempore extenditur, & finaliter per* Mortem *colligitur: & alibi: scilicet ad sepulchrum personaliter transportatur. Isaia.* XXXVIII. Generatio mea ablata est, & conuoluta est à me, quasi Tabernaculum pastorum. *q. d. Sicut pastores complicant, & mutant sua Tabernacula: sic &* Mors *humanum corpus.*

*Istud* Tabernaculum *à Dæmonibus per tentationes impugnatur. Iob* X. Simul venerunt latrones eius, & fecerunt sibi viam per me: & absconderunt in gyro Tabernaculum meum. *Idem verò à mundo per tribulationes fatigatur: Daniel.* XI. *Figet Tabernacula sua inter maria super montes. Inter maria, id est, inter amaritudines. Tandem à* Mortis *vexationibus perturbatur: quomodo* II. *Petri* I. Velox est Depositio Tabernaculi mei.





## LIBER II.

# SYMBOLA MORTIS,

## *BREVIVS ENARRATA.*

Quibus Mortis, cuilibet imminentis, certitudo, sæuities, tyrannis, imperium, inexorabilitas, vafrities, & his cognatæ proprietates aliæ demonstrantur.

---

## AGAPITO. S.

### Bene-viuere: Bene-mori.



*VAE dedimus eatenus* MORTIS SYMBOLA, *vberiùs explicata fuerunt,* AGAPITE, *vt plenæ Commentationis, vel, si sic lubet, Exhortationis formam induerent. Quæ deinceps, alter, quem auspicamur, exhibebit Liber, in nostris reperta sunt aduersarijs, opera, vt fieri adsolet, tumultuaria perscripta: ideoque absque cultu, & breuiora: sed quæ possint esse orationis longissimæ, si commentandi haud ignarus ingeniū exerat, materia. Nonnulla tamen ex eis, dū subsecíuis horis, quas melius fallere nō potuimus, recognoscūtur, &* Notulis *illustrantur, hisce, vt fit, sub manu multiplica-*

*tiplicatis, excreuerunt penè ad priorum molem. Loco tamen ea mouere non placuit, vel hac de caussa: vt, quemadmodum inter longiora leguntur aliqua valde breuia: ita, inter huius generis multa, illius quoque sortis aliqua emineant. Sic in nouali benè culto, & nondum tonso, exornant segetem, alicubi inter longissimos culmos, breuiores aliquot: alicubi, inter breuissimos calamos, pauculi altiores. Placet nimirũ, vt in alijs, sic & in istiusmodi, grata varietas. Tu fruere, mi* Agapite, *quem* MORTIS *Contemplatorem esse noui, vsum magis spectans, quod sæpe monui, quàm inanem delectatiunculam. Breuiter: Vis dies videre bonos?*

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.

*Vale. & Nouissima memorare.*





# SYMBOLVM I.

# MORS

## CREDITOR.

*Veniat Mors super illos.* Psal. LIV. 16.

CREDITORis dicitur I. Ctis, cui debetur quidpiam, ex quacunq; actione, persequutione, vel iure. Caius de *Verb. signif.* Creditorum *appellatione non hi tantùm accipiuntur, qui pecuniam crediderunt, sed omnes, quibus ex qualibet caussa debetur: si cui ex empto, vel ex locato, vel ex alio vllo contractu debetur.* Videndus Barnabas Brissonius, *De Verb. Iuris* Solent autem *Creditores* rapere suos debitores in seruitium, ergallulum, carnificinam: Liuius libr. II. Vrb. Hinc *Symbolum*, quod è sacro Codice educamus.

DAVID Rex, irritatus Ceilanorum perfidia, proditoribus suis MORTEM imprecabatur, tanquam CREDITOREM. Hunc enim sensum habere possunt illa Psalmi LIV. Veniat *Mors* super illos, Chaldæus habet: *Reosperagat eos* Mortis *iudicium*; nempe, vt *Creditoris*, qui debitum sibi extemplò dari postulet. Alij conuertunt: *Exigat debitum* Mors *ab ijs.* Vel, *Exactricem constituat* (DEVS) Mortem *aduersus illos.* Vel, *Irrue* Mors, *instiga, exige*, vt Campensis reddit: sed Hebræo minus congruenter, vt existimat Lorinus. Hebræa vox נשא *Nasa*, & נשׁשׁ, *Nascias* plurima admittit: nam significat *fœnerari, exigere, irruere, grauare, decipere, obliuisci, obligari* & multa alia.

Itaque sensus diræ illius imprecationis est, vt MORS, ceu durus CREDITOR & inexorabilis, repetat: vel, DEVS illam immittat, ad repetendum ab ijs *Debitum.* quod illud? Animã, seu, vitam: quam, quasi oppignorasse censertur iniquitatibus, dolis, voluptatibus.

Robur accipit hoc *Symbolum* ex Luc. XII. 20. vbi, vanitatis mancipio in gazis suis confidenti, multósque sibi spondẽti annos, occinitur: *Stulte* (insipiens, delire, improuide, ἄφρων) *hac nocte repetunt animam tuam à te.*

Repetere *Creditorum* est. At, quinam? Angeli (inquit Theophylactus) à supremo *Creditore* missi ad exigẽdum *Debitum.* Cur non

etiam

etiam *Mors*, cum numeroso Morborum, tanquam famulorum, comitatu: aut, cum vno aliquo, sed acuto, qui extemplo rem conficiat. Et, est in præsenti, *ἀπαιτοῦσιν, repetunt.* An, vt indicaretur Diuiti, *Creditorem-Mortem*, cum famulitio, iam præ foribus præstolari?

*Hac te nocte manu* Mors *tristis, Auare,*
*Inque breui tumbâ cras tumulatus eris.*
*Ergo cùm procul hinc vitâ priuatus abibis,*
*Quò bona peruenient accumulata tibi?*

Simili *Symbolo* vtebatur Chrysostomus, monens, ne fideles, mortuos nimium lugerent. *Si ad imperandum, regnandúmque, caducum aliquod, & mortale regnum filius tuus adijsset; nolles eum inde redire, vt ipsum videres: Nunc verò, cùm ad meliora maioráque regna processerit, parui temporis absentiam ferre non poteris? Noli ergo plorare: reddidisti enim* DEPOSITVM, *quod tibi* CREDITVM *erat. Non sis solicitus, si videas inuiolabili ærario thesaurum tuum esse depositum. Quod si etiam tam præsentis vitæ, quàm futuræ, conditionem intellexeris: & hanc quidem aranearum telam esse, atque vmbram, illam autem esse immobilem, & æternam, non indigebis vllâ ad consolationis subsidia ratione.* Homil. XXXII. in Matth.

## *SYMBOLVM II.*

# MORS

## *DEBITVM.*

*Ille qui paulò ante de terra factus fuerat: & post pusillum reducit se, vnde acceptus est, repetitus animæ Debitum, quam habebat.* Sap. XV. 8.

AVDIS DEBITVM. Ergo *Debitorem* scias esse hominem: nam ille æs debet alienum. De illo dicitur: τοῦ τῆς ψυχῆς ἀπαιτηθεὶς χρέος: *Animæ repetitus debitum.* Quis hîc CREDITOR? DEVS Legislator, cuius mandatum, quia transgressi fuimus, *Debitum* contraximus, reddendi, tam Animam, quæ separata perseuerat, quippe immortalis: & sic *Redit ad* DEVM, *qui dedit illam*: quàm Vitam, Eccli. XII. 7.
quæ nobis datur, post primæuam præuaricationem, non sine condi-

tione reddendi per *Mortem*. Itaque DEBITVM, quod perſoluitur, MORS eſt. Quamuis & *Anima* dici poſſit: tum quoad ſubſtantiam: tum quoad vitam. Sed idem eſt. ſiue hãc nomines, ſiue illam. nam, qui *Mortem* pendit, Creditori ſatisfacit.

Imò, & *Debitum Anima* rectè appellatur: ita vt anima intelligatur debere. ipſa enim eſt, quæ propter peccauit, & ideo contraxit *Debitum*, ne illi liceat ſemper eſſe in corpore, & vt hoc moriatur.

Huius autem intuitu Terra concipi poteſt, vt CREDITRIX, quæ repetit velut *Debitum*, vt ſibi reſtituatur corpus, quod ex illa formatum, & ex ipſa conſtat, & ſuapte natura in eam tendit, niſi originali iuſtitia, alio-ve DEI dono quodammodo ſiſtatur impetus.

Habet hoc *Debitum*, multa cum pecuniario communia, ſed non pauca peculiaria, vnde fructus colligatur. Inprimis, non eſt cõſtitutum eius perſoluendi tempus certum, quod quidem homini conſtet: nam in DEI notitia momentum eſt, quod præteriri non poterit. Itaque ſemper paratos eſſe oportet, vt ſi illud exigat *Creditor*, ſponte hilaritérque adnumeremus.

Stultus eſt, qui ſibi perſuadet, non poſſe à ſe repeti animam hoc die, hac hora, hoc temporis punctulo, Diuiti Euangelico dicit DEVS: *Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te:* Ἄφρων ταύτῃ τῇ νυκτὶ τὴν ψυχήν σου ἀπαιτοῦσιν ἀπὸ σοῦ. Verbum eſt præſentis temporis ob imminentem ſemper *Mortem*: numeri pluralis, quia qui exigunt ſunt veluti adminiſtri diuinæ iuſtitiæ, Morbi, Elementorum certamina, aëris iniuriæ, & iſtiuſmodi ſexcenta. — Luc. X.

Agnouerunt hanc conditionem in *Mortis Debito* Gentiles ipſi, quibus vſitata eſt loquẽdi ea formula, dediſſe mortalibus Naturam, vſuram vitæ, tanquam pecuniæ, nulla præſtitutâ die: ideóque non eſſe, quod conqueramur, ſi repetat, cùm vult: nam ea conditione accepimus. — Cic. 1. Tuſcul.

Monent etiam, quod huic *Symbolo* eſt adnexum: tanquam à magiſtratu, aut ab aliqua poteſtate legitima, ſic à DEO euocatos nos, atque emiſſos exire debere, non obſiſtere, non refragari, non cum ſatellitibus & exactoribus contendere. — Cic. lib. in Somno Scip. & de Senect.

Indicat quoque *Repetendi* verbum, quod in hoc *Symbolo* vſurpatur, *Moriendum*, quamuis inuito, ac reluctanti. Quis ergo fructus, ſi obſiſtas? Fac, ſi ſapis, de neceſſitate, vt vulgus loquitur, virtutem. Libens perſolue, quod poſcitur: nam & à libenti *Debitum* poteſt repeti. — Repeto.

Aliud

Aliud colligit Ambrosius ex verbo *Repetendi*, seu *Reposcendi*, quo vtitur Tertullianus, Cyprianus verò, *Expostulandi*, nempe: Animam esse immortalem. *Dixit, Quid scis, an nocte hac à te reposcatur anima tua? Nunquid dixit: Moriatur in te anima tua?* Non: sed *reposcatur. Quæ data est, reposcitur, vel repetitur à te. Repetitur enim anima, non interimitur. Quod repetitur, manet: quod interimitur, non manet. Quomodo enim interimitur, de qua dixit Sapientia Dei, non timendum quemquam, qui potest corpus occidere: animam autem non potest.*

*Amb. de Bono Mor. cap. 16. Tert. lib. iv. contra Marcio. cap. 28 Cypr. de orat. Domi & lib. de op. & Eleemosyn. Matth. X.*

Illud peculiare est in hoc *Debito*, quod persolui non possit, nisi exigatur. Contra qui facit, Creditori non satisfacit, & sibi damnum accersit temeritate sua sempiternum.

Mirum est, quantoperè huius *Symboli* opportuna commemoratione commouerit, & ad meliora prouexerit nobilissimum adolescentem, de quo hæc refert Ioann. Damascenus. Iosaphat Auennir Indiæ Regis filius aliquando è palatio, quod ipsi exstructum fuerat, vt à nemine adiri posset, foras progrediens in capularem senem incidit, rugata facie, fractis ac dissolutis tibijs, curuo corpore, capite prorsus cano, qui præterea dentibus carebat, atque concisum quiddam, & interruptum loquebatur. Stupore itaque correptus cùm hominem eum propius ad se adduci iussisset, eos, qui tum aderant, interrogabat. Ecquid nam tam insolens spectaculum esset?

*Iosaphati conuersio.*

Illi autem dixerunt. Hic ætate valdè prouectus ac paullatim decedentibus ipsi viribus, membrisque imbecillitatem contrahentibus, ad hanc, quam cernis ærumnam peruenit. Et quisnam, inquit ille, ipsius tandem finis est? Non aliud, respondent, quam MORS ipsum excipiet. Omnibusne hominibus, infert ille, hoc est propositum, an quibusdam duntaxat contingit? Respondent: nisi MORS anteuertens aliquem hinc abducat, fieri non potest, quin temporis progressu status huiusce periculum non faciat. Tum Adolescens: Quo anno hoc cuipiam contingit? atque prorsus ne *Mori* necesse est? neque ars est vlla, quâ Mortem effugiamus, & in hanc calamitatem minimè incidamus?

Dicunt ei: octogesimò, aut centesimo anno ad hanc senectutem homines perueniunt, ac deinde moriuntur. Nec aliter fieri potest. DEBITVM enim NATVRALE MORS est, hominibus ab initio impositum: neque vlla ratione ipsius aduentus euitari potest. Hæc omnia, vt sagax, ac prudens Adolescens audiuit, atque intellexit, ex

intimo

intimo corde ingemiscens, dixit: Acerba hæc vita est, atque omni dolore & mœstitia plena, si res ita se habeat. Et quonam modo quispiam incertæ *Mortis* expectatione, cuius aduentus non modò vitari non potest, sed etiam, vt dixistis, incertus est, securo animo erit?

Abijt regius iuuenis hæc secum animo voluens, atque assiduè considerans, *Mortis*que memoriam identidem animo repetens, ac deinceps in doloribus animiq; consternatione viuens. Apud se autem frequenter istud ingeminabat. Ergó-ne MORS me aliquando corripiet? Et, quisnam erit, qui mei post *Mortem* memor sit futurus? Num *Morte* functus resoluar in nihilum? An contra, alia adhuc vita superest, & alter mundus. Hæc perpetuò recogitans terrenarum omnium voluptatum facile obliuiscebatur. Nam seria *Mortis* cogitatio voluptatis cuiuslibet temporaneæ sensum adimit.

## *SYMBOLVM III.*

# MORS

## *COMMODATI-REDHIBITIO.*

COMMODATVM, vt cum Azone, Gofredo, Hostiensi, & Goffa, in *Tit* de *Commodato* definiunt I.Cti, est id, quod alteri conceditur gratis ad certum aliquem vsum. Itaque non transfertur in illum, qui accipit Commodatum, rei dominium, aut proprietas, aut possessio ciuilis, sed vsus duntaxat. Quocirca reddi debet tempore constituto. Quid moraris? *Vita Commodatum* est. hanc repetit, qui ad vsum dedit: redde, si iustitiam colis: contra quam facit, qui in mora est. reddit, qui appellatus, mori non detrectat. Est enim *MORS* nihil aliud, quàm COMMODATI REDDITIO.

Publij Mimi celebratur isthæc sententia: *Homo vita commodatus, non donatus est*. Magis placet ista: *Homini vita commodata, non donata est*. Quod donatur, perpetui est iuris, ob dominij trãslationem: quod commodatur, nonnisi certo tempore ad vsum conceditur, hac lege, vt concedenti reddatur. Mori ergo, Deo iubente, quid detrectamus? *Commodatum* Dominus repetit.

Petit hinc solatium Seneca pro Polybio, qui fratrem nimis citò hanc

tò hanc lucem perdidisse querebatur. *Erras, inquit, non perdidit lucem frater tuus, sed securiorem sortitus est. Omnibus illò nobis commune iter. Quid fata deflemus? non reliquit ille nos, sed antecessit. Est, mihi crede, magna felicitas in ipsa felicitate moriendi. Nihil ne in totū quidem diem certum est. quis in tam obscurâ, & inuoluta veritate diuinat, vtrúmne fratri tuo Mors inuiderit, an consuluerit? Illud quoque, quâ iustitiâ in omnibus rebus es necesse est te adiuuet cogitantem: non iniuriam tibi factam, quod talem fratrem amisisti: sed beneficium datum, quod tam diu pietate eius tibi vti fruíque licuit. Iniquus est, qui muneris sui arbitrium danti non relinquit: auidus, qui non lucri loco habet, quod accepit, sed damni, quod reddidit. Ingratus est, qui iniuriam vocat finem voluptatis: stultus, qui nullum fructum putat bonorum, nisi præsentium qui non & in præteritis acquiescit. & ea iudicat certiora, quæ abierunt, quia de illis, ne desinant, non est timendum.* Consol. ad Polyb. ap XXV II. & XXIX.

*Quod habuisti ergo optimum fratrem, in summis bonis pone. Non est, quod cogites, quanto diutius habere potueris, sed quamdiu habueris. Rerum natura illum tibi sicut ceteris fratribus non mancipio dedit*, *sed* COMMODAVIT: *cùm vsum est deinde, repetÿt: nec tuam in eo satietatem sequuta est; sed suam legem. Siquis* pecuniam creditam *soluisse se molestè ferat, eam præsertim, cuius vsum gratuitum acceperit, nónne iniustus habebitur? Dedit natura fratri tuo vitam, dedit & tibi: quæ suo iure vsa, à quo voluit* DEBITVM *suum citius exegit. Non illa in culpâ est, cuius nota erat conditio: sed mortalis animi spes auida, quæ subinde quid rerum natura sit, obliuiscitur, nec vnquam sortis suæ meminit, nisi cùm admonetur. Gaude itaque habuisse te tam bonum fratrem, & vsumfructum eius, quamuis breuior voto tuo fuerit boni consule. Cogita iucundissimum esse, quod habuisti: humanum, quod perdidisti.*

Similem planè consolatoriam, ex hoc, & cognatis *Symbolis*, conficit, non alijs, sed sibi, D. Ambrosius, Oratione funebri: de excessu fratris sui Satyri: è quâ pauca accipe. *Ingratus Diuinitati esse non possum. Lætandum est enim magis, quod talem fratrem habuerim, quam dolendum, quod fratrem amiserim. Illud enim munus, hoc debitum est. Itaque perfunctus sum, quamdiu licuit commisso mihi fœnore. qui deposuit pignus, recepit. Nihil interest, vtrum abiures* Depositum, *an doleas restitutum. In vtraque enim fidei ambiguum, vitæ periculum est. An si pecuniam neges culpa est: si hostiam neges, impietas non est, cùm pecuniæ fœnerator illudi possit, naturæ auctor, & necessitudinis* Creditor *fraudari non queat? Itaque quanto vberior fœnoris summa, tanto gratior vsura sortis. Vnde ingrati de fratris* Morte *esse non possumus, quia, quod naturæ communis fuit, reddidit; quod gratiæ singularis est, meruit.* S. Ambrosij consolatoria.

*ruit. Quis enim communem conditionem recuset? Quis doleat sibi proprium pignus ereptum, cum ad solatium nostri filium suum vnicum pro nobis Pater tradiderit ad* Mortem *Quis exceptum se putat esse debere à conditione moriendi, qui non sit exceptus à conditione nascendi?*

## *SYMBOLVM IV.*

# MORS

## *PRECARII-REPETITIO.*

IVRISCONSVLTVS in L. 1. ff. *De Precario*: PRECARIVM, inquit esse, quod precibus petenti vtendum conceditur, tam diu, quàm diu is, qui concessit, patitur. Esse liberalitatis genus, differre à Donatione, eo quod, qui donat, sic dat, ne recipiat, qui verò precariò concedit, sic dat, quasi recepturus, quod dedit, cùm sibi libuerit *Precarium* solui.

Nihil vsitatiùs apud Latinos, quàm Vitam *precariò* datam esse. Qui autem precariò dat, potest, quando voluerit, rem datam reposcere, siue *Precarium* reuocare: hoc enim ad substantiam eius pertinet, L. 1. ff. *De Precario.* Addunt LL. Posse *Precarium* repeti ad nutum eius, qui dedit: nec caussam exigi, sed arbitratum. Exigit *Precarium* DEVS, vitæ auctor, dum te mori iubet (Quid enim aliud est MORS, quàm PRECARII REPETITIO?) cur reluctaris? sis memor contractus.

Cap. XXIX. Et hoc *Symbolo* solatur Polybium in fraternâ *Morte* Seneca. Vide quàm appositè. *Inopinanti ereptus est frater. Sua quemque credulitas decipit: & in eis, quæ diligit, voluntaria Mortalitatis obliuio. Natura nulli se necessitatis suæ gratiam facturam esse testata est. Quotidie præter oculos nostros transeunt notorum ignotorúmque funera: nos tamen aliud agimus: & subitum id putamus esse, quod nobis totâ vitâ denunciatur futurum. Non est itaque ista fatorum iniquitas, sed mentis humanæ prauitas, insatiabilis rerum omnium: quæ indignatur indè se exire, quo admissa est* PRECARIO.

Anaxagoras, vel Xenophon Vide Lips. in Not. *Quanto ille iustior, qui nunciata filij* Morte *dignam magno viro vocem emisit?* Ego cùm genui, tum moriturum sciui. *Deinde adiecit rem maioris, & prudentiæ, & animi:* Huic rei sustuli. *Omnes huic rei tollimur.*

*mur. quisquis ad vitam editur, ad* Mortem *destinatur. Gaudeamus ergo omnes eo quod datur,* Reddamus*que id, cùm reposcemur. Alium alio tempore fata comprehendent, neminem præteribunt.*

*In procinctu stet animus: & id quod necesse est, nunquam timeat quod incertum est, semper expectet. Quid dicam duces, Ducúmque progenies & multis aut consulatibus conspicuos, aut triumphis, sorte defunctos inexorabili? Tota cum Regibus Regna, populíque cum gentibus tulêre fatum suum. Omnes, imò, omnia in vltimum diem spectant. non idem vniuersis finis est. Alium in medio cursu vita deserit: alium in ipso aditu relinquit: alium in extremâ senectute fatigatum iam & exire cupientem vix emittit; alio quidem atque alio tempore, omnes tamen in eundem locum tendimus. Vtrúmne stultius sit nescio: mortalitatís-ne legem ignorare, an impudentius, recusare.*

Eorum, quæ hîc habemus vsusfructus noster est: cuius tempora ille arbiter muneris sui temperat. Nos oportet ea sine querela reddere Creditori. Pessimi Debitoris est Creditori facere conuicium. Sæpe admonendus est animus, vt tanquam recessura, imò & recedentia amet, quæ à Deo nobis hic data.

## *SYMBOLVM V.*

# MORS

## *LATRO.*

### *Veniat Mors super illos.* Psal. LIV. 16.

Latro, Ληςὴς, Prædo, Sicarius, Grassator, dici solent obsessores viarum, qui publicè homines adoriũtur, & per vim, quæ habent secum, eripiunt. Dictum vult Festus, bonus Nomenclator, quod à latere adoriatur: vel à latendo, quod latenter obseruet, ac inuolet, quò artificiosius decipiat.

Mors *Latronis* ritu inuadit. quisque sibi caueat. Etiamnum imprecatur, vel prædicit Regius Vates improbis: *Veniat* Mors *super illos*: quomodo? vt *Latro*: hanc enim imaginem exhibet originalis sententia, quam sic licet exponere. Ex improuiso illos *Mors* adoriatur, sicq; illos decipiat, latus illorum petens, ex insidijs, fraudulentè, vt non animaduertant. *Psal. LIV. 16.* *Mors insidiatur.*

Frans. Labata Appa. V. Mors Trop. VIII.

Diducit hoc Symbolum pluribus Franciscus Labata in suo pro Concionatoribus Apparatu. Et, decipere ait *Mortem* quotidiè plurimos: nam longè abesse se simulat, cùm sit præ foribus. Eo modo decipere solet *Mors* hominem sanum, quo *Latro* expilator in itinere Viatorem. Respicit Viator quaquâ versus, & vias omnes explorat: neminem cernit: tuta & secura omnia existimat, cantillat, progreditur; at cùm minimè de periculo cogitat, ex latebris irruit *Sicarius*, inuadit ambulantem, sistit, explorat, verberat, bona deripit, trucidat.

Inopinatè Mors opprimit.

*Latro est MORS, quæ vitam, & bona temporalia cuncta satagit à nobis auferre: sanum se videns homo fortem, & agilem, abesse* Mortem *existimat: sed tamen à latebris vnius tegulæ desuper cadentis, vel febriculæ ex leuissimâ caussâ exortæ, prodit: & simul vitâ, & bonis mundi hominem spoliat: imò sæpè subitò nullâ* Mortis *vel infirmitatis vmbrâ comparente: Vti videre licet in Parabolâ hominis illius, cui ager magnam frumenti copiam tulit, qui secum agens, dicebat:* Anima mea habes multa bona reposita in annos plurimos. *Nota.* In annos, *&* annos plurimos. *Et tamen ea in nocte* Mors *illum è medio sustulit. Hunc decepisse* Mortem *possumus affirmare: quod quotidie etiam alijs euenire videmus.*

Hinc sollicitudinem nostram requiro mortales; *Quis enim inimicum habens, quem scit occultò eum inuadere volentem non timet; non attendit semper?* Inimica *Mors* occultè nos inuadit, quis non acutè incedet? Rectè Seneca. *Nescis quo te loco* Mors *expectat. Tu igitur eam in omni loco expecta. Imparatum enim mori hominem miserandum est.*

Luca 40.

*Estote parati,* inquit CHRISTVS, *quia, quâ horâ non putatis Filius hominis veniet:* hoc est, *quâ horâ minimè de* Morte *cogitatis,* Mors *vos inuadet.*

## *SYMBOLVM VI.*

# MORS

## *SICARIVS.*

*Veniat Mors super illos.* Psal. LIV. 16.

Psal. LIV. 16.

VENIAT MORS *super illos.* ελθέτω δὴ θάνατος ἐπ' αὐτούς, Irruat, constringat, opprimat, decipiat. Finge tibi *Sicarium* viatori se sociatom:

tem: gaudet itineris ignarus comitis consortio, illi iungitur perlibenter, confabulatur, arridet. At operitur prædo opportunitatem inuadendi, quam nactus, pugione confabulantem transuerberat, & spoliatum bonis omnibus relinquit in viâ, confectum vulneribus. An non hunc iure crudelem d cas, & fraudulentum insidiatorem?

Apodosim accipe ex Francisco Labata. *Sic Mors in epulis, & ludis, & delitijs mundi se interserit, macharam sub tegmine delitiarum abscondit, & sæpe ex illis quasi ex latebris prodiens, hominem necat, & cunctas ab eo diuitias surripit, & delitias.* Labata Appar. Con. V. Mors. Trop. XX.I.

Avdi Sapientem: *Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & aues laqueo comprehenduntur sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplò superuenerit*: Hoc est, sicut inter deletias ciborum pisces, & aues, *Mortem* offendere solent: sic sæpe homines inter bona mundi in manus incidunt *Mortis*, & hoc extemplò, id est, subitò, & impræmeditatò. Itaque: *Non tard s conuerti ad Dominum: & ne differas de die in diem: subito enim veniet ira illius: & in tempore vindictæ disperdet te.* Ecclesiastici v. 8. Ecc IX. 12.



## SYMBOLVM VII.

# MORS

## BELLATRIX ASTVTA.

*Veniat Mors super illos* Psal. LIV. 16.

VENIAT MORS *super illos*. Verte si placet, nam originale permittit. *Decipiat eos Mors*. Solent periti Imperatores hoc vti in militiâ stratagemate, cum non vi, sed dolo, vel arte hostem delere cogitant, non illos palam, & aperto, quod aiunt, Marte adgrediuntur: sed in securos, ac proinde imparatos, ex improuiso irruunt. Haud secus *Mors* (Deo in peccatorum vindictam ita decernente) improbos decipit, dum subitò, & inopinatò in illos impetum facit, quando ipsi delitijs, ac vanitatibus vacant, nihil minus quam de *Morte* cogitantes. Psal LIV. 16

# SYMBOLVM VIII.

# MORS

## VETERATOR.

*Veniat Mors super illos.* Psal. LIV. 16.

Veterator. πανοῦργος.

VETERATOREM appellat Terentius, impostorem subdolum, tanquam astutiâ veteri extritum. Talem esse *Mortem* eadem illâ comminatoriâ sententiâ continetur. *Decipiat illos Mors.* Decipere dicimus eum, vt obseruat ad hoc *Symbolum* accommodatè Labata, qui pepigit fœdus cum aliquo, & posteà non seruat pactum, nec promissum. Peccatores cum *Morte* paciscuntur. Illorum enim est contestatio illa apud Isaiam: *Percussimus fœdus cum Morte, & cum Inferno fecimus pactum.* Quâ irrisoriâ mimesi, Prophetarum oracula quæ de *Morte* & *Inferno* quotidie personabant, eleuare conabantur impij illusores: ac publicè spargebant, nihil à Prophetarum minis sibi magnoperè esse metuendum, quod stabili fœdere cum *Morte* & Inferno (sepulchrum vertit Vatablus) conuenissent, ne quid aduersi ipsis adueniret. fortasse per *Infernum Plutonem*, ᾅδην per *MORTEM*, *Atropen* intelligebant, tanquam Deos vitæ necísque; aut, quod non improbabile existimat Gaspar Sanctius, eandem *Mortem* vocibus duabus exprimebant.

Non reperies quidem hodie aliquem è Christianis, qui hæc verba ore proferat, sed non desunt, qui illa opere exprimunt quotidiè: tam enim viuunt securè, tam longam sibi vitam spondent, vt dicere videantur, se cum *Morte*, & sepulturâ icisse fœdus. Sed ô inanes spes! Non cogitant *Veteratorem* esse, ac fœdifragum, cum quo fœdus iniuerunt. Non stat istiusmodi pactis conuentis deceptrix *Mors*. Nemo fidat, quamuis sigillo munitum à *Morte* diploma impetrasset. Sæpè sæpius optimâ homines valetudine, firmos, florentes, viuidos aggreditur, & lenissimâ prius febriculâ, mox punctionibus lateris, denique cordis ictu vno interimit. *Decipit illos mors* & descendunt in Infernum viuentes. Huc spectant *Exempla*, subitò & inopi-

& inopinatâ *Morte* pereuntium, quibus pleni sunt Concionatorum Codices. Consule Theatrum vitæ humanæ.

## SYMBOLVM IX.

# MORS

## LAPIS CONTERENS STATVAM.

### *Abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam, & comminuit.* Daniel. 11. 34.

NOTISSIMA est visio, quam habuit Nabuchodonosor, in quâ quot sunt verba, tot penè emicant rerum diuersarum *Symbola*, & pulcherrimæ imagines. Videbat Rex in strato suo quiescens *statuam* ingentem, cuius caput aureum: pectus, & brachia argentea: venter æreus: crura ferrea: pedes partim fictiles, partim ferrei. Cùm autem hoc simulacrum contemplaretur attentius: ecce tibi *Lapillus* ab altissimo monte, absque manibus abscissus, & in pedes deuolutus, illos conterit, vnde totius statuæ ruina. Nam saxulum istud, vt bases Colossi comminuit, illo in terram deiecto, testa, ferrum, æs, argentum, aurum: caput, pectus, brachia, ventrem, crura, pedes, contriuit, & in minutissimum redegit puluerem, adeò, vt, ne vestigium quidem tantæ molis remaneret. *Lapillus* verò excreuit in eius altitudinis montem, vt terram impleuerit. Omitto sexcentas huius statuæ expositiones allegoricas, symbolicas, mysticas: Nam *Mortis* solummodò *Symbola* consector, inter quæ elegans est:

*Statua Nabuchodonosoris.*

### *Lapillus statuam conterens.*

Quæ illa *Statua*? Sequar interpretationem sanè acutam & doctam, præclari Concionatoris Gabrielis Inchino in Concionibus Italicis, de quattuor Nouissimis: vbi Hominem in statu innocentiæ eâ repræsentari existimat. Erat enim ei in felici illo horto, caput ex auro gratiæ, ac iustitiæ originalis. Pectus & brachia, ex argẽto potestatis, quâ creaturis reliquis dominabatur. Vẽter ex ære sonoro: quo designa-

*Gab. Inch. de IV. Nou. Con. 1.*

# SYMBOLVM I.

# MORS CREDITOR.

## *Veniat Mors super illos.* Psal. LIV. 16.

CREDITORIS dicitur l. Ctis, cui debetur quidpiam, ex quacunque actione, persequutione, vel iure. Gaius de *Verb. signif.* Creditorum *appellatione non hi tantùm accipiuntur, qui pecuniam crediderunt, sed omnes, quibus ex qualibet caussa debetur: sicut ex empto, vel ex locato, vel ex alio vllo contractu debetur.* Videndus Barnabas Brissonius, *De Verb. Iuris* Solent autem *Creditores* rapere suos debitores in seruitium, ergastulum, carnificinam: Liuius libr. II. Vrb. Hinc *Symbolum*, quod è sacro Codice educamus.

DAVID Rex, irritatus Ceilanorum perfidia, proditoribus suis MORTEM imprecabatur, tanquam CREDITOREM. Hunc enim sensum habere possunt illa Psalmi LIV. Veniat *Mors* super illos, Chaldæus habet: *Reos peragat eos* Mortis *iudicium*; nempe, vt *Creditoris*, qui debitum sibi extemplò dari postulet. Alij conuertunt: *Exigat debitum* Mors *ab ijs*. Vel, *Exactricem constituat* (DEVS) Mortem *aduersus illos*. Vel, *Irrue* Mors, *instiga, exige*, vt Campensis reddit: sed Hebræo minus congruenter, vt existimat Lorinus. Hebræa vox נשא *Nasa*, & נשי, *Nasciat* plurima admittit: nam significat *fænerari, exigere, irruere, grauare, decipere, obliuisci, obligari* & multa alia.

Itaque sensus diræ illius imprecationis est, vt MORS, ceu durus CREDITOR & inexorabilis, repetat: vel, DEVS illam immittat, ad repetendum ab ijs *Debitum*, quod illud? Animã, seu, vitam: quam, quasi oppignorasse censentur iniquitatibus, dolis, voluptatibus.

Robur accipit hoc *Symbolum* ex Luc. XII. 20. vbi, vanitatis mancipio in gazis suis confidenti, multósque sibi spondẽti annos, occinitur: *Stulte* (insipiens, delire, improuide, ἄφρων) *hac nocte repetunt animam tuam à te.*

Repetere *Creditorum* est. At, quinam? Angeli (inquit Theophylactus) à supremo *Creditore* missi ad exigẽdum *Debitum*. Cur non etiam

etiam *Mors*, cum numeroso Morborum, tanquam famulorum, comitatu? aut, cum vno aliquo, sed acuto, qui extemplo rem conficiat. Et, est in præsenti, *ἀπαιτοῦσιν, repetunt*. An, vt indicaretur Diuiti, *Creditorem-Mortem*, cum famulitio, iam præ foribus præstolari?

*Hac te nocte manu* Mors *tristis, Auare,*
*Inque breui tumbâ cras tumulatus eris.*
*Ergo cùm procul hinc vitâ priuatus abibis,*
*Quò bona peruenient accumulata tibi?*

Similì *Symbolo* vtebatur Chrysostomus, monens, ne fideles, mortuos nimium lugerent. *Si ad imperandum, regnandúmque, caducum aliquod, & mortale regnum filius tuus adijsset; nolles eum inde redire, vt ipsum videres: Nunc verò, cùm ad meliora maioráque regna processerit, parui temporis absentiam ferre non poteris? Noli ergo plorare: reddidisti enim* DEPOSITVM, *quod tibi* CREDITVM *erat. Non sis solicitus, si videas inuiolabili ærario thesaurum tuum esse depositum. Quod si etiam tam præsentis vitæ, quàm futuræ, conditionem intellexeris: & hanc quidem aranearum telam esse, atque vmbram, illam autem esse immobilem, & æternam, non indigebis vllâ ad consolationis subsidia ratione.* Homil. XXXII. in Matth.

## *SYMBOLVM II.*

# MORS
## *DEBITVM.*

*Ille qui paulò ante de terra factus fuerat: & post pusillum reducit se, vnde acceptus est, repetitus animæ Debitum, quam habebat.* Sap. XV. 8.

AVDIS DEBITVM. Ergo *Debitorem* scias esse hominem: nam ille æs debet alienum. De illo dicitur: *τὸ τῆς ψυχῆς ἀπαιτηθεὶς χρέος: Animæ repetitus debitum.* Quis hîc CREDITOR? DEVS Legislator, cuius mandatum, quia transgressi fuimus, *Debitum* contraximus, reddendi, tam Animam, quæ separata perseuerat, quippe immortalis: & sic *Redit ad* DEVM, *qui dedit illam*: quàm Vitam, *Eccli xu 7.*
quæ nobis datur, post primæuam præuaricationem, non sine condi-

tione reddendi per *Mortem*. Jtaque DEBITVM, quod persoluitur, MORS est. Quamuis & *Anima* dici possit: tum quoad substantiam: tum quoad vitam. Sed idem est, siue hāc nomines, siue illam. nam, qui *Mortem* pendit, Creditori satisfacit.

Imò, & *Debitum Animæ* rectè appellatur: ita vt anima intelligatur debere. ipsa enim est, quæ propter peccauit, & ideo contraxit *Debitum*, ne illi liceat semper esse in corpore, & vt hoc moriatur.

Huius autem intuitu Terra concipi potest, vt CREDITRIX, quæ repetit velut *Debitum*, vt sibi restituatur corpus, quod ex illa formatum, & ex ipsa constat, & suapte natura in eam tendit, nisi originali iustitia, alio-ve DEI dono quodammodo sistatur impetus.

Habet hoc *Debitum*, multa cum pecuniario communia, sed non pauca peculiaria, vnde fructus colligatur. Jnprimis, non est cōstitutum eius persoluendi tempus certum, quod quidem homini constet: nam in DEI notitia momentum est, quod præteriri non poterit. Itaque semper paratos esse oportet, vt si illud exigat *Creditor*, sponte hilaritérque adnumeremus.

Stultus est, qui sibi persuadet, non posse à se repeti animam hoc die, hac hora, hoc temporis punctulo, Diuiti Euangelico dicit DEVS: *Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te:* Ἄφρων ταύτῃ τῇ νυκτὶ τὴν ψυχήν σου ἀπαιτοῦσιν ἀπὸ σου. Verbum est præsentis temporis ob imminentem semper *Mortem*: numeri pluralis, quia qui exigunt sunt veluti administri diuinæ iustitiæ, Morbi, Elementorum certamina, aëris iniuriæ, & istiusmodi sexcenta. Luc. X.

Agnouerunt hanc conditionem in *Mortis Debito* Gentiles ipsi, quibus vsitata est loquēdi ea formula, dedisse mortalibus Naturam, vsuram vitæ, tanquam pecuniæ, nulla præstitutâ die: ideóque non esse, quod conqueramur, si repetat, cùm vult: nam ea conditione accepimus. Cic. 1. Tuscul.

Monent etiam, quod huic *Symbolo* est adnexum: tanquam à magistratu, aut ab aliqua potestate legitima, sic à DEO euocatos nos, atque emissos exire debere, non obsistere, non refragari, non cum satellitibus & exactoribus contendere. Cic. lib. in Somnio Scip. Et de Senect.

Indicat quoque *Repetendi* verbum, quod in hoc *Symbolo* vsurpatur, *Moriendum*, quamuis inuito, ac reluctanti. Quis ergo fructus, si obsistas? Fac, si sapis, de necessitate, vt vulgus loquitur, virtutem. Libens persolue, quod poscitur: nam & à libenti *Debitum* potest repeti. Repete.

Aliud

Aliud colligit Ambrosius ex verbo *Repetendi*, seu *Reposcendi*, quo vtitur Tertullianus, Cyprianus verò, *Expostulandi*, nempe: Animam esse immortalem. *Dixit Quid scis, an nocte hac à te reposcatur anima tua? Nunquid dixit: Moriatur in te anima tua?* Non: sed *reposcatur. Quæ data est, reposcitur, vel repetitur à te. Repetitur enim anima, non interimitur. Quod repetitur, manet: quod interimitur, non manet. Quomodo enim interimitur, de qua dixit Sapientia Dei, non timendum quemquam, qui potest corpus occidere: animam autem non potest.*

*Amb. de Bon. Mor. cap. 10. Tert. lib. iv. contra Marcio. cap. 28. Cypr. de orat. Domi. & lib. de op. & Eleemosyn. Matth. X.*

Illud peculiare est in hoc *Debito*, quod persolui non possit, nisi exigatur. Contra qui facit, Creditori non satisfacit, & sibi damnum accersit temeritate sua sempiternum.

Mirum est, quantoperè huius *Symboli* opportuna commemoratione commouerit, & ad meliora prouexerit nobilissimum adolescentem, de quo hæc refert Ioann. Damascenus. Iosaphat Auenniri Indiæ Regis filius aliquando è palatio, quod ipsi extructum fuerat, vt à nemine adiri posset, foras progrediens in capularem senem incidit, rugata facie, fractis ac dissolutis tibijs, curuo corpore, capite prorsus cano, qui præterea dentibus carebat, atque concisum quiddam, & interruptum loquebatur. Stupore itaque correptus cùm hominem eum propius ad se adduci iussisset, eos, qui tum aderant, interrogabat. Ecquid nam tam insolens spectaculum esset?

*Iosaphati conuersio.*

Illi autem dixerunt. Hic ætate valdè prouectus ac paullatim decedentibus ipsi viribus, membrisque imbecillitatem contrahentibus, ad hanc, quam cernis ærumnam peruenit. Et quisnam, inquit ille, ipsius tandem finis est? Non aliud respondent, quam MORS ipsum excipiet. Omnibusne hominibus, infert ille, hoc est propositum, an quibusdam duntaxat contingit? Respondent: nisi MORS anteuertens aliquem hinc abducat, fieri non potest, quin temporis progressu status huiusce periculum non faciat. Tum Adolescens: Quo anno hoc cuipiam contingit? atque prorsus ne *Mori* necesse est? neque ars est vlla, quâ Mortem effugiamus, & in hanc calamitatem minimè incidamus?

Dicunt ei: octogesimò, aut centesimo anno ad hanc senectutem homines perueniunt, ac deinde moriuntur. Nec aliter fieri potest. DEBITVM enim NATVRALE MORS est, hominibus ab initio impositum: neque vlla ratione ipsius aduentus euitari potest. Hæc omnia, vt sagax, ac prudens Adolescens audiuit, atque intellexit, ex

intimo

intimo corde ingemiscens, dixit: Acerba hæc vita est, atque omni dolore & mœstitia plena, si res ita se habeat. Et quonam modo quispiam incertæ *Mortis* expectatione, cuius aduentus non modò vitari non potest, sed etiam, vt dixistis, incertus est, securo animo erit?

Abijt regius iuuenis hæc secum animo voluens, atque assiduè considerans, *Mortis*que memoriam identidem animo repetens, ac deinceps in doloribus animiq; consternatione viuens. Apud se autem frequenter istud ingeminabat. Ergó ne MORS me aliquando corripiet? Et, quisnam erit, qui mei post *Mortem* memor sit futurus? Num *Morte* functus resoluar in nihilum? An contra, alia adhuc vita superest, & alter mundus. Hæc perpetuò recogitans terrenarum omnium voluptatum facile obliuiscebatur. Nam seria *Mortis* cogitatio voluptatis cuiuslibet temporaneæ sensum adimit.

## SYMBOLVM III.

# MORS

## COMMODATI-REDHIBITIO.

COMMODATVM, vt cum Azone, Gofredo, Hostiensi, & Goffa, in *Tit de Commodato* definiunt I.Cti, est id, quod alteri conceditur gratis ad certum aliquem vsum. Itaque non transfertur in illum, qui accipit Commodatum, rei dominium, aut proprietas, aut possessio ciuilis, sed vsus duntaxat. Quocirco reddi debet tempore constituto. Quid moraris? *Vita Commodatum* est. hanc repetit, qui ad vsum dedit: redde, si iustitiam colis: contra quam facit, qui in mora est. reddit, qui appellatus, mori non detrectat. Est enim *MORS* nihil aliud, quàm COMMODATI REDDITIO.

Publij Mimi celebratur isthæc sententia: *Homo vita commodatus, non donatus est*. Magis placet ista: *Homini vita commodata, non donata est*. Quod donatur, perpetui est iuris, ob dominij trãslationem: quod commodatur, nonnisi certo tempore ad vsum conceditur, hac lege, vt concedenti reddatur. Mori ergo, Deo iubente, quid detrectamus? *Commodatum* Dominus repetit.

Petit hinc solatium Seneca pro Polybio, qui fratrem nimis citò hanc

tò hanc lucem perdidisse querebatur. *Erras, inquit, non perdidit lucem frater tuus, sed securiorem sortitus est. Omnibus illò nobis commune iter. Quid fata deflemus? non reliquit ille nos, sed antecessit. Est, mihi crede, magna felicitas in ipsa felicitate moriendi. Nihil ne in totũ quidem diem certum est. quis in tam obscurâ, & inuoluta veritate diuinat, vtrúmne fratri tuo* Mors *inuiderit, an consuluerit? illud quoque, quâ iustitiâ in omnibus rebus es necesse est te adiuuet cogitantem: non iniuriam tibi factam, quod talem fratrem amisisti: sed beneficium datum, quod tam diu pietate eius tibi vti frui que licuit. Iniquus est, qui muneris sui arbitrium danti non relinquit: auidus, qui non lucri loco habet, quod accepit, sed damni, quod reddidit. Ingratus est, qui iniuriam vocat finem voluptatis: stultus, qui nullum fructum putat bonorum, nisi præsentium qui non & in præteritis acquiescit. & ea iudicat certiora, quæ abierunt, quia de illis, ne desinant, non est timendum.* Consol. ad Polyb. ap XXVII. & XXIX.

*Quod habuisti ergo optimum fratrem, in summis bonis pone. Non est, quod cogites, quanto diutius habere potueris, sed quamdiu habueris. Rerum natura illum tibi sicut ceteris fratribus non mancipio dedit, sed* COMMODAVIT: *cùm vsum est deinde, repetijt: nec tuam in eo satietatem sequuta est; sed suam legem. Siquis* pecuniam creditam *soluisse se molestè ferat, eam præsertim, cuius vsum gratuitum acceperit, nónne iniustus habebitur? Dedit natura fratri tuo vitam, dedit & tibi: quæ suo iure vsa, à quo voluit* DEBITVM *suum citius exegit. Non illa in culpâ est, cuius nota erat conditio: sed mortalis animi spes auida, quæ subinde quid rerum natura sit, obliuiscitur, nec vnquam sortis suæ meminit, nisi cùm admonetur. Gaude itaque habuisse te tam bonum fratrem, & vsumfructum eius, quamuis breuior voto tuo fuerit, boni consule. Cogita iucundissimum esse, quod habuisti: humanum, quod perdidisti.*

Similem planè consolatoriam, ex hoc, & cognatis *Symbolis*, conficit, non alijs, sed sibi, D. Ambrosius, Oratione funebri: de excessu fratris sui Satyri: è quâ pauca accipe. *Ingratus Diuinitati esse non possum. Lætandum est enim magis, quod talem fratrem habuerim, quam dolendum, quod fratrem amiserim. Illud enim munus, hoc debitum est. Itaque perfunctus sum, quamdiu licuit commisso mihi fœnore. qui deposuit pignus, recepit. Nihil interest, vtrum abiures* Depositum, *an doleas restitutum. In vtraque enim fidei ambiguum, vitæ periculum est. An si pecuniam neges culpa est: si hostiam neges, impietas non est, cùm pecuniæ fœnerator illudi possit, naturæ auctor, & necessitudinis* Creditor *fraudari non queat? Itaque quanto vberior fœnoris summa, tanto gratior vsura sortis. Vnde ingrati de fratris* Morte *esse non possumus, quia, quod naturæ communis fuit, reddidit; quod gratiæ singularis est, meruit.* S. Ambrosij consolatoria.

*ruit. Quis enim communem conditionem recuset? Quis doleat sibi proprium pignus ereptum, cum ad solatium nostri filium suum vnicum pro nobis Pater tradiderit ad* Mortem *Quis exceptum se putat esse debere à conditione moriendi, qui non sit exceptus à conditione nascendi?*

## SYMBOLVM IV.

# MORS.

## PRECARII-REPETITIO.

IVRISCONSVLTVS in L. I. ff. *De Precario*: PRECARIVM, inquit esse, quod precibus petenti vtendum conceditur, tam diu, quàm diu is, qui concessit, patitur. Esse liberalitatis genus, differre à Donatione, eo quod, qui donat, sic dat, ne recipiat, qui verò precariò concedit, sic dat, quasi recepturus, quod dedit, cùm sibi libuerit *Precarium* solui.

Nihil vsitatiùs apud Latinos, quàm Vitam *precariò* datam esse. Qui autem precariò dat, potest, quando voluerit, rem datam reposcere, siue *Precarium* reuocare: hoc enim ad substantiam eius pertinet, L. I. ff. *De Precario*. Addunt LL. Posse *Precarium* repeti ad nutum eius, qui dedit: nec caussam exigi, sed arbitratum. Exigit *Precarium* DEVS, vitæ auctor, dum te mori iubet (Quid enim aliud est MORS, quàm PRECARII REPETITIO?) cur reluctaris? sis memor contractus.

*Cap. XXIX.* Et hoc *Symbolo* solatur Polybium in fraternâ *Morte* Seneca. Vide quàm appositè. *Inopinanti ereptus est frater. Sua quemq; credulitas decipit: & in eis, quæ diligit, voluntaria Mortalitatis obliuio. Natura nulli se necessitatis suæ gratiam facturam esse testata est. Quotidie præter oculos nostros transeunt notorum ignotorúmque funera: nos tamen aliud agimus: & subitum id putamus esse, quod nobis totâ vitâ denunciatur futurum. Non est itaque ista fatorum iniquitas, sed mentis humanæ prauitas, insatiabilis rerum omnium: quæ indignatur indè se exire, quo admissa est* PRECARIO.

*Anaxagoras, vel Xenophon Vide Lips. in Not.* *Quanto ille iustior, qui nunciata filij* Morte *dignam magno viro vocem emisit?* Ego cùm genui, tum moriturum sciui. *Deinde adiecit rem maioris, & prudentiæ, & animi:* Huic rei sustuli. *Omnes huic rei tollimur.*

*mur.quisquis ad vitam editur, ad* Mortem *destinatur. Gaudeamus ergo omnes eo quod datur,* REDDAMVS*que id, cùm reposcemur. Alium alio tempore fata comprehendent,neminem præteribunt.*

*In procinctu stet animus: & id quod necesse est,nunquam timeat quod incertum est,semper expectet. Quid dicam duces, Ducúmque progenies & multis aut consulatibus conspicuos,aut triumphis,sorte defunctos inexorabili? Tota cum Regibus Regna,populique cum gentibus tulère fatum suum. Omnes, imò,omnia in vltimum diem spectant. non idem vniuersis finis est. Alium in medio cursu vita deserit: alium in ipso aditu relinquit: alium in extremâ senectute fatigatum iam & exire cupientem vix emittit; alio quidem atque alio tempore, omnes tamen in eundem locum tendimus. Vtrúmne stultius sit nescio: mortalitatís-ne legem ignorare,an impudentius,recusare.*

Eorum,quæ hîc habemus vsusfructus noster est:cuius tempora ille arbiter muneris sui temperat. Nos oportet ea sine querela reddere CREDITORI. Pessimi DEBITORIS est Creditori facere conuicium. Sæpe admonendus est animus, vt tanquam recessura, imò & recedentia amet,quæ à DEO nobis hic data.

# *SYMBOLVM V.*

# MORS

## *LATRO.*

*Veniat Mors super illos.* Psal. LIV. 16.

LATRO, Ληστὴς, Prædo, Sicarius, Grassator, dici solent obsessores viarum,qui publicè homines adoriũtur, & per vim, quæ habent secum,eripiunt. Dictum vult Festus, bonus Nomenclator, quod à latere adoriatur: vel à latendo, quod latenter obseruet, ac inuolet, quò artificiosius decipiat.

MORS *Latronis* ritu inuadit. quisque sibi caueat. Etiamnum imprecatur,vel prædicit Regius Vates improbis: *Veniat* Mors *super illos*: quomodo? vt *Latro*: hanc enim imaginem exhibet originalis sententia, quam sic licet exponere. Ex improuiso illos *Mors* adoriatur,sicq; illos decipiat,latus illorum petens,ex insidijs,fraudulentè, vt non animaduertant. *Psal.LIV.16.* *Mors insidiatur.*

Franc. Labata Appa. V. Mors Trop. VIII. Diducit hoc Symbolum pluribus Franciscus Labata in suo pro Concionatoribus Apparatu. Et, decipere ait *Mortem* quotidiè plurimos: nam longè abesse se simulat, cùm sit præ foribus. Eo modo decipere solet *Mors* hominem sanum, quo *Latro* expilator in itinere Viatorem. Respicit Viator quaquâ versus, & vias omnes explorat: neminem cernit: tuta & secura omnia existimat, cantillat, progreditur; at cùm minimè de periculo cogitat, ex latebris irruit *Sicarius*, inuadit ambulantem, sistit, explorat, verberat, bona deripit, trucidat.

Inopinatò Mors opprimit. *Latro est MORS, quæ vitam, & bona temporalia cuncta satagit à nobis auferre: sanum se videns homo fortem, & agilem, abesse* Mortem *existimat: sed tamen à latebris vnius tegulæ desuper cadentis, vel febriculæ ex leuissimâ caussâ exorta, prodit: & simul vitâ, & bonis mundi hominem spoliat: imò sæpè subitò nulla* Mortis *vel infirmitatis umbrâ comparente: Vti videre licet in Parabolâ hominis illius, cui ager magnam frumenti copiam tulit, qui secum agens, dicebat:* Anima mea habes multa bona reposita in annos plurimos. *Nota.* In annos, *&* annos plurimos. *Et tamen ea in nocte* Mors *illum è medio sustulit. Hunc decepisse* Mortem *possumus affirmare: quod quotidie etiam alijs euenire videmus.*

Hinc sollicitudinem nostram requiro mortales; *Quis enim inimicum habens, quem scit occultò eum inuadere volentem non timet; non attendit semper?* inimica *Mors* occultè nos inuadit, quis non acutè incedet? Rectè Seneca. *Nescis quo te loco* Mors *expectat. Tu igitur eam in omni loco expecta. Imparatum enim mori hominem miserandum est.*

Luca 40. *Estote parati,* inquit CHRISTVS, *quia, quâ horâ non putatis Filius hominis veniet:* hoc est, *quâ horâ minimè de* Morte *cogitatis,* Mors *vos inuadet.*

# SYMBOLVM VI.

# MORS

## SICARIVS.

*Veniat Mors super illos.* Psal. LIV. 16.

Psal. LIV. 16. VENIAT MORS *super illos.* ἐλθέτω δὴ θάνατος ἐπ' αὐτούς, Irruat, constringat, opprimat, decipiat. Finge tibi *Sicarium* viatori se sociatum:

tem: gaudet itineris ignarus comitis consortio, illi iungitur perlibenter, confabulatur, arridet. At operitur prædo opportunitatem inuadendi, quam nactus, pugione confabulantem transuerberat, & spoliatum bonis omnibus relinquit in viâ, confectum vulneribus. An- non hunc iure crudelem d cas , & fraudulentum insidiatorem?

Apodcsim accipe ex Francisco Labata. *Sic Mors in epulis, & ludis, & delitijs mundi se interserit, macharam sub tegmine delitiarum abscondit, & sæpe ex illis quasi ex latebris prodiens, hominem necat, & cunctas ab eo diuitias surripit, & del.tias.* Labata Ap. par. Con. V. Mors. Trop. XX.I.

Avdi Sapientem: *Nescit homò finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & aues laqueo comprehenduntur sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplò superuenerit*: Hoc est, sicut inter delecias ciborum pisces, & aues, *Mortem* offendere solent: sic sæpe homines inter bona mundi in manus incidunt *Mortis*, & hoc extemplò, id est, subitò, & impræmeditatò. Itaque: *Non tard s conuerti ad Dominum: & ne differas de die in diem: sub.to enim veniet ira illius: & in tempore vindictæ disperdet te.* Ecclesiastici v.8. Ecc. IX.12

## SYMBOLVM VII.

# MORS

## BELLATRIX ASTVTA.

*Veniat Mors super illos* Psal. LIV.16.

Veniat Mors *super illos*. Verte si placet, nam originale permittit. *Decipiat eos Mors.* Solent periti Imperatores hoc vti in militiâ stratagemate, cum non vi, sed dolo, vel arte hostem delere cogitant, non illos palam, & aperto, quod aiunt, Marte adgrediuntur: sed in securos, ac proinde imparatos, ex improuiso irruunt. Haud secus *Mors* (Deo in peccatorum vindictam ita decernente) improbos decipit, dum subitò, & inopinatò in illos impetum facit, quando ipsi delitijs, ac vanitatibus vacant, nihil minus quam de *Morte* cogitantes. Psal. LIV.16

& inopinatâ *Morte* pereuntium, quibus pleni sunt Concionatorum Codices. Consule Theatrum vitæ humanæ.

## SYMBOLVM IX.

# MORS

## LAPIS CONTERENS STATVAM.

*Abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam, & comminuit.* Daniel. 11. 34.

NOTISSIMA est visio, quam habuit Nabuchodonosor, in quâ quot sunt verba, tot penè emicant rerum diuersarum *Symbola*, & pulcherrimæ imagines. Videbat Rex in strato suo quiescens *Statuam* ingentem, cuius caput aureum: pectus, & brachia argentea: venter æreus: crura ferrea: pedes partim fictiles, partim ferrei. Cùm autem hoc simulacrum contemplaretur attentius: ecce tibi *Lapillus* ab altissimo monte, absque manibus abscissus, & in pedes deuolutus, illos conterit, vnde totius statuæ ruina. Nam saxulum istud, vt bases Colossi comminuit, illo in terram deiecto, testa, ferrum, æs, argentum, aurum: caput, pectus, brachia, ventrem, crura, pedes, contriuit, & in minutissimum redegit puluerem, adeò, vt, nè vestigium quidem tantæ molis remaneret. *Lapillus* verò excreuit in eius altitudinis montem, vt terram impleuerit. Omitto sexcentas huius statuæ expositiones allegoricas, symbolicas, mysticas: Nam *Mortis* solummodò *Symbola* consector, inter quæ elegans est: *Statua Nabuchodonosor.*

*Lapillus statuam conterens.*

Quæ illa *Statua*? Sequar interpretationem sanè acutam & doctam, præclari Concionatoris Gabrielis Inchino in Concionibus Italicis, de quattuor Nouissimis: vbi Hominem in statu innocentiæ eâ repræsentari existimat. Erat enim ei in felici illo horto, caput ex auro gratiæ, ac iustitiæ originalis. Pectus & brachia, ex argēto potestatis, quâ creaturis reliquis dominabatur. Vēter ex ære sonoro: quo *Gab. Inch. de IV. Nou. Con. 1.*

designa-

nes interimeret; posteà habuit plurima. Adhæc, parua erat in mundi exordio, quia tardè necem adferebat: paulatim eo ventum, vt vix natos conficiat lethalibus sagittis. Quæ concionatoriè exornat Inchino.

Scio hæc minimè conuenire secundum sensum litteralem siue statuæ, cuius partes diuersa imperia denotab intr siue lapidi, sine manibus è monte abscisso, quò CHRISTVS, eiúsque deinde Ecclesia exprimebatur vt ostendunt egregij Commentatores Danielis Benedictus Pererius lib. II. Maldonatus, Cornelius de lapide, ac Ferdinandez in visione illâ: tamen vt monet Pererius, Statua illa per se considerata, remotáque reuelatione DEI, multa, & varia significare poterat: quod patet (inquit) argumento nostrorum Concionatorum, qui illam statuam, & imaginem variè vsurpant, & ad innumeras propemodum res significandas applicare, & accommodare solent. Quod illis vitio vertendum non est: cùm, vt alibi probamus, idem *Symbolum*, & id quod optimum, & quod pessimum, repræsentare possit.

Paullò autem aliter de *Lapide* hoc philosophatur Franciscus Labata, quamuis idem *Symbolum* retineat. Statuam illam ingentem Lapis euertit, & in cinerem redegit. *Lapis* ille *Mortis* effigiem habet. Hæc enim est, quæ hominem, quantumuis excelsum, & sublimem in cinerem conuertit: cui enim Alexandrorum magnorum huius mundi pepercit? At qualis fuerit *Lapis* ille, pondera. Abscissus, inquit, *Lapis* de monte sine manibus. Nota, *sine manibus*: & infelicis *Mortis* nostræ sortem inuenies. Lapis enim manibus euulsus, si cadat, præcitus cadit: Cùm enim artifex parietem, aut tectum diruit, & lapides, vel tegulas in viam proijcit, prius admonet transeuntes: Recedite, dicens, & cauete omnes: at quando lapis, aut tegula, sine manibus cadit; nemo transeuntes præmonet: vnde inopinatè sic percuti solent, & mori. *Mors* igitur *Lapis* est, sine manibus euulsus, cadítque inopinatè: nemo enim est, qui, dum benè valet, se statim moriturum, vel post breuissimum tempus credat, Si infirmus sit, horam saltem vnam, alterám-ve feralem illum hospitem expectaturum existimat. Rectissimè ergo Dominus: *Qua hora non putatis, Filius hominis veniet.* Itaque vigilate.

*Appar. Conc. V. Mors Prop. VIII.*

Eiusdem Auctoris est animaduersio, quæ sequitur. Lapis non tetigit aurum, nec argentum, nec aliud quicquam, nisi pedes: quo- *P. Labata Trop. XVIII.*

modo igitur reliqua dissipata sunt & contrita? Hoc *Mortis* est strata-gema. Cerne diuitem, auro, argento, omníque, ad voluptates opulentia instructissimum, aduenit *Mors*, vel allabitur, aut deuoluitur, vt *Lapis* è monte; cadit in statuam, perpetuitatem spondentem: at non percutit aurum, vel argentum, non opes, fortunas, thesauros: sed pedes solùm fictiles: quod fictile in nobis, mortale corpus, *Mors* concutit: sed per naturalem sequelam destruit reliqua. Siquidem, vt Philosophus, inquit, finitis nobis, finiuntur, quæ in nobis sunt omnia. Pes, in quo, tanquam in basi, consistunt reliqua, est vita: quâ per *Mortem* sublata, concidunt cetera.

*Lib. 1 de Fin. B. & M.* Habet idem *Symbolum* Philippus Bosquierus, & singula ita exponit. Statua procera, Magnates: Caput aureum, Nobilitas sanguinis: Pectus, & Brachia argentea, Pecunia, cui cumulandæ pectore toto, manibus, brachijsque adlaborant: & Brachium potens est Pecunia: Venter ex ære (è quo tubæ fiunt) Fama: Crura ferrea, Potentia: Pes ex luto, Mortalitas: LAPILLVS, MORS, à Monte Iustitiæ Dei omnia redigens in fauillam. Certò

*Ouid Lib. XV Metam.*

*——Nihil est toto quod perstet in orbe.*
*Tempus edax rerum, túque inuidiosa vetustas*
*Omnia destruitis, vitiatáque dentibus æui,*
*Paullatim* lentâ *consumitis omnia* MORTE.

# *SYMBOLVM X.*

# MORS

## *ARIES-BICORNIS.*

*Vidi Arietem cornibus ventilantem contra Occidentem, & contra Aquilonem, & contra Meridiem.* Daniel. VIII. 4.

NARRAT Daniel cap. VIII. suæ prophetiæ, vidisse se ARIETEM stantem ante paludem, habentem cornua excelsa, & vnum excelsius altero, atq; succrescens. Addit autem posteà, vidisse se hunc ipsum *Arietem* ventilantem contra Occidentem, & contra Aquilonem,

nem, & contra Meridiem, & nullas ei potuisse resistere bestias, nec liberari de manu illius.

En MORTEM, sed in *Symbolo*, feram, crudelem, implacabilem: cuius duo *Cornua* excelsa, quibus genus omne hominum interimit: nempe, modi duo, quibus ex hac vitâ quoslibet tollit, *Mors naturalis*: *Mors violenta*. Vel, duo Cornua, dextrum, & sinistrum. Nam à dextris, & sinistris homines impetit. Nimirum, tam illos qui sunt in dexterâ prosperitatis; quàm qui in sinistrâ aduersitatis. Horum autem vnum excelsius est altero: quoniam absque vllo discrimine, paruos & magnos, fortes & imbecilles: diuites & pauperes: dominos & seruos: Reges, & subditos perimit. Nec est, qui crudelem ipsius manum possit effugere *Cornua duo Mortis.*

*Mortem nullum assero euitasse virorum,*

canebat, sed aliâ linguâ Poëta magnus.

Pedibus est prædita pernicissimis, imò & alatis. Nam in ictu oculi ad Orientem, Occidentem, ad Austrum, ad Aquilonem ocyssimè transuolat. Certè in omnibus mundi habitati partibus, omni die, horâ, momento, plurimos interimit.

*Quaque ruit, furibunda ruit, totúmque per orbem*
*Fulminat, & cæcis, cæca triumphat equis.*

Idem *Aries-Bicornis* ventilat cornibus contra Orientem, dum in ætate puerili quosdam necat. Ventilat contra Meridiem, dum plurimos in iuuentute calidâ, & humida prosternit. Ventilat contra Septentrionem frigidum, & siccum, dum nonnullis in senectute vitam adimit. Ventilat contra Occidentem, dum quibusdam vsque ad decrepitam ætatem necem inferre tardat.

Hei, quàm nimis verum est, ac vero verius, quod in singulis ætatibus procax *Aries* mortiferis suis cornibus vitâ miseros mortales spoliet. cuius si nonnulli, quamuis pauci, crudelitatem, tribus illis primis ætatibus effugiant, eam tamen in ætate deuexâ nemo euadit. Vt enim rectè Seneca: Alia genera mortis spei mista sunt: incendiũ extinguitur: mare quod hauserat, eadem hora proijcit incolumes: gladium miles ab ipsa perituri ceruice reuocat: nihil autem habet quod speret, quem decrepita ætas ducit ad *Mortem*.

## SYMBOLVM XI.

# MORS

## MESSOR:

*Mitte falcem tuam acutam, & mete, quia venit hora, vt metatur, quoniam aruit messis terræ.*
Apocalyp. XIV. 15.

Con. de IV. Nou.

ITA Pictores MORTEM exhibent. Sed, vt nihil non sit *Symbolicum* in eius imagine, adiungunt alia, quæ graphicè eius proprietates exprimunt. Accipe totam picturam ex Gabriele Inchino. Cadauer est hominis, solis ossibus constans, neruis colligatum: carens auribus, oculis, naribus: nudum, & aspectu deforme: nullius sexus. falcem acutissimam, ac si segetem succideret, vtraque manu vibrans. Hæc *Mortis* est icon, in quâ, quot partes, tot sunt mysteria.

Mors cæca.

Pingitur absque oculis: nam cœca ruit; nullo nobilitatis, dignitatis, opulentiæ intuitu quoslibet inuadit; nullo personarum respectu omnibus insidiatur. O Pontifices, ô Imperatores, ô Reges, ô Duces, ô Principes, ô Prælati, ô Domini, ampla nomina, & metuenda, cœca, & immanis hæc bellua non respicit, nec reueretur; vti nec thronos, tribunalia, diademata, coronas, sceptra, mitras, infulas, purpuram, byssum, margaritas, paludamentum, annulos. Æquè infeliciter vos tractat & mactat qui preciosis ac splendidis hisce indumentis corpus vestrum amicitis, atque exornatis ad pompam, atque illos, qui depexâ lacernâ inter plebeios obambulant: Nec minus audacter ingentes arces, regias aulas, cœlo minantes ædes, quàm pauperum viles casas, & exilia agrestium tuguria ingreditur.

Horat.

*Pallida* Mors *æquo pulsat pede pauperum tabernas*
*Regúmque turres* ——

O sæua rerum domitrix!

Claud. de Rap. Proser.

*Sub tua purpurei veniunt vestigia Reges,*
*Deposito luxu, turba cum paupere mixti.*
*Omnia* Mors *æquat* —— ——

O oceam

O cœcam & superbam! quæ oculos sibi eximit, vt exoculata neminem reuereatur, & respiciat.

Eadem sese offert sine *Auribus*, quia ad furoris sui mitigationem nullas preces ac supplicationes admittit. O docti! ô sapientes! non valet apud hanc surdam sapientia, non scientia, non eloquentia vestra. Non enim auscultat Philosophorum rationes, & argumenta; non Iuris-consultorum persuasiones, non Oratorum facundiam, non disputantium subtilitates, non Dialecticorum fallacias, non Poëtarum lepores. Non flectitur lacrymis fœminarum, non suspirijs afflictorum, non denique humilium precibus, & vanis assentatorum blanditijs, atque adulationibus. *Mors sine auribus.*

*Heu, heu quam surda miseros auertitur aure:*
*Et flentes oculos claudere sæua negat.* *Boet. de Consol. Phil.*

O surdam, truculentam, implacabilem!

Prodit quoque sine *Naribus*, quoniam non capitur, ô vana muliercula, ô lasciue iuuenis, odoramentorum fragrantiâ. Non æstimat aquas suaue olentes: vestes gratissimo odore imbutas despicit. Inuadet te cum voluerit, & *Erit tibi pro suaui odore fœtor, & pro crispanti crine caluitium.* Ad quid igitur tot odoramentorum genera, tot aquæ distillatæ? ad quid zibetum, moscus, ambra? *Mors sine naribus.* *Isa. III. 24.*

Repræsentatur *Nuda*, vt demonstretur, illam non magni facere terrenam substantiam, non diuitias, non munera. O diuites! ô opulenti! qui spes vestras in amplissimis possessionibus, ac facultatibus collocatas habetis, nolite stultè existimare, quod auro, argento, & immensis opibus vestris *Mortem* euitare, aut illam, ne vos adoriatur, præpedire valeatis: non enim pecunias, non opes, non munera expetit, sed nuditate sua contenta est. *Non miseretur inopiæ, nec veretur diuitias*, inquit Bernardus. *Nuda.*

Effingitur sine pelle, sine carne, sine sanguine, quia nullam habet rationem venustatis, vanitatis, ostentationis. Non magni pendit teneritudinem carnis, viuacitatem sanguinis, genarum purpuram. Ridet fucum, cerussam, stibium: iuuentutem eiúsque decus haud æstimat

*Ipsa rapit iuuenes prima florente iuuentâ.*

Exhibetur sine sexu. Nam nullo discrimine, omnes aggreditur. Tam viros, quàm fœminas vita spoliat, prosternit, sub humo abdit.

Denique falcem acutissimam vibrat, vt declaretur, eam homi- *Mors Messor.*

nes, ceu segetem demetere. Quemadmodum *Messor* bonum frumētum cum zizanijs demetit, & vt in hortis magnas, paruas, pulchras, & deformes, teneras, & maturas herbas simul præcidit. Haud secus *Mors* sine differentiâ, bonos, ac malos, paruos, & magnos, pulchros, ac deformes succidit. *Mors* nemini parcit.

*Mors ruit, & veluti maturas* MESSOR *Aristas*
*Omnia vulnificâ falce cruenta secat.*

Cum tempus messis aduenit, quamuis spicæ omnes non maturuerint: tamen messis dominus singularum maturitatem non præstolatur. Sed nullo paucularum intuitu, immaturas vna cum maturis demetit: & bonum quidem frumentum in granaria sua infert: immaturum cum paleis, vel ignibus committit, vel bestijs mandenda, aut conculcanda proijcit. Simili modo *Mors*, quando præfinitum à DEO metendi tempus, id est, homines ex hoc mundo tollendi aduenit, non respicit, an maturi sint: id est, calore caritatis, & diuinæ gratiæ excocti; an adhuc peccati vanitate virides: clarius, an boni, vel mali, iusti, an peccatores. Si maturi non sint, sibi imputent. Maturi in cœleste granarium inferuntur: immaturi, tanquam paleæ in ignem æternum coniiciuntur, bestiis infernalibus mandendi, laniandi, conculcandi. Cernere hoc est in duobus, quos Lucas Euangelista, tanquam à *Morte* demessos proponit, Lazaro maturo, qui deportatus est ab Angelis in sinum Abrahæ, & Epulone viridi, qui sepultus est in inferno.

Lu. c. XVI.

Ad hæc, magnum est inter herbas, ac frumenta discrimen, quamdiu in agris & hortis terræ inhærent: flores alijs alij sunt pulchriores, gratiores, vernantiores: herbarum aliæ aliis maiores: spicarúmque aliæ aliis eminentiores, turgidiores, pleniores. Quod si eas, quādo à *Messore* demetuntur, consideres, animaduertes omnes æquales. Hæc sors est hominum, qui nunc, vt fœnum ad messem sunt albi: *Omnis caro fœnum.* Omnis gloria eius, quasi flos fœni. Dum viuunt, & animæ radici inhærent, vnus alio est maior, potentior, opulentior, speciosior, fortior, sapientior: si *Messor Mors* demetat, omnes illicò fiunt æquales, vnius conditionis, pauper, diues; magnus, paruus, fortis, imbecillis.

Cornel. Galus.

*Hac pueri atque senes pariter, iuuenésque feruntur:*
*Hac par diuitibus pauper egenus erit.*

Eleganter Fabius: *Cui nasci contigit, mori restat: interuallisque distinguimur,*

*exitu*

*exitu æquamur. Omnia* Mors *æquat. Respice sepulchra* (verba sunt Augustini) *& discerne, si potes, vinctum à Rege: fortem à debili, pulcrum à deformi: memorare vtique natura, ne extollaris.* Vniuersè Bernardus, & verissimè. *Dic mihi, vbi sunt amatores mundi, qui ante pauca tempora, nobiscum erant? Certè nihil ex eis remansit, nisi cineres & vermes.* Omnes æqualiter in cinerem redigimur, & vermibus, vt esca, proijcimur: & tamen dominatur in quibusdam arrogantia, & viuunt, ac si immortales essent. O insania! Aug. lib. de Natura & Grat. Ber. in Meditat.

Cur despicis fortuna tibi nunc inferiorem? expecta parumper: par erit à Messoris fatalis falce

*Hic seruus dum vixit, erat: nunc mortuus idem,*
*Non quam tu, Dari magne, minora potest.*

Elegans est dialogismus Poëtæ Itali inter florentissimum formâ, annis, opibus adolescentem, & *Messorem Mortem.*

Morte *che fai? No'l vedi? io mieto. E che?*
*L' humana vita. E non riguardi à chi?*
*Nò, che colui che m' ha mandato qui,*
*Non volse per donor la vita à se.*
*Dimmi, farai tu questo anco di me?*
*Stolto, dubiti tu? ben sai che si.*
*E non potrò saper l' ora ne' l dì?*
*Non, perche tal secreto in Dio sol' è.*
*Chi t' ha fatta si cruda? Il mio Signore.*
*Per qual cagion? Per castigar chi erra.*
*E dar la palma, à chi gli ha dato il cuore.*
*Volendo io la Vittoria à tanta guerra,*
*Che debbo far? Lasciar l' antico errore,*
*Per cui l' eterno ben si chiude & serra.*
*Hor che sei viuo in terra*
*Cogli le rose, e lascia star le spine*
*Che sauio è sol colui, che pensa il fine.*

Sensus est

*Mors quid agis? Non vides?* Meto. *Quid?*
*Vitam humanam. Nulliúsne personam accipis?*
*Nullius. Is enim qui me misit*
*Ne sibi quidem vitam condonari voluit.*
*Dic, obsecro, idémne mihi factura es?*

*Stulte,*

*Stulte, quid dubitas: probe scis, quod ita.*
*Non potero horam, & diem, quâ me aggressura es præscire?*
*Haud quaquam: hoc enim secretum soli Deo est cognitum*
*At quis te tam immanem, & crudelem fecit? Dominus meus.*
*Quam ob caussam? vt castiget errantem,*
*Et rectè Sapienti palmam tribuat.*
*Si in hoc certamine victoriam assequi velim,*
*Quid mihi faciundum? Vetus tibi error est euitandus.*
*Bonúmque æternum in pectoris penetrali recondendum.*
*Eia igitur, qui in terra vitam traducis:*
*Rosas collige, spinas relinque:*
*Reapse sapit ille solum, qui finem assidue præ oculis habet.*

Omnia *Mors* æquat, vt *Messor.*

*Victor ad Herculeas penetres licet vsque columnas,*
*Te terra cum aliis pars manet æqua tamen.*

*Cap. XII. Omnia falce sua Mors demetit.*

Nouis ingenij stilique coloribus hoc *Symbolum* illustrat Carolus Scribanius in *Philosopho Christiano*, quem ad *Mortis* contemptum ducit, ex assiduâ *Mortis* meditatione. Intuere MORTEM propius, & non vt culmos falce demetit rusticus, iuxtáque plenos radit ac inanes, ita falce MORS suâ fortunæ plenos bonis æquè ac inanes demetit, parcere nescia, ac hilariùs etiam, fœcundiúsque, certiúsque fertur in plenos tanquam messi maturiores, & qui affatim biberint, nec vacuitate suâ fallant falcem, sperare fugam, aut salutem potes.

Et virgulta quidem non rarò ventorum ludunt rabiem: dum flectuntur, non franguntur: rigidior tamen frutex, aut quæ iam excreuit in arborem, ignara flecti, frangitur. At vbi MORS pedem, aut ferrum admouit iugulo, virgulta iuxta arboréśque cadunt: nec vlla flexili superbóve vertice non latè patulâ, aut prole sua diues, non denso septa nemore, aut solitudine visenda, illius aut conatum ludit, aut fallit ictum. Dura MORS!

*Pet. Coton. Conc. XVI. de Mor.*

Simile *Falcis* à Morte prælatæ interpretamentum habet Cotonus: cui significat quod absque discrimine aut respectu, herbas tam magnas quàm paruas, densas æquè ac tenues demetere & resecare soleat.

*Mixta senum ac iuuenum densantur funera — —*
*Mors & fugacem persequitur virum:*
*Nec parcit imbellis iuuentæ,*

Poplitibus

*Poplitibus timidóque tergo.*
*Omnes eodem cogimur, omnium*
*Versatur vrna, serius, ocyus*
*Sors exitura, & in æternum*
*Exilium impositura cymbæ.*

Eodem tendunt illa Poëtæ recentioris, qui *Mortis* ait esse

*Non nisi casulas vasta palatia.*
*Inanes fistulas sceptra potentia.*
*Mundi delitias, cicuta pocula.*
*Eiúsque gaudia, captorum ergastula.*

Ferunt Augustum Cæsarem omnia Pollionis vitra, quæ in mensam inferri iusserat, confregisse, nullo elegantium, & minus venustorum discrimine. Id *Morti* solenne, dum *falce* metit: cœco ferit impetu: quicquid est obuium, aufert.

Apocalypsis XIV. duplicis *Falcis* fit mentio, quarum altera *Messoria*, altera erat *Vindemiatoria*: vtraque in manu Christi Iudicis, tanquam Domini *Vitæ* & *Mortis*. Sed potest quoque haud incommodè vtraque *Morti* adsignari. *Messoria* quidem, quoniam homines, tanquam segetes demetit. *Tempore messis dicam messoribus*, aiebat Christus: *colligite primum Zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburēdum: triticum autē congregate in horreū meū.* Vindemiatoria autē, quia genus humanū vineæ est perquam simile, in quâ vuarum, & labruscarū prouentus. Falx duplex. Messoria. Mat. XIII. 30. Vindemiatoria.

At, si lubet ad diuersos, duas falces referre, dic quod suggerit ingeniosè Blasius Viegas, *Falcem messoriam* ad senes; *vindemiatoriam* ad iuuenes spectare. Quia enim senes maturâ iam ætate decedunt, comparantur messi aridæ, quæ est idonea ad falcem. Quia vero adolescentes florenti æuo vineam pulcherrimis botris refertam repræsentant, ad vindemiatoriam falcem pertinent. Blas. Vieg. Apo XIV. Sect. VII.

*Messorem* esse *Mortem* cogita, & exclamabis:

*Quid vici prosunt, aut horrea, quid-ve calabris*
*Saltibus adiecti Lucani, si* METIT *Orcus* Horat. lib. 2. Epist. 2.
*Grandia cum paruis, non exorabilis auro.*

Felicitati Abrahami adscribitur, quod in senectute bonâ, prouectæque ætatis, & plenus dierū *Mortē* obierit & congregatus sit ad populum suum. Nimirum, *Quia sicut de agris congregatur matura* MESSIS *in horreum, sic de publico vitæ huius congregantur electi temporibus suis singuli in secreta quiescentium*; vt loquitur Eucherius Lugdunensis. Gen. XXV.

# SYMBOLVM XII.

# MORS

## VNCINVS.

*Ecce vncinus pomorum.* Amos VIII. 2.

AMOS VIII. *Hæc ostendit mihi Dominus* DEVS: *& ecce* VNCINVS pomorum: *Et dixit: Quid tu vides Amos? & dixi,* Vncinum pomorum. *Et dixit Dominus ad me: Venit finis super populum meum Israel.* Hoc est, visio hæc notat; instare tempus, quo Israelitæ auferantur è terrâ, propter præuaricationes suas; vt in sua paraphrasi exponit Christophorus Castrius.

*Vncinus quid.* Est VNCINVS, sensu Riberæ, secundum Interpretem vulgatum & Hieronymum, *Baculus* oblongus, in ferream cuspidem recuruam desinens, quo rami arborum attrahuntur ad poma carpenda. SYMBOLICE exprimitur VNCINO, MORS, quæ omnes ramos, quamuis virentes; & omnia poma, siue matura sint, siue immatura, quamuis valdè recondita, & latentia, attrahit, vt à DEO decerpantur.

*Vita humana, pomum.* Nec malè, *Vita* nostra *Pomis* significata est. Citò enim erumpunt & maturescunt, & decerpuntur, Alia rubent, & pulchra oculis videntur; quæ tamen, si serues, vermes intus inuenies. Ita quidam ineunte adolescentia rapiuntur: alij ad decrepitam veniunt senectutem. Quidam, longam sibi vitam pollicentur, qui citò, morbis latentibus, absumũtur. Sed omnium tamen breuis admodum finis est, qui Pomis similes sunt. Vnde Iob IX. *Dies mei velociores fuerunt Cursore: fugerunt, & non viderunt bonum: pertransierunt, quasi naues poma portantes.* Quæ videlicet celerrimæ sunt, ne mora gratiam suam amittant poma.

*Iob. IX. 25. 26*

*Dies nostri, Naues. Exodi X. 15.* Et dies ætatis nostræ verè NAVES sunt, fluctibus variis agitatæ, semper ad *Portum* festinantes vbi vita nostra finienda est. Vbi parata est LOCVSTA illa, de quâ Exodi X. Deuorata est herba terræ, & quicquid pomorum in arboribus fuit.

Quod igitur DEVS VNCINVM ostendit, MORTEM comminatur habitatoribus terræ, qui ita viuunt, ac si morituri non essent: quorum

quorum voluptates destruet DEVS: & ideò addit. *Non adijciam vltra, vt pertranseam eum: tunc stridebunt cardines templi.* Quia pulcherrima quæque eorum concident, & ab irrumpentibus hostibus, id est, morbis ac doloribus diripientur. Tunc etiam projicitur in omni loco silentium: quia periit memoria eorum cum sonitu. In hoc Emblemate, DEVM vides effingi, vt HORTVLANVM; at verò MORTEM, vt VNCINVM. *Franc. Ribera Amos VIII. Didacus Lopez in Mensa spi. ritualium liber.*

## SYMBOLVM XIII.

# MORS

## LOCVSTA.

*De fumo putei (Abyssi) exierunt Locustæ in terram, & data est illis potestas, sicut habent potestatem Scorpiones terræ.* Apocal. IX. 3.

IN proximè antecedenti *Symbolo* nominatur LOCVSTA; quæ ipsa est præclarum *Mortis Symbolum.* Cogita *Mortem*, vt Regem, aut Reginam diademate visendam, quâ illius significatur potentia: ex abyssi puteo in terram ascendentem: illius enim solum natale, est *Tartarus*: habentem potestatem, sicut Scorpiones, quia cauda nocet: blandam exordio, quod non aliud, quàm Peccatum, à quo *Mortis* initium: crudelem epilogo, qui non alius, quam exitium: audacem, velocem, improuisam: pestis, famis, belli equitatu; & dolorum peditatu circumdatam, in omnes, nullo sexus, conditionis, status discrimine sæuientem; nihil penè desiderabitur, ex ijs quæ *Morti* adscribuntur.

Sed hæc omnia ad viuum exhibet LOCVSTA, si pingitur penicillo, & coloribus apocalypticis Ioannis Prophetæ, à quo est isthæc narratio. *De fumo putei* (abyssi) *exierunt* Locustæ *in terram, & data est illis potestas, sicut habent potestatem Scorpiones terræ.* *Similitudines* Locustarum *similes equis paratis in prælium. Et super capita earum, tanquam coronæ similes auro: & facies earum, tanquam facies hominum. Et habebant capil-* *Apoc. IX. 13.*

 *los*

*los, ſicut capillos mulierum: & dentes earum, ſicut dentes leonum erant. Et habebant loricas, ſicut loricas ferreas. Et vox alarum earum, ſicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum. Et habebant caudas ſimiles ſcorpionum: & aculei erant in caudis earum: & poteſtas earum,* NOCERE HOMINIBVS.

Hoc *Mortis* proprium eſt: cui alia multa ſunt cum *Locuſta* communia. Paucula accipe. *Locuſta* vnum ſolum inteſtinum habet: & quia eſt quaſi tota in ventre, ſemper eſurit, nec ſatiatur vnquam: animal verè ventroſum, & inſaturabile. Si quod viride inuenerit, corrodit ſemper ac comedit. *Mortis* ingluuies nullo ſatiatur pabulo: nunquam dicit, *ſufficit*, ſemper vorat: Gula tantum, & venter: præterea nihil.

*Locuſta* integras regiones momentò penè peruadit, & exhaurit. Ex vna in aliam traijcit: non illam montes, non mare moratur. Plin. lib. XI. cap. 29. *Plinius. Tanto volant pennarum ſtridore, vt aliæ alites credantur: ſolémque obumbrant, ſolicitè ſuſpectantibus populis, ne ſuas operiant terras. Sufficiunt quippe vires. Et tanquam parum ſit, maria tranſiſſe, immenſos tractus permeant, diráque meſſes contegunt nube multa contactu adurentes: omnia verò morſu erodentes.* Lib. III. de Ciuit. cap. 31. Locuſtarum aduentu in ſolo Maſiniſſæ regno octingenta hominum millia periiſſe refert, cum Oroſio, Auguſtinus. Similem vaſtitatem paſſa eſt nonnunquam Italia, traiicientibus ex Africa iſtis Lib. XVII. beſtiolis, vt auctor eſt Strabo. Non minorem ſtragem ab iis accepit Thracia, & Conſtantinopolis, ſub Comneno Alexio: quod narrat Ionaras. Auorum memoriâ ingens *Locuſtarum* ingentiſſi turba Germaniam, Sileſiam, Miſniamq; memorabili clade affecit. Poſtea Poloniam, & finitima regno loca. Infeſtiſſima animalcula initio nullas habebant alas, ſed magnos dabant ſaltus: paulo poſt quattuor illis adnaſcebantur, tantáq; multitudine peruolabant, vt duo milliaria in longum & latum cubito tenus ita occuparent, vt ſolem quoque à toto illo tractu denſitate ſua excluderēt. Tranſuolabāt aquas, arbores, ædes, & obuia quæque: graſſabantur in fruges & omnia ad victum neceſſaria: nulla vi, neque arte illarum ſæuitia retardari potuit. Extiterunt primò in Valachia, cunctaque in circuitu milliari- An. M.DXLI bus circiter ſexaginta ad ſolum vſque deuorarunt. Ita Surius.

*Mortis* maior eſt pernicitas, pernities latior. In omnem orbis partem fertur citiſſimè, & depopulatur omnia: non illam immenſa locorum interualla, non poſtes ahenei, non muri ex ferro, vel ada-

manto

mante detinent. Vna est, & pro morborum, caussarúmque diuersitate, multiplex. Sola exercitum conflat, & nubem efficit, multò quàm sit locustarum, densiorem. Solis radios excludit penitissimè, dum noctem inducit nulli non dormiendam. Nulla arte superatur id malum.

Iracundiæ diuinæ signum est *Locusta* vastatrix. Experta id Ægyptus, Africa, Italia. *Plinius: Deorum iræ pestis ea intelligitur. Liuius*, Locustarum multitudinem in Africâ prodigij loco habitam scribit. Christianus orbis vindictam agnoscit, dum *Locusta* aduolat. DEVS *Mortem* non fecit. Peccatori illam est minatus. Cœlestis iræ ea pestis intelligitur. *Lib. XI. ca. 29. Dec. 3. lib. 9.*

A multis gentibus tentatum est, an *Locustarum* infestinatione liberari possent: sed irrito semper conatu: tanta mali est peruicacia. In Cyrenaicâ regione lex erat ter anno debellandi eas; primò, oua, obterendo: deinde, fœtum: postremò, adultas. Et, in Lemno insulâ, certa mensura præfinita, quam singuli enecatarum ad magistratus referrent. Graculos quoque ob id colunt, aduerso volatu occurrentes, earum exitio. Necare, & in Syriâ militari imperio coguntur. Quid non ad *Mortis* violentiam cohibēdam, aut infringendam vbique attentatur? frustra. *Plin. lib. XI. cap. 29.*

*Mors omnia vincit.*

## SYMBOLVM XIV.

# MORS

## DECIPVLA. RETE. CALAMVS.

*Ecce vncinus pomorum.* Amos VIII. 2.

SVNT hæc instrumenta *Venatoris*, vel *Aucupis*, qui aues his ipsis captat, vt *Hortulanus* arborum poma. Omnia, eâdem analogiâ sunt *Mortis Symbola*, *Auceps*, DEI. Sanè Amos VIII. vbi Latinus habet, *Vncinus*, Hebraicè est, כְּלוּב *Chelub*. Fertur autem *Chelub* fuisse genus vasis angustiori superius, latiori inferius spacio constans, quacumque ex materiâ, siue vimineâ, siue lignea, siue linea sit, id excipien-

cipiendas res aptum, & ad retinendum. Ieremiæ v. 27. *Sicut* (Chelub) Decipula *plena auibus, sic domus eorum plenæ dolo: ideo magnificati sunt & ditati*: præcesserat autem. *Inuenti sunt in populo meo impy insidiantes, quasi* Aucupes *laqueos ponentes, & pedicas ad capiendos viros.* Quod latinus vertit, *Decipula*, LXXta habent, ἄγγος, *Vas aucupis*, mulctra, fidelia, aut seria. Quod vas, Hieronymus, ac Theodoretus, visco illitum declarant. Kaldæus מנאר, vas plenum extremis æstatis fructibus. Dauid Kimhi, R. Abraham, & R Salomon, cum quibus recentiores, *Canistrum plenum fructibus* significare asserunt.

Itaque: quemadmodum aues, visco, aut retibus, tametsi per aëra volitent, facilè capiuntur: Ita à DEO, *Morte*, tanquam cassibus, facile irretiuntur homines. Vel, sicut fructus æstiui, ex arbore collecti, in *canistro* transferuntur aliò, ita hominum genus in *Decipulâ*, seu *canistro Mortis*, ad alterum sæculum transportatur.

## *SYMBOLVM XV.*

# MORS

## *SAGENA.*

***Capietur in sagena mea.*** Ezech. XII. 13.

EZECHIELIS XII. 13. *Extendam rete meum super eum, & capietur in sagenâ meâ.* Quod ita explicat *Symbolicè* Hugo Cardinalis, ac si DEVS *Piscatorem* agat, cuius SAGENA sit MORS. *Extendam* Rete (inquit, id est, multiplicitatem dolorum, ac infirmitatum. *Et capietur in Sagenâ meâ*: hoc est, in ægritudine extremâ, siue *Morte*. MORS enim est SAGENA Domini: quæ omnes pisces, bonos, & malos; paruos, & magnos capit, ac nulli parcit. Item: Extēdam *Rete*: id est, dœmonum exercitum, qui eum in *Morte* circumdabit ad capiendam animam exeuntem de corpore. Vnde Bernardus: *Ecce ostium nostrum maligni Spiritus obsident, & aduentum nostrum laruales illæ effigies præstolantur.* Et *capietur in Sagenâ meâ*, id est, in infernali foueâ.

SYMBO-

# SYMBOLVM XVI.

# MORS

## TVNICA-PELLICEA.

*Fecit Dominus Deus Adæ, & vxori eius, Tunicas-pelliceas, & induit eos.* Genes. III. 21.

FVLMINATA in protoplastos *Mortis* sententiâ, DEVS induit illos *Tunicis pelliceis*. Hoc totum *Symbolicum* esse, siue actionem DEI spectes, siue loquutionem historici, existimauit Origenes, vt referunt Methodius, & Epiphanius in Ancorato. Malè, si factum negauit: benè, si in facto agnouit *Symbolum*. Nam, vt verè dixit Augustinus, de hoc ipso disputans, lib. XII. de Gen. ad litt. cap. 39. *Et hoc significationis gratiâ factum est, sed tamen factum. Sicut illa, quæ significationis gratiâ dicta sunt: sed tamen dicta sunt.*

Octo eius rei caussas Pererius elegãter deducit. omittit vnam, quam solam hic pono: vt MORTEM in SYMBOLO circumferrent. Quod enim magis naturale MORTIS *hieroglyphicum*, quàm mortui animalis PELLICVLA? Glossator Biblicus: *In tunicis pelliceis,* MORS, *quæ post peccatum debebatur naturæ, significata est.*

Pierius Valerianus libr. XXXIV. Hieroglyphicorum. Sunt qui locum illum ex Genesi, eo interpretentur hieroglyphico, vt, mortalitate eos conuestitos esse velint. Nã cutis omninò eos indicat, qui solis exterioribus intenti, interius emarcescunt. Apud Plutarchum de Iside & Osiride, *Tympanum* humanam sapit naturam, atque ideò *Mortalitatis* hieroglyphicum est: conficitur autem *Tympanum* ex pelle, plano, latóque circulo circumductâ.

Hippolytus Martyr, *Mortuum quidem vestimentum fecit eis, quia peccato mortui fuerant, vt vestimentum illud corporis corruptionem significaret.*

Eucherius; *Ipsi sibi præcinctoria de folijs fici:* DEVS *autem tunicas pelliceas eis fecit:* id est, *appetiuerunt mentiendi libidinem, relicta facie veritatis, &* DEVS *mutauit corpora eorum in istâ mortalitate carnis: quia cùm homo per superbiam* DEVS *esse appetijt, vsque ad belluarum mortalitatem deiectus est.*

Strabus:

Strabus: *Ipsi fecerunt sibi periZomata, vt peccatum suum absconderent: DEVS verò* Tunicas pelliceas, *quibus totum eorum corpus induit, quia & in corpore, & in anima iustè damnauit.* Fuerunt ergo *Tunicæ pelliceæ*, Mortis Symbolum: Paludamentum mortalitatis.

In mentem hîc venit, quod scribit Isocrates, Epist. IX. ad Dionysium Tyrannum. *Non vnà cum fortunâ, mutasti etiam naturam. Adhuc* PELLICEO SACCO *amictus, & circumdatus es. Nam natiuitatis tuæ primordium* Mortale *fuit, & caducum. Cur igitur inanis ista gloriola testaceum, & fictilem vtrem ita inflauit, & tumefecit?*

*Surius in vita. Granat Con. III Dom. II. Quad.*

Nec omittendum, quod legitur in Vita S. Cæciliæ. Cùm Tiburtius & Valerianus fratres ad martyrium ducerentur, Maximus Præfecti cornicularius compassione motus flebat, videns eos ad *Mortem* lætos properare. Cui Tiburtius: Nisi nos, inquit, certissimè didicissemus alteram vitam esse perpetuam, nunquam istam amittere gauderemus. At Maximus: Contemnerem ait, & ego vitam hanc, si certum esset, quod loqueris. Tum Valerianus: si promittis te pœnitere, faciet te Dominus certum de his in horâ, quâ pro sui nominis confessione TVNICAS istas corporeas deponemus. Quod cum Maximus iureiurando promisisset, ac paullo post SSti martyrium susciperent, vidit Maximus Angelos Dei fulgentes sicut Sol; & animas eorum egredientes de corporibus, quasi virgines de thalamo ascendentes ad cœlos.

## *SYMBOLVM XVII.*

# MORS

## *FRAMEA. GLADIVS. ROMPHAEA.*

*Erue à Framea Deus animam meam.*

Psal. XXI. 21.

*Taci. de Ger. mor. Iuu. Satyr. XIII.*

FRAMEAM, Tacitus libello de Germanorum moribus, Germanicum dicit esse vocabulum, & significare hastam angusto & breui ferro, sed ita acri, atque ad vsum habili, vt eodem telo Germani, maximè equites, prout vsus poscit, vel cominus, vel eminus pugnarent. Iuuenalis Satyra XIII. vsurpat pro *Gladio*.

*Et Mar*

*Et Martis framea, & Cyrrhæi* (an Thyrthæi?) *spicula valis.* Gestamen enim Martis, & insigne fuit Gladius. Gellius lib. x. cap. 25. telorum inter, & iaculorum, gladiorúmque vocabula nominat *Frameam*, & à *Romphæâ* distinguit. Hæc autem telum est longius, & ad gladium, hastam, lanceam indifferens. Ennius libro XIV. Annal. & Valerius Flaccus *Rumpheam* habent, littera u, pro o, & penultimâ correptâ. Isidorus lib. XVIII. Orig. cap. 16. & lib. Differentiarum. Numer. 241. *Frameam* confundit cum *Romphaâ*, dicitque, esse gladium ex vtraque parte acutum, quam vulgo *Spatam* appellent: ita appellari quod ferrea sit. Idem etiam est *Romphaa*, & *Framea* apud Vlpianum ff *de vi, & vi armatâ*, lib. III. §. *Armis.* Vnde hauserit nescio, quod dicit Cassiodorus in Psalmum IX. *Frameam* esse vocem Hebræam. An fortasse allusit ad Hebraicum רֹמַח *romach*, quod significat hastam, lanceámve II. Paralipom. XXV. 5. *Pugionem* Numeror. XXV. 7. *Gladium* Nehemiæ IV. 13. Certè tum Psal. IX. 7. tum XVI. 13. vbi Latinus habet *Frameam*, Græcè est, ῥομφαία, Hebraicè ibi חרבות *Choraunoth*: hîc חרבו *Chereu*. Spata.

In Sacris *Symbolum* est *Mortis*, quod eâ *Mors* violentè inferatur, vt obseruat sanctus Hieronymus, ad illud Zachariæ XIII. 7. *Framea suscitare super pastorem meum, & super virum cohærentem mihi.* Et Amos IX. Nec *Mortis* tantùm, quæ gladio, frameâ, aut romphæâ infertur, sed cuiuslibet. Nam Amos X. 10. dicuntur in gladio morituri omnes peccatores terræ. cùm tamen plurimi intereant, fame, aut peste, alij incendio, nonnulli, naufragio, aliqui aliis extinguantur modis.

Ita *Symbolicè* sumitur *Framea*, Psalm. XXI. 21. *Erue à* Frameâ DEVS *animam* (vitam) *meam.* Quo loco, quamuis per *Frameam*, & quæ sequuntur ibidem, animalium nomina, Diabolum designari scribant Eusebius, Didymus, Theodorus, Nicephorus, Basilius. Euthymius verò *Frameâ* Romanos milites exprimi arbitretur, quod frameis essent armati. quod etiam insinuat Didymus. Est tamen communis illa expositio, vt *Mortem* denotet. Quod præter Psalmorum Interpretes, obseruat in suis Hieroglyphicis Pierius Valerianus lib. XLII.

Quamuis aliqui constringant *Symbolum* ad *Mortem* gladio procuratum, versúmque illum idcirco de Martyribus interpretantur,

quibus *Mors* ferè gladio illata. At id neque necessarium est, nec litteralis sensus requirit, vt Iansenius obseruat.

S Augustinus Enarratione in illum Psalm. *Erue à* Framea *animam meam*: id est, à *Morte. Framea* enim gladius est, & per *Gladium Mortem* intelligi voluit.

GLADIVS Scytharum. Idem *Symbolum* profanis fuit vsitatum. Apud Scythas Ægyptiorum *Symbolicâ* eruditos, GLADIVS erigebatur, vt *Mors* significaretur. Erátque maximum omnium illis iuramentum *Ventum* & *Acinacem* attestari: vt enim Medorum *Acinaces*, ita istorum erat *Gladius*. Per hunc autem interitum aut salutem: siquidem in eo salutis suæ præsidia statuebant: per *Ventum* autem *Animam*, id est vitam indicabant: quod nempe tam diu viuamus, quoad vitales auras carpere conceditur.

In ostentis quoque *Mortem* significabat, Homo gladio armatus, aut ensem stringens. In Heluidio Pertinaci id probatum, qui ante triduum, quàm occideretur, in piscinâ sibi visus est videre hominem, qui gladium in se vibraret.

Eodem significato formidabilis, minabundúsque Galba, cognitâ Neronis nece, susceptáque Cæsaris appellatione, iter ingressus est, paludatus, gladiolo ante pectus à ceruicibus dependente, vsu togæ non prius recuperato, quàm omnes qui res nouas moliebantur oppressit. Suetonius

Huc faciunt libelli duo, qui reperti sunt in secretis C. Caligulæ, post monstri illius necem, in quo notæ, nomináque continebantur *Morti* destinatorum: inscripti enim erant diuerso titulo, alteriq; GLADIVS, alteri PVGIO nomen. Per hunc eos, qui clam opprimendi essent, intelligebat: per *Gladium*, quos palam cadere destinasset. Moliebatur enim sanguinolentus tyrannus selectissimos ordinis vtriusq; è medio tollere, alioq; deinde Imperii sedem trásferre. Scriptor Suetonius.

In Sacris nostris, sicut GLADIO deuoratio tribuitur, Deuter. XXXII. 42. ita & MORTI Iob XVIII. 13. *Deuoret pulchritudinem cutis eius consumat brachia illius primogenita* Mors, id est, primaria, acerbissima, crudelissima.

SYM-

## SYMBOLVM XVIII.

# MORS

## COLVS, & PENSA.

NVLLI ex Eruditorum albo, non est nota, docta de *Parcis* fabula, quas tres finxerunt *Symbolices* periti, suis noscibiles nominibus, & officijs; quoniam tria sunt tempora, in quibus omnia voluuntur. Aristoteles *lib. de Mundo:* si tamen eius auctor, Philosophus. *Tres Parcæ iuxta tria tempora diuisæ: quarum alia res trāsactas, alia venturas, alia præsentes significat. Nam vna Parcarum* Atropos *nomine, præteritas spectat: quia quæ præterierunt nulla ratione possunt conuerti, aut reuocari. Alia, quæ futuri curam sortita est;* Lachesis *dicitur, quia rerum naturalium euentus stabilis est. At* Clotho *respicit præsentia; illáque absoluit, quæ sui sunt muneris.* *Parcæ tres.* *Atropos.* *Lachesis.* *Clotho.*

Dictas putant contrario sensu, quod nemini parcant. Hic MORTIS est genius. Erebi, & Noctis filias existimatas scribit Cicero. Pingebantur, tanquam Præstites vitæ humanæ, quam nendo ducere fingebantur. hinc *Lanificas Sorores* appellat Martialis: *Præstites vitæ.*

*Si mihi* Lanificæ *ducant non pulla* Sorores
*Stamine, nec surdos vox habet ista Deos.*

Alibi illas dicit esse inexorabiles.

*Lanificas nulli tres exorare puellas*
*Contigit, obseruant, quam statuere, diem.*

Nihil hic agitur aut prece, aut precio.

*Clotho colum retinet, Lachesis net, & Atropos occat.*
*Et semper de tribus vna necat,*
*Quæ festinatis incidit stamina pensis.*

Porrò, cùm quamdiu nent, vitam producere concipiantur: ita, vt, quod in fuso perfectum est, præteritorum dierum habeat speciem: quod torquetur in digitis, præsentem notet: quod nondum ex colo extractum est, subactúmque curæ digitorum, futuros indicet, nisi rumpatur stamen: hinc, COLVS, & PENSA tantum staminibus abruptis, MORTIS est hieroglyphicum. Lege Hesiodum Theog. Orpheum in Parcas: Natalem Comitem lib. III. cap. 6. Foquelinum in

Persium: Pierium Valerianum libr. XL. Hieroglyph. Gyraldum, & Poëtas passim, qui celebrant *Aurea pensa*, nempe, Parcarum felicia omina.

Martialis. *Ipsa tibi niueo trahet aurea pollice fila,*
*Et totam Phryxi Iulia nebit ouem.*

Seneca de Nerone.

*Aurea formoso descendunt pollice fila.*

Sidonius XV. — — *probat Atropos omen:*
*Fuluáque concordes iunxerunt fila Sorores.*

Petronius de Trimulcine beato: *Praesto erat Fortuna cornu abundanti copiosa, & tres Parcae aurea pensa torquentes.*

## SYMBOLVM XIX.

# MORS

## CVPRESSVS.

*Cupressus feralis.* CVPRESSVS, Graecis, Κυπάρισσος, feralis arbor, in ostentis *Mortis* fuit indicium, quòd tum aliis euentis, inquit Pierius, tum Imperatoris Seueri casu comprobatum est, cùm Æthiops quidam, clarae inter scurras famae cum corona è *Cupresso* facta illi obuiam processisset: quem cum ille iratus remoueri ab oculis praecepisset, coloris tactus omine, respondisse ille dicitur; *totum fuisti, totum vicisti, iam* DEVS ESTO VICTOR. Paucis verò post diebus Seuerus est vitâ functus.

*Pier. libr. LII.*

*Cupressus minimè recidiua.* Et, nescio, quid cum *Morte* adfinitatis habere *Cupressum* existimarint antiqui, quibus eadem arbor, pollutionis, aut incestati, alicuius *Morte*, loci, vel funeris, erat indicium. Ideò Diti, & tumulis eam dicabant. An cùm minimè recidiua sit, humanae conditionis sortem referre videbatur? Quamquam Herodotus vnam, solámque *Pinum* ex arboribus, recisam, minimè repullulare tradit, esséq; vt ipse scribit, πανώλεθρον. Fortasse, vt suspicatur Bolzanius, plurimae diligentiae vir, Herodotus intellexerat. recisam *Cupressum* in Cretâ, beatiore, insulâ repullulare, quod de *Pinu* nusquam obseruarat.

In Ve-

In Vespasiani etiam agro auito, *Cupressus* altitudine conspicua, sine vllâ vi tempestatis euulsa radicitus, repentè procidit, ac in sequenti die viridior, atque firmior, eodem vestigio resurrexit. Sueton. in Vespas. cap. v. Hinc CVPRESSVS VESPASIANI, Fortunæ in melius mutatæ *Symbolum*: vel, Hominis ciuiliter mortui dein resurgentis.

Ad sepulchra denique transferebatur *Cupressus*, & in arcana Scientiâ, *Sepulcri, ac funeris* significationem obtinet, sed Heroum plerumque: an etiam semper? Lucanus innuit:

*Et non plebeios luctus testata cupressus.*

Scribit Thucydides lib. II. historiarũ, arcas fuisse ex *Cupresso*, in quibus eorum efferrentur ossa, qui pro salute patriæ *Mortem* oppetere haud dubitassent. Huius autem instituti vt *Cupressus* defunctis accommodaretur, quidam ad historiam referunt. Aiunt enim Asclepiadis, auctoris grauissimi testimonio, Boream, Celtarum Regem, cùm filiam, *Cyparissam* nomine amisisset, arborem hanc in eius tumulo seuisse, à quâ inde nomen inditum *Cyparisso*: mox à fatu illo luctuosam, feralémque haberi cœptam. Hæc ita narrat Valerianus, ac si existimaret non esse fabulam. *Pier. Valer. Lib. L. II. Hieroglyph.*

AN; quia CVPRESSVS hieroglyphicum est MORTIS colligere licet ferreum esse, & duraturum vsque ad mund consummationem illius in omnes imperium? Nam & hanc significationem habet *Cupressus*, quam cariem, vetustatémque non sentire volunt, nec temerè rimam aperire, vllâve parte fatiscere. Atque idcirco celebratur, vt *Longæuitatis*, imò *Perpetuitatis*, *Symbolum*. An ideò Deorum simulacra olim ex *Cupresso* facta? Iouis quoddam in arce, ex *Cupresso* à condita vrbe, sexcentesimo sexagesimo primo anno dicatum, suo etiamnum tempore adhuc durasse Plinius refert: qui quidem anni essent, circiter CC. Quamobrem Plato leges publicas, acta decretáque cupressinis tabulis committenda monuit, quod illam materiem ære pereniorem arbitraretur. *Diuturnum Mortis imperium.*

## *SYMBOLVM XX.*

# MORS

## *PINVS.*

SIMILE est superiori; *Mortem* refert. An quia excisa semel minimè repullulascit? quod Mortis est opus. Hinc Staphylus Poëta, *πίτυκης τρόπους: In morem piceæ*, dixit: intelligens, interitum supremúmque excidium. Et apud Homerum, *βέλος ἐχεπευκές, letale telum*, exponunt antiqui Interpretes. An quia amaritudine, & acerbitate ea arbor singulari est prædita. Est autem amaritiei cum *Morte* arcta affinitas: adeò, vt *Amarities* insignis *Mortis* æquè sit, ac *Pinus* ipsa *Symbolū*. Nonne filij Prophetarum clamant; MORS *in ollâ vir DEI*: lib. IV. Reg. cap. IV. 40. quia tantus erat amaror ob agrestes colocynthidas, quãtum *Morti* inesse fingitur. Ob similem caussam, postquam Elias correxisset aquas pessimas in Iericho dixit Propheta, voce Domini; *Sanaui aquas has, & non erit vltra in eis* MORS, *neque sterilitas*. IV. Reg. II. 21. Vt vt sit, *Pinus Interitum* repræsentat. Quo *Symbolo* vsus esse narratur Cræsus, qui per Caduceatorem Lampsacenis interminatus est, se illos vt *Pinum* excisurum, nisi Meltiadem, quem per insidias interceperant, missum facerent. Cúmque Lampsaceni disquirerent, quid esset, quod Rex se vt *Pinum* diceret extriturum, à grandiore natu ciue edocti sunt, eam arborem semel excisam, nunquam amplius suppullulascere. Quod illi excidium veriti, Miltiadem confestim è vinculis exemptum liberum abire permiserunt.

*Pieri. lib. LII. Hierogl.yp.*

## *SYMBOLVM XXI.*

# MORS

## *NOCTVA.*

APVD Ægyptios NOCTVA MORTIS erat *Symbolum*: siue, quòd, cùm *Cornix* vitæ longioris imago sit, constet *Noctuam* abdità naturæ

turæ discordiâ eius nidis magis, quàm aliarum auium insidiari, reperere illam clanculum noctis tenebris tutam, &, vel pullos, vel oua *Cornicis* inuadere, ac deperdere: siue, quòd MORS furtim irrepat, & noctu: imò *Nox*, pro *Morte* poni soleat.

*In æternam clauduntur lumina* Noctem.

*Sed* Nox *atra caput tristi circumuolat vmbra.*

Eucherius sanè, cuius sunt in Sacram-scripturam Interpretationes *Symbolicæ* vtiles, ac præclaræ, obseruat, *Lucem* in diuinis Scripturis pro die, iustitia, fide, prosperitate, ac bonis omnibus sumi: contra verò *Noctem* pro iniquitate, ignorantia, cæcitate, prætereà, aduersis omnibus: denique, MORTE, vt malorum cumulo, vel compendio.

AT verò, NOCTVA, vt *Noctis* domina celebratur, & ab ea illi nomen. Noctu vigilat, & voce quasi quibusdam præstigijs, ac illecebris auiculas allicit. Interdiu auibus illudit: ridiculè nimirum in aliam atque aliam speciem vultum conuertens, quibus aues peradolescentes in admirationem raptæ aduolant, & capiuntur. Sic MORS varias facies induit, quibus inexpertos fascinat, & prædæ exponit. Cum *Morte* germanitas, *Noctuæ* est etiam in ostentis. De Pyrrho Epirotarum refertur, cùm Argos oppugnatum duceret, infelicissimæ, ac ignominiosissimæ *Mortis* signum accepisse à NOCTVA, quæ hastæ illius ex itinere insedit. Nam cùm is detracto insigni à galeâ, ne internosceretur, in Argiuos oppidanos grassaretur, aniculæ cuiusdam filius, eum hastâ leuiter vulnerauit. At cum Pyrrhus impetum in percussorem fecisset, Argiui mater, quæ supernè spectabat, periculum intuita, filióque metuens, tegulam ambabus manibus arreptam in Regis galeam collimauit: quo ictu, cùm exanimatus concidisset, Zopyrus, Rege agnito, accurrit, detractáque galeâ, ferrum gutturi admouit: sed toruis Pyrrhi oculis attonitus, os & mentum eius pro iugulo recidit.

Hoc illud *Mortis* signum credit esse Valerianus, quod ab lictore ferebatur ad damnatum publico iudicio, præsertim apud Æthiopas, à quibus Ægyptios multa id genus rituum mutuatos perhibent. Eo verò signo viso, reus sponte sibi *Mortem* consciscebat, magno & sibi & patriæ dedecori futurus, nisi fecisset. Imò ferunt, quendam per hæc *Morti* destinatum, cùm de fuga cœpisset agitare consilium, priusquam periculo se subtraheret, zonâ à matre strangulatum. Plin. lib. XX.

gulatum, ideò persuasum erat illi genti, non licere *Mortem*, iudicio magistratuum decretam, subterfugere.

## SYMBOLVM XXII.

# MORS

## IGNIS - EXTINCTVS.
## FAX - INVERSA.

*Fumus flatus est in naribus nostris: & sermo scintilla ad commouendum cor nostrum, qua extincta cinis erit corpus nostrum.* Sap. 11. 2.

BIFARIAM morimur; lentè, confestim: subitò, pedetentim: vi, naturâ. *Mortes* itaque duæ, vt ille loquitur, aut *Mors* duplex. Vtriusque *Symbolum* FAX & IGNIS, sed diuerso modo, EXTINCTVS. Si per vim desinat, violentam *Mortem* significare dicebant arcanæ Sapientiæ periti. Si sponte deficiat, *Symbolum* est *Mortis* placidæ, quâ deficiente calore, aut absumpto humido, concidit animans.

Pier. lib. XLVI.

Ignis, qui valentem materiam occupauit, aquâ, & interdum ruinâ extinguendus est: Ille, qui alimentis deficitur, suâ sponte subsidit. Sic facilis est Mors senum.

Seneca.

Hoc significasse visi apud Sapientem improbi, vbi sic *Vitam*, & *Mortem*, *Symbolicè* exprimunt: *Fumus flatus est in naribus nostris, & sermo scintilla ad commouendum cor nostrum: quâ extinctâ cinis erit corpus nostrum.* Et vulgo dici solet: Extinctus est instar candelæ: Fax eius extincta: lumen euanuit.

Sap. II. 2.

Noli differre vitæ emendationem donec Fax extinguatur. Ferunt Alexandrum, cùm vrbem, nescio quam, obsideret, præconis voce monuisse in arcto positos, vt dum Fax ardebat, quam præferebat manu miles, se vrbémque traderent: si expectarent donec illa extingueretur, fore vt omnes trucidarentur. DEVS dum Fax vitæ ardet, ad se peccatores conuerti, voce, signis, minis monet, & inuitat. Si consentiant, misericordiam certò certius consequentur: si expectent

expectent, donec Fax extinguatur, certissimum manet omnes exitium.

*Venit Nox*, id est, *Mors quando nemo poterit operari*. Quo spectabat illa Iobi deprecatio: *Memento, quia ventus est vita mea, & non reuertetur oculus meus, vt videat bona, nec aspiciat me visus hominis*. Gregorius. Memento, quia est ventus vita mea: *Ac si aperte diceret: Transeuntem velociter benignus respice quia tanto à Te videri misericorditer debeo, quanto ipse à consideratione breuitatis meæ oculos non auerto. Et quia dum tempus vitæ præsentis abscinditur, ad operationem promerendæ veniæ vlterius non reditur, rectè subiungitur:* Nec reuertetur oculus meus vt videat bona. *Ad videnda bona ex inde oculus non reuertitur, quia ad exhibenda recta opera exutâ carne anima non recurrit.* Ioan. IX. 4. Iob. VII. 7. Lib. VII. Mor. cap. 11.

*Sed quid sibi vult, quod subdit:* Nec aspiciet me visus hominis? *Visus hominis est misericordia Redemptoris, quæ insensibilitatis nostræ duritiem, cùm respicit, emollit. Vnde teste quoque Euangelio, dicitur:* Respexit Dominus Petrum, & recordatus est Petrus verbi, quod dixerat IESVS, & egressus foras, fleuit amarè: *Exutam verò iam carne animam, nequaquam iam visus hominis aspicit, quia post* Mortem *non liberat, quem ante* Mortem *gratia ad veniam non reformat. Hinc Paulus dicit:* Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis. *Hinc Psalmista:* Quoniam in sæculum misericordia eius: *quia quem modò misericordia non eripit, post præsens sæculum iustitiæ addicit.* Lucæ XXII 61. II. Cor VI. 2. Ps CXXXV. 1.

*Hinc & Salomon:* Lignum, in quocumque loco ceciderit, siue ad Austrum, siue ad Aquilonem, ibi erit: *quia cùm humani casus tempore, siue sanctus, siue malignus spiritus egredientem animam claustra carnis acceperit, in æternum secum sine vlla permutatione retinebit, vt nec exaltata ad iudicium proruat, nec mersa æternis supplicijs vltra ad remedium ereptionis ascendat. Dicat ergo vir sanctus:* Nec aspiciet me visus hominis *quia Redemptoris gratia, quem nunc intuetur, vt corrigat, tunc respicit, vt ab intuitu abscondat. In iudicium enim Dominus veniens peccatorem videt, vt feriat: sed non videt ad gratiam salutis largiendam, vt saluet.* Itaque, *Quodcumque potest manus tua facere, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Eccl. XI. 3. Eccl. IX. 10.

# SYMBOLVM XXIII.

# MORS

## CAPVT TESTVDINIS.

HOMINEM letalibus vulneribus, quantumuis altè acceptis difficillimè morientem, seu MORTEM lentam, ac difficilem, per *Testudinis abscissum caput* hieroglyphicè exprimebant Symbolisti. Quandoquidem tanta est in eius carne viuacitas, vt earum caput, præsertimq; marinarum, auulsum busto, conniuentes aliquamdiu oculos ostentet, connitentque ad admotam manum: quin etiam si ad os eam admoueas, admordere quoque adnitatur.

*Pierius lib. XXVIII. Hieroglyph.*

# SYMBOLVM XXIV.

# MORS

## PASTOR.

*Mors depascet eos.* Psal. XLVIII. 15.

MORS duplex est, *Prima*, & *Secunda*, seu, *Temporalis*, & *Æterna*. Illius officina est sepulchrum: istius, Infernus. Vtraque *Pastoris* imagine exprimitur, quod pascat, & depascatur. Clarissimus est locus Psalmo XLVIII. 15. *Sicut oues in inferno positi sunt*, Mors *depascet eos*. Augustinus legit: *Sicut oues in inferno positæ*, MORS PASTOR *est eius*. Ducit cateruatim ad sepulcrum, vt *Pastor*, oues ad caulas: expoliat omnes diuitiis, robore, sanitate, vt *Pastor* oues vellere, ac lanâ. Facit id etiam *Mors* in inferno: nam vt ouibus detrahitur lana absque detrimento substantiæ, sic in inferno perpetua damnatos cruciabit pœna, vt Cassiodorus, Haimo, Bruno Herbipolensis adnotât. D. Athanasius, qui Infernum *Mortis* nomine interpretatur, velut pascua diuersa numerat, Ignem æternum, fletum, stridorem dentium, tenebras exteriores *Mortis* temporalis pascua dici possunt, cruciatus, quibus

quibus moriens variè torquetur, vt Cyrillus insinuat. Sicut *Mortis* æternæ, diuersa supplicia, quæ tanquam pascua præbeat in ingressu, & egressu, vt *Mortem* habeant, & abundantius habeant. Illius vox esse potest: *Ecce ego cibabo eos absynthio, & potabo eos felle.* Ieremiæ XXIII 15.

Sed quod Psaltes dicit, *Mors depascet*; Latini Interpretes ita exponunt, vt significet, pascendo absumere, seu, depasci, terminatione passiuâ. Quod placet Hieronymo in Commentario, Ruffino, Brunoni Herbipolitano, Haimoni, & patitur verbum Hebraicum cum adfixo, ירעם *yirhhem*. Ita autem aptissimè MORS vtraque dicetur, non pascere, hoc est, pastum præbere, sed depascere, absumere, deglubere. Est enim ex iis *Pastoribus*, de quibus Ezechielis XXXIV. 2. qui pascunt semetipsos: qui lac comedunt, & lanis operiuntur, & & quod crassum est, occidunt.

Cum autem non possimus euitare, quin MORS prima ita nos depascatur, monet Augustinus, vt laboremus euadere Secundæ *Mortis* deuorationem. MORS *Pastor est eis* (inquit) Quibus? illis qui præsentia solùm attendunt, dum futura non cogitant: illis, qui vitam non putant, nisi istam, quæ *Mors* dicenda est. Non igitur immeritò, tanquam oues in inferno *Mortem* habent *Pastorem*. Aug. Enar. in Ps. XLVIII. Conc. 1.

Quid est *Mortem* habent *Pastorem*? Mors enim aliqua res est, aut aliqua potestas est? *Mors* nempe separatio animæ à corpore. *Mors* equidem quam timent homines separatio est animæ à corpore. *Mors* autem vera, quam non timent homines, separatio est animæ à DEO. Et plerumque cùm timent homines istam, quæ separat animam à corpore, incidunt in illam, vbi anima separatur à DEO.

HÆC est ergo *Mors*. Quomodo autem *Mors Pastor* est illis? Si vita CHRISTVS est, MORS DIABOLVS Habemus autem multis locis in Scripturâ, quia vita est CHRISTVS. *Mors* autem *Diabolus* est, non quia ipse *Mors* est, sed quia per illum *Mors*. Siue enim illa, in quam lapsus est Adam, ipsius persuasione homini propinata est, siue ista, in quâ separatur anima à corpore; ipsum habent auctorem, qui primo per superbiam cadens, inuidit stanti, & *Morte* inuisibili deiecit stantem, vt etiam *Morte* visibili perderet. Ad eum pertinentes *Pastorem Mortem* habent. Nos autem, qui de futura immortalitate cogitamus: & non sine caussa in fronte signum Crucis CHRISTI portamus, non habemus *Pastorem* nisi *Vitam*. Infidelium *Pastor, Mors*:

Fidelium *Pastor Vita*. Si ergo in inferno sunt oues, quibus *Pastor Mors* est: in cœlo sunt oues, quibus *Pastor Vita* est. Quid igitur? Iam in cœlo sumus? In cœlo secundum fidem.

## *SYMBOLVM XXV.*

# MORS

## *SOL-OCCIDENS.*

*Occidet Sol in meridie.* Amos VIII. 9.

QVOTIDIE dies moritur in noctem, & tenebris vsquequaque sepelitur. Funestatur mundi honor, omnis substantia denigratur. Sordent, silent, stupent cuncta. Vbique iustitium est, quies rerum. Breuius: SOL OCCIDIT, illustre *Symbolum Mortis*: cui adiungere licet nonnihil ex Propheta.

Amos VIII. 9. *Erit in die illâ, dicit Dominus DEVS: Occidet Sol in meridie.* Franciscus Ribera ad nostrum Symbolum congruenter: SOLIS OCCASVS rectè MORTEM significat, quæ peccatoribus sæpe inexpectata aduenit, sicut de die iudicij ait Dominus, Lucæ XXI. 34. *Tanquam laqueus superueniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ.* Et hoc est, *Solem occidere in meridie.* Hinc illud Psalm. LXVII. *Iter facite ei, qui ascendit super occasum*, ita exponit sanctus Gregorius libr. XIX. Moralium cap. 3. *Super occasum ascendere, fuit ipsam* Mortem, *quam pertulerat, resurgendo superasse. Et quoniam in* MORTE *etiam perfecti interdum terrentur timore districti iudicij* DEI, *scriptum est* Genes. XV. Cúmque Sol occumberet, sopor irruit super Abram & horror magnus & tenebrosus inuasit eum. *Peccatoribus igitur de terrenis cogitantibus* Sol *meridie occidit, quia cùm minimè putant, repentinus eis superuenit sæpè interitus: & subito ea amittunt, quibus se multos annos fruituros sperabant; vt in Euangelio legimus*, Lucæ XII. *Dicebat enim pauperrimus ille diues:* Anima mea habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. *Sed dixit illi* DEVS: Stulte hac nocte animam tuam repetent à te: quæ autem parasti cuius erunt?

SYM-

# SYMBOLVM XXVI.

# MORS

## SERPENS.

*Mandabo Serpenti, & mordebit eos.* Amos IX. 13.

QVEMADMODVM SERPENS æneus in deserto erectus, fuit, vt loquitur Sapiēs, Σύμβολον σωτηρίας: nempe, *salutis*, & *saluationis*, non solùm corporalis, sed etiam spiritualis, vt exponit salutis nostræ auctor Ioan. III. Atq; ex (a) Patribus Latinis, Tertul. Ambros. August. Prosper, Bernar: ex Græcis, Nazianze. Chrysost. Cyril. Alexandrin. Epiphan. Damasc. Iustinus, Syrus, Ephrem: Ita Serpens mordens in eadem solitudine, & qui Euam decepit, Symbolū fuit Mortis, quod obseruat Beda in cap. IV. Exodi. Animal astutum, sanguinis appetens, illiberale, perfidum, quæ sunt proprietatis MORTIS Amos IX. 3. *Mandabo Serpenti & mordebit eos.* Quod de Morte exponit ibi Ribera, scribens: Dum peccatores nimium diuinæ misericordiæ confidunt, & nihil prætereà faciunt, mandat DEVS MORTI & mordet eos, ac sine pœnitentia rapiuntur.

*Sap. XVI. 6. Ioa. III. 14. 15.*

(a) *Ter. contra Iuda. cap. X. & lib. III. contra Marcio. cap 18. Ambros. lib. de Sp. S. cap. IX. Et Apol. c. 3 S. Aug. de pec. Mer. c. 39 Ser. XIV. de verb. Apost. Tract. XII. in Ioan. Lib. XII. contra Faust. c. 20. Prosp. de Prædict. Par. 2. c. XI. Bern. de Passio. Nazia. Or. de Pasc. Chrys. orat. de Ador. Cru. Chrys. c. 14. de Incar. Epiph hær. ophit. Dam. lib. IV. de fide c. 12. Iustin. Dial. cum Tripb. Ephr. Ser. de Pœnit.*

# SYMBOLVM XXVII.

# MORS

## CETE.

***Sicut fuit Ionas in Ventre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terræ.***

Matth. XX. 40.

CETE, siue CETVS, piscis est magnitudinis ingētis. Albertus M. restringit vocabulū, vt certum piscem designare videatur. Lib. XXIV. de animal. c. 1. formam describens, quâ si quis *Mortē* exprimat,

*Cete piscis Alb. lib. XXIV. de animal c. 1. fol. 196. Col. 2.*

non omnino absurdam dabit imaginem. *Cetus*, inquit, *piscis est, maior, qui visus est: cuius fœmina Balæna est, & est multorum generis: alij hirsuti, & sunt maximi: alij planæ pellis, & sunt minores. Maiorum fouea oculi vnius, capit quindecim homines & aliquando viginti. Os habet magnum, per quod, cum spirat, emittit multam aquam, vt nauiculam impleat, & submergat. Spirat autem per fistulam. Caudam bifurcatam habet, cuius latitudo est plusquam viginti quattuor pedum. Hunc piscem diuisum, expertum est, fuisse onus trecentorum curruum in carne & ossibus: & qui frequenter capiuntur ducentorum, & ducentorum quinquaginta.*

*Genus.* Aliis genus est, quod *Cetaceum* dicunt: de quo variant veterum sententiæ. Aristoteles lib. I. de Histor. animal. cap. V. eos pisces nomine *Ceti* significari vult, qui pariunt, vt delphinum, vitulum marinum, balænam: & hi ipsi ob eam rem mammas habent, vt idem notat, lib. III. cap. 20. At Galenus lib. III. de facultate alimenti, & Sostratus apud Athenæum lib. VII. & Ælianus lib. IX. de animal. cap. 49. & lib. XVI. cap. 12. aliiq; non pauci, piscem prægrandem, siue ex ouo concipiat, siue non, *Cete* appellant.

*Magnitudo. Plin. lib. XXII. cap. 1. Str lib XV. pag. 489. Lib. XVI. pag. 717.* De magnitudine inter omnes conuenit. Plinius libr. XXII. cap. I. *Cetos*, ait, *sexcentûm pedum longitudinis, trecentorum sexaginta latitudinis in flumen Arabiæ intrasse.* Strabus lib. XV. passuum vigintitrium dicit esse longitudine: & libr. XVI. quinquaginta cubitorum. Balænam scribit Plin. lib. IX. c. 3. quaternû in iugerum: id est, ducentorum quadraginta pedû in longitudine, dimidiû in latitudine. Ælian. lib. XVI c. 12. In mari Indiæ *Cete* quadruplo maximis elephantis maiora nasci narrat, vt & cetacea lateris costa in vicena cubita longitudine procedat, & testudinis tegmentum quindecim cubita longum, & septem latum sit. S. Basilius Hom. VII. in Hexaem. asserit montibus æquari, & instar insularum apparere, quod etiam habet S. Ambrosius lib. V. in Hexaem. cap. X. An non talis bellua marina, quam visam refert Augustinus Epistola XLIX. Quæst. VI. in Africâ, cuius os erat instar speluncæ? Quod optimè *Morti* accommodatur, cuius os, sepulcrum, cui nulla par amplitudine, spelunca.

Quamuis & *Ventrem Ceti*, qui *Mortem* repræsentat, rectè *Sepulcrum* dixeris; recondit enim in illud, quicquid deuorat. Quod *Symbolum* desumitur ex Ionæ secūdo cap. *Præparauit* (id est, subitò adesse fecit, vt Hieronymus Augustinus, Sulpitius & Montanus exponūt vocem, וימן *Iaman*) *piscem grandem vt deglutiret Ionam: & erat Ionas in*

*Aug. Epist. 49. Sulpit lib. 1. Hist. Monta. Ion. 2.*

*ventre*

*ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus* Fuisse piscem illum ex cetaceo genere satis constat, cùm & LXXta legant: *Præcepit Dominus* Ceto *magno*: & Matthæi XII.40. dicatur: *Sicut fuit Ionas in ventre* Ceti *tribus diebus & tribus noctibus: sic erit Filius hominis in corde terræ.*

Si allogoriam spectes, *Piscis* Ionam deuorans, eiusq; *Venter* non est *sepulcrum*, sicut nec cor terræ, quamuis hoc posterius Beda & Euthymius adfirment: quæ hodie est Caluinistarum communis interpretatio: hoc discrimine, vt notat Maldonatus, quod illi bono, vt MORTEM significarent: hi malo intellexerint animo, vt errorem suum confirmarent: Christum ad inferos non descendisse. Itaque allegoricè per vtrumque *Limbus Patrum*, vel *Infernus* designatur, vt ex S. Hieronymo, & Thoma Aquinate, firmisq; rationibus probat Franciscus Ribera. S. Hier. Iona II. 7. Tho. 3. p. q. LII. Ar. 4.

Fas tamen etiam est, *Symbolicè* eadem icone MORTEM expressam fuisse existimare: cùm hominem, vt piscis ille Ionam, deglutiat, & in omnipatentem suum ventrem, ad resuscitationis diem recondat. Glossator ordinarius in Ionam, quem laudat Hieronymus Lauretus in Sylua Allegor. *Cetus in quo fuit Ionas, designat* MORTEM, *quæ Christum deuorauit, quem tamen retinere nequiuit.* Quod etiam placuit Didaco Lopez in Mensa spiritualium ciborum, verbo *Mors* num 50.

Vt *Cetus*, si irritetur, mare turbat, in omnémque partem se vertit: & quicquid nancisci potest, deuorat; ea etiam, quæ, quia non potest concoquere, exspuere deinde cogitur. Haud secus MORS, Christi irritata potentia, quæ Lazarum, aliosq; in prædam sibi iam datos eripuerat, furere cœpit, & deglutire quidlibet obuium. Et sanè ipsum etiam CHRISTVM deglutijt, ignara, quàm ferrea illius esset contra omnem corruptionem substantia: ideóque ne triduo quidem integro illum in ventre continere potuit: sed post acerrimos ventris gulosissimi cruciatus, euomuit MORS CHRISTVM, vt Ionam *Cete* in aridam.

Cete grandia plurimum terroris nauigantibus incutiunt, incautos opprimunt, sæpè demergunt nauigia, montes videntur ingentes. Nonne montis instar, *Mors* in conspectum sese dat, vt maiorem terrorem incutiat, nulli non terribilis? Quod de *Ceto* dixi confirmatur obscurissimo illo apud Iobum versiculo: *Maledicant ei, qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leuiathan.* Hunc enim ita aliqui Iob. III 8. expli-

explicant, acsi piscatores sint, qui maledicant luci, quando subito terrore penè exanimati à *Ceto*, maledicta iaciũt. Vel nauigantes maledicant diei, qua nauem conscenderunt: aut in quâ certissimum naufragium adibunt, cum excitarunt, aut tam prope accedunt, vt *Cetum* excitent, atque in sese conuertant, vt monet Pineda. Huius quoque metus, ac trepidationis repentinæ mentionem fieri opinatur in descriptione *Leuiathan*, qui *Cete* marinum putatur Iob. XLI. 16. *Cum sublatus fuerit, timebunt Angeli, & territi purgabuntur.*

De Ceto copiosius Vlysses Aldrouandus libr. III. de Piscibus apud quem est icon dentis Ceti, qui *Mors* dicitur.

## SYMBOLVM XXVIII.

# MORS

## LAMIA. LANIA. MANTICORA.

### *Lamiæ nudauerunt mammam, lactauerunt catulos suos.* Threnor. IV. 3.

LAMIA. GVIELMVS Rondeletius lib XIII. de Piscibus cap. XII piscem, qui Ionam deuorauit, existimat fuisse LAMIAM, non *Balænam*: quod *Balæna* gulam ac ventriculos angustiores habeat, quàm, vt hominem possit capere, vti ex dissectione constat: harum autem partium in *Lamiâ* ea est vastitas, vt hominis possit esse domicilium: nam & cadauera in illo inuenta fuisse à fide dignis narratoribus habetur. Massiliæ, & Niceæ captæ sunt aliquando *Lamiæ*, in quarum ventriculo homo loricatus est inuentus. Vulgus tamen prægrandes omnes pisces, *balænas* vocat, vt *physiteres, orcas*, ac similes, quorum figuras longè diuersissimas Aldrouandus exhibet.

Aquatica. Itaque MORTIS *Symbolum*, non minus est LAMIA, quàm *Cetus*. At aquaticá ne vel terrestris? Vtraque, ob ingluuiem, fraudes, dolos, & deuorandi, etiam homines promptitudinem. Aquatica, piscis est voracissimus, *Gula* à quibusdam dictus, quod gulæ sit ingentis, & quicquid nanciscitur, deglutiat.

Terrestris. Terrestris, dicitur vorare homines, potissimùm, infantulos: muliebri

muliebri esse specie, vmbilico tenus, deorsum ferinâ, mammis muliebribus, idoneum monstrum, vt *Mortem* exprimat.

Eius mentio est in Threnis Ieremiæ cap. IV. 3. *Lamiæ nudauerunt mammam, lactauerunt catulos suos.* Quo loco Hebraicè est תנין *Thanin*, quod dracones significat generatim, tam marinos, quam terrestres, vt obseruat ibi Christophorus à Castro. *Sirenes* vertit Symmachus in Ieremia, vt Isaiæ XIII. vlt. LXX. Interpretes. Mammata.

De *Lamiâ* eruditè multa congerit Delrius in Comm. Tragædiarum Senecæ in Medææ ver. 732. docétque Græcam esse vocem, quâ Diodorus Siculus, Duris, Euripides, Philostratus, Dion, Strabo aliique sint vsi. & primus fortasse è Latinis, Lucilius.

Si vera essent, quæ ex linguæ ignorãtiâ fingere videtur recens Ieremiæ Interpres, de Chaldæâ ferâ, cursu truncante arbores, quæque à laniando *Lamia* dicatur, noua efformari posset Mortis imago, quæ LANIA vocari deberet, nõ *Lamia*. Sed eam hactenus non agnouit aut Latium, aut Græcia. LANIA.

EST tamen *Lamiæ* persimilis bellua, MANTICORA, vel *Martichora*, cuius ex Ctesia meminit Aristoteles lib. II. de historia animal. cap. I. Plini. lib. VIII. cap. 21. Et Solinus cap. LV. Polyhist. quæ ad hũc Symbolorum Catalogum spectat. Sicut & illa, quam celebrat Albertus Magnus, & se vidisse scribit in Germania vultum habens virgineum. MANTICORA.

Sed multa sunt in *Manticora*, quæ *Mortis* propria exprimunt. Quædam habet Ælianus Lib. IV. cap. 20. Vbi formam illius tanquam penicillo depingit. Apud Indos nascitur immenso robore præditum animal, cui Indorum nomine, *Manticora*; magnitudinem habet maximi Leonis: colore rubrum, canis modo villosum: facie eadem propè, quæ hominis: dentium triplici vtrinque ordine, mucrone acutissimorum, caninis maiorum; auribus hominis similibus, nisi quod hæ & grandiores, & villosiores: oculis cæsiis, & his non dissimilibus hominis: pedibus & vnguibus eisdem, qui leonis: summa cauda illi Scorpionis modo tereti, aculeo plus, quam cubitali armata, reliquum caudæ vtrimque aculeis cuspidatum existit: quos tanquam tela si qui insequantur, eminus iaculatur: aculei si quem attigerint, lethales emissiones habent.

Cùm in anteriorem partẽ versus iaculatur, caudam intorquet: sin retrò versus, aculeos emittit: tum extentissimè caudam porrigit:

rigit: aculei quos iaculatur, pedali magnitudine, & funis craſſitudine ſunt. Cteſias Indos ſibi adfirmaſſe ait, locis emiſſorum aculeorum alios creſcere, vt ſit huius peſtis perpetua ſucceſſio.

Humanis, vt idem adfert, carnibus maximè delectatur. Quocirca complures homines interficit. Nec duntaxat ſingulos homines inuadit, ſed plures collectos ipſe ſolus interimit. Eadem eſt, qua perniciſſimi cerui, corporis velocitate. Addit Ariſtoteles: nulla omninò arte poſſe hoc animal miteſcere, quod *Morti* eſt peculiare.

Solinus & hoc adiungit: pedibus ſic vigere, ac ſaltu ſic poſſe, vt morari illud, nec extentiſſima ſpacia, nec obſtacula latiſſima valeāt. Plinius quoq; habet, imitari humanas voces, quò facilius decipiat. Inuitat multos *Mors*, & humanis penè blandimentis, quo incautos aſtutius opprimat.

Breuiter: MANTICORA caudâ cubitali denſiſſimis ſpinis rigente, tanquam arcu ſagittas, ſic aculeos ad iugeri plerumque ſpacium emittit, vngues quoque ipſos in aduerſarios magna vi eiaculatur. ipſa ad lædendum ſemper expedita, nec aliis, quam ſe ipſa vtens armis. An non talis MORS? quæ

*Se pharetrâ ſeſe iaculo, ſeſe vtitur arcu.*

*Lege Ariſtot. lib. II. cap. I. Solinum cap. LIII. Plin. lib. VIII. cap. 21. E quibus multa Symbolicè ad mores accommodat Petrus Berchorius Tom. I. Reductorii Moralis lib. X. cap. 64. verba auctorum dat Simon Maiolus Colloquio VII. Canicularium.*

## SYMBOLVM XXIX.

# MORS

## LIGNATOR ARBOREM INCIDENS.

***Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, ibi erit.*** Ecclæ IX. 3.

FINGE animo Syluicolam, qui in nemore, ſecuri in arborem impactâ, vnico ictu, ingentem quercum ſternat: MORTIS habebis imaginem, momento temporis altiſſimas in humani generis ſylua arbores excaudicātis. Fictioni emblematicæ colores addet diuinus

Pictor,

pictor, Ecclesiastes, c. xi. 3. *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, ubi erit.* Lignum, Arborem significat: hæc hominem, qui Philosophorum sensu est arbor inuersa. In *Symbolicâ* sacrâ est commune hominis *Symbolum* Matth. iii. 10. Matth. vii. 17. & 19. Matth. xii. 33. Lucæ xxiii. *31*. Psalm. i. *3*. Ierem. xvii. 8. Casus huius *Ligni* fit per *Mortem*, haud *dubiè, securi ad eius radicem positâ, & incidentem*.

## SYMBOLVM XXX.

# MORS

## SECVRIS.

*Securis ad radicem arboris posita est.*
Matth. iii. 10.

NISI MORTIS *Symbolum*, sit SECVRIS, Agricola exscindens, DEVS. Vtrumq; quadrat. DEI enim est illud enunciatum: *Ego Dominus humiliaui lignum sublime* (recidendo) *& exaltaui lignum humile* (irrigando ac fouendo) Ezech. xvii. 24. Quod commentatio illustrat Gregorius, scribens: *In die* Mortis *suæ Iustus ad Austrum cadit; peccator ad Aquilonem: quia & Iustus per feruorem spiritus, ad gaudia ducitur, & peccator cum Apostata Angelo, qui dixit:* Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis *in frigido corde suo reprobatur.* S. Greg. lib. xii. Moral. 13. Isa. xiv. 13.

Facit huc etiam Ioannis Baptistæ comminatio: *Iam securis ad radicem arboris posita est*: vbi quinque sunt vocabula symbolica, *Securis, Radix, Arbor, Exscindi, Mitti in ignem*. In *Arboris* significato omnes conueniũt, quod sit *Homo*. *Securim*, repræsentare *Mortem*, *Radicem* autem *Vitam*, opinatur Athanasius, & alij, quos nominat Euthymius. Vt enim *Securis* arborem à radice auellit, ac resecat: ita *Mors* hominem à vitâ. At, manet-ne vita, vt radix, arbore truncatâ? Non sunt in *Symbolis* omnia ad viuum resecanda. Verùm & hic est similitudo. Nam dum arbores radicitùs præscinduntur, ipsa quoque radix præscindi quodammodo dici solet. Homine mortuo, vita interit.

Ad mores accommodatè Bernardus: *Austri calor, & lenitas in* Scriptura Sacra *bonam habere solet significationem: Ab Aquilone verò panditur* Bernar. Serm. XLIX. in parua.

*ditur omne malum. Porro homines, sicut arbores ambulantes vidit aliquis. Exciditur ergo* Arbor *in* Morte, *& quacumque ceciderit, ibi erit. Quia vbi te* DEVS, *inuenerit, ibi te iudicabit. Videat quo casura sit antequam cadat: quia postquam ceciderit, iam non adÿciet, vt resurgat, sed nec vt se vertat.*

QVA *parte casura sit*, Arbor, *si scire volueris, ramos eius attende: vbi maior est eorum copia, & ponderosior, inde casuram ne dubites: si tamen fuerit tunc excisa. Rami nostri, desideria nostra sunt, quibus ad Austrum extendimur, si spiritualia fuerint: si carnalia, ad Aquilonem. Quæ verò præponderent, medium corpus indicat: nempe præponderant, quæ secum attraxerunt corpus. Sic enim corpus nostrum est inter spiritum, cui seruire debet: & carnalia desideria, quæ militant aduersus animam, vel potestates aëreas; ac si iumentum constituas inter raptorem & rusticum. Quicquid ille minetur: quicquid intentet, si iumentum non duxerit, vincit inermis agricola latronem. Sic quantumcumque sæuiat malignus; quantumcumque praua desideria crucient; si vas suum sibi vendicet anima, vicisse credenda est.*

## *SYMBOLVM* XXXI.

# MORS

## *VENTORVM-RABIES.*

***Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem ibi erit.*** **Eccl. XI. 3.**

HAc arbores sæpe euelluntur, aut concidunt. Quare hoc symbolum agnoscunt in Ecclesiastæ monito nonnulli. Certè S. Hieronymus ac cum eo plerique Interpretes Latini, sententiam illam exponunt, de statu, in quo quis moritur, vt vel censeatur inter beatos, vel damnatos: *Morsque* subita quadam, ceu ventorum, vi, *lignum*, tametsi longæuum subuertat: ibique iugiter permaneat, vbi ceciderit: siue rigidum illum, & trucem, siue clementem & misericordem, vltimum id tempus inuenerit. Ioannes quoque Lorinus sermonem esse censet de *ligni*, seu *Arboris*, ventorum vi, deiectione.

SYM-

## SYMBOLVM XXXII.

# MORS
## CORPORVM—SATOR.

***Seminatur in corruptione, surget in incorruptione.***
**1. Corinth. xv. 42.**

D. IOANNES CHRYSOSTOMVS, vt probis timorem *Mortis* diminuat, illam depingit tanquam SEMINATOREM, qui dum granum spargit, & illud animaduertit corrumpi, hoc est mori, nec ipse, nec qui fundi est dominus, tristatur: gaudet potius spe copiosæ messis. *S. Chrysost. Hom. XLI. in 1. ad Corin.*

*Mortuos ne lugeatis*, inquit, *sed gratulamini potius ex ista vita soluentibus. Imitemur* Agricolas, *qui cum dissolui granum vident, nihil turbantur: Si superstes, solidum, integrúmque in agro iaceat, metuunt: tum, si dissolutum conspicentur, gaudent. Futuri enim prouentus exordium est, solutum granum. Ita nos cùm corruptibilis illa nostra domus ruit, gaudeamus, nam* Homo seminatur. *Nec mirêre, quod corpus semen vocem:* sepulturam agrum, Mortem, Seminatorem. *Satio illa est longè optima. Vulgarem enim hanc nostram sationem,* Mors, *labores, pericula, curæ consequuntur: illam, si benè vixerimus, præmia, coronæ. Et hanc quidem corruptio, & mortalitas: illam immortalitas, incorruptibilitas, & mille prætereà bona comitantur. In hac complexus, voluptates, somnus: in illa vox viua, de cælo descendens, confertim omnia fæ undat. Hic qui surgit semel, in ærumnosam istam vitam non reducitur vnquam: dolor, tristitia, gemitus, mala omnia ponuntur.* *Mors seminat.*

Didicerat hoc *Symbolum* Chrysostomus à Magistro suo Paulo, cuius non sententias modò integras, sed apices etiam litterularum vt mysteriorũ fontes suspiciebat optimus discipulus. Paulus autem clarissimè proponit hoc *Symbolum* 1. ad Cor. xv. vbi sciscitanti: *Quomodo resurgent mortui? quali-ve corpore venient?* respondet: *Insipiens, tu, quod seminas, non viuificatur, nisi prius moriatur. Et quod seminas, non corpus quod futurum est, seminas: sed nudum granum, vtpote tritici, aut alicuius cæterorum.* DEVS *autem dat illi corpus, sicut vult: & vnicuique secundum proprium corpus.* *1. Corint. XV. 35. 36 37.*

Image Symbolica. Hæc est imago Emblematis, in quo pingitur, *Agricola* sementem facere: terram semina iniecta recondere: grana non viuiscere, nisi prius interierint, & quasi mortua fuerint: DEVM semini in terræ visceribus abdito, corpus, ac molem largiri, vt ipsi libuerit; vnicuique tamen sementis generi propriam ac suam.

1. Cor XV. 42. Applicationem adiungit mox Apostolus: *Sic & Resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione.* Hoc est: cùm moritur homo, eius mortale corpus, tot obnoxiũ morbis, ac corruptioni destinatum: ámque cadauer, tanquam semen in terram proiicitur: à quo? à *Morte* haud dubiè, cuius famuli sunt Vespillones.

Tertull. de Car. Christi cap 52. Quamuis enim dici possit, seminari in creatione, à Deo: & in productione à parente, ex cuius semine oritur; quem sensum Anselmus promouet: tamen, vt Chrysostomus docet, sensu Apostoli, seminatur corpus humanum dum sepelitur. *Seminare* enim *hic est sepelire*, inquit Ambrosius: tunc namque quasi semen in terram abiicitur: & quidem, *in corruptione*, Græcè, ἐν φθορᾷ, quod Theophylactus interpretatur, *vt corrumpatur.* Ita granũ, dum seminatur, in terram abiicitur, sepelitur, ac corrumpitur.

*Seminatur in ignobilitate:* est enim planè ignobile, quod terræ infoditur. *Quid visu turpius*, inquit Chrysost. *quàm corpus, quod defluxit?* Ambrosius legit; *Seminatur in ignominiâ:* Augustinus, *in contumeliâ.*

S. Aug. Epist. 140. Nam *nihil vilius, aut abiectius est corpore mortuo*, ait Theodoretus. *At surget in glorâ*, illustre, clarum, gloriosum.

*Seminatur in infirmitate.* Vt enim *Mors* corpus in terram abiecit, breuissimo temporis spacio dissoluitur: quanta hæc infirmitas, seu imbecillitas? *Quid sanie illâ, aut puluere imbecillius*, inquit Theodoret. Est & ipsum tardum, infirmum, imbecille, cum moritur, ac sepelitur. Et tu de viribus, robore, splendore natalium, pulchritudine te extollis, & prædicas? O miser! *Vnus interitus est hominum, & iumentorum: & æqua vtriusque conditio. Sicut moritur homo: sic & illa moriuntur: similiter spirant omnia, & nihil habet homo iumento amplius*, Eccl. III. 19. Quæ si ad corpora referantur de omnibus verissima sunt: nam tam bonorum, quàm malorum dissoluuntur ac pereunt, vt iumenta. Nullius siquidem prærogatiuæ intuitu *Seminatur* à *Morte* in ignominiâ & infirmitate. Sed surgent iterum ἐν δυνάμει, in virtute, potentiâ, agilitate, quam habebunt, *Seminatur corpus animale*: siue, quod nunc animæ imperio, ac administrationi subest, vt exponit Theodoretus, Theophy-

Theophylactus, Oecumenius: siue quod animalibus subseruit affectionibus, vt Photius declarat: siue, quod, more ceterorum animantium, cibis alitur, ac sustentatur, & tandem *Morte* perurgente, ab animâ diuellitur: siue quod vixit animâ sensitiuâ, ac vegetatiuâ: fuitque crassum, corpulentum, cedere nescium: vt Ambrosius, Anselmus, Iunioresque explicant. Sed *surget corpus spiritale*: quod Spiritus-sancti operatione locupletabitur, inquit Oecumenius: quod non subseruiet animalibus affectionibus, ait Photius: quod Spiritui erit subditum, & conformatum, vt cœlesti habitationi conueniat; omni fragilitate, ac labe terrenâ in cœlestem stabilitatem mutatâ, atque conuersâ, dicit Augustinus. quod subtile sit, ac instar spiritus omnia alia corpora penetret, scribit Damascenus & Epiphanius. *Aug. lib de fide ac Sym: cap. 6.*

Illustrat hoc *Symbolum* variè Tertullianus, docens, rectè *Mortem* tanquam *Satorem* concipi, cuius functio sit, semen iacere, exemplo seminatoris Agricolæ: A quo seritur solummodò granum sine folliculi veste, sine fundamento spicæ, sine munimento aristæ, sine superbia culmi. Exurgit autem copiâ fœneratum, compagine ædificatum, ordine structum, cultu munitum, & vsquequaque vestitum. Hæc sunt ei corpus à DEO aliud, in quod non abolitione, sed ampliatione mutatur. Et vnicuique seminum suum corpus deputauit, non suum: id est, non pristinum. vt tunc, & illud suum sit, quod extrinsecus à DEO acquirit. Serui igitur exemplo, & conserua speculum eius carni, eandem credens fructificaturam, quæ sit seminata, ipsam etsi pleniorem, non aliam, etsi aliter reuertentem. Accipiet enim & ipsa suggestum, & ornatum, qualem illi DEVS voluerit superducere secundum merita. *Dam lib IV. de fid cap 28. Epip. in Haeresi Orig. Vide Suarez P. III. Q. LIV A. 3. Tert de resur. car. cap LII.*

Seminatur corpus in corruptelâ, resurgit in incorruptelâ: seminatur in dedecoratione, resurgit in gloriâ: seminatur in infirmitate, resurgit in virtute. Seminatur corpus animale, resurgit spiritale. Certè, non aliud resurgit, quàm quod seminatur: nec aliud seminatur, quàm quod dissoluitur humi: nec dissoluitur humi, quàm caro: hanc enim sententia DEI elisit: *Terra es, & in terram ibis: quia & de terra es sumpta.* Hinc & Apostolus concepit, seminari eam dicere, cùm redhibetur in terram, quia & seminibus sequestratorium terra est, illic deponendis, & inde repetendis. Ideoq; & resignat imprimens, sic enim scriptum est: ne aliud existimes esse, *Seminari*, quàm, *In terram ibis ex quâ es sumptus*: sic, ne alterius, quàm carnis, sic enim scriptum est. *Gen III.*

Sed

Tertul. c. LIII. Anima non seminatur, quia non moritur.

Sed corpus animale, animam quidam argumentantur, vt illum à carne auocent re cidiuatum. Porro, cùm constet, fixumque sit, illud resurrecturum corpus, quod fuerit seminatum ad ipsius rei exhibitionem prouocabuntur. Aut ostendant animam seminatam post *Mortem*: id est, mortuam: id est, humi elisam, disiectam, dissolutam, quod in illam à Deo decretum non est: proponãt corruptelam eius, & dedecorationem, infirmitatem: vt ipsius sit etiam exurgere in incorruptelam, & in gloriam, & in virtutem.

Idem Lib. v. in Marcio. cap. 10. Sic & resurrectio. Quomodo? Sicut & granum, corpus seritur: corpus resurgit. Seminationem vocauit dissolutionem corporis in terram: quia seritur in corruptela: resurgit in honestatem, & virtutem.

## *SYMBOLVM XXXIII.*

# MORS

ΠΑ῀ΝΤΟΦΑΡΙΓΞ: *GLVTO.*

***Tria sunt insaturabilia, & quartum, quod nunquam dicit, sufficit.*** Prouerb. xxx. 16.

Manduco.

MVLTA de Manduconibus referuntur penè supra fidem: sed auctorum consensus facit, vt credantur, & experimentum in lupina fame vexatis. Albinus lurco etsi quingentas ficus passas, centum Persica campana, decem pepones, ostrea quadringenta, vnâ cœnâ degluberet, hiabat tamen etiamnum stomachi barathrum. Superauit huius edacitatem Gulielmus Aquitaniæ Dux, & Pictauorum comes, cui ad vnicam refectionem vix sufficiebat ea esculentorum quantitas, quæ octo fortissimis, voracissimisque iuuenibus pararetur. Quod scribit Theobaldus Episcopus in Gulielmi vitâ. In vitis Patrum narratur de energumeno, cui cadus vini, ac panis modii tres quotidiano alimento non erant satis. Mulier etiam Syra triginta gallinis cotidiè non saturabatur, vt commemorat Theodoretus in Philotheo.

Author. veter. Anton. Tit. VII. cap. VI § 17.

Sur Tom. 1. Feb cap. 1. Et cap 24. Vit. PP par. II. cap. 8.

Quatuor insaturabilia.

Magis insatiabilis *Mando*, MORS est, quæ nunquam dicit *sufficit*. *Tria sunt insaturabilia*, inquit Sapiens: *& quartum quod nunquam dicit suffi-*

*Suffi-*

*ſufficit*. Prouerbior. xxx. 16. Senſus eſt. Non tãtum duæ ſunt ſanguiſugæ filiæ, quæ nunquam ſaturantur, neque vnquam *ſat* eſſe dicunt, ſed aſſiduè, *Adfer, adfer: Da da*. vociferantur: ſed tres, imò quatuor: *Infernus, vulua*, aut matrix ſterilis, *Terra arenoſa*, ſeu ſicca, & *Ignis*. Quod primo loco nominatur, Hebraicè exprimitur, voce שְׁאוֹל, quod nunc *Infernus*, nunc *ſepulchrum* vertitur: vtrique conuenit inſaturabilitas. Eſt enim *ſepulchrum*, vt eo Prouerbiorũ loco notat Theodorus Peltanus, veluti os quoddam inexplebile: nam quicquid cadauerum, vel corporum recipit, id totum breui tempore abſumit, & in puluerem redigit. *Infernus* quoque nunquam tot animas recipit quin plures ſemper excipere, & deuorare ſit paratus. *Seol. Sepulchrum.* *Infernus.*

Porrò Caietanus, Ianſenius & nonnulli è recentioribus Interpretibus, per *Infernum*, *Mortem* accipiendam docent? *Inferni* autem nomine, non intelligunt damnatorum carcerem, ſed *Sepulchrum*: Vt ſignum accipiatur pro re ſignificata; *Sepulchrum* pro *Morte*, cuius eſt monumentum; ita vt *Mortis* inexplebilis auiditas notetur, eo ipſo, quod ſepulchris conficiendos tradat, quos ipſa magno numero interimit. *Mors per Infernum ſignificata.*

Addit nonnihil ad huius Symboli perfectionem Salazarius, qui ex Platone obſeruat *ſtomachum mortis*, videri *tellurẽ*: quia quos vna *Mors* deuorat, tellus ſtomachi in morem conceptos, tumulatóſque decoquit, & quodammodo digerit. Quanta igitur & quam inſatiabilis eſt *Manduconis* huius voracitas, qui tam latum edacémque à natura nactus eſt ſtomachum? *Sepulchrum Stomachus Mortis.*

Agnoſcit hoc *Symbolum* Auguſtinus in Ænigmate Samſonis allegoricè explicato: *De comedente exiuit cibus & de forti egreſſa eſt dulcedo.* *Mortem* enim *comedentem* vocari putat, κατ' ἐξοχήν, quod ſemper comedat, nunquam ſit ſatur ſermone CVII. de Temp. *Quæſtio, quæ continet:* De EDENTE exiuit cibus, & de forti eſt egreſſa dulcedo, *quid aliud ſignificat, quam* CHRISTVM *à mortuis reſurgentem? De* EDENTE *vtique, id eſt*, MORTE, *quæ cuncta deuorat, atque conſumit, exiuit cibus ille*, *qui dixit*: Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi: *quem humana exacerbauit iniquitas, eíque aceti & fellis amaritudinem propinauit: atque ab eo plebs gentium vitæ dulcedinem conuerſa ſuſcepit. Ac ſi de mortui Leonis ore, id eſt, de* CHRISTI MORTE, *qui accubans dormiuit vt Leo*, apum, id eſt, Chriſtianorum proceſſit examen. *Mors comedens.* *Iud. xiv.*

Gggg SYM-

# SYMBOLVM XXXIV.

# MORS

## MARE.

*Omnia flumina intrant in Mare: & Mare non redundat.* Eccl. 1. 7.

ἡ θάλασσα οὐκ ἔστιν ἐμπιπλαμένη *Symmachus.* οὐ πλημμυρεῖ.

VT *Terra,* & *Infernus* est inexplebilis, ita & MARE, ob quam causam, *Mortis* æquè, ac illa est *Symbolum* Ecclesiastæ 1. 7. *Omnia flumina intrant in* MARE *&* MARE *non redundat.* LXXta propriè ex orig. reddunt, *Mare non impletur,* quomodo etiam habet Hieronymus, & Chaldæus Paraphrastes. Quod quamuis significare possit, vt notat Lorinus: non impleri vltra cumulum. Neque enim aquis mare summo tenus inflatum super littora effunditur, terrámque totam superstagnat: tamen ex eodem bene infert Pineda: Si non impletur, inexplebilis erit *Maris* sitis, semper exsorbentis, nunquam verò dicentis, *sufficit.*

Porrò in eâ sententiâ, Melius Hebræi, inquit S. Hieronymus, sub torrentium, & MARIS nomine, per metaphoram de hominibus significari arbitrantur: quod in terram, de qua sumpti sunt, redeant. Et torrentes vocentur (iuxta originale, & LXXta,) non flumina: eò quod citò intereant: nec tamen impleatur, terra multitudine mortuorum.

*Seol Infernus.*

Hanc esse expositionem Hebræorum in Midras Kohéleth refert Galatinus hunc in modum: *Omnes mortui, intrant in Seol, id est in infernum: & infernus nunquã expletur: sicut dictum est Prouerbiorum* XXVII. *Seol & Abadon, id est, infernus, & perditio non satiantur.*

Expressit hoc *Symbolum* Poeta Hispanus cuius versiculos recitat Pineda.

D. I. M.

*Nuestras vidas son los rios.*
*Que van à dar à la mar,*
*Que es el morir.*

Cla-

Clarissimè etiam contemplator IDIOTA de contemplatione *Mortis*, cap. XII. *Vt omnia flumina intrant in* Mare: *sic quoque in hanc fluctuosam vitam qui veniunt*, Mare, *id est, amaritudinem* Mortis *necessario subintrant*. MORS *enim est omnium pœna; omnium Tributum, omnium Carcer, omnium Domina: omnium Receptaculum. Et sicut* MARE *est hospitium omnium fluuiorum: Sic* MORS *est finalis repositio omnium mortalium viuentium.*

Comparatur itaque *Vita* hominum ab Ecclesiaste cum *Aquâ* decurrente in *Mare*, quod non expletur: sed vt iterum tamen reuertatur ac fluat nouis effluxibus generationum sibi succedentium: nam sequitur: *Ad locum vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant.* Alibi comparatur eorundem *Vita* cum *Aquâ*, quæ exsorbetur è terra, neque iterum colligi potest. II Reg. XIV. 14. *Omnes morimur, & quasi Aqua dilabimur in terram, quæ non reuertuntur.* *Vita, Aqua decurrens in Mare.*

IDIOTA in contemplat. *Mortis* cap. X. *Sicut Aqua dilabens in terram à terrâ absorbetur: ita quod amplius non videtur: Sic homo in terram per* Mortem *cadens: ita consumitur, & destruitur, quod nunquam amplius in hac mortalis sortis conditione inuenitur.*

Aliâ de caussâ Ægyptiis erat *Mortis Hieroglyphicum Mare.* Illi enim cùm totius alimenti sui beneficia ex Nilo consequerentur, corrumpi eum simul ac mari commiscebatur, animaduertebant, atque ita *Mare* appellabant *Mortem*, ac *Perniciem*: quod in humano genere vitalia vitiaret. *Pierir. Lib. xxvi.*

## *SYMBOLVM XXXV.*

# MORS

## *CONIVNX--DIABOLI.*

VERERER hoc proferre, nisi auctorem haberem eius *Symboli* qui sapientum suffragiis titulum meruit Chrysologi, & fuit sermonis castigatissimi. Is accumulat istiusmodi hieroglyphica, vt doceat dulcorari acerbitatem *Mortis*, Resurrectionis memoriâ.

*S. Petr. Chrysol. serm. CXVIII. Resurrectionis memoria.*

Resonet in ore nostro Resurrectio semper: Semper Resurrectio ad nostræ mentis transmittatur auditum: vt MORS, quæ nostros semper obsidet sensus cum terrore suo, cum lamentis suis à nostris sensibus effugetur. Quia si *Agricola* fructus vberes, & exsatiatas epulas cantat, vt imminentem vomeris laborem non sentiat. Si *Nauta* portus modulatur & lucra; ne vndarum ruinas, ne *Mortis* discrimina pertimescat. Si *Miles*, ne vulnera metuat, vt gladios non pertimescat, prædas personat & triumphos.

*Mortis Hieroglyphica.*

Quare non Resurrectionem mente, ore, oculis aspectet, cantet, cogitet Christianus, vt totam *Mortis* possit calcare formidinem. MORS *est desperationis Domina: Incredulitatis Mater: Germana corruptionis: Inferni Parens*: DIABOLI CONIVNX*: omnium malorum Regina.* Quæ omne genus hominum tali ordine inexplebili impugnat, vt primam susurratricem suam desperationem præmittat talia suadentem: *Homo cur tua perdes tempora?*

His ad plaudunt Poetæ, quibus aliquid indulgendum furore suo corripi suetis. Audi quendam diras in Mortem euomentem.

## *SYMBOLVM* XXXVI.

# MORS.

## *HARPYA, HYÆNA.*

DETESTANDA *Orci soboles, sata Dite propago,*
*Implacabilium proles funesta sororum,*
*Tænarij fetura Erebi, trucis improba Sepis*
*Filia, quam Stygius nixu infelice Cerastes*
*Illice de pomo Tempe inter amœna profudit.*
*Quam Febrium violenta cohors, quam sæua nocentum*
*Turba Catarrhorum, quam Leti anteambulo Pestis*
*Quam Pallor, Maciésque, annisque effeta Senectus*
*Quam in llc anteeunt cruda inter funera Morbi*
*Humani sitiens truculenta cruoris* HYÆNA,

*San-*

*Vnde tibi grauis ira & inexsaturabile pectus*
*Sanguen in humanum? Monstrum illatabile, Laruα*
*Terrifica: Ira Dei, quæ te inclementia, quæ vis*
*Cogit inexpleta cumulare cadauera strage?*

*Quid tibi pro scelere infando, pro immanibus ausis,*
*Imprecor Eumenidûm teterrima? non tibi Diræ*
*Squamosos possunt impectere crinibus angues:*
*Non tibi Gorgoneis Alecto imbuta venenis*
*Indere in abstrusas virus furiale medullas,*
*Nec sonti fera Persephone insultare flagello:*
*Nec Stygio canis ore potest laniare trilingui.*
*Tu scelere es tetras immanior ante sorores.*
*Nil tibi caligans spissa formidine lucus,*
*Nil Erebi æterna damnata nocte lacuna*
*Nil Acheruns tibi furua nocet: quia lumine cassa es.*
*Nil mouet anguineis redimitus tergora botiis*
*Cerberus, exsangues dum hirritu territat vmbras,*
*Auribus orbatam. Tibi nil inamœna paludis*
*Officit Orcinæ graueolentia, fœda mephitis*
*Est tibi amaracinum, gemmis quia naribus orba es*
*Nil pice stagnantes, atraque voragine ripæ*
*Elinguem lædunt. Non te exundante vapore*
*Semper anhelantes coctóque bitumine campi,*
*Non quæ fumosas Phlegeton exhalat in auras*
*Corporis exsortem flammarum incendia torrent.*
*Hæc tamen opto tibi: & si quid truculentius istis*
*Tartara habent. Leuis est omnis pra crimine pœna*
*Improba MORS hominum ac superûm exsecrabilis Ate*
*Nunc primum in vita pœnas nascenda futuras*
*Damnatos inter moriêre ingloria manes:*

# SYMBOLVM XXXVII.

# MORS

# NOX.

## *Venit Nox, quando nemo potest operari.* Ioann. IX. 4.

MORTEM Noctis filiam, & sororem somni fecerunt quidam è veteribus vt ex Pausania Eliacorum 1. alibi diximus. Sed haud
Nox ferrea. malè alii NOCTIS imagine MORTEM ipsam exprimi putarunt, vti
Hom. Iliad. IV. & Tenebrarum Symbolo, Clarissimè Homerus Iliados IV. in fine, addens *Nocti* epithetum, quod proprium est *Mortis.*

—Nox *illum* FERREA *texit*
*Luminaque æternæ clauserunt fessa tenebræ.*

*Æternæ Tenebræ*; *Mortis* periphrasis, quid sit *Nox ferrea*, indicant. Est enim, quæ finem non est habitura, si naturæ vim spectes.

Nec profanorum tantum est hoc *Symbolum.* Vtitur eodem
Ioan. IX. 4. cœlestis doctrinæ Magister, Ioan. IX. 4. *Venit* Nox *quando nemo potest operari*: præcesserat autē: *Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est.* Vbi *Diem* opponit *Nocti*. Per *Diem* autem, *Symbolicè, vitam* significat, sine quæ omnium est hominum: cuiuslibet enim *vita*, eius est *dies*: & communis omnium *Dies*, *vita* mortalium vsque ad consum-
Orig. Hom. in in Ps 36. mationem seculi vt interpretantur Origenes, Chrysostomus, Leontius, Theophylactus, Euthymius, Rupertus: siue quæ CHRISTI fuit propria, vt contendit Maldonatus, sequutus Theo. Heracleensem, & Mopsuestenum, ac Cyrillum, nec non Augustinum, & Bedam.
Ioan. VIII. 56. Ioan. XII. 35. Quo sensu Christus dicebat: *Abraham exultauit, vt videret* Diem *meū*: hoc est vitam meam, me viuentem, tempus meæ vitæ. Et, *ambulate*
Ioan. XI. 9. *dum* lucem, id est, dum Diem, seu vitam *habetis.* Item: *Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulauerit in Die non offendit, quia lucem huius mundi videt*: hoc est, vita mea suis est circumscripta terminis; definita est: nec augebitur, nec minuetur: estote bono animo, Discipuli mei, & mecum venite.

Vti-

Vtile *Symbolum*, ad excutiendum negligentiæ, torporisque somnum. Nam in *Nocte* operari homines non solent: in *Mortis Nocte*, non possunt. Cum vitâ enim terminatur meritoriè operandi tempus. Itaque dum *Dies* nobis adfulget, operemur bonum: veniet *Nox quando nemo potest operari.*

# SYMBOLVM XXXVIII.

# MORS

## ABITIO.

ROMANIS ita dicebatur, auctore Festo. Quod obseruauit Lælius Bisciola & causam addit, quia *Morte* ad meliorem vitam iri censebant. Sic Græci, οἴχεσθαι, quod *Abire* significat, pro *Interire*, & *Mori* frequenter vsurpant. Latinè Lucretius, & huic *Symbolo* consentaneè. *Lal. Bisc. Tom. 1. Hora. Subcis. c. 18. Lib. IV. Lucr. Lib. III.*

*Denique sæpe hominem paulatim cernimus ire,*
*Et sic membratim vitalem perdere sensum.*

Et alibi: *Luc. Lib. III.*

*—Neque ab exitio possit reprehendere euntem.*

Gorgias rogatus, an libenter obiret? Minimè, inquit, sed ex hoc domicilio putrescente libenter ABEO. Eodem sensu dicere solebat Plato, & vsurpat M. Tullius: Vitam hanc nostram *Mortem* esse: *Mortem* vero *Abitum, Aditúmque* ad veram, & æternam vitam. Id Indorũ quoque sapientibus Brachmanibus, ac Gymnosophistis fuit persuasum, inter quos celebris Calanus siue id hominis, siue professionis nomen fuerit, de quo tricantur eruditi, ad quem cùm nuncii Alexandri venissent, referréntque accersiri eum ad Jouis filium, parenti quidem præmia pollicentem, repugnãti supplicia minantem: liberâ, & constanti oratione, tum vt fastum Alexandri contunderet, tum vt animositatem suam demonstraret, respondit. Neque illum Iouis filium esse, qui ne minimæ quidem terrarum parti imperet; neque se egere ipsius donis: cui nulla satietas: neque timere eius minas, cui viuo sufficiat nutrix terra Indica: morienti autem, nihil *Stoba. Ser. CXVII. Calanus Gymnosophista. Strabo Lib. XV Geog. Suidas voc. Cal. Cœli. Lib. XV.II cap. 31. Ioa Brod. Li. 1. Miscel. cap. 14.*

restet,

restet, nisi *Abire* ad meliorem, & mundiorem vitam. O animum, non Indo, & barbaro, sed Europæo, & Christiano dignum! quem Alexander miratus est, & commendauit.

## SYMBOLVM XXXIX.

# MORS

## ZONA.

### *Sicut Zona qua semper præcingitur*, Ps. CVIII 19.

MALVM est, cui *Zona* nomen: Græci ἕρπετα dicunt, & ζωςῆρα: Latini etiam *Ignem sacrum*, qui medium hominem quodammodò cingit, & complectitur. Quod si totum cinxerit, occidit. hoc proprium Mortis. Ingeniosè Haymo *Mortem* Christi *Zonam* vocat, quam Iudæi Domino intulerint, vt essent expediti, & impedimento liberi, quod sibi ab ipso habere videbantur: sed iis posteà fuerit *Zona*: quoniam propterea meruerunt, tanquam præcincti semper
Ps. CVIII. 19. ac parati, & prompti esse ad omne opus malum faciendum. An hoc præuidens, orabat, vel comminabatur Regius Vates? *Fiat ei* (Iudæo) *sicut vestimentum, quo operitur; & sicut* Zona, *quâ semper præcingitur.*

## SYMBOLVM XL.

# MORS

## MIGRATIO.

TAM non est metuenda MORS, quàm, vel ex conductâ, & malè materiata domo, in propriam: vel è solo sterili, ad benè cultum, ac fæcundum: vel è terrâ inhospitâ, & barbarâ, ad amicam, & hospitalem: vel ab exilio, in patriam TRANSMIGRATIO, quo nomine *Mortis* timorem minuere conatur Chrysostomus. Alteri, simpliciter MIGRATIO dicta est.
Chrysostom. Gen. XX.

Is est

Is est Socrates, qui carceris ministrum porrigentem in poculo cicutam, interrogabat, quomodo sumendum esset istud pharmacum, quod eius artis esset peritus; alludens ad ægrotos, qui à Medicis discunt, quando, & quomodo oporteat sumere, quod ab illis temperatum est: cúmque puer respondisset, semel totum hauriendum, si posset: deinde tantisper inambulandum, donec sentiret grauedinem in cruribus, pòst, in lecto decumbendum supino corpore: ibi pharmacum effecturum, quod solet; Socrates rogauit; liceret-ne inde aliquid libare? (quod in conuiuiis mos sit, effusa vini potiuncula, nominatim alicui DEO libare) minister respondit, se tantum miscuisse, quantum opus esset: hoc sermone innuens, nihil esse, quod effunderetur. Tum Socrates: sed & fas est, & oportet orare Deos, vt fælix, faustáque sit hæc mea MIGRATIO. Idem audiens se *Morte* mulctatum: Magna me spes, inquiebat, tenet, benè mihi euenire, quod mittar ad *Mortem*: sed tempus est iam hinc *Abire* me, vt moriar, vos vt vitam agatis. Ita Cicero narrat. At Plato dixisse refert: *Mortem* metuere, nihil aliud est, quam falsò putare se esse sapientem. Qui enim *Mortem* metuit, videtur ignorare, quid sit. Nimirum, Sapiens *Mortem*, vt *Migrationem* habet. Quo se consolantur melius Christiani, quàm fastuosus ille sophus: quibus frequenter in ore, dum de amici *Morte* est sermo: *Migrauit ad Dominum*.

*Socrates Apophth.*

*Cic. Lib. 1. Tusc. Plato in Apolog.*

Vtebatur hoc *Symbolo* Zaleucus Locrensium legislator, vt suaderet diuturnam vitam haud optandam, dicens: *E vitâ migrare esse optimum, velut è conuiuio non sitibundum, nec temulentum.*

*Stoba serm. XLII.*

## SYMBOLVM XLI.

# MORS

## PEREGRINATIO.

ANHELANT quam plurimi, adolescentes maximè, ad *Peregrinationem*, quam nullus non iucundã sibi ducit, nisi sit è cocleis quæ semper secum domum suam circumferre optant: sed & hos tamen iuuat aliquando mutare cœlum. Cur ergò tantoperè *Mortem* horrent,

*Peregrinationem multi inuant.*

rent; quæ vna est omnium amœnissima *Peregrinatio.* Quâ peregrinamur à sensu, ludibriis, vitæ huius molestiâ, & ærumnis propè innumeris. Ea visuntur, inuisa hactenus: lustrantur incognita; adeuntur eatenus inaccessa. Quanta inde prudentia, quam Peregrinationis fructum esse dicunt: quanta rerum ceteris ignorarum cognitio? quæ peregrinatione hauritur, quanta adfectuum moderatio? nam

πλάνη βίον τίθησι, σωφρονέστερον.

*Moderatiorem* Peregrinatio *docet.*

*Peregrinationem & absentiam.* *Mortem* autẽ esse ἀποδημίαν, & ἀφανισμὸν eleganter dixit Plutarchus ad Apollonium. Eandem vocat *Peregrinationem* Sextus Philosophus, respondens Adamo Imperatori apud Laertium; & qui his aliísque *S. Chrysostom. Gen. xx.* profanis maiorem habet auctoritatem D. Chrysostomus.

## SYMBOLVM XLII.

# MORS PARTVS.

*Scimus, quod omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc.* Rom. VIII. 22.

*Indorũ fictio. L. Bisciola Tom. I. Hor. subc. Lib. IV. cap. 18.* HOc Symbolom effingit Lælius Bisciola, ex illis Apostoli verbis scribentis ad Romanos cap. VIII. 22. *Scimus quod omnis creatura ingemiscit & parturit vsque adhuc.* Quibus insinuari existimat, vitam hanc esse veluti vteri gestationem, MORTEM tanquam PARTVM. Quopacto Indorum sapientes, apud quos frequentes erant de *Morte* commeatationes, vt ex Megasthene Strabo refert, aiebant præ- *Strabo Li. XV Geog.* sentem vitam, quasi vigorem esse conceptorum in vtero: MORTEM verò ORTVM in veram vitam, felicem eis, qui rectè fuerunt philosophati.

*Apostoli sensus.* E longinquo aduocata fictio. Nam si Apostoli excutiatur sententia, vereor equidem, vt istiusmodi simulacrum pariat. Pauli enim hæc est ratiocinatio. Quæcumque ex nihilo procreata sunt, corruptioni, ac mutationi subiecta sunt, vt interim homini in hac vita mortali seruire possint: non quidem sponte suâ, cum naturali in-

inclinatione ad sui conseruationem omnia fe antur, sed illius nutu, atque imperio, qui creaturam omnem conditioni istiusmodi subiecit, cum spe tamen liberationis. Siquidem ipsa etiam creatura, nunc tot vexata molestiis, tandem aliquando ab hac mutationis subiectione liberabitur, ad imitationem filiorum Dei. Quod antequam fiat, hæc rerum machina creaturarum vniuersitatem complexa, suspirat, ingemiscit, & parturientium in modum dolores extremos experitur, pondere pressa seruitutis, in qua hominis caussa seruire cogitur. Quam Apostoli doctrinam ita ferè exponunt Gabriel Vasquez in paraphrasi, nec multo aliter Iustinianus, Cornelius, & ante hos, Toletus, ac Pererius.

Et quidem Græca vocabula, *συστενάζει καὶ συνωδίνει congemiscit, & comparturit*, significant omnes res creatas communi quodam doloris sensu gemitum edere, vel cum hominis dolore, suum quoque sensum adiungere. Quod ad Angelos quoque extēdunt Origenes Ambrosius, Theodoretus, non eâ interpretatione, quæ fuit quorūdam hæreticorum, apud Augustinum; quasi omnes Angeli in dolore, & gemitibus sint, donec homines à miseria penitus liberentur: sed quod ingemiscere, ac parturire dicantur ea metaphora, quâ DEVS dolore tangi dicitur. Quo pacto etiam creatæ res sensu carentes parturientium more vociferari dicuntur.

*Omnes res gemunt.* *Ambros. Ep. XXII.* *Gen. VI. 6.*

Solet etiam in *Sacris* parturiendi vocabulo, maximus, ac penè extremus dolor *Symbolicè* significari. Ita Paulus ad Galatas IV. *Filioli quos iterum parturio*. Psalm. XLVI. *Ibi dolores, vt parturientis*. Isaiæ XIII. *Quasi parturiens, dolebunt*. Et cap. XXI. *Sicut angustiâ parturientis*. Oseæ XIII. *Dolores parturientis venient*.

*Parturiendi vocabulum Symbolicum.* *Ioann. XVI. 21. Gal. IV 27. Ps. XLVIII. 8 Isa. XIII. 8. XXI. 3. Osea XIII 13.*

Sed nomine *creaturæ* adiuncta etiam particula, *omnis*, D. Gregorius hominem denotari putat. Quem si fingere lubet, quamdiu in hac mortalitate agit, esse quodammodo grauatum miseriis, vel parturire calamitatib. pressum ac ærumnis continuis, in *Morte* verò fœtum hunc malè ominosum, velut pariendo, abijcere, non repugno. Sic enim quilibet conferri potest cum Muliere, quæ *cùm parit, tristitiam habet*, quod in *Morte* accidit: *cùm* autem *pepererit* ad meliorem translatus vitam, *non meminit pressuræ*.

*Omnis creatura. Homo. S. Gregorius, Hom XX X. in Euang.* *Ioan. XVI. 21.*

# SYMBOLVM XLIII.

# MORS

## PORTVS.

*Nunc mihi parta quies, omnisque in limine Portus.*

VT iucundam bonis optandámque MORTEM suadeant veteres Magistri, sæpius hoc utuntur, & quæ ei affinia sunt, *Symbolo*.

Greg. Naz.

Gregorius Nazianzenus oratione de *Morte Patris*. Minori afficiemur tristitia, si citius ex has vitâ emigremus: imò potius lætabimur, si nos sermo hinc abduxerit, & in supernis statuerit: ac præsentem suauitatem bono absconderit futuro, nobísque persuaserit, quod ad Dominum agamur bonum: & quod melior sit habitatio firma, quàm peregrinatio incerta: quódque nauigantibus PORTVS est tranquillus: id ijs, qui huius vitæ iactantur tempestate, *Transmigratio* hinc sit & *Translatio* (MORS.) Aut quemadmodum ij, qui iam longam præoccupauerunt viam, peregrinantibus, & adhuc laborantibus vegetiores sunt & minus defatigantur: ita qui HOSPITIVM adsequuntur, quod ibi est, illis, qui adhuc vitæ præsentis terunt inæqualia & præcipitia feliciores, & quietiores existunt.

Non minus eleganter eandem exornant imaginem S. Cyprianus, additis aliorum similium coloribus, sermone de *Mortalitate*. Si in habitaculo tuo parietes vetustate nutarent: tecta desuper tremerent, domus iam fatigata, iam lassa, ædificiis senectute labentibus, ruinam proximam minaretur, nonne omni celeritate migrares? Si te nauigante, turbida & procellosa tempestas, fluctibus vi venti excitatis prænunciaret futura naufragia, nonne PORTVM velociter peteres? Mundus ecce nutat & labitur, & ruinam sui non iam senectute rerum, sed fine testatur: & tu non Deo gratias agis, non tibi gratularis, quod exitu maturiore, subtractus ruinis, & naufragiis, plagis imminentibus exuaris?

Con-

Conſiderandum eſt, *Fratres dilectiſſimi*, & identidem cogitandum, renunciaſſe nos mundo, & tanquam hoſpites & peregrinos hic interim degere. Amplectamur diem, qui aſſignat ſingulos domicilio ſuo: qui nos hinc ereptos, & laqueis ſecularibus exutos, paradiſo reſtituit, & regno cœleſti. Quis peregrè conſtitutus non properet in patriam regredi? Quis non ad ſuos nauigare feſtinans, ventum proſperum cupidius optaret, vt velociter caros liceret amplecti? Patriam noſtram, paradiſum computamus, parentes noſtros Patriarchas habere iam cæpimus. Quid non properamus, & currimus, vt patriam noſtram videre, vt parentes ſalutare poſſimus? Magnus illic nos carorum numerus expectat: parentum, fratrum, filiorum frequens nos, & copioſa turba deſiderat, iam de ſua immortalitate ſecura, de noſtra ſolicita. Ad horum conſpectum, & complexum venire, quanta & illis, & nobis in commune lætitia?

Expreſſit hunc locum feliciter Ioannes Mariana, Lib. III. de *Morte & Immortalitate*, cap. XI. hac ad morientes oratione. In exilio agimus vitam, Hoſpites ſumus, & Aduenæ: amplectere diem, qui reſtituet te domicilio, in patriam poſtliminio, in cœleſte regnum. Vita vniuerſa, quid niſi via eſt ad ciuitatem? eo te peruenire gaude, quo à primo die feſtinas. Quis peregre conſtitutus, ad ſuos reuerti non cupiat? Quis non à puppi ventos ſecundos optaret, vt celerius in carorum complexum veniat? felicius haberi debet, menſe potiùs, quàm anno in PORTVM intuliſſe nauim: *Mortis* celeritatem accuſare ſtultum, & vanum eſt. Patria noſtra cœlum eſt. Beatæ mentes, propinqui & neceſſarij: quid hic detinet, quaſi ad miſeriarum ſcopulos? Lib. III de Mor. cap. XI.

Magna nos in patria amicorum turba moratur, parentum, fratrum, propinquorum magna frequentia, de ſuâ felicitate ſecuri, de ſorte noſtra ſoliciti. Ad horum complexum venire incredibilis illis, & nobis lætitia. Illic Apoſtoli de victo mundo gloriosè triumphantes. Illic Prophetæ, eorum, quæ ſunt vaticinati veritate lætantes. Illic Martyres, proprio delibuti ſanguine: in candida veſte virgines, calcatis voluptatibus pæana canentes. Illic denique, qui aurum & argentum, bono cœlo data, in alimenta pauperum contulerunt, bonáque ſua in cœleſte regnum per fideles menſarios, & trapezitas præmi ferunt.

Conſolationem hinc petit pro Polybio ſuo Seneca in fraternâ

te mæsto ac deiecto. *Si velis*, inquit, *credere altius veritatem intuentibus, omnis vita supplicium est. In hoc profundum, inquietumque proiecti mare alternis æstibus reciprocum, & modò alleuans nos subitis incrementis, modò maioribus damnis deferens, assiduéque iactans, nunquam stabili consistimus loco: pendemus, & fluctuamur, & alter in alterum illidimur, & aliquando naufragium facimus, semper timemus. In hoc tam procelloso, & in omnes tempestates exposito mari nauigantibus, nullus* PORTVS, *nisi* MORTIS *est. Ne itaque inuideris fratri tuo: quiescit. tandem liber, tandem tutus, tandem æternus est.*

Homines Naues.

Idem spectarunt, qui vitam humanam instar *Nauis* finxerunt, *Mundum* verò instar *Maris*: vel potius, Homines nauium similes, qui in hoc vitæ mortalis pelago, variis sortis nunc prosperæ, nunc aduersæ casibus, quasi tempestatibus conflictati, in *sepulchrum*, MORTIS regiam, tanquam in PORTVM, post vitæ naufragium enatent. De quo *Symbolo* in *Artifice symbolico*, Tit. NAVTA. PLVRA his cognata symbola continet Chrysostomi suauissima monitio, quâ vt lætentur, qui benè vixerunt, incitat. *Omnibus laborantibus dulcis est* Finis. *Viator libenter interrogat vbi sit* Mansio. *Mercenarius frequenter computat, quando annus completur. Agricola semper* Tempus messis *expectat. Negociator die ac nocte theca sua discutit rationē. Mulier prægnans semper de decimo mense cogitat. Sic serui* DEI *libenter de* Morte *suâ cogitant*: Vbi enim thesaurus eorum, ibi & cor est. *Si haberes solidorum quantitatem in arca tua, oculos illic semper haberes: sic sancti illum locum aspiciunt, vbi repositam habent coronam.*

Vide Pined. Iob. III. 13. 14.

Chry Hom. XLVI. in Matth. Finis. Meta. Mansio. Tempus messis

Ia. Marian. Lib. 1. de Morte cap. 1.

Verè itaque ille: Quid vita, quid MORS est? Vita calamitatum cumulus, procellis iactatum mare: per quod vix quisquam sine offensione nauigat. Hic ad scopulos alliditur: ille in breuia incidit, aut tempestate iactatur: cuncti laborant tædio, & nausea. Inde angustiæ, & querelæ rebus etiam tranquillis. Quid MORS? *Finis miseriarum laborum* Meta, *tranquillus* PORTVS, *ab omni ventorum flatu secura nauium* STATIO.

Bre-

Breuius Cicero: *Paratum nobis* Portum, & Refugium, Mortem *putemus: quò vtinam! velis passis prouehi liceat; sin reflantibus ventis reiiciemur, tamen eodem paulò tardiùs referamur necesse est.* Suauissimè Seneca in Agamem. Lib. 1. Tusc.

Act. III.

*Heu quàm dulce malum mortalibus additum*
*Vitæ durus amor, cùm pateat malis*
*Effugium: & miseros libera* Mors *vocet.*
Portus *æterna placidus quiete.*

Hoc sibi persuadet, *qui*, vt Plutarchus quendam inducit, *loquitur more eius, qui se rudente à tempestate tuetur*: O Mors Pæan, Medicus *accedas*. Portus *enim procul dubio vnicus es, per terrarum orbem.* Consol. ad Apol.

Petrus Coton. Concione XVI.

Sed antequam inueharis sæpe fit ad fauces naufragium. Audi præmonentem maturè bonum *Mortis* contemplatorem: Illud est punctum, vnde dependet æternitas: transitus est, per quem ad vitam vel *Mortem* sempiternam iter patet; momentum est, quod omnia retro secula trahit: scopulus latitans, ad quem collidi nauis queat: PORTVS denique, in quo naufragium potissimum metuendum. Pro vno Dæmone procellosum mortalis huius vitę pelagus cōcitante, centum, & mille PORTVM hunc occupant, & huic freto insident. Quæ vnquam Scylla nauibus magis metuenda? quæ charybdis adeo periculosa? quæ caphareia saxa nauigantibus adeo noxia credita sunt?

Ita-

Itaque tunc celeusma cantandum, cùm præteruectum Syrtes, & in *Portum* illatum aliquē intellexerimus, nec lugendum amplius. Chrysostomus: *Illum abijsse in prata florentia cùm putes, ingentes cur aduersum te suscitas fluctus tempestatis? Hic autem fluctus præsentis vitæ pranauigauit. Nihil mirabile, aut nouum factum est; nam eadem ipsa quotidie resolui videmus: diem nox. noctem dies: hiemem æstas: æstatem hiems modo præcedit, modò sequitur. Nec plus quicquam est: & hæc eadem semper. Ita homines moriuntur: vnus post alium.*

Chrysostom. Hom XXXII. in Matth.

Inter Iaponicos triumphatores, *Petrus Cabáxima*, cùm de capite illius ageretur, & à vitæ mortalis amatoribus audiret, vt si vitam cōseruare vellet, eiuratâ religione Christianâ, patriis se Diis restitueret, respondit animosè, non sine *Symbolo*, quod Iaponicum est: Nangasaquio veni quæsiturus quod teneo, qui patiar è manibus elabi? Facerem profectò, quod ineptè faceret, qui longâ nauigatione perfunctus, ab ipso PORTV regressus, tempestatem, naufragiumque certissimum inaltum se referens, prouocaret. Nimirum intelligebat ingeniosus Iapon, *Mortem* maximè illam, quæ pro Christo suscipitur, securissimum esse *Portum*, à quo tutum minimè sit nauiculam suam subducere: potius ad illum remis, velísque esse properandum.

Petrus Cabaxima Iapon. Nico Trigau Lib. IV. ca. 20.

Cùm intellexisset Poeta minimè inuenustus IOANNEM GODEFRIDVM EPISCOPVM, Ratisbonæ vitâ piè functum, hinc non malè argumentum sumpsit Præsulis optimi votum exornandi.

*Linquere mundanum cupiebat Episcopus æquor,*
*Tranquilli vt* PORTVM *posset adire poli.*
*Quæritur ergo* RATIS, *varias cùm cerneret, insit:*
*E Bambergiacis non Ratis vlla bona.*
*Transit ad Herbipolim, Ratis hic inquiritur apta:*
*E VVirtzburgiacis non Ratis vlla bona.*
*Ergo* Ratis *subit inde* Bonam, *dat carbasa ventis,*
*Hac abit ad cœlos: hæc* Ratis *illa* bona *est.*

Ex hoc *Symbolo* argumentum ducit Chrysostomus lugendos non esse piè defunctos. *Si lugendum est*, inquit, *Diabolum oportet lugere. Ipse plangat, ingemat ipse. Ipsius est digna nequitia huiusmodi comploratio, non tibi conueniens, qui coronam & requiem expectas. Tranquillus enim est* PORTVS, MORS. *Itaque considera, quod plena malis est vita præsens: cogita & quoties ipse præsentem execratus es vitam: res enim in deteriora prolabuntur, & non lugebis,*

Hom. LXIX ad Pop.

*gebis. Imò, si defunctum diligeres gaudere oporteret, atque lætari, quod ex præsentibus procellis esset absolutus.*

Porro *Mors* est PORTVS, non solùm, in quem invehimur verùm etiam ex quo ad Æternitatis pelagus egredimur. Cauendum itaque quod turpissimum, ne in *Portu* impingamus. Quod magno cum dedecore fit à nautis, si prius, quàm *Portu* exierint, nauem illidant. Tu attende ne nauim in hoc *Portu* mergas. ἐν τῷ λιμένι προσκρούειν. Hier. Apol. 2. in Ruffin. & ad Pamma. Seneca Contro.

# SYMBOLVM XLIV.

# MORS

## LARVA.

*Nolite timere eos, qui occidunt corpus.*
Matth. x. 26.

COMMVNIS est sapientum querela, quod homines non tam ratione ducantur, & veritate, quàm opinione populari, id est, mendacio, aut fucatâ rerum specie. *Simillimi pueris sumus* aiebat Seneca, nō ob illam solùm caussam, quam ipse adfert, quod omne ludricum nobis, in pretio sit, vt illis: Sed etiam, quòd Epist. CXV.

*——Vt pueri trepidant, atque omnia cæcis* Lucre.
*In tenebris metuunt: Sic nos in luce timemus*
*Interdum, nihilo quæ sunt metuenda magis, quàm*
*Quæ pueri in tenebris pauitant, fugiuntq; futura.*

*Vt pueri ad* Laruas, *aut* personas *trepidant*, inquit eruditus Belga, *& familiares etiam, si in iis conspiciantur, fugiunt: sic nos naturæ, aut rationi non alienа, vmbrâ, & opinione malorum territi, vitamus, aut fugimus, sine causa trepidi, aut inepti.* Non minus eleganter, de MORTE disserens, facundus Hispanus. Imaginibus ludimur, frustraque conturbamur, vt Diuinus Vates ait. Iis similes sumus planè, quos pulueris nebula temerè à pecoribus excitati exuit castris, vertit in fugam, quasi hostes magno numero instent. Idem in MORTE accidit: terribilis est, non vi I. Lip. Lib. 1. Manuduct. ad Stoi. Io. Mariana Lib. 1. de Mor. cap. 1.

suâ: sed propter circumfusas opinionnm tenebras, & spectra absona ab atrâ bile cōmota. Inter noctis tenebras omnia terribilia apparent, arbores, lapides, iumenta, ipsi amici, & propinqui, monstra quædam immania videntur: lucem expecta: ne loco mouearis: hisce LARVIS ne cedas. Puerorum instar, cognatos & familiares timemus, si laruatos: eosdem, persona deposita, amplectimur. Quid verò, si ferro tegantur, telum distringant: ad matres cum clamore & eiulatu confugimus: auertimus oculos & faciem ab aspectu terribili. An soli pueri, & non etiam viri armatam opinione metuunt inopiam, infamiam, acerbitates alias, ipsam denique MORTEM? Non personis: sed rebus etiam imponuntur LARVÆ, adduntur arma. Nos ipsi decipimus, tela aduersariis damus, vt nos feriant: quæ, si sapis, detrahe: sic sincerius iudicabis.

*Mors Larua*
*Chrys. Hom. 1, ad pop. Antioch.*
*Matth. 2.*

Non *laruatam* modò MORTEM: sed & LARVAM nominat Græcus Orator eloquentissimus, exhortans, vt non illā, at peccatum metuamus, dum exponit illud Christi mandatum: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam verò non possunt occidere.* Pueri paruuli, inquit, LARVAS quidem timent. ignem verò non timent: sed si ad lucernā lumen habentem portari contingat, inconsideratè manum immittunt lucernæ, & flammæ. Ac contemnendam quidem personam horrescunt: timendum verò ignem non metuunt. Sic & nos timemus MORTEM, quæ est LARVA contemptu digna: Peccatum autem non timemus, quod verè timendum, & ignis more, conscientiam comedit. Addit: Sicut vermis è ligno nascitur, & illud rodit & comedit, suam ab ipso originem habens: sic & tristitia & MORS de peccato natæ sunt, & peccatum absumunt. Igitur ne timeamus MORTEM, sed peccatum duntaxat, & propter illud doleamus. Tu quisquis es, sicut Paulus, quotidie morere, & *Mortem* deride, præsentémque contemne vitam. Es enim Miles, & semper in conflictu constitutus: Miles autem *Mortem* timens, nunquam generosè se geret, ita neque Christianus.

SYM-

# SYMBOLVM XLV.

# MORS

# MEL.

## *Dulcia Mella Necem: Vitam dedit horridus Anguis.*

MEL inter illa est *Symbola*, quæ in vtramque partem, bonum malúmque significant. Et priscis quidem Theologis multorum fuisse *Symbolum* notauit Cælius, Lib. XXVIII. cap. 27. quoniam ex pluribus constet potestatibus. Mitto alia, de quibus copiosissimè Vlysses Aldrouandus Lib. I. de Insectis: hoc huius est loci: quod MEL apud Græcos *Symbolum* fuerit MORTIS, vt FEL, VITÆ. Frequens sanè *Mellis* & *Mellitorum* apud scriptores est mentio, cùm de *Morte*, & Mortuis agitur. Communi Græciæ consuetudine Mortuis Mella infundebantur. Achilles in Patrocli funere apud Homerum multa animalia mactat, ijsque excoriatis infundit mellis & olei amphoras, vt sic crementur. Iphigenia quoque apud Euripidem, dum spondet se mortuo honores habiturum, huius ritus meminit:

*Mel multorũ Symbolum. Rhodiginus Lib. XXV. II. 17.*

*Vly. Aldro. Lib. I. de Insect. à pag. 128*

*Hom. Iliad. x.*

*Eurip. in Iphig. in Taur. Act. 3.*

Πολύντε γὰρ σοὶ κόσμον ἐνθήσω τάφῳ
Καὶ τῆς ὀρείας ἀνθεμόρρυτον γαίος
σπουδῆς μελίσσης εἰς πῦρ ἐμβαλῶ σέθεν.
*Sed multo tum ornatu decorabo tumulum,*
*Et apis populatricis montium*
*Liquorem floreum tuo infundam rogo.*

Magis superstitiosè, Plutum mortuorum, vt fingebant, apud inferos degentium, DEVM melle placari existimabant:

*Duc prædicta sacris duro placamina Diti:*
*Mella simul tecum, & puri fer dona Lyei.*

canit Statius. & mox

*Stat. Li. XII.*

*Ordine mactari pecudes iubet. Acer aperto*
*Ante omnes taurus Regi,*
*Fundunt mella super, Bacchíque, & lactis honorem*

Dabant etiam mellitam placentam mortuis (ô stultitia!) Vt eam Cerbero offerrent, vt & ipse placaretur. Norunt id pueri nostri ex Virgilio, apud quem Sibylla cum Ænea ad inferos descendens,

*Virg. Lib. VI. Æneid.*

*Melle saporatam, & medicatis frugibus offam*
*Obÿcit.* — — —

Ita legit Turnebus, non *Soporatam*, vt alij, dispiciant id Grammatici. Ego quæram quid *Mors* cum *Melle* commune habeat, vt hoc illius sit *Symbolum*, sicut *Fel vitæ*.

*Mors piamentum cõmune.*

AN, quia vt *Melle* expiari putabant criminosos: ita *Mortem* opinabantur commune esse mortalium piamentum? Siquidem dum initiabatur quispiam sacris, quæ Leontica vocãt, ab omnibus noxiis, sceleribusque, ac tristitiam inferentibus, vt expurgaretur, aquæ loco, in manus *Mel* affundebant.

*Mel sopit.*

AN, quod MORS, vti *Mel*, vim habeat altissimè sopiẽdi? Apud Orpheum Saturnus ab Ioue *Mellis* appetitus insidijs, consopitur, velut temulentus; sicut apud Platonem Porus nectare oppletus.

*Plutar. Lib. de adul. Et ami. discri.*

AN, quia MORS adfert salutarem, & tutelarem dolorem, instar *Mellis*, quod vlcerosas partes mordet, atque expurgat: cætera vtile est, ac dulce? ob quam caussam Plutarchus amici libertatem peccata corrigentem cum melle confert.

*Annus à Mello auspicio dulcis.*

AN, quod vita fellis, hoc est, amaritudinum, sit plenissima. *Mors* verò, quia ærumnarum meta, suauitate abundet? quasi à *Melle*, post mortalitatem exutam, alteram vitam inchoemus, quemadmodum Romani annum. Nam Kalendis Januarij mella, caryeas, & caryotides, tum DEO, tum amicis largiebantur, vt dulces noui anni dies, à dulcibus auspicarentur.

*Ouid. I. Fast.*

*Quid vult palma sibi, rugosaq; carica dixi,*
*Et data sub niueo condita* Mella *cado.*
*Omen, ait, caussa est, vt res sapor ille sequatur,*
*Et peragat captum, dulcis vt annus iter.*

Certè, vt vita mortalium felle est fæc indissima, quæ amarũ ad satietatem vsque oggerit: ita *Mors Melle*, gustu dans dulce. Sed *Mors* proborum, quæ pretiosa, & dulcis: in cuius ore fauus *Mellis*, & ducens ad terram lacte & *Melle* manantem.

AN,

AN, quia *Mel* verum, quæ sepeliuntur, diu conseruandi vim habet mirificam? Tradit Columella Lib II. exanimum hominis corpus per annos plurimos *Melle* seruatum fuisse innoxium. Et narrat Plinius, principatu Claudij, Hippocentaurum in Thessalia natum, ex Ægypto ad Imperatorem hac arte aduectum. Ante Plinium, Xenophon, morem sepeliendi mortuos in *Melle*, vt conseruarentur, scripsit. Quo fortasse spectant illa Lucretij. *Mel conseruat cadauera.* *Xen. Lib. v. rer. Graec.*

*Aut in* Melle *situm suffocari, atque rigere*
*Frigore, cùm in summo gelidi cubat æquore saxi.*

Varro in Sciomachia: *Quare Heraclides Ponticus* (Pontificus mendosè legitur apud Nonnum vt annotat Pet. Victorius) *plus sapit, qui præcepit, vt comburerent, quàm Democritus, qui vt* Melle *seruarent: quam si vulgus sequutus esset, peream, si centum denariis calicem mulsi emere possimus.* Æmilius etiam Probus, siue Cornelius Nepos, in Agesilai vita, scribit, ipsum inter Cyrenas & Ægyptum ex morbo decessisse, ibique amicos, quò Spartam perferre possent, inopia *Mellis*, cera circumfudisse, atque domum ita incorruptum detulisse. *Petr. Vict. Lib. xix Varia. cap. 1.*

Hoc Babylonijs fuit persuasum, qui demortuorum corpora in *Melle* sepeliebant, cùm vt à putredine tuerentur, tum etiam, vt innuerent, animum omni dulcedine mitigandum esse. Eundem morem insinuat Papinius Lib. III. Sylu. in Metij Celeris propemptico. *Babylonii in Melle sepelibā*

*Ducet ad amathios manes vbi belliger vrbis*
*Conditor, Hyblæo perfusus nectare durat.*

Imò æternatura sic corpora quidam opinabantur, vt insinuant Corripi de Iustino Augusto minore, auunculi funus condente, versus.

*Thura Sabæa cremant, flagrantia* Mella *locatis*
*Infundunt pateris, & odoro balsama succo.*
*Centum aliæ species, vnguentaq́ mira feruntur,*
*Tempus in æternum sacrum seruantia corpus.*

Hyperbolem poëticam hæc continent, negari tamen non potest insigni quadam conseruandi potentia *Mel* esse præditum, cuius causas inuestigat Cardanus Lib. VIII. de subtilitate, vbi refert surculos in *Card. Li VIII. de subt.*

*Scal. Exerc. CLXXIX.* *Voss. Aldro. Lib. 1. de Insect. pag. 154. 155.*

*Melle* sepultos ad alias regiones incorruptos, & propagationi aptos deferri. At nō satisfacit Cardanus Scaligero: neq; hic eiusdem professionis Medico Aldrouando. Sed de his alibi inquirendum. Nunc hoc tantummodò inuestigabam: Cur *Mortis Symbolum Mel* fuerit, & tanta *Mellis* cum cadaueribus cognatio? Consule Hieronymum Mercurialem *a* Thomam Dempsterum in Paralipomenis ad Ioannem Rosinum, *b* & Ioannem Kirchmannum de Romanorum funere, lib. I. cap. 8.

*a Hier. Merc. Lib. II. c. 24. Var. b Lib. v. cap. vii.*

## SYMBOLVM XLVI.

# MORS

### HIRVDO. SANGVISVGA. ΒΔΕΛΛΑ.

*Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes: Affer, Affer.* Prouerb. xxx. 15.

*Hirudo hærendo sugit.*

HIs nominibus illud intelligo animalculū, quod in aquis dulcibus reperitur, & insectorum generis est, bibax sanguinis: dictum volunt ex eo, quod hærendo, sanguinem sugat: sicq; aspirationem illi tribuunt, quamuis quantitas syllabæ vtrobique non sit eadem, vt Iouianus Pontanus obseruat. Synonyma eius vermis, omnium penè idiomatum cognitorum colligit Vlysses Aldrouandus Lib. VII. de Insectis, cap. II. Hebraicè dicitur, עלוקה *Ghalukah*, quod nomen est Prouerb. xxx. 15. vbi tribuitur illi *Insaturabilitas*: *Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes, affer, affer.* Verti potuisset, *Hirudinis*: & LXX ta habent vocabulum, βδέλλα, deriuatum à verbo βδάλλειν, mutato α, in ε quod exsugere significat. Est autem sententia planè *Symbolica*, vt obseruat S. Athanasius in Synopsi ad Proverbia Salomonis, sic scribens: *Ænigmata & obscuri sermones, ita cautè sunt positi, vt mærore afficiant, si quis in illos incidat, propterea quod nihil manifesti habeant, & ne suspicionem quidem aliquam sensus præbent: vbi verò diligenter inquisiti sunt, sensum, quem claudebant, indicāt, quales sunt illi,* Sanguisugæ tres filię sunt dilectione dilectæ: & hæ tres & quarta non dicunt satis est. *Ita enim legunt Græci illud sapientis carmen.*

AT cuius rei *Symbolum* hic est SANGVISVGA? Ex Hebræis Rabbi Saadias significare vult Hebraicam vocem, *Priuationẽ*, vt reddere liceat eam sententiam: *Priuationis duæ filiæ sunt:* Sed per *Priuationem* intelligi MORTEM. Et in eo *Emblemate* includi duplex genus *Mortis*. Aliud enim est eorum, qui postquam nati sunt, decedunt: aliud eorum, qui in vulua, & matrice parentis, ante natiuitatem immoriuntur. Vtrumque autem *Mortis* genus assiduo hiat, & homines plurimos quotidie conficit.

*Rab. Saadias. Sanguisuga Priuatio.*

Hanc literalem esse eius loci expositionem, dicere non audeo; Scio enim plures alias circumferri, hac multo probabiliores: fidenter tamen affirmo, non minus idoneam *Mortis* imaginem esse *Hirudinem*, quam rerum illarum, quas *Sanguisugæ* vocabulo significari existimant è nostris sacri Interpretes.

*Sanguisugæ duæ sunt filiæ*, inquit Sapiens. Quod plurimi Enarratores interpretantur, vt, ad litteram, aliud non significet, quam ora duo, quibus *Hirudines* sanguinem trahunt. Et sanè Plinius non vno ore metuendas asserit: & sugentia ora forcipibus præcidi solere: quãuis Galenus vnum tantummodò videatur os agnoscere. Petrus Berchorius in Reductorio triplex penè os ijs adscribit, quale est os triangulum, tribus quasi angulis distinctum, vt etiam Isidorus adfirmat: quod conuenit cum LXXta Interpretũ lectione, quæ sic habet: *Sanguisugæ tres filiæ: & tres ipsæ non saturauerunt eam*. Per *Sanguisugam Symbolicè* intelligit S. Chrysostomus *Maledicentiam*, cui duæ sunt filiæ: videlicet, species, *detractio* & *contumelia*. S. Bernardus, *Voluntatem propriam*: cuius filiæ, *Auaritia* & *Ambitio*. V. Beda, *Diabolum*, cuius filiæ, *Luxuria*, & *Philargyria*. Alij, *Concupiscentiam*; cuius filiæ, *Lasciuia*, & *Auaritia*, quæ pluribus eruditè explicat Salazarius.

*Sanguisugæ ora duo.*
*Plin Li. xxxii cap. 10.*
*Gal. Tom V. Clas. vi. cap 1.*
*S. Chrys Hom. XLIX. de Maledicentia*
*Bern. Serm. Dixit Simon Petrus ad Iesum Beda in Trouer.*

Sed non minus commodè *Hirudinem* dicas *Mortem*: cuius duæ filiæ, *Naturalis* & *Violenta*: aut tres si placet: nam licet duabus addere, *Diuinitus inflictam*: quæ tamen ad violentam optimè reducitur, vt angulus tantum illius esse videatur. Si lubet: dicas, duas illius filias esse, *Vim, & Fraudem*: ita enim *Sanguisugæ*: id est, *Auaritiæ* filias interpretatur Caietanus, *Sanguisuga* enim, quatenus cutem, carnémque perforare nititur, ac perrumpere, sicque dolorem infert, vim adhibet: quatenus verò sanguinem paulatim, ac penè insensibiliter attrahit, & exsugit, fraudulenter operatur. Idem *Morti* conuenit, quæ quandoque cum titillatione hominem interimit: adeò vt rideant, qui intereunt: interdum summo cum doloris sensu.

*Triplex Mors.*

Iam

*Sitis in Sanguisuga.*

Iam cetera considera. Sitis sanguinis est animalculo huic inextinguibilis: itaque non delassatur bibendo. Ob hanc caussam Beda illi *Diabolum* comparat, qui *siti peccandi, ac peccata suadendi,* inquit, *semper accenditur.* *Morti* nihil magis naturale, quam sitire *sanguinem*: id est *vitam.* Hæc namque per sanguinem optimè significatur. Siquidem *Anima carnis in sanguine est* Leuit. XVII. 11. aut, vt est in Græco ἡ γὰρ ψυχὴ πάσης σαρκὸς αἷμα αὐτοῦ ἐστιν *Anima omnis carnis sanguis eius est.* Quod August. exponit ita dictum esse, sicut illud, *Petra erat Christus* 1. Corinth. x. 4. non quia hoc erat: sed quia significabat. Legem autem significare Animam per sanguinem; rem scilicet inuisibilem, per visibilem: quia sanguis per venas omnes, ab ipso corde diffusus in nostro corpore, plus ceteris humoribus principatur: ita vt vbicumque fuerit vulnus inflictum, non humor alius, sed sanguis prorumpat. Ita quoque Animam quia omnibus, quibus constamus inuisibiliter prævalet, illo melius significari, quod omnibus, quibus constamus, visibilibus præualet, nempe sanguine.

*S. Augustinus Lib. II. contra Aduers. Legis ac Prophetar. cap. 6.*

*S. Augustinus Q. LVII. in Leuit.*

*Per sanguinem maximè viuitur:*

Idem M. Doctor Quæst. LVII. in Leuiticum per *sanguinem* docet maximè in hac carne viui, vt mirum non sit, illi maximè *Mortem* insidiari: in omnibus enim venis, & corporis iunctura diffunditur. Vitam autem corporis vocari animam: non vitam, quæ migrat ex corpore, sed quæ *Morte* sanguinem, Hirudinis instar exsugente, finitur. De quâ Apostolus Actuum XX. 24. *Non facio animam meam pretiosiorem, quam me*: ostendendo, se mori paratum pro Euangelio. Addit dici, quod *Anima* seu, *vita*, est *sanguis*: quia significat *Animam*, siue *vitam*.

*Sanguis non est Anima.*

Est autem tam proprium *Symbolum* Animæ *Sanguis*, quem fatalis *Hirudo* ebibit: vt nonnulli ex veteribus, decepti, tanta similitudine, nihil esse *Animam*, vitamque humanam pertinacissimè contenderint, quam *Sanguinem*: vt refert Abulensis ex Aristotele, ac Cicerone. Et hic quidem illud tribuit Empedocli, Aristoteles, Critiæ, vnius de numero triginta tyrannorum, cuius fortasse est carmen celebre ex opere de Repub.

*Abulens. in Leuit. XVII. Arist. 1. de Ani. Cic. 1. Tusculan.*

Αἷμα γὰρ περικάρδιον ἀνθρώποις ἐστὶ νόημα

*Sanguis enim qui circa cor est, hominibus mens est.*

Exitialis opinio. Eget quidem anima, ac vita *Sanguine* potissimùm, in iis quæ ipso constant: non tamen *Sanguis* magis propriè est *Anima* & *Vita*, quàm MORS, SANGVISVGA. Siquis tamen putet animam pecu-

pecudis, esse sanguinem, non esse in ista quæstione laborãdum scribit Augustinus: tantum, ne anima hominis, quæ carnem humanam viuificat, & est rationalis, Sanguis putetur, valdè cauendum: & hunc errorem modis omnibus refutandum. Quoniam tamen anima nostra tenetur sanguine in corpore, illóque effuso, abcedit; per ipsum aptius significatam animam: & animæ nomen, accepisse sanguinem. Sic cum dicitur Eccci XXXIV. 27. quod *effundit sanguinem, qui fraudat mercedem mercenarij*, intelligitur per *sanguinem* merces, quoniam in mercede sustentatur vita. *in* Sanguine inquit Plinius, *magna est vitalitatis portio: emissus spiritum secum trahit.* Et Seneca: *Quasi pars nostri est* Sanguis: *qui tamen & materia est: parat enim & alit nihilominus in numero est eorum quibus totum corpus efficitur.* Huius *Sanguinis*, quem *Vitam* significare dicimus, perpetua siti vritur *Sanguisuga Mors*: nam vitæ hominibus auferendæ incredibili desiderio semper ardet. Et quoniam *Sanguine* nutritur, eúmque assiduè sugit, quid mirum, quod colorem ab illo mutuet? Sunt enim *Hirudines*, quæ perniciosissimæ, rufâ specie. Qui color *Morti* adfingitur à Poetis, vt quæ *Sanguinem* bibit, sit ipsa sanguinea.

Plin. Lib. XI. cap. 38. Sen Lib. III. Qq. Nat.

Plin. Li. XXXII cap. 10.

*Purpuream vomit ille animam.* canit vates quia

*Vna eadémque via, sanguisq; animúsq; sequuntur*

*Purpureæ Mortis* epithetum clarius vsurpat Homerus, cuius versum illum

Virg. Lib. IX. Æneid. Æneid. 2.

Τὸν δ' ἔλαβε πορφύρεος θάνατος, καὶ μοῖρα κραταιή

*Cepit vero hunc* purpurea MORS, *& Parca fortis.*

*Purpurarius* infector cùm duceretur ad supplicium, quod fraudulenter intingendi arte vsus esset, cantabat, vt narrat Cælius Rhodiginus.

Cal. Rhodig. Lib. VIII. cap.

Non omnes *Sanguisugæ* sunt æquè virulentæ: illæ palmam obtinent in suo genere, quæ nulla arte emendari ac corrigi possunt: quarum punctio omnis lethalis, de quibus Galenus: & Plinius sic scribens: *Inuehunt virus remedio verso: maximéque* Rufæ *atque ita formidantur.* Ex his est MORS, quæ artis nullius efficacia potest corrigi: quæ si aculeum infigat, occidit.

Gal. Sup: Pli. Li. XXXII

*Contra vim* Mortis *non est medicamen in hortis.*

Illud tamen omnibus commune est, quod non auellantur à cute,

*Sitis in Sanguisuga.*

Iam cetera considera. Sitis sanguinis est animalculo huic inextinguibilis: itaque non delassatur bibendo. Ob hanc caussam Beda illi *Diabolum* comparat, qui *siti peccandi, ac peccata suadendi*, inquit, *semper accenditur. Morti* nihil magis naturale, quam sitire *sanguinem*: id est *vitam*. Hæc namque per sanguinem optimè significatur. Siquidem *Anima carnis in sanguine est* Leuit. XVII. *n.* aut, vt est in Græco ἡ γὰρ ψυχὴ πάσης σαρκὸς αἷμα αὐτοῦ ἐστιν *Anima omnis carnis sanguis eius est.*

*S. Augustinus Lib II contra Aduers. Legis ac Prophetar. cap. 6.*

Quod August. exponit ita dictum esse, sicut illud, *Petra erat Christus* 1. Corinth. x. 4. non quia hoc erat: sed quia significabat. Legem autem significare Animam per sanguinem; rem scilicet inuisibilem, per visibilem: quia sanguis per venas omnes, ab ipso corde diffusus in nostro corpore, plus ceteris humoribus principatur: ita vt vbicumque fuerit vulnus inflictum, non humor alius, sed sanguis prorumpat. Ita quoque Animam quia omnibus, quibus constamus inuisibiliter præualet, illo melius significari, quod omnibus, quibus constamus, visibilibus præualet, nempe sanguine.

*S. Augustinus Q. LVII. in Leui.*
*Per sanguinē maximè viuitur:*

Idem M. Doctor Quæst. LVII. in Leuiticum per *sanguinem* docet maximè in hac carne viui, vt mirum non sit, illi maximè *Mortem* insidiari: in omnibus enim venis, & corporis iunctura diffunditur. Vitam autem corporis vocari animam: non vitam, quæ migrat ex corpore, sed quæ *Morte* sanguinem, Hirudinis instar exsugente, finitur. De quâ Apostolus Actuum XX. 24. *Non facio animam meam pretiosiorem, quam me*: ostendendo, se mori paratum pro Euangelio. Addit dici, quod *Anima* seu, *vita*, est *sanguis*: quia significat *Animam*, siue *vitam*.

*Sanguis non est Anima.*

Est autem tam proprium *Symbolum* Animæ *Sanguis*, quem fatalis *Hirudo* ebibit: vt nonnulli ex veteribus, decepti, tanta similitudine, nihil esse *Animam*, vitamque humanam pertinacissimè contenderint, quam *Sanguinem*: vt refert Abulensis ex Aristotele, ac Cicerone. Et hic quidem illud tribuit Empedocli, Aristoteles, Critiæ, vnius de numero triginta tyrannorum, cuius fortasse est carmen celebre ex opere de Repub.

*Abulens. in Leuit. XVII. Arist. 1. de Ani. Cic. 1. Tuscul.*

Αἷμα γὰρ περικάρδιον ἀνθρώποις ἐστὶ νόημα

*Sanguis enim qui circa cor est, hominibus mens est.*

Exitialis opinio. Eget quidem anima, ac vita *Sanguine* potissimùm, in iis quæ ipso constant: non tamen *Sanguis* magis propriè est *Anima* & *Vita*, quàm MORS, SANGVISVGA. Siquis tamen putet animam pecu-

pecudis, esse sanguinem, non esse in ista quæstione laborãdum scribit Augustinus: tantum, ne anima hominis, quæ carnem humanam viuificat, & est rationalis, Sanguis putetur, valdè cauendum: & hunc errorem modis omnibus refutandum. Quoniam tamen anima nostra tenetur sangnine in corpore, illóque effuso, abcedit, per ipsum aptius significatam animam: & animæ nomen accepisse sanguinem. Sic cum dicitur Ecc^ci. XXXIV. 27. quod *effundit sanguinem, qui fraudat mercedem mercenarij*, intelligitur per *sanguinem* merces, quoniam in mercede sustentatur vita. *In* Sanguine inquit Plinius, *magna est vitalitatis portio: emissus spiritum secum trahit.* Et Seneca: *Quasi pars nostri est* Plin. Lib. XI. cap. 38
Sanguis? *qui tamen & materia est: parat enim & alit nihilominus in numero* Sen Lib. III. Qq. Nat.
*est eorum quibus totum corpus efficitur.* Huius *Sanguinis*, quem *Vitam* significare dicimus, perpetua siti vritur *Sanguisuga Mors*: nam vitæ hominibus auferendæ incredibili desiderio semper ardet. Et quoniam *Sanguine* nutritur, cúmque assiduè fugit, quid mirum, quod colorem ab illo mutuet? Sunt enim *Hirudines*, quæ perniciosissimæ, rufa specie. Plin. Li. XXXII. cap. 10.
Qui color *Morti* adfingitur à Poetis, vt quæ *Sanguinem* bibit, sit ipsa sanguinea.

*Purpuream vomit ille animam.* canit vates

quia

*Vna eadémque vi, sanguisq́ animúsq́ sequuntur*

*Purpureæ Mortis* epithetum clarius vsurpat Homerus, cuius versum Virg. Lib. IX. Æneid.
illum Æneid. 2.

Τὸν δ' ἔλαβε πορφύρεος θάνατος, καὶ μοῖρα κραταιὴ

*Cepit vero hunc* purpurea MORS, *& Parca fortis.*

*Purpurarius* infector cùm duceretur ad supplicium, quod fraudu- Cæl. Rhodig. Lib. VIII. cap. 
lenter intingendi arte vsus esset, cantabat, vt narrat Cælius Rhodiginus.

Non omnes *Sanguisugæ* sunt æquè virulentæ: illæ palmam obtinent in suo genere, quæ nulla arte emendari ac corrigi possunt: quarum punctio omnis lethalis, de quibus Galenus: & Plinius sic scribens: *Inuehunt virus remedio verso: maximéque* Rufæ *atque ita formidantur.* Gal. Sup.
Ex his est MORS, quæ artis nullius efficacia potest corrigi: quæ si aculeum infigat, occidit. Pli. Li. XXXII.

*Contra vim* Mortis *non est medicamen in hortis.*

Illud tamen omnibus commune est, quod non auellantur à cute,

donec quantum possunt, sauguinis exhauserint: hinc illud Horatij in Arte:

*Non missura cutem nisi plena cruoris* Hirudo.

Quod prouerbij speciem habere notat Adagiographus, & Aldrouandus: ac quadrare in homines quibusuis in rebus immodicos, qui cum semel cœperint, nullum faciunt finem, donec defatigati desistant: nec rationem habent alieni fastidij, sed suo tantùm animo negocii modum metiuntur: Rectius ad *Mortem* transferas, quæ si semel cuti adhæserit nunquam desistet, donec sanguine te, vitáq; euacuet, nulla tui, sed suæ solummodò cupiditatis ratione habitâ.

Plaut. Epid. Apud Plautum lepidissimè Epidicus Seruus, emuncturus senem Periphanem argento, ait, in *Hirudinem*, se migraturum:

*Tacete, habete animum bonum, liquidò ex eo foras.*
*Auspicio, aui sinistra: acutum cultrum habeo senis qui exenteret*
*Marsupium. Sed eccum ipsum ante ades suspicor Apœcides,*
*Quales volo veteres duos: iam ego me conuortam in* Hirudinem,
*Atque eorum exsugebo sanguinem, Senati qui columen cluent.*

Hoc proprium est *Hirudinis*, in quam conuersa *Mors*, postquam illi facta, hominis scelere, potestas, totum nostri generis sanguinem exsuxit.

Hirudo satiatur. Sed *Hirudo* tandem aliquando impletur: imò satiatur, si verũ, quod scribit Plinius, *Decidunt satietate, & pondere ipso sanguinis detractæ.* Itaque tam diu hæret, donec suctu sanguinis expleta decidat. Magis insatiabilis est MORS, quæ iam tot annorum millibus suxit, nec expleri potuit: verè HIRVDINE BIBACIOR.

Hirudine bibacior. Hirudo Diues. Semel tamen illi malè cessit infinita hæc sugendi auiditas. Quod vt intelligas, præmitto ex Ambrosio: Diuitis Euclionis imaginẽ esse *Hirudinem*: quæ dum venas omnes suctu exsangues reddere conatur, suspensa crepat, atque disrumpitur. Haud secus sordidus Euclio, fortunarum pauperis, quæ illi sanguinis loco sunt, nunquam satur, dum nimis efficitur locuples, neque vnquam per liberalitatem, & restitutionem euacuatur, tandem, tandem rumpitur, nimia auiditate sibi exitium creans.

Voluit tẽtare feralis *Hirudo* in Christo, cuius dulcissimus erat sanguis, quàm in aliis solebat hominib. ideóq; auelli nõ potuit, donec exsugẽdi pars aliqua fuit aliqua. Sed carè illi stetit insatiabilis cupido: vix exhau-

exhauserat, & disrupta est, cantatúmq; illi ad ludibriũ: *Vbi est* MORS *victoria tua, vbi est* MORS *aculeus tuus?* Quod accommodatè admodũ ad *Hirudinem* referas, cui tam proprius est aculeus, vt Germanis dicatur *Agle*, nomine forsan facto ab *Aculeo* inquit Aldrouandus Italus, à Germano doctus. Estque lingua *Hirudinis* nihil aliud, quàm aculeus, quamuis illam bisulcam & fistulatam velit Adagiorum scriptor, quã penitus infigat cuti. Et Arnoldus de villa-noua illi tribuat fistulam in ore, qua cutim terebret more culicis. *Agle.*

Sed fortasse rectius dixeris CHRISTO, non tam *Mortem*, quàm *Amorem*, quo incredibiliter erga nos flagrabat, omnem exhausisse sanguinem, vt exclamare potuerit:

Αἴαι Ἔρως ἀνίηρε, τί μευ μέλαν ἐκ χροὸς αἷμα
Ἐμφὺς, ὡς λιμνᾶτις ἅπαν ἐκ βδέλλα πέπωκας. *Limnata apud Theo. Eidyll. 2.*
*Hei crudelis* AMOR *nostro saturate cruore.*
*Summa affixa cuti, veluti hunc suxisset* HIRVDO.
Hei mihi tristis Amor, quam mihi atrum è corpore sanguinem
Veluti palustris Hirudo inhærens omnem exusti.

# SYMBOLVM XLVII.

# MORS

# CROCODILVS.

*Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes: Affer, Affer.*
Prouerb. xxx. 15.

PHYSIOLOGIA de CROCODILO multa incerta spargit: melius dicam, Physiologi, apud quos inuenies pugnantia. Iis tamen nititur *Symbolica*, quæ sæpè nõ requirit indubitata, modò auctor sit non omninò mendax, qui adfirmet. Quod hic contigit. Plurima de hoc animali hieroglyphicè Pierius Lib. XXIX. & moraliter Petrus Bercorius in *Reductorio morali* Lib. x. cap. 28. Omittunt vnum quod in hoc genere, mihi minimè negligendum. Est MORTIS, *Symbolum*, Id, ne fingere existimer sine ratione, Rabbinos aduoco, qui *De Crocodilo multa incerta.*

quod est Prouerb. xxx. 15. *Sanguisuga duæ sunt filiæ*, vocabulum Hebræum, *Chalukah*, vertunt *Crocodilum* vt præter Salazariũ, testatur Aldrouandus. Eo autem animali MORTEM designari asserunt, cuius duæ sunt filiæ, duplex oppetendæ *Mortis* modus. Alios enim *Mors* deuorat subitò, illos aggrediens, ac deglutiens: alios veluti mandit ac dentibus conterit: nimirum, quos longis morbis, ac diuturnis febribus tabefacit, ac consumit. Ita CROCODILVS, alia repentè deuorat; mandit alia animal tantæ voracitatis, vt iuxta littus iaceat ructans præ saturitate & repletione. An hæc ad mentem sint sacri Parabolizatoris, non laboro.

*Aldrou. Lib. vii. de Insect.*

*Crocodili significata.*

Hoc aio, ob easdem causas, CROCODILVM referre MORTEM, ob quas, *Tenebrarum*, rei funestæ, perniciei, salacitatis, furoris, latrocinij, helluationis est *Symbolum*, quæ exponit Pierius. Multa paucis insinuat Radulphus, exponens illud Leuitici, cap. xi. 23. *Hæc quoque inter polluta reputabuntur de his quæ mouentur in terra. Mustela, & Mus, & Crocodilus*. Græcè est, καὶ ὁ κροκόδειλος: Hebraicè, חצב *Hatsau*, pro quo alii exponunt, *Bufonem, Hericium, Ranam Campestrem, Rubetam*: at vulgatus Interpres, *Crocodilum*. *In* quo *quadrupede tam pessimo*, inquit Radulphus, qui Plinij coloribus illum depingit, *non nisi Latronum imaginem video* (Latrocinantem *Mortem* nuper produximus.) Nam *terra pariter, ac flumine infesti sunt*. Est nimirum *Crocodilus*, animal ἀμφίβιον, vt traditur à Physiologis, quos nominat Gesnerus, tam igitur est terrestre, quàm aquaticum: Non minus in aquis, quàm in terrâ *Mors* agit & grassatur. Pergit Radulphus: Latrones *nunc semitas, nunc mare obsident, transeuntibus insidiantes. Carent vsu linguæ, quia multoties inopinantes aggrediuntur: & non indictis inimicitiis, graues se exhibent inimicos*. Id multo verius *Morti* conuenit, quæ non solet ante se tubâ canere, vt aduentum suum indicet: nec fecialem præmittit, qui bellum nunciet, sed inopinantes inuadit, spoliat, & interimit.

*Crocodilus, animal ἀμφίβιον*

*Superiore motâ maxillâ morsum faciunt: quia Diabolo instigante, cui subditi sunt, in omni crudelitate eius voluntati deseruiunt, terribiles, cultique habitu; stipata dentium serie, pluribus scilicet ad aliorum necem in vnum collectis.* Diaboli filia *Mors* est; cuius inuidia in mundum intrauit, illo instigante florentissimas regiones crudelissimè depopulatur, non sola tamen, sed ingenti morborum exercitu coacto.

*Diem in terra agentes, nocte verò in aquâ delitescentes; quoniam cùm arriserit eis complendi facinoris opportunitas, subitò erumpunt: quando autem nemo occur-*

*occurrit, qui præda fiat, quasi noctem passi prodere se nolunt.* Hæc inexpectatum, ac repentinum *Mortis* aduentum egregiè declarant: nam aduolat, velut è latebris, in quibus delituisse videtur, opportunitatem callidè præstolata.

Ad dolositatem spectat, quæ *Mortis* propria, vetus diuerbium: *Crocodili lachryma.* Sunt enim, qui scribant, *Crocodilum*, conspecto procul homine, lacrymas fundere, sed eundem mox deuorare. Alii referunt, hoc *Crocodilo* esse solenne, vt cùm fame stimulatur, & machinatur insidias, os haustâ aqua impleat, quam effundit in semitâ, quâ nouit, aut alia animantia, aut homines aquatum venturos, quo lapsos, ob lubricum descensum, neque valentes sibi fugâ consulere, corripiat, correptósque deuoret: deuorato autem reliquo corpore, caput lacrymis effusis macerat, atque ita, & hoc absumit. Tam simulatè *Mors* exitium multis molitur, vt lacrymas fundere videatur, morbum immittit, expectat, pedem retrahit, accedit, recedit, donec tandem vno morsu, miserum penè iam non metuentem, quam condolere sibi putat, bestiam, deglutiat. Nũquam fidendum: cùm dixerit, pax, & securitas, tunc repentinus superueniet interitus. Κροκοδείλου δάκρυα.

## SYMBOLVM XLVIII.

# MORS.

## IDOLVM.

### *Nihil est idolum in mundo.* 1. Corin. VIII. 4.

CROCODILVM pro Deo colebant Ægyptii, tam delirâ superstitione, vt beneficii loco ducerent, si quem liberorum, tam infestus homini DEVS abreptum deuoraret. Rationem quærit Pierius superstitiosi cultus, & illam dat, quod esset elinguis: coli autem silentio DEVS debeat, illique laus silentium sit. Vt Psalmo LXIV. hebraicus habet contextus: *Tibi silentium* DEVS *in Sion.* Sed quid caussas quærimus insaniæ? *Hieroglyphicum* cultûs diuini, aut colentis, esse po- *Crocodilus pro Deo cultus.*

tuit *Crocodilus*, si lingua careat: quam tamen habere, tametsi breuiorē, & occultiorem, accurati inspectores tradunt: non idcirco tamen, Dei instar, adoratum dixerim. Sed qui feles, porrum, & allium Diuinitati consecrarunt, *Crocodilum* etiam inter Deos referre potuerunt.

MORS DEA An similis stultitia MORTEM in ara locauit? Vt quæ NIHIL vocari potest, qua priuatio: *Idolum* esset, quod, ne noceret, tot idolis supplicabatur? Vulgus, vt DEAM TELO ARMATAM ANIMATA INTERIMENTEM habebat, imò colebat, mactatis victimis: sic defunctorum manibus sperabat fore propitiam.

Æneid. x. *Multa boum circa mactantur corpora* MORTI.

Sunt tamen, qui *Morti* non fuisse sacrificatum à superstitiosis velint, quod *Mortem* inexorabilem scirent quæ sacrificiis non placatur: ideoque nec templa illi ædificata, nec altaria erecta, nec hymnos decantatos, vt refert Esquilius Poeta Græcus. *Mortem* igitur excipiebant, cum de Diis dicerent.

*Munera, crede mihi, placant hominésque Deósque.*
*Placatur donis Iupiter ipse datis.*

# SYMBOLVM XLIX.

# MORS

## VINCVLVM. NEXVS. TELA.

*Præcipitabit faciem Vinculi colligati super omnes populos, & Telam, quam orditus est.* Isaiæ XXIV. 8.

IDEM *Symbolum* diuersis nominib. explicatur, quæ coniungit Isaias Propheta, vt multiplex peccati, à quo vinculū, captiuitas, & Christi liberatoris beneficium æstimetur. Isa. XXIV. 7. 8. *Faciet*, inquit, *Dominus exercituū, omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ. Et præcipitabit in monte isto faciem* VINCVLI colligati *super omnes populos, &* TELAM, *quam orditus est super omnes nationes.* Symbolicè agi de MORTE, &, quæ illam comitantur, aut præcedunt, & subsequuntur ærumnis, ex sequenti versu liquet: *Præcipitabit* MORTEM, *in sempiternum. Et auferet Dominus Deus lacrymā ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet de vniuersa terra: quia Dominus loquutus est.*

S. Hie-

S. Hieronymus ita mentem Prophetæ exponit, ac si conceperit MORTEM, *Venatoris* instar, plagis, tendiculis, cassibusque instructam, peruagari orbem, & hominibus, tanquam auibus insidias molientē: tum vero, post diutinam venationem, interceptam, à se potentiore, ac astutiore, instrumentis omnibus venatoriis orbatā ludibrio fuisse expositam, & in triumphum ductam. Quod acciderit, tum Christo, post *Mortem* gloriosè deuictam resurgente; tum perfectissime in communi hominum anastasi. Eius verba sunt: *Mors Venatoris instar.*

*Post passionem Domini, quando eum à siti, & æstu, ac turbine liberauerit, faciet Dominus nequaquam populo Iudæorum, sed omnibus gentibus in monte Sion pingue conuiuium, holocausta medullata, & vinum vindemiæ defæcata, vt præcipitet, & absorberi faciat faciem* MORTIS, *&* VINCVLI, *quo omnes populi ligabantur: disrumpétque* RETE MORTIS, *&* TELAM, *quæ omnes ceperat nationes, & iuxta Apostolum, Absorbebitur* MORS *in perpetuum. Hoc enim consilium Domini est, vt cuncta transferantur ad gentes quia* MORS *absorpta est, & lacryma omnis abstersa, & opprobrium vniuersæ terræ, Christi imperio succedente, deletum est.*

Non malè Magnus Scripturarum Interpres, reor tamen, satis indicare verba vaticinii, *Mortem* hic, non tam *Vinculo* instructam, quā illam ipsam, *Vinculum*, & *Telam* esse, cogitari debere. Cùm enim dixisset Propheta Dominum dissoluturum *Vinculum* omne, quod in hominum genus, primi parentis culpa inuexit: & discissurum *Telam*, quā siue Deus, siue Diabolus, permittēte Deo, ob peccati demeritum, in omnes nationes orditus erat: indicat statim, quod sit illud *Vinculum*, quæ *Tela*. Et *primum Vinculum* nominat *Mortem*. *Præcipitabit Mortem in sempiternum*: ne videl. iustis in æternum sit molesta: *Alterū* dicit, *Lacrymas*: *Tertium* verò, *opprobrium*, quod à præuaricatore parente in totam est deriuatum posteritatem. Ita sentiebat S. Thomas, agnoscens in *Vinculo* pœnam *Mortis*, quæ propter peccatum inducta est: & Dionysius, qui vniuersè nominat effectum peccati originalis, quod aliis Interpretibus non paucis placet. *Mors vinculum.*

Quod autem Latinus Interpres vertit, *faciem Vinculi*, sapit idiotismum Hebraicum, quo elegantiæ causa, facies adscribitur etiam ijs rebus, quibus nulla est facies, vt vento, frigori, tempestati, aliis, quod exemplis illustrat Caspar Sanctius monens, *faciem vinculi*, non esse aliud, quàm *Vinculum*. Vocari autem *colligatum*, vt nos quidem legimus, cum in Hebræo sit חֲלֹיט חלוט *ha'ot*, *halot*, id est, *Vin-* *Facies rerum inanimatarū, Ps. XVII. XXXIV. Ps. CXLVII. Isa. II. X.*

*Vinculum, Vinculum*: quâ repetitione, phrasi sacrâ, omne *Vinculum* significatur, quo colligatur hominũ genus: quamuis, *colligatum* etiam reddi posset *colligatio* & *Nexus*: sicut dicitur TELA, *operimentum* & *Inuolucrum*, vt habet Franciscus Vatablus: hæc enim omnia præstat vna MORS, quæ hominem tegit, inuoluit, ligat. Simili *Symbolo Peccatum* exprimitur per *vestimentum*, & *zonam* Psal. CVIII.

TELA.

Porro putauit S. Thomas. *Vinculum* vocari *Mortem* iusto Dei iudicio ordinatam: ac proinde *Telam* à Deo orditam, vt peccati vindice: quamuis Haymo, Emanuel Sà, alijque id ad Dæmonem referant, cuius inuidia *Mors* vt *Vinculum*, genus humanum constrinxit.

*Mors cum Vinculis frequenter.*

Frequenter autem in Sacris Litteris, dum *Mors* describitur, vel vt *Nexus*, *Funis*, *Laqueus*; vel cum his produci solet, vnde multa affinia fingantur *Symbola*. Psalm. XVII. 5. *Circumdederunt me dolores Mortis.* Hieronymus, *Funes Mortis.* Certè Hebraicum *chavle* חבלי tum dolores, tum funes significat: indeque fortasse Gallicum *chable*, quomodo funem crassiorem vocant, vt notat Lorinus. Hos *Mortis* funes, timorem, pauorem, tremorémque interpretatur post Origenem, Dionysius, scribens ijs etiam CHRISTVM circumdatum, cum cœpit pauere, tædere, mœstus esse, & contristari.

*Mar. XIV 33. Mat. XXVI. 37.*

Eodem Psalmo versu 6. *Dolores Inferni circumdederunt me* Idem hîc vocabulum, quod *Funes* Hieronymus vertit: & ad *Mortem* referunt, qui Infernum accipi volunt, pro sepulcro, vt Vatablus, Abulensis, alij. *Mors* enim hominem in sepulcro velut funibus constringit, & detinet. Ligat manus, & pedes institis, quas *Mortis* signa vocat Ambrosius Lib. de fide Resurrection. instrumenta etiam dicere potuisset.

*Mortis instita. Ioan. XI. 44.*

Iterum Dauid: *Præoccupauerunt me* LAQVEI MORTIS Laquei, funésque præter *Symbolum Venatoris*, de quo primo libro, indicat velut complicationem conspirantium *Mortis* satellitum, dolorum, & angustiarum: aut etiam morborum, qui quasi colligati ex compacto, & iunctim hominem inuadunt. Sic Psalmo CXVIII. 61. dicitur simili metaphorâ: *Funes peccatorum* (ἁμαρτωλῶν) *circumplexi sunt me.*

*Mortis laquei*

SYM-

## SYMBOLVM L.

# MORS

## VMBRA.

*Obſcurent eum Tenebræ, & Vmbra Mortis.*
Iob. III. 5.

VARIA inſunt VMBRÆ, ob quæ diuerſarum rerum eſt *Symbolum*: ſed vitæ potiſſimùm, ac *Mortis*, de illo ſuo loco. *Mortem* repræſentat, quia priuatio eſt luminis, vt *Mors* vitæ, quam participationem eſſe lucis indeficientis, & æternæ nemo negat. Aliam cauſam comminiſcitur Poëta

*Quocumque ingrederis ſequitur* MORS, *corpus, vt* VMBRA.

Quæ latebra eſt, in quam non intret tecum *Mors*, inquit Romanus Sapiens.

*Vmbra* nigra eſt ſemper: albam ego nunquam vidi, nec viſurus ſum vnquam: *Mors* atra: à qua cadauer, extincto calore vitali, & exhauſtis ſpiritibus atrum relinquitur.

Cuilibet corpori ſua eſt *Vmbra*: humano, humana. A canino vultu humanam quis ſperet *Vmbram*? corporis hæc ſui eſt, nec aſſimilatur alteri. *Mors Vmbra* eſt vitæ. Ab hac mala, ne illam ſperes bonam. Beata *Mors* non ſequitur vitam improbam.

AN non alterius eſt *Vmbra*, *Mors corporis*? Hanc *Vmbram* eſſe *Mortis* alterius, & grauioris, magiſque metuendæ docebo, ſi dixero, *Mortem* vocari debere, *Peccatum*, qua diſſoluitur arctiſſimus nexus inter DEVM & Animam, qui nexus eſt gratia quâ DEO, vt vitæ ſuæ, anima coniungitur. Agnouit hoc Philo in lege doctiſſimus, & ducit ex phraſi quadam in lege vſitata. Iubet Lex, vt homicida voluntarius *Morte* moriatur. *Cur non modò mori pronunciat, ſed* Morte mori? *Quia videli-* Phil. Lib. de Profugis.

 deli-

*delicet mali, etiamsi ad extremum pertingant senium, mortui sunt. quod virtuti non viuant. Probi verò, etiamsi seiungantur à corpore, in æternum viuunt.*

*Quod autem peccatum* Mors *sit, constare potest ex illo Ecclesiastici*: Ecce posui coram te *Vitam & Mortem*: bonum & malum. *Eodémque sensu*

Ecc.XV 17. Ps. CXIII.17. *dicitur Psalm.* CXIII. Non mortui laudabunt te Domine. *Caini impudentis fratricidæ* Mors *nusquam in lege inuenitur: imò extat de illo hoc oraculum.*

Gen.IV.15. Apposuit Dominus DEVS in Cain signum, ne quis eum inuentum interimeret. *Cur ita? opinor, quia impietas malum est infinitum, quod semel accensum, nunquam extingui potest. in quam quadrat illud Poëticum:*

*Immortale malum nulla delebile Morte.*

Ezech XVIII. 20. De eadem *Morte*, est illud Ezechielis: *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur.* Quod etiam de damnatione æterna rectè intelligitur.

Huius igitur *Mortis* vmbra est *Mors corporea.* Audi Gregorium

Greg. Lib. IV. Mora. cap 9. & 17. Iob. III. acutè de hoc *Symbolo* disputantem, dum exponit illud Iobi: *Obscurent eum tenebræ, & vmbra Mortis. In Scriptura-sacra* Vmbra Mortis *aliquando obliuio mentis accipitur, aliquando imitatio Diaboli: aliquando* Mors carnis.

VMBRA *enim* MORTIS *obliuio mentis accipitur: quia sicut* MORS, *hoc quod interficit, agit, vt non sit in vita: ita & obliuio hoc, quod intercipit, agit, vt non sit in memoria. Vnde & rectè, quia Ioannes Hebræorum populo, eum, cuius obliti fuerant* DEVM *prædicare veniebat, per Zachariam dicitur:* Illuminare

Luca I. his qui in tenebris, & in *Vmbrâ Mortis* sedent. *In* vmbrâ *enim* Mortis *sedere, est à diuini amoris notitiâ in obliuione latescere.*

VMBRA MORTIS *imitatio antiqui hostis accipitur. Ipse enim qui* MORTEM, *intulit,* MORS *vocatur, Ioanne attestante, qui ait*: Et nomen illi Mors. *Per* Vmbram *igitur* Mortis *eius imitatio designatur, quia sicut*

Apocal.VI. Vmbra *iuxta qualitatem corporis ducitur, ita actiones iniquorum de specie imitationis eius exprimuntur. Vnde rectè Isaias, cùm gentiles populos ab antiqui*

Isa.IX. *hostis cerneret imitatione defecisse, eósque ad veri Solis ortum resurgere, quæ certo futura considerat, quasi ex præteritis narrat, dicens*: Sedentibus in tenebris & *Vmbra mortis*, lux orta est eis.

VMBRA *etiam* MORTIS, Mors carnis *accipitur: Quia sicut vera* Mors *est, quâ anima separatur à Deo: ita* Vmbra Mortis *est, quâ caro separatur ab anima. Vnde rectè voce Martyrum per Prophetam dicitur*: Humiliasti

Ps XLIII. nos in loco adflictionis, & operuit nos Vmbra Mortis. *Quos enim constat non spiritu, sed sola carne mori, nequaquam se vera Morte sed* Vmbra Mortis *dicunt operiri.*

*Quid est ergo quod B. Iob ad obscurandum diem praua delectationis postulat*

*lat* Vmbram Mortis: *nisi quod ad delenda peccata ante Dei oculos & hominum, Mediatorem requirit, qui solam pro nobis* MORTEM *carnis susciperet, & veram* MORTEM *delinquentium per* Vmbram *suæ* Mortis *deleret? Ad nos quippe venit, qui in* Morte spiritus, carnisque *tenebamur: Vnam ad nos suam* Mortem *detulit: & duas nostras, quas reperit, soluit. Si enim ipse vtramque susciperet, nos à nullâ liberaret. Sed vnam misericorditer accepit, & iustè vtramque damnauit. Simplam suam duplæ nostræ contulit, & duplam nostram, moriens subegit. Vnde & non immeritò vno die in sepulchro, & duabus noctibus iacuit, quia videlicet lucem suæ simplæ* Mortis *tenebris duplæ nostræ* Mortis *adiunxit. Qui ergo solam pro nobis* Mortem carnis *suscepit,* Vmbram Mortis *pertulit, & à Dei oculis culpam, quam fecimus, abscondit. Dicatur igitur rectè:* Obscurent eum tenebræ, & Vmbra Mortis, *ac si apertè diceretur. Ille veniat, qui, vt à* Morte carnis *&* Spiritus *debitores eripiat,* Mortem carnis, *non debens, soluat.*

Festiua est hæc Magni Papæ fictio, qua *Vmbra Mortis*, quam sponte humanæ libertatis assertor suscepit, in arenam descendisse concipitur, cum duabus furiis, quarum altera *Mors* fuerit *Vmbratilis*; altera, *Vera*, quibus mortalium plerique infestátur: has verò ab vna illa *Vmbrâ* penitùs fuisse superatas, fugatásque: non *Vmbra*, sed illius virtute, qui, quia infinitæ est potentiæ, *Vmbrarum* phalange, æquè ac cataphractorum exercitu numerosissimas hostium fugare nouit copias.

Similes *Vmbræ Mortis* significationes symbolicas adferunt Interpretes Psalmorum Dauidicorum, in quibus sæpè occurrit illius mentio, Ps. XXII. vt suam in Deum confidentiã ostendat, Psaltes ait, nullũ sibi fore metum, etiamsi ambulauerit, i. e versatus fuerit in me- *Psal. XXII. 2.*
dio *Vmbræ mortis*. Quam aliqui exponũt de extremo vitę discrimine, quâ pereunte, videntur succedere tenebræ siue quia sensuũ facultas adimitur: siue quia demortuorum corpora in tenebricosis abduntur specubus, ac sepulchris. Ob quam fortasse causam cum *Vmbra Mortis*, tenebræ coniungi solent, & vocatu *Caligo Mortis*. Quo circa idem vi- *Iob III. 5.*
detur esse, *Ambulare in medio*, aut, *in valle Vmbræ Mortis*, atq; adeò vicinũ *Isa. IX 2. Matth. IV. 16.*
esse *Morti*, vt hæc *Vmbra* suâ pedes attingat: quomodo exponit ibidẽ *Luc 1. 17.*
Lorinus. Qui addit, intelligi posse de locis imis, obscuris, periculosis *Psalm. LXXXVII. 7*
& inferno proximis, vnde proijcitur quodammodo *Mortis* ibi sedẽ *Psal. 106. 10. 14.*
habentis *Vmbra*. *Carcerẽ* sic quoq; posse appellari, & *Tenebras exteriores*, *Iob X 22.*
de quibus apud Matthæum: Sunt enim in illo *Tenebræ*, ac continẽtur *Matt. VIII. 12*
*Mortis* rei, & ob incõmoda, quæ inibi plurima, *Mortem* adferre solet. *cap. XXII 13.*

*Vmbra Mortis, Larua. Iob. x. 22.*

Sunt ibidem *Laruæ*, ac ſpectra horrifica, quæ per *Vmbram Mortis* ſignificari docet Ioannes de Pineda in deſcriptione præclarâ regionis ſubterraneæ, quam inſtituit Iob cap. x. Vbi vocat illam *Terram miſeriæ & tenebrarum, vbi vmbra Mortis*: quam antea appellauęrat *Mortis caliginem*: quia *Mors* tetra & caliginoſa obſcuris, cæciſque luminibus omnem lucem aduerſatur. Et Philippus quidem Presbyter pœnas intelligit, quę coniunctæ ſunt cum *Morte*. S. Thomas, ſimilitudinem *Mortis*, eo quod omnia, quæ ibi geruntur *Mortis* anguſtias lethales & agoniam repræſentare videantur. Sed quis neſcit tenebras ſpectris, viſiſque horrendis eſſe terribiles, infeſtas, formidandas? vt depingitur graphicè Sap. XVII. quæ *Vmbræ* videntur appellari, à Poëta:

*Virg. Lib. VI. Æneid. Et Lib. II.*

*Vmbrarum hic locus eſt, ſomni, noctiſq; ſoporæ.*

*Status peccati.*

*Bernar. De lamnat ad Gul. Abb.*

Alibi *plurimam Mortis imaginem* nominat. Verùm, per *Vmbram Mortis* ſignificatam volunt, cum Gregorio, Origenes, & Bernardus miſerabilem peccatorum ſtatum; obſcuritatem ignorantiæ; tentationum pericula. Euſebius autem, *Mortem* naturæ debitam, quæ ad Animæ comparata *Mortem* per peccatum, non tam vera *Mors*, quàm *Mortis Vmbra* ſola cenſeatur.

Non ineptè etiam Ioannes Lorinus, *Pericula Mortis, Vmbram* eius vocari exiſtimat: quoniam ſicut *Vmbra* conſtat velut ex corpore oppoſito, luminíſque priuatione: ita quicquid mortali corpori *Mortem* adferre poteſt, tanquam *Vmbra* rectè concipitur, quæ ex ipſa corporis mortalitate, dum adhuc lucis vſura fruitur, proijcitur, propter oppoſitum quoddam lethiferarum cauſſarum, quæ vel intra ipſum corpus ſunt, licet extrinſecus aliquando aliæ ſuperueniant.

In hac ferè *Symboli* expoſitione conueniunt SS. Baſilius, & Chryſoſtomus, dum exponunt illam fidelium proteſtationem: *Humiliaſti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos Vmbra Mortis.* Quod Hieronymus legit, *operuiſti nos Vmbra Mortis*, Latinus diceret ex Columellâ, *operculaſti*, vt, *Vmbra Mortis* concipiatur tanquam *Operimentum*, vel *Operculum*, quo indicari putant ineuitabilia mala, quæ nec vllam liberationem, nec minimam reſpirationem, vel ſpondeant, vel permittant Sic *ambulare* quis dicitur *in medio Vmbra Mortis*, vt quodammodo

ab

ab illâ cingatur, ambiaturque. Sed magna sint pericula oportet, quæ sicut *Vmbra* corporis, ita illa *Mortis* referant similitudinem.

Remigius Psalmorum interpres nauâ inuentione, *Vmbram Mortis* pro iis accipit: qui suâ potentiâ, diuitiis, malâ conuersatione obumbrant ad *Mortem*, vel, quos premit ignorantia veritatis. Verùm D. Augustinus & alij plerique, *Mortis Vmbram* accipiunt pro hac mortalitate in comparatione ad damnationem æternam, quæ sola *Mortis* veræ nomen meretur: hæc est *Mors secunda*. Ipsimet dies vitæ nostræ *Vmbra* sunt: quid ergo *Mors* nisi *Vmbræ Vmbra*? Seculum nostrum in illuminatione vultus Dei, *Vmbra* & *Nihil*. Quid *Mors*? *Nihili Vmbra*. O inanitas! Apoc. 11. 1. Ps. XCIII. 4.

# SYMBOLVM LI.

# MORS

## TENEBRÆ.

*Lux in Tenebris lucet, & Tenebræ eam non comprehenderunt.* Ioan. 1. 5.

IOANNES Euangelista inter Verbi Diuini Encomia ponit, quod sit, *Lux hominum*: & vera quidem, quæ illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum. Addit deinde, fuisse etiam vitam. *Vita erat lux hominum*. Quo loco quærit subtiliter Maldonatus: Quid Vitæ cum Luce? aut, quomodo Vitæ ac Lucis vocabula, résque significatæ cohæreant? Respondet haud malè: solere *Scripturam sacram* appellare VITAM, LVCEM: MORTEM verò TENEBRAS. Quia dum viuimus, Lucem cernimus: mortui lucem non videmus: sed vt Scriptura loquitur, habitamus in Tenebris, *& vmbra Mortis*. Sed plura sunt in *Luce*, plura in *Tenebris*, quæ illam *Vitæ*, hanc *Symbolū Mortis* constituunt. Breuiter Cicero. *Anima non aliter quàm Sol lucem diei, vitam tribuit carni, cum venerit*: Mortem *efficit, cùm recedit*: nempe lumen Cic. 1. Tusculan.

aufert, inducit tenebras. Quot sunt qualitates Tenebrarum, tot sunt proprietates MORTIS.

# SYMBOLVM LII.

# MORS---VITA.

# VITA--MORS.

*Temporalis Vita æterna vitæ comparata Mors est.*
Gregor. Hom. xxxvii. in Euang.

SATISFACIAMVS vulgo, cui mirum videtur, idem contrariorum esse *Symbolum*; *Vmbram*, *Vitæ*, ac *Mortis*. Cessabit admiratio si eandem esse rem dicamus vtrumque: & MORTEM esse VITAM: & è conuerso, VITAM esse MORTEM: reapsè ne an *Symbolicè*? Elige, quod libuerit. Mihi *Vita*, *Mortis* videtur *Symbolum* elegans, *Mors Vitæ*. Hæsit Augustinus, tanta est vtriusque germanitas, & scitissimè ludit in re minime ludrica.

VITAM-ne, inquit, Te dicam MORTALEM, aut MORTEM VITALEM? Ex quo enim quisq; in isto corpore morituro esse cœperit, nunquam in eo non agitur, vt MORS veniat. Hoc enim agit eius mutabilitas toto tempore vitæ huius: si tamen *Vita* dicenda, vt veniatur in *Mortem*. Nemo enim est, qui non ei post annũ sit, quàm ante annũ fuit, & cras, quàm hodie, & hodie, quàm heri, & paulò post, quàm nũc, & nunc, quàm paulò ante propinquior. Quoniã quicquid temporis viuitur: de spacio viuendi demitur, & quotidie fit minus, minú'que quod restat: vt omninò nihil sit aliud tempus vitæ huius, quàm *Cursus ad Mortem*. In quo nemo vel paululum stare, vel aliquanto tardius ire permittitur: sed omnes vrgentur pari motu, nec diuerso impellũtur accessu. Neque enim cui vita breuior fuit, celerius diem duxit quàm ille, cui longior: sed cùm æqualiter, & æqualia momenta raperentur ambobus, alter habuit propius, alter remotiùs: quo non impari velocitate ambo currebant. Qui ergo vsque ad *Mortem* productiora spacia temporis agit, non lentiùs pergit, sed plus itineris conficit.

S. Augustin. Lib. xiii de Ciuit. cap 10

Omnibus igitur vitæ partibus *Mors* adhæret: imò si Thaleti credimus, non est inter VITAM & MORTEM discrimen: Viuendo

mori-

morimur: moriẽdo viuemus. Quin & mori deſinemus cum viuere.

Porro ſi ex illo quiſque incipit mori, hoc eſt, eſſe in *Morte*, ex quo in illo agere cæperit ipſa MORS, id eſt, vitæ detractio (quia cũ detrahendo finita fuerit, poſt *Mortem* iam erit, non in *Morte*) profectò, ex quo eſſe incipit in hoc corpore, in *Morte* eſt. Quid enim aliud diebus, horis, momentiſque ſingulis agitur, donec ea conſumpta *Mors*, quæ agebatur, impleatur: & incipiat iam tempus eſſe poſt *Mortem*: quod cum vita detraheretur, erat in *Morte*?

Nunquã igitur in *Vita* homo eſt, ex quo eſt in corpore iſto, moriente potiùs, quàm viuente: ſi & in *Vita*, & in *Morte* ſimul non poteſt eſſe. An potius & in *Vita* & in *Morte* ſimul eſt: in *Vita*, ſcil. in qua viuit, donec tota detrahatur: in *Morte* autem, quia iam moritur, cum vita detrahitur? Si n. non eſt in *Vita*, quid eſt, quod detrahitur, donec eius fiat perfecta conſumptio? Si autem non eſt in *Morte*, quid eſt vitæ ipſa detractio? Non enim fruſtra cum *Vitâ* fuerit corpori tota detracta, poſt *Mortem* iam dicitur, niſi quia *Mors* erat, cùm detraheretur. Nam cùm ea detracta, non eſt homo in *Morte*, ſed poſt *Mortem*: quando niſi cùm detrahitur erit in *Morte*.

Ingenioſè Auguſt. Sed cùm hinc conſequi videatur, eundem ſimul viuentem eſſe, ac morientem; imo viuentem, & mortuũ, quod videtur paradoxum, & hoc ſubtiliter examinat. Si abſurdum eſt, vt hominem antequam ad *Mortem* perueniat, iam eſſe dicamus in *Morte* (cur enim propinquat peragendo vitæ ſuæ tẽpora ſi iam in illa eſt) maximè quia nimis eſt inſolens, vt ſimul & VIVENS eſſe dicatur, & MORIENS, cùm vigilans, & dormiens ſimul eſſe non poſſit, quærendum eſt, quando erit *Moriens*. Etenim antequam *Mors* veniat, non eſt moriens, ſed viuens: cum verò *Mors* venerit, mortuus erit, non moriens. Illud ergo eſt adhuc ante *Mortem*: hoc iam poſt *Mortem*. Quando ergo in *Morte*? tunc enim eſt *Moriens*. Vt quemadmodum tria ſunt, cum dicimus. *Ante Mortem*; *In Morte*; *Poſt Mortem*: ita tria ſingulis ſingula *Viuens*, *Moriens*, *Mortuúſque* reddãtur. Quando itaque ſit *Moriens*, id eſt, *in Morte*, vbi neque ſit viuens, quod eſt ante *Mortem*: neque *Mortuus*, quod eſt poſt *Mortem*: ſed *Moriens*: id eſt, *in Morte* difficillimè definitur.

Quam diu quidpiam eſt anima in corpore maximè ſi etiã ſenſus adſit, procul dubio viuit homo, qui conſtat ex anima & corpore: ac per hoc *ante Mortem*; non *in Morte* eſſe dicendus eſt. Cum verò ani-

anima abscesserit omnémque abstulerit corporis sensum, iam post *Mortem*, mortuú'que perhibetur. Perit igitur inter vtrumque, quomodo *Moriens*, vel in *Morte* sit. Quoniam si adhuc viuit ante *Mortem* est: si viuere destitit; iam post *Mortem* est. Nunquam ergò *Moriens*, id est, *in Morte* esse comprehenditur.

Hæc quamuis ingenium distrahant: respondet tamen S. Doctor: Consuetudinem loquendi Sacrarum-scripturarum seruãdam esse. In ea autem est, vsitata phrasis: *Ante mortem*: nempe, priusquam *Mors* accidat: &, *Post mortem*: anima è corpore egressa. De præsenti etiam vulgaris est sermo: *Moriens* ille testatus est, & illis atque illis, illud atque illud *Moriens* reliquit: quamuis hoc quisquam, nisi viuens omnino facere non posset: & potius hoc ante *Mortem* fecerit, non in *Morte*.

An igitur hæc omnia bellè conueniunt? quia iuxta *Symbolum*, quod tractamus, MORS, *est* VITA: & VITA est MORS *Vitalis* hæc, *Mortalis* illa: vt qui viuit, *Moriens* dici posset, nec minus in *Vitâ*, quam in *Morte* esse.

*Quotidie morimur. Sen. Epist. xxiv.*

Si *Moriens* est, qui moritur: profectò cuilibet nostrûm dum vitam hanc mortalem degimus, ea denominatio conuenit: Nam quotidiè morimur: quotidiè enim demitur aliqua pars vitæ: & tunc quoque cum crescimus, vita decrescit. Infantiam amisimus: deinde pueritiam: deinde adolescentiam. Vsque ad hesternum, quicquid transiit temporis, periit. Hunc ipsum, quem agimus diem, cum *Morte* diuidimus. Quemadmodum clepsydram, non extremum stillicidium exhaurit, sed quicquid ante defluxit: sic vltima hora, quâ esse desinimus non sola MORTEM facit: sed sola consummat. Tunc ad illam peruenimus: sed diu venimus

*Lud. Viues Lib. xiii. de Ciu. cap. 10.*

*Mors non vna venit: sed quæ rapit vltima* MORS *est*.

Hæc Seneca, ex quo magnam partem desumpsit Augustinus, vt notat Ludouicus Viues. Similia habet Plutarchus opusculo de *ei* Delphico. Breuiter Quinctilianus in Mathematico: *Omnis nos hora per tacitos fallentesque cursus applicat Fato: & in hac misera perpetuitatis cogitatione districti per exigua festinantis æui momenta præmorimur.* Pleni sunt istiusmodi sententiis Philosophorum, & Poetarum libri. E quibus selectas eleganter connectit, aut suas potius facit

Ioan-

Ioannes Mariana Lib. I. de Morte & Immortalitate ca. XII. cuius titulus: *Quotidie morimur*: vbi disputatione præmissa, infert: Ita si verè loqui volumus, VITA, continua MORS dici debet: falsò in speciosum *Vitæ* nomen inuasit. Ac quæ *Mors* vocatur, non *Mors*, sed finis potius moriendi est. *Mors vnicum vitæ nostræ bonum, & solenne æternitatis animæ nostræ Natale* Seneca. Quocirca non omninò imprudēter gens illa, quæ editos in lucem fœtus lacrymis prosequebantur: in suorum *Morte*, quasi labore finito, instaurabant ludos, tripudia, conuiuia. His consona Theognis Siculus, & Euripides Tragicus: Optimum fore hominē non nasci: natū certè redire cōtinuò ad inferos, quæ sunt apud Theodor. Lib. v. de curandis Græcanicis affectionibus. Acutè a. Græcum epigrāma nos in horas & momenta nasci ait: ergo & mori.

*Vita debet dici MORS.*

*Thracia.*

Νυκτὸς ἀπερχομένης γενώμεθα ἦμαρ ἐπ' ἦμαρ,
Τοῦ προτέρου βιότου μηδὲν ἔχοντες ἔτι.

Quid mirum itaque, si incogitantibus nobis obrepit MORS, sub *Vitæ* nomine fallax?

Denique, ne fallatur Vulgus. MORS definitur *Separatio animæ à corpore*. Hæc fieri fingitur in tempore. Itaque dum videtur deserere frigida membra, dicitur passim: incipit mori homo. Sic abcessus animæ, habetur accessus *Mortis*. Cùm anima penitus reliquit corpus: hoc *Mors* penitus inuasit. Igitur tunc in Morte dicitur esse homo: vel potius Mors in homine: idemque mortuus: Moriens verò, quando, vt ille dicebat, agit animā; seu, cū migrare putatur, quæ momēto euolat.

*Mart. Si desit quod agas Attale, agas animam.*

Ludouicus Viues ad Lib. XIII. Aug. de Ciuit. *Si is dicitur mori, in cuius corpore agitur, vnde incipiat anima abire, profectò* VITA *nostra tota dicēda est* MORS. *Ex quo enim nati sumus, qualitates corporis pugna sua* Vitam *expellere conantur, & certè sensim detrudunt. Quæ causa veteribus plerisq; Philosophis fuit dicendi, incipere nos in ortu mori, finémque* Mortis *esse, quem nos dicimus* Vitæ: *siue quia tunc verè incipimus viuere: siue quia, vt alij dicebant, tunc perfectè est* MORS, *& abijt* secundum hæc variæ de Morte explicandæ sunt loquutiones multorum. Virgilius

*Vita tota Mors.*

*Priamus quamquam media iam* Morte *tenetur.*
Morte *Neoptolemi regnorum reddita cessit*
*Pars Heleno* -----

Obsignet hæc omnia celebris magni Papæ sententia: *Temporalis vita æternæ vitæ comparata* Mors *est potius dicenda, quàm* Vita: *ipse n. quotidianus defectus corruptionis, quid est aliud quàm quædam prolixitas* Mortis? Ita sese res habet, *Vita* hæc mortalis, est lenta longaque *Mors*, sed vitalis.

*S. Greg. Hom. XXXVII. in Euang.*

Mmmm SYM-

# SYMBOLVM LIII.

## MORS---AMOR.

## AMOR---MORS.

*Fortis est, vt Mors, Dilectio.* Canticor. VIII. 6.

*Mortis & Amoris paritas.*

TANTA est *Amoris*, & *Mortis*, rerum alioqui diuersissimarum, germanitas; identitas, diceret Philosophus recentior, vt vna sit vtriusque imago: idem effectus, idem officium, finitio eadem. Quis non dicat esse idem *Mortem* & *Amorem*? Sed si hoc neget *Physica*, adfirmabit *Symbolica*. Nam reuerà non solùm vtriusque idem est *Symbolum*. Sed vnum est alterius. *Mortis Symbolum, Amor: Mors, Amoris*.

*Cic. 1. Tusc.*

MORS est *Discessus animi à corpore*, vt ex quorundam sententia Cicero arbitratur. Si lubet videre quomodo discedat subtilior illa, ac liberior hominis pars, amantem intuere, cuius anima ecstasim passa, magis est, vbi amat, quam vbi animat. Imò, ibi & tota, cum nullibi esse possit, nisi tota, quia impartibilis, & indiuidua.

Sed & *Amor* est *Excessus*. Nonne Moses, & Elias, CHRISTI *Mortem* verissimè *Excessum* appellarunt? *Dicebant* Excessum *eius, quem completurus erat in Ierusalem*, Luc. IX. 31.

*Plato in Phaedon. Philip. 1. 2. Timoth. 4.*

MORS *dissoluit*: imò est ψυχῆς καὶ σώματος διάλυσις: *Animæ & corporis dissolutio*.

*Cupio* dissolui, *& esse cum Christo*, aiebat Paulus. Et *Tempus* resolutionis *meæ instat*. Soluitur vitale vinculum.

--- *atque in ventos vita recedit*.

Et AMOR est *Resolutio*, quam etiam efficit.

*Et mihi dulce magis* resoluto *viuere collo*:

optabat amans. Quæque *Amorem* se reconciliare posse mentitur.

*Hæc se carminibus promittit* soluere *mentes*.

Nec mortui magis, quàm amantes, dissoluti sunt, nexus omnis impatientes, vt custodiæ.

Qui

Qui *Mortem* dixit *Regressum* ad primam originem, non aberrauit admodum: Sicut nec, qui esse voluit *Quietem* in centro

*Nam quodcumq; suis mutatum finibus exit,* Lucr.
*Continuo hoc* MORS *est illius, quod fuit ante.*

In tenebris iacebamus antequam in lucem essemus editi, nondum concepti, in easdem tenebras per *Mortem* corpus reuoluitur. *Mors* in eundem statum, eandémque conditionem, in qua erant, antequam essent mortales, id est, vt non sint, constituit: si quidem quod mortale est, spectes. Nimium dixit Physicus Poeta:

*Mors in terra gremio corpus deponit Amor animam in amati pectore.*

*Cedit item retrò de terrâ, quod fuit, ante,*
*In terras; & quod natum est ex ætheris oris,*
*Id rursum cœli stellantia templa receptant.*

Quid *Amor*? ad rem amatam, tanquam centrum tendit, in principium, à quo incepit amantem remittit: in desiderij centro facit, vt qui amat, quiescat: sic finis origini respondet, *Mors Amori.*

Ne quid desit similitudinis exactæ in vtriusque imagine *Mortem* æquè, ac *Amorem* cæcum fingunt Philologi: hinc fit, vt tela nonnunquam ex ignorantia commutent: & cæcorum more sagittas emittant, iaculetúrque *Mors* in iuuenes: *Amor* senes transuerberet: contrarium fieret, si oculati sagittas iacerent. Ingeniosum est de his cæcis emblema Alciati.

*And. Alciat. Embl. CLIV. De Morte, & Amore.*

*Errabat socio* Mors *iuncta* Cupidine: *secum*
Mors *pharetras, paruus tela gerebat* Amor.
*Diuertêre simul, simul vna & nocte cubarunt:*
*Cæcus* Amor, Mors *hoc tempore cæca fuit.*
*Alter enim alterius malè prouida spicula sumpsit,*
Mors *aurata, tenet ossea tela* Puer.
*Debuit inde senex qui nunc Acheronticus esse,*
*Ecce amat, & capiti florea serta parat.*
*Ast ego mutato, quia* Amor *me perculit arcu,*
*Deficio, inijciunt & mihi fata manum.*

*Parce* Puer, Mors *signa tenens victricia parce:*
*Fac ego amem, subeat fac Acheronta senex.*

Ital. de morte. Existimat Guicciardinus, hoc carmen à Poeta fictum, quo tempore in Italiâ vehemens pestilentia ita grassata est, vt permulti iuuenes conciderint mortui: senes verò permanserint illæsi, & incolumes.
Not. ad Alc. Ioan. Mar. Gall. lingu. Hæc fortasse origo emblematis. Materiam sumptã putat Claudius Minos, ex antiqua Græcorum fabulâ, de quâ Ioannes Marius. Fingitur mutatis *Mortis* & *Amoris* armis factum, vt senes *Amori* succumbant, cum potius ijs de fato imminente cogitandum esset: iuuenes verò immatura *Morte* decedant, quibus flos ætatis multos spondere annos videbatur. Epigramma alicubi legitur, quis Latinum fecerit ignoro:

*Forte locum horroris plenum, varijq; timoris,*
*Et* Mors, *& pennâ præpete venit* Amor.
*Dum trepidant animis, ignita Cupidinis arma*
Mors *capit, &* Mortis *frigida tela* Puer.
*Hinc enata lues nostros irrepsit in annos:*
*Hinc amat ipse senex: hinc perit omnis amans.*

Ioach. Bellaius in tumulis, & poematiis Latinis. Eiusdem penè argumenti carmen est Ioachimi Bellai, in quo *Mortis* & *Amoris* varia similitudo.

*Mutarunt arma inter se* Mors *atque* Cupido:
*Hic falcem gestat: gestat at illa facem.*
*Adficit hac animum: corpus sed conficit ille.*
*Sic moritur iuuenis: sic moribundus amat.*
*Vt secat hic iugulos, oculos excæcat & illa:*
*Illa vt amare docet: sic iubet iste mori.*
*Disce hinc humanæ, quæ sint ludibria vitæ,*
Mors *thalamum sternit: sternit* Amor *tumulum.*
*Tu quoque disce tuas Natura inuertere leges,*
*Si pereunt iuuenes, depereuntq; senes.*

Alcia. Emb. CLV. Gemina fictione Alciatus, cùm deflet immaturum Virginis teneræ obitum, increpat *Mortem*, tanquam funestissimi huius mali caussam: nimirum, quæ *Amori* domitanti tela detraxerit; quo effectum, vt postemodum lethiferis, pro blandis lætisque vteretur.

Cur

*Cur puerum* Mors *ausa dolis es carpere* Amorem.
*Tela tua, vt iaceret dum propria esse putat?*

Ita Poeta fingit. Aliæ sunt caussæ *Mortis* præproperæ: amoris impotentia, animi impetus immoderati, libido, crapula, Dei benignitas, ne fascinatio nugacitatis innocentiam contaminet: & quæ ceterarum est princeps, Fatum profanis: Prouidentia Ecclesiasticis scriptoribus. Quis tamen vetat Poetas indulgere ingenio, & lamentari.

*Ah virgo infelix, quid te libitina trucidat*
*Tam citò?* — Clau. Mino: l. C.
*Inuidit thalamo tumulus, quo tempore primas*
*Coniugij tædas ipse parabat* Amor.
*Sic penetrabilius telum fuit istud* Amoris
Mors *aberat:* Mortem *cuspide fecit* Amor.
*Sic malesuadus* Amor, Mortis *qui spicula dirus*
*Arripuit, quando lethifer omnis erat.*
*Sed nil nos questusque iuuant, mollesq; susurri,*
*Virgo iaces. thalamis aptior vna tuis.*
*Quam miserè ante diem Parcarum stamine rapta,*
*Conderis in tumulo, digna puella thoro.*

Sed vt sacris profana temperemus, memores personæ, quam agimus memores instituti. Vtitur eodem *Symbolo* diuinus sponsus in Epithalamio cœlesti. (Cant. viii. 6.) Nam idem robur, eadem arma, eundem vtrique vultum tribuit: *Fortis est vt* MORS DILECTIO. LXX ta. *Valida vt* MORS, CARITAS, dicere possis: *Inuictus tanquam* MORS, AMOR. Quæ à sponso dici Patres arbitrantur: & si affixa Massoretarum tollas, vt monet ibi Delrius, bellè eidem conueniunt: & de *Amore* Dei ac Diuinorum intelliguntur. Audi Interpretem moralem, è summis, Maximum (S. Greg.): *Benè procul dubio*, Fortis vt MORS Dilectio esse dicitur: *quia dum per dilectionem à vitiis mortificamur, quod* Mors *agit in sensibus corporis, hoc agit dilectio in cupiditatibus mentis. Sunt enim nonnulli, qui sic diligunt* DEVM, *vt omnia visibilia negligant, &, dum in æterna, mente tendunt, ad omnia temporalia penè insensibiles fiunt. In his nimirum, fortis, vt* Mors Dilectio *existit: quia, sicut* Mors *exteriores corporis sensus ab omni proprio & naturali appetitu interficit: Sic* Dilectio *in talibus viris omnia terrena desideria contemnere, mentem aliàs intentam compellit.*

Ad Col III.9. *Huiusmodi mortuis & viuis dicebat Apostolus:* Mortui enim estis & vita vestra abscondita est cum CHRISTO in DEO. *Hi procul dubio vitam suam cum* CHRISTO *abscondunt: quia dum omnia, quæ videmus post ponunt: in his, quæ non videmus, in beatitudine scilicet* CHRISTI, *veraciter & secretè viuunt. Quia enim falsam vitam despiciunt, quæ visibiliter apparet, in vera vita se abscondunt, quæ non nisi inuisibilibus oculis se manifestat.*

Theodoretus in eadem comparatione vtriusque dominium respicit. Gen. II. 17. *Quemadmodum enim* Mors *post latam à* DEO *sententiam, omnibus dominatur: sic* Amor *superat omnia, adeò vt* Mortem *quoque vincat.*

Alium *Mortis* effectum *Tres-Patres* apud Theodoretum expendunt. *Amor enim perfectus*, Mortis *instar, omnes ad malum motiones, & impetus sedat.*

Gregorium Honorius imitatur, *&* Fortis est, inquit, vt Mors Dilectio: *quia sicut* MORS *corpus interimit, & insensibile reddit: ita vera* Dilectio *animam concupiscentiis mundi perimit, & ad cuncta desideranda insensibilem facit.* Eodemque modo *Mortis Symbolum* exponit Absolon Abbas. Rupertus verò Tiutiensis. *Sic* Mors, inquit, *sicut* Infernus: *ita* & Amor nulli parcit, omnibus immitis.

Abs. Abba Ser. XXIX

Diuortium faciunt Mors, & Amor.

Fusius Guilhelmus ad dissociationem, quam *Mors* facit, attendens. *Fortis est vt* Mors Dilectio: *illa nimirum, quæ paulò post* caritas *dicitur, quo nomine bonus & pius* Amor *signatur. At quam fortis est* Mors? *amicitias iunctissimasque substantias, & quas nihil aliud dirimere potest, animam scilicet & corpus potenter dissociat. Sic & virtus caritatis hominem & mundum, quantalibet sibi pace cohæreant, sola fortiter dirimit, atque etiam eo ipso hominē* DEO *cohærere facit. Et quidem homo, quàm diu per amorem inhæret mundi: procul dubio, mundum ponit vt signaculum super cor suum, vt signaculum super brachium suum: mundo se intus & foris, voluntate & opere, vt signaculo imprimit, & quanto magis illi per amorem imprimitur, tanto illi conformior efficitur.*

*Sed* Caritas *hominem mundo conformem transformat: quia vt signaculum, ita & formam mutat. Hominem ab amore mundi potenter auellens insigniendo nouum signaculum* CHRISTI, *imprimit, & sic per expressionem nouæ formæ veterem expellit. Et quanto magis hominem ab amore mundi separat: tanto magis illum per conformitatem* CHRISTI *transformat. Cùm autem perfectè fuerit transformatus, hilari conscientia cum Paulo dicit: Viuo ego, iam non ego: viuit verò in me* CHRISTVS. *Et illud eiusdem Apostoli: Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.*

Gal. II. 20. Gal. VI. 14.

*Benè*

*Benè ergo dicitur.* Fortis est, vt Mors Dilectio. *Quasi dicat, Nihil impossibile moneo, quia sola ad hoc* Caritas *sufficit, quæ nimirum instar* Mortis *animam à corpore extorquens, hominem ab amore mundi fortiter abstrahit, & informandum illum mihi, vt signaculum imprimit: & pro accepta à me forma, tam robustum in eo Zelum excitat, vt nullis illecebrarum blanditiis, nullis aduersitatum violentiis cedat.*

Addit quidpiam Honorius ab aliis non animaduersum, & ad analogen spectat: *Quia sicut* MORS *omnes reprobos traxit ad interitum: ita* AMOR DEI *omnes electos trahet ad gaudium.*

Suauiter Poeta pius:

*Et mobilis, & instrenua.*
*Fugiens molestiarum,*
*Sitiens voluptatũ suæ*
*Affectio est amantum.*
*Dum corpori solubile*
*Hærere corpus instat.*
*Sed fortior, constantior,*
*Feruentiórque longè*
*Procliuis ad quæque grauia*
*Exhaurienda semper*

Amor *beatis sedibus*
*Demissus has in oras.*
*Deum ante ponit omnibus.*
*Quæ sunt creata cunque.*
*Pro quo* Mori *trecenties*
*Nec paullulùm timescit.*
*Haud molle fatu perpeti*
*Quid hic, putas, recuset?*
*Amantium ardenter Deum*
*O fortitudo salue.*

Iac. Pontanus in Florid. Lib. 1. spons. lium.

Quanta *Mortis* & *Amoris* similitudo? quanta in vtroque vis? *Mors* falce animam à corpore dissecat: *Amor* hominem à mundo, & à se ipso. Gladius eius penetrabilior, ad vsque animæ & spiritus diuisionem pertingens. Hebr. IV.

*Mors* est *Transelementatio*, vt aiebat quidam: *Amor, Transanimatio*: Vt non ineptè finxerit Plato: qui mutuo in amicum amore non fertur, enecare amicum, quia animam illius aufert, nec in ablatæ locum aliam substituit.

Tractauit hoc argumentum ingeniosè Ioannes Petrus Camusius Episcopus Bellicensis in Homiliis quadragesimalibus. Et affinitatem, consanguinitatémque illorum in Sacra scriptura notat. Ioannis XV. *Maiorem hac nemo dilectionem habet, quàm vt animam quis ponat pro amicis suis.* Et si enim omnem homo daret, ac prodigeret substantiam, quasi nihil eam despiciat oportet.

Fer. V. post Dom. IV. Quadrag.
Ioan. XV.
Cant. VIII.

Quam primum *Amor* in homine dominatur *Mortem* aduocat, vt se alteram, *Eamus & nos & moriamur cum illo,* aiebat amore ardens disci- Ioan. XI.

discipulus: sed postea refrigescente caritate, *Mortis* refugit, morientísque consortium.

Cui armorum est amor, & belli, illi

Virg. 9 Æn. ––– *pulchrum mori succurrit in armis*

Qui patriæ salutem & incolumitatem amat, dicet:

Ho. Lib. III. Od. 2. *Dulce & decorum pro patria mori.*

Plura istiusmodi exempla congerit Camusius, vt ostendat, mox, vt aliquis violento amore succenditur, hinc sibi *Mortem* ob oculos ponere. Orestes pro Pilade amico suo mori paratus: nec non Orpheus ad inferos descendens Eurydicen vxorem inde reducturus: nec non Thesei eodem descensus, vt Pyrithoum amicum recuperaret: & Herculis Theseum repetentis clarissimæ quædam sunt imagines, in quibus easdem AMOR & MORS in Adfectuum theatro aguntac repræsentant.

Ex eodem selecta sunt nonnulla, quæ sequuntur. Ionathas *Mel* (quod Amoris est hieroglyphicum) comedit, & ecce *Mors* illi quam primum intentatur.

Alciat. Emb. CXI.

*Pallas hunc vulnere Pallas Immolat.* ----

Omni qui nimio quodam *Amore* peccat *Mors* in foribus est. *Amor* animæ ipsi quoddam *Mortis* est genus: sed corpori vita. Ipse enim teste Platone, omnis elegantiæ atque vrbanitatis est pater: & quos occupauit, excitatos reddit. At *Mors* quidam *Amor* est, quem corpus habet erga terram: sed Animæ vita, quæ ab hisce vinculis & pedicis expedita ad ortus sui locum liberius euolat.

MORS est quædam *Vita moriens*: cum sit dierum terminus nostrorum, & vitæ finis. Est item viuens quædam *Mors*, omnes quippe viuentes prosternit: & *sceptra ligonibus æquat*.

Cant. V. Ps. LXXII. Quid *Amor*? Est *Vita moriens*, vt sacræ sententiæ insinuant. *Anima mea liquefacta est: Defecit cor meum & caro mea.* *Mors* etiam quædam viuens est: excitat enim animi deliquia & spasmos. Quid enim aliud

Spasmus. est *Spasmus*, quam quoddam *Vitæ Mortisque* interregnum, & crepusculum: quod nec diem dicere, nec noctem potes. Sentiebat ita ad diui-

Cant. II. Cant. V. na anhelans sponsa dum clamaret: *Fulcite me floribus, stipate* [illegible] *malis, quia amore langueo, Nunciate dilecto meo, quia amore langueo.*

*Mors* quidam *obitus* est: *Amor Transitus*: vera Pythagoræ metem-

tempsychosis, ac vnitio, quâ ferrum igni, aqua vino; cera vna liquefacta alteri miscetur: id est, quæ duas animas in vnam coniungit, vti terræ corpora immiscet *Mors*.

Mirabilem corporum metamorphosim *Mors* efficit: sed non minus admirandam AMOR transformationum artifex.

MORS *Ignis* est, qui in cineres tandem omnia redigit. Eadem vis est *Amoris*: cui hoc peculiare, vt tanquam ignis artificialis, ac incendiarius in ea ardeat materia, à qua extingui deberet, ærumnarum, calamitatum, periculorum, *Aquæ multa non possunt extinguere caritatem*.

Ramus quidam caphuraceus ardens, & velut in naphthâ accensum incendium, ac bitumen, ipso sulphure sulphuratius, in quo ignem, quem semel concepit nunquam extinguas. Siquidem fortis ac vehemens *Amor*, ne *Mortis* quidem frigore extinguitur, nec sepulchro includitur: ac ne quidem ferali demortuorum glacie illius ardor mitigatur aut sopitur.

Exemplum Artemisia, cuius *Amor Morte* fuit potentior, dum mariti cineres, admirabili & in omne æuum nominanda mole quodammodo redanimauit.

*Felices ter & amplius,* Horat.
*Quos irrupta tenet copula, nec malis*
*Auulsus querimoniis,*
*Suprema citius soluit* Amor *die*.

Huc spectant Amore mortui, quos recenset Theatrum vitæ humanæ.

Bellissimum *Mortis Symbolum* est *Apis*, & libro primo est demonstratum: idem est *Amoris*. Canta Anacreon.

*Inter rosas* Cupido
Apiculam *iacentem*
*Non vidit, estq; punctus,*
*Manúmque sauciatus,*
*Mox eiulare cœpit*
*Et cursitans, volánsque*
*Ad candidam Cytheren:*
*Heu! occidi, occidi, inquit,*
*Vitamq; mater, efflo.*
*En me minuta serpens*
*Pennata vulnerauit*
Apem *vocant coloni.*
*Tum illa:* Apis *si acumen*
*Tantum facit dolorem:*
*Quantum putas dolere*
*Quos tu feris* Cupido?

# SYMBOLVM LIV.

# MORS.

## FVLMEN.

FVLMINIS effecta ſunt varia, & penè contraria, pro materiæ diuerſitate. Nam ſacculis non combuſtis, æs & argentum conflat intus: manente vagina enſem liquat: inuiolato ligno circa pila, ferrum diſſoluit: integrâ carne, & aliquando nulla ictus ignis-ve notâ exterius apparente, oſſa comminuit. Nonnunquam exteriora lædit: frãgitur, exuritúrque dolium: vinum ſpiſſatur concretúmque perſtat. Vel illæſo dolio, vinum fulmine exhauritur. An non hæc ſunt totidem effectuum à *Morte* & *Amore* in corpore, vel anima procuratorũ *Symbola*? MORS in corpus violentiam exercet: anima ſui iuris, intacta manet, ab ictu *Mortis* immunis. AMOR, dum corpori parcit exterius, animam, & quicquid in illa, incendit, inflammat, liquat. *Anima mea liquefacta eſt.*

Plin. Lib. II. c. 55. Lib. XXXVI. cap. 10. At multa ſunt quæ à *Fulmine* non tanguntur. Laurum non ici fulmine Plinius aſſerit, nec corallium, nec tabernacula, è pellibus vitulo marino detractis: quod è natatilibus hoc ſolùm animal non percutiat: ſicut nec è volucribus, aquilam. Nec deſunt, qui adfirment, ferẽtem lapidem hyacinthum, fulmine non tangi. Hęc ſi vera, deficit in his *Symbolum*. Nam poſtquam DEVS *Incarnatus*, & amare potuit, & emori, non eſt quod quis, quamuis ferreus, immunitatem ſibi aut à *Morte*, aut ab *Amore* ſpondeat.

Sed iuuat credere tam fictitia illa eſſe, quàm quæ de quorundã immortalitate mentiebatur fabuloſa antiquitas. Ita *Symbolum* erit plenius. Certè laurũ ſuo tempore de cœlo tactam ſcribit Vicomercatus ad c. x. Libri tertij Meteoror. Ariſtotelis. Quod autem ſpargitur de Hyacyntho fabulis accenſet Scaliger, Exercitationibus in Cardanum.

Vicomer. L. III Meteor. c. 10. Scal. Exerc. CXIII.

Venenata poſt fulminis plagã venenũ depõnere quidam ſcribũt: fortaſſe fulmen venenũ exurit. Exuritur *Morte* humana improbitas, quæ haud tardius, quàm venenũ necat. Quare hoc fulmine agi ſolet in noxias Reipub beſtias; ita à venenatis maior in hac ſyluâ libertas.

SYM-

# SYMBOLVM LV.

# MORS

## MEDVSÆ CAPVT.

NOTA est fabula: Medusæ crines olim aureos in angues fuisse mutatos: quantus inde aspicientium horror? nec iste solùm, sed immutatio: nam in lapides vertebantur intuere coram ausi. Hinc adagio: *Conspecto Gorgonis capite*. Et: *Instar Gorgonum*, apud Æschylū. Itaque vt *Terribilium terribilissimum*, ad cuius aspectum verè redduntur omnes stupidi, ac immobiles repræsentetur, è fabulâ crinitum Gorgonis caput accersitur: Nobile signum *Mortis*, sui contemplatione stuporem, & ἀναισθησίαν inducentis, quod Valerianus in Hieroglyphicis explicat. *Tit. Li. xvi.*

Philostratus in Perseo. Τὸ δέρμα τῆς γοργοῦς ἔχειν ἀπόθετον, μὴ ἐντυχόντες αὐτῷ λαοὶ, λίθοι γίνωνται. Seposito Gorgonis terriculamento, ne homines lapidescerent ipsi occurrentes.

Heliodorus Historiæ Æthiopicæ IV. ἡ δ' ὥσπερ τὴν γοργοῦς θεασαμένη κεφαλὴν, ἤ τι τῶν ἀτοπωτέρων ὀξύ τι καὶ μέγα ἀνέκραγεν. Illa autem non secus, quàm facie conspecta Gorgonis, aut alio terrifico monstro, altum vociferata est.

Non inconcinnè Alciatus deflens amici præmaturum obitum, Cenotaphium illi extruit, in quo Gorgonis caput à duobus Delphinis lambitur. *Delphin* φιλάνθρωπος, hominum amasius, Amicitiæ notam, *Medusæ caput*, sicut alibi, *Cranium* carne nudatum: alibi, *Cadauer* enerue, ac putridum *Mortis* speciem exhibet. Audi Poëtam.

*Qui teneras forma allexit, torsitq́ue puellas* *Emb. CLVI.*
*Pulchrior & tota nobilis vrbe puer.*
*Occidit ante diem, nulli mage flendus Aresti.*
*Quàm tibi, cui casto iunctus amore fuit.*
*Ergo illi tumulum, tanti monumenta doloris,*
*Astruis & querulis vocibus astra feris.*

*Multis ille quidem flebilis occidit. Nulli flebilior, quam tibi Virgili.*

*Me sine abis, dilecte: neq; amplius ibimus vna?*
*Nec mecum in studiis, ocia grata teres?*
*Sed te terra teget: sed fati* Gorgonis ora,
Delphinesque *tui signa dolenda dabunt.*

*Delphinus* præterquam, quod *Amoris* esset *Symbolum*, Cupidini sociatus, Amoris firmitatem ἱερογλυφικῶς denotabat.

Verùm, vt ad caput Emblematis redeam: Ne, quod eueniebat aliis, suo malo, experiretur Perseus, Minerua duce, caput illud cinctum anguibus, aspiciens ipsius imaginem in pellucente clypeo, abscidisse dicitur, auerso volatu. E Gorgonis porro sanguine volucer Pegasus exortus est, qui ictu vngulæ Musis fontem Parnassum aperuit. Latet aliquid sub hoc fabulæ inuolucro, quod mores instruat.

*Gorgonis caput* vt aiebam *Mortis* est *Symbolum*, quæ hominis obstupefacit sensum, si improuisa occurrat, & lapideos facit, ex carneis, tantum inijcit terrorem. Vis non moueri hoc terriculamento? non timere *Mortem*? Erige alis animum, veriorales, quam fabulosus Perseus: & sapientiâ manuductrice, horridum illud caput in Meditationis sacræ clypeo contemplatus, auerso è terrenis cupiditatibus vultu, contemptu vitæ mortalis, tanquam acuto ferro abscide. Hinc pinnata mens se extollet, quæ altius elata diuinarum cogitationum fontem aperiet, quibus sobriè ebria, MORTEM prouocare discet, non fugere.

## SYMBOLVM LVI.

# MORS
## EQVES.

*Ecce Equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen illi, Mors.* Apocal. VI. 7.

ITA MORTEM vidit in arcanis reuelationibus Ioannes Theologus.

Apo-

Apocalypſ. VI. 7. *Et cùm aperuiſſet ſigillum quartum, audiui vocem quarti animalis dicentis: veni, & vide Et ecce equus pallidus, & qui ſedebat ſuper eum, nomen illi* MORS *& Infernus ſequebatur eum: & data eſt illi poteſtas ſuper quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, &* MORTE *& beſtiis terræ.*

De ſenſu literali contenditur: nec n. conſentiũt, ſeu recẽtiores ſeu veteres. Illud certum, ꝙ ponit Alcazarius: *Mortem* & *Infernum* vt perſonas tragicas per proſopopæiam induci. Fingi autem *Mortem* in extimâ terræ ſuperficie degere, & *Infernum* in imis viſceribus: id eſt, in ſepulchris, & ſubterraneis ſpecubus commorari, ac in ſpacioſo illo antro, nempe terræ centro latente hiare. Fingi deinde, quos *Mors* de medio tollit, ilicò ab *Inferno* corripi, & corpora quidem in ſepulchris condi, ac corrumpi: animas aut torqueri ab eodem, aut ſaltem cauernis incluſas detineri, ijs exceptis quos *Mortis* triumphator ex *Inferni* faucibus eripit.

*Alcaſ Apocal. VI 7.8. Comm. Pererius Ribera Viegas. Seraphinus Firmanus Arias Montanus. Mercerius. Hortulanus in Cantic. Foreriꝰ in Iſa. XXX v. 4. Beda. Aretas. Rupertus. Ambroſius. Victorinus. Ticonius. Primaſius. Alc. Apoc. VI. Not. 4.*

Iſtud etiam bene obſeruat Alcazarius, *Mortis* proſopopæiam ſiue inductionem in eo conſtitui, quod perſonæ figura detur ei, ac ſi reuerà efficiens eſſet, cùm tamẽ propriè forma ſeu priuatio ſit. Quo pacto, inquit, Poëtæ perſonam *Amori* tribuunt, cùm manifeſtum ſit non dari alium *Amorem*, quàm qui formaliter in amantibus ineſt, quantumuis pingatur, tanquam cauſſa efficiens, quæ corda vulneret.

Sed quænam eſt hæc perſona, MORS dicta? *Mortem* hic *Symbolicè* quidam accipiendam putant, non propriè cùm enim exiſtiment diuerſas Eccleſiæ CHRISTIANÆ perſequutiones hic repræſentari, illarum autem auctores fictis perſonis exhiberi: per *Equum* intelligunt *Regnum* cuiuſque vel *Imperium*: per Seſſorem, *Principem*, vel *Tyrannum*. Et ſignatè quidem, *Equo pallido* exprimi *Romanum Imperium* ſub Domitiano arbitratur Blaſius Viegas. Is enim incredibilem metum Romanis, ac fidelibus potiſſimùm iniecit: ſiquidem ſenatorum bonam partem & optimatum aliorum in exilium relegauit, Ioannẽ deportari iuſſit, grauiſſimam in Eccleſiam perſequutionem excitauit, timore maximo, qui palloris eſt cauſſa, omnibus incuſſo. Eaſdem ob cauſſas, *Mortem* dici eum ipſum exiſtimat: quam ſequutus ſit *Infernus* ſiue per hunc intelligas *Diabolum* Tyranni exſtimulatorem: ſiue locum, in quem ipſe tandem eſt præcipitatus.

*Vieg. Com. VI.*

Franciſcus Ribera ad tertiam ſub Traiano perſequutionem

hæc refert. Ioachimus Abbas, & Cælius Pannonius, ad Agarenos Christianorum infestissimos hostes, Alij ad Gothos, Hunnos, similésque Ecclesiæ vastatores. Pererius ad Saracenos, vel regnum Diaboli, in Hypocritis. Probabiliter singuli, vt difficillimum sit, quis ad veritatem magis accesserit diiudicare. Sibi autem soli sensus genuini inuentionem certam adscribere, ceteris fastidiosè reiectis, nescio an sit sobriè sapientis.

Hoc autem non negant plerique ex nominatis Doctoribus, posse nihilominus *Mortem* propriè intelligi, quam solam expositionem admittit Alcazarius. Sed quid *Equus* designat? Hoc animal esse *Symbolum Imperij* in scripturis diuinis periti norunt: Regnum itaque atque dominium significare potest, quo in quattuor orbis partibus *Mors* potitur. Sic Zachariæ VI, in quatuor quadrigis, quatuor potentissima Imperia, Chaldæorum, Persarum, Græcorum, ac Romanorum denotata existimant.

Sed non minus ad rem nostram facit, quod Viegas docet; *Mortem* super *Equum* apparuisse, ob cursus velocitatem, pernicitatemque admirandam, qua mortales non solùm consequitur, tergo hærens plerisque, aut calces premens: sed sæpissimè præcurrit. Quod tunc potissimùm accidit, cùm illorum spes præscindit, vanásque consiliorum, ac rerum futurarum designationes derepente, tanquam anteuolans, præter omnem expectationem, conturbat, & quæ firmissima putabantur, dejicit. Hoc indicant illa *Symbola*, quibus vitæ humanæ breuitas repræsentatur, *Telæ succisæ*, *Cursoris*, *Nauis poma deportantis*, & his affinia, de quibus alibi.

Alcazarij alia est contemplatio, qui operosè probat, *Equum* esse *Symbolum* salutis, ac saluationis, iuxta illud Habakuci, *Ascendes super equos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio*. Quo loco Gueuarra interpretatur, Deum nunquam *Equum* conscendere, nisi ad saluandum: *Mortem* itaque *Equitem*, esse *Mortem* salutarem: nempe *Mortem* administram diuinæ benignitatis, qua, suos, persequutionum tempore è vitæ molestiis educit, ne superentur; vel prosperitatis aura adflante eripit, è medijs delitijs, ne decipiantur, vel alio tempore sibi noto, ipsis maximè ad salutem opportuno exportat, ne Deum in senectute deserant, quem in iuuentute coluerunt. *Hab. III. 8.*

His adde *Equum*, animal esse ferox, adulari nescium. Ferocire nouit *Mors*: nulli blanditur, non infanti, puero, adolescenti, non pul-

pulchro, diuiti, erudito: non Principi, Regi, Imperatori. Parasiticam non didicit: scurram nunquam egit: imperio nata, assueta dominari.

Sed quid mysterij in *Equo pallido*? An nihil hic aliud, quàm quod mortui pallent, & vulgari epitheto, *Pallida Mors* dicatur, quia facit pallidos? & habeat *Pallidus Equus.*

*Pallida semper*
*Ora fame* ---

vt *Pallidus Equus* sit, quod pallorem inducat. Verùm fœcundior est vox Græca χλωρὸς, quæ reddi potest, *Viridis* æquè, ac *Pallidus*. Quo pacto Apocalypsis VIII. 7. eandem conuertit Interpres vulgatus: *Omne fœnum viride combustum est*. Atque ita *Viridem Mortis Equum* concipiebat Tertullianus Lib. de Pudicit. cap. 20. *Apocalypsis*, inquit, *viridi equo* Mortem; *russeo autem* (id est, rubeo) *præliatorem imposuit*. Vtrumque benè, vt monet Pamelius. *Viridis Equus.*

Iam & hoc accipe: *Spei* colorem esse *Viridem*: nam spe duce vernant omnia. Cum virescunt segetes, & arbores, ab ijs fructum sperant agricolæ

*Nos sperare docet* VIRIDIS. *Spes dicitur esse*
*In Viridi, quoties irrita retrò cadit.*

*Alciatus Embl. CXVII. Vide eundem initio 2 Tetragon vbi de colore differentias explicat.*

Spem acuit *Mors obequitans*. Sperantur tiaræ, infulæ, sceptra, opima sacerdotia, amplæ hæreditates, si moriatur Pontifex, Episcopus, Canonicus, pater, cognatus. Sed

*Ego scio qui sperauerint, spem decepisse multos.*
*Fallitur augurio spes bona sæpe suo.*

*Viridis* lætitiæ *Symbolum* est, quia veris, quo ridet cœlum, tellus, animantum genus omne: contra, *Pallidus*, mœroris. An igitur MORS sedet super *Equum pallidum & viridem*: quoniam improbis est tristis, ac luctuosa: probis fausta, læta, non minus animo cœlestia meditanti, quàm oculis viror, gratissima, & gaudiorum æternorum spem continens?

Equitat *Mors* super *Equum viridem*, vt commentatur Viegas, quia ipsa est, quæ mortalium spes regit, & gubernat: eas videlicet, vel prorogans, vel præcidens: itaque *Equi viridis* habenas vel inhibet, vel laxat, pro Dei res humanas administrantis imperio.

An-

Addit idem, Romanum imperium, quod in *Equo albo* & *rufo* pulcherrimum apparuit, vbi *Mortem Equitem* habuit, fuisse statim redditum pallidum, quia *Mors*, res omnes, quamuis antea venustas, & elegantes decolorat, & quàm sint vana omnia exprimit.

*Mors vbique.* Equitat hæc, Virago ne dicam, an Furia? per omnes habitati orbis & inhabitati partes. *Data est illi potestas*, inquit Apocalypticus Propheta, *super quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, & morte, & bestiis terræ*: id est, non in vna tantum regione, sed in orbe terrarum vniuerso per quatuor climata distincto: non minor illi potestas in Oriẽte & Occidente, quàm septentrione & Meridie. Vbique terrarum ac gentium, nullo prouinciarum, nullo hominum intuitu crudelissimam stragem edit. Quis *Morti* resistat? quatuor potissimùm siue instrumentis, siue comitibus, siue administris instructa, *Gladio*, qui Belli est hieroglyphicum: *Fame*, quæ egestatem, extremámque rerum penuriam comitatur; *Bestiis terræ*, quibus est naturalis ferocitas, ingens rabies; *Morte*, iteratur enim hæc vox, & *Equiti* adiungitur: significat autem, vel *Pestem*, vt existimat Alcazarius, estque in Scripturæ formulis hæc interpretatio non infrequens: vel, diuersa *Mortis* genera, quæ ense, fame, & bestiarum nomine non satis exprimuntur: cuiusmodi sunt suffocatio, combustio, suspensio, submersio, vt Blasius Viegas exponit.

*Mors pro Peste Index Librorũ Lxx:a Interp Vaticana editiom. & Not fol. 414. 063*

*Mortis duplex Falx.* Hæ sunt *Mortis Equitis Lanceæ*, quibus cor viuentium petit, & quotidie plurimos transuerberat, nisi velis illi in equo sublimi dare *Falcem*, proprium *Mortis* instrumentum, eámque duplicem, de qua actum alio *Symbolo*.

*Infernus post Mortis equũ.* Sequebatur *Equitem Infernus*. Nam quos *Mors* trucidat *Infernus* corripit, & vel sepulchris includit, vel deuorat æternis cruciandos suppliciis. Quo significari putat Ribera, carnificinam Inferorum manere Christianorum persequutores, quam non effugient, potentes licet, ac fortissimi. At Viegas accipit id vniuersè, quasi indicetur, maiorem hominum morientium partem sempiternis Tartari tormentis addici. Vterque adducit illud Isaiæ: *Propterea dilatauit* Infernus *animam suam, & aperuit os suum absque vllo termino: & descendent fortes eius, & populus eius & sublimes, gloriosique eius ad eum.* In quem locum S. Hieronymus. *Infernus animam habere dicitur, non quod animal sit, sed, quod verbis humanæ consuetudinis rerum insensibilium exprimamus affectũ quod insatiabilis sit, & nunquã mortuorũ multitudine expleatur.*

*Isa. v. 14.*

Verùm

Verùm hæc ad *Mortem* primitiuorum Christianorum, & maximè Martyrum refert Alcazarius. Itaque *Mortem*, tanquam Christi satellitem equo insidentem apparuisse Ioanni, quo significaretur, illam, ad fidelium salutem aduentare: & *Mortis* sæuitiam, ac stragem in Christi seruis editam, viam fuisse ad absolutam eorum felicitatem. Ob quam caussam non formidabant Mortem primi illi Christiani, imò auidissimè expetebant, satis gnari, nihil sibi inde nisi felicitatem apportari posse. Obuersabatur eorum animis Christi D. pollicitatio: *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit viuet*: & quo maiorem in eis ac seueriorem occisionem faceret *Mors*, eò vitam beatiorem fore, ac gloriosiorem non ignorabant. *Mors satelles Christi.*

*Mortem* autem Martyrum sequebatur *Infernus*, quia eorum cadauera, vel terræ infodiebantur, vel deglutiebantur à bestiis, atque ita in ipsarum visceribus sepeliebantur, vel in mari, aut alibi putrescebant. Quæ omnia *Inferno* per prosopopæiam adscribuntur. Cuius idcirco persona introducitur, vt sapientia Christi magis innotesceat: qui non solum *Morte*, ad suorum veram vitam: sed etiam ipsa corruptione ad gloriam est vsus: *Dominus enim mortificat & viuificat: deducit ad inferos & reducit.* 1. Reg. 11. 6.

Sed cur *Mors Equo* vehitur, *Infernus* verò pedes sequitur? Est & hæc Alcazarii cõtemplatio. *Mortem* equitare, quia aduenire in Equo, signum est, Equitem ad saluandum aduolare: saluare autem est, quempiam ab hostis tyrannide eripere. Quâ ex tyrannide Christiani, diuina ope septi, euadunt, & de persequutoribus suis triumphant, dum vitam pro Christo profundunt, sicque *Mors* illos saluos præstat. At corporis corruptio, licet à diuina prouidentia ad corpoream Sanctorum resurrectionem, & ipsorum corporum gloriam dirigatur, cùm tamen is, qui putrefit, vita iam sit, & pugnandi ac periclitandi statu destitutus, fieri non potest, vt putredo ipsa illum ab animæ aduersariis, & spiritualibus periculis eripiat. Itaque mirifica fuit excogitatio, *Infernum* ponè *Mortem*, non quidem equestrem, sed pedestrē constitui. Ita ille. At verò, qui ex sepulchro gloriosè euolat, qui resuscitatus inferas terræ partes relinquit: & multo magis, cuius ossa non corrumpuntur, vt plurimorum Martyrum, aliorumque cælitum, saluus etiam fieri dicitur ab aduersarijs, si non animi, certè corporis. De quâ saluatione, & simul animæ ex inferno inferiore loquebatur, qui non dubitabat de corporis sui rresurectione, ideoque dicebat: *Mors in equo, Infernus pedes*

Act. II. 26. 27 Psal. XV. 18. *Caro mea requiescet in spe: quoniam non derelinques animam meam in inferno nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.*

An igitur MORS in equo, Infernus fingitur ire pedes: quia velocissimè illa hominem conficit: vnico hominem momento necat: adest, & abit eodem punctulo? Infernus, pedetentim cadauer consumit, si per Infernum sepulchrum accipias: lentissimè autem animam cruciat, si sit locus damnatorum.

Audi ingeniosum Poetam de FVLCONE Rege Ierosolymorum, equi lapsu occiso, argutantem.

Iacob. Bider. Lib. III Epig. XCII.

*Tertius Eoi* Fulco *diadematis heres,*
*Et mea, si numerem pralia primus eram.*
*Arma rotare viros docui, docui agmina magnos*
*Pro cruce seruanda centuriare Duces.*
*Ac nisi regna forent patrio mihi robore parta,*
*Regna forent eadem robore parta meo.*
*Sed dum latus* Equo, *curisq́; solutus oberro,*
*Ipse meo victor denique vincor* Equo.
*Vestra quid ô Reges fore funera lenta putatis?*
*Vt properaret,* EQVO MORS *mea vecta fuit.*

Equorum pernicitas.

Sed enim, quis ille *Equus* cui *Mors* insidet? Necesse est nominare aliquem, qui omnes alios pernicitate superet. Multa sparguntur de quorundam incitatissimo cursu ac velocitate. In Lusitania circa Olyssiponem oppidum, & Tagum amnem, equas Fauonio flante obuersas, animalem concipere spiritum, idque partum fieri, & gigni pernicissimum olim credebatur. Sarmatæ longinqua itinera acturi inedia pridie equos præparant, exiguum tantum potum impartientes, atque ita per centena millia & quinquaginta continuo cursu eùtibus insident. In Arabia quoque equas tantæ esse pernicitatis memorat Ludouicus Barthema in Itinerario, vt citatissimo cursu diem ac noctem integram nunquam cessent. Notius est quod de Probi equo narratur, & habet Nauclerus, potuisse centum milliaribus quolibet die conficere, & decem dies cursum continuare. Similis fuit equus Cæsaris, quo admirãda celeritate ex Italia in Belgas profectum

Plin. Lib. VIII. cap. 42. Aug. Li. XXI. de Ciuit. ca 5. vbi Ludo Vi ues de Cappad. Lud. Bartho Itine cap. 7. Naucler. Gen. X Suet. Plutar. Solin. cap. 46.

fectum tradunt. Sed nominatos omnes fortasse vincunt Equi Arabici, qui diem, ac noctem, perpetuo cursu indefessi, exigunt, nusquam quiescentes, aut edētes. Quod de Regis Zambei equis scribit Barthema. At nisi velociorem equum *Mors* haberet, non eodem momēto, ex Oriente in Occidentem adcurreret, & non vno die, vel horâ, sed nec vnico instanti (vt loquitur Philosophia) totum terræ ambitum circuiret, simúlque in omnibus esset regnis, prouincijs, ciuitatibus, oppidis. *Mortis* igitur *Equus*, dromedarijs, ceruis, alitibus, vento est velocior.

VOCATUR TEMPVS, & est tam obsequens *Morti*, quam fuit Bucephalus Alexandro. Velocissima res est *Tempus*: non magis moram patitur, quàm sidera, nunquā consistentia ijsdem vestigijs, in perpetua semper erratione, & rotatu. Vis dimetiri pernicitatem *Temporū*? Stellam selige ex ijs quæ in æquinoctiali sunt sitæ. Harū quælibet singulis horis cōficit quadraginta duos milliones milliarium, & insuper tertiam partem millionis, hoc est, tantum, quātum eques quadraginta milliaria quotidie conficiens, posset annis bis mille, nongentis, quatuor conficere: rursum, tantùm si quis vna hora bis millies ambitum terræ obiret, & circumcurreret. Ceterùm, longè plus spacij conficit: atque idcirco longè velocius voluitur nonum cœlum, & magis decimum, quod, quorundam sententia, est primum mobile. *Equus Mortis Tempus.* *Millio, siue decem centena milia* *Million. 42.* *A. 1904.*

Hinc coniecturam cape, quantæ velocitatis sit *Equus Mortis*: Tempus enim tam est velox, quam motus primi mobilis, cùm ab eo non distinguatur, & eius sit mensura. Fertur igitur *Tempus*, eique insidens *Mors*, velocius, quàm sagitta; citiùs, quàm celerrimæ naues, cōcitatiùs, quàm globus è tormento militari æneo eiaculatus. Nam hic globus non nisi diebus quadraginta totum terræ ambitum obiret, quē stella percurrit, hora vna bis millies. An fortasse, idcircò potius, *Stella* est Temporis hieroglyphicum, quàm ob eam causam, quæ à Pierio adfertur, quod statis periodis, eò redeat, vnde ferri cœperat? Ocissimus *Equus*, *Tempus*, nullibi consistens, vbique est tamen: nunquam quiescens, semper in motu: fulminis instar volat, & momento peruadit vniuersum, *Equitem* fatalem dorso ferens.

*Labitur occultè, fallitque volubilis ætas:*
*Et nihil est annis velocius.---* *Pier. L. LVI. pag 555. Ouid. Lib. X. Meta.*

*Cuncta fluunt, omnisque vagans formatur imago:*

Ouid. Lib xv. Meta. *Ipsa quoque assiduo labuntur* Tempora *motu,*

*Non secus ac flumen: neque enim consistere flumen,*

*Nec leuis hora potest: sed & vnda impellitur vnda,*

*Vrgeturque eadem veniens, vrgetque priorem.*

Tempora *sic fugiunt pariter, pariterque sequuntur:*

*Et noua sunt semper: nam quod fuit ante relictum est.*

*Fitque quod haud fuerat, momentaque cuncta nouantur.*

Quid nos interim? dormimus, ociamur, nugas agimus.

Georg. III. *Et fugit intereà, fugit irreparabile tempus.*

*---eunt anni more fluentis aquæ.*

*Nec quæ præterijt cursu reuocabitur vnda.*

Lib III. A. *Nec quæ præterijt hora redire potest.*

Ser. Hipp. Tu dormis, inquit Augustinus, & tempus tuum quod *Mortem* vehit, non dormit, sed ambulat, quid? volat.

L. VI. Fast. *Volat ambiguis mobilis alis*

*Hora.----*

Tempora *labuntur, tacitisque senescimus annis*

*Et fugiunt, freno non remorante, dies.*

Itaque cum celeritate *Temporis*, vtendi celeritate certandum:

*Vtendum est ætate, cito pede labitur ætas.*

*Nec bona tam sequitur, quàm bona prima fuit.*

In tanta temporis, & tam celeri fugâ, quid securi, longa nobis vitæ spacia, blanda deliratione promittimus? An non intelligimus, nos quotidie mori? an adhuc fallimur, quod *Mortem* tanquam absentem prospicimus? magna pars eius præterijt: quicquid ætatis retro est, *Mors* tenet. Itaque dum *Tempus* habemus, operemur bonum. Et quoniam nunquam non tempore mensuramur, dies noctesque, & quo-

quolibet in ijs momento cogitemus, iam iam esse nobis moriendum.

Coronidis loco addo: Quoniam *Tempus Mortem* aduehit, tanquam *Equus*, cui *Pestis* illa insidet, sæpe *Equo* tribuitur quod insessori conuenit. Hinc illud:

*Tempus edax rerum, tuq; inuidiosa vetustas*
*Omnia destruitis, vitiataq; dentibus æui*
*Paullatim lenta consumitis omnia* Morte.

## SYMBOLVM LVII.

# MORS

## IANVA.

*Habeo claues Mortis, & Inferni.* Apocal. 1. 18.

D. BERNHARDVS, vt declaret, *Mortem* iustorum bonam esse, & multorum bonorum principium, vocat illam: PORTAM, & IANVAM, quod aliud est *Symbolum*, in hoc nouarum imaginum theatro reponendum. Is igitur *Sermone primo* de Annunciatione B. Virg. veluti dramate, inducit concertantes *Iustitiam* & *Misericordiã*, coram Iudice, eiusque Assistrice, *Pace. Misericordia* petit Adamo fieri gratiam: negat *Veritas* seu *Iustitia* id fieri posse, nisi *Morte moriatur*, qui peccato peccauerat, DEVM sic iam olim decreuisse. Satisfaciendum erat vtrique, ne irritum fieret verbum Patris, & ne sermo viuus & efficax euacuaretur. Itaque *Iudex* concepit sententiam, quam *Paci* legendam dedit, quæ assidebat propius. *S. Bern. serm. 1. de Annun.* *Certamen Misericordiæ & Iustitiæ.*

Hæc dicit: Perij, si Adam non moriatur: illa dicit: Perij nisi misericordiam consequatur. Fiat MORS bona, & habet vtraque quod petit. Sed id quomodo fiet, inquiunt. *Mors* crudelissima, & amarissima est: *Mors* terribilis, & ipso horrenda auditu: bona fieri, quanam ratione poterit? At ille: MORS PECCATORVM PESSIMA: sed PRE- *Sententia Iudicis.* *Ps. XXXIII. 22.* *Ps. CXV. 15.*

ciosa fieri poterit MORS SANCTORVM. An non preciosa erit, si fuerit IANVA VITÆ, PORTA GLORIÆ? Preciosa, inquiunt, sed quomodo fiet istud? Fieri, ait potest, si ex caritate moriatur quis, vtique, qui nihil debeat mori.

Neque enim detinere poterit *Mors* innoxium: sed forabitur, vt scriptum est, maxilla Leuiathan, & destruetur paries medius, soluetúrque chaos magnum, quod inter *Mortem, Vitamq;* firmatum est. Nimirum caritas fortis, vt MORS, imò & fortior *Morte*; si fortis illius intrauerit atrium, alligabit eum, & diripiet vtique vasa eius: sed & ipso transitu suo ponet profundum maris viam, vt transeant liberati. Bonus visus est sermo, vtpote fidelis, & omni acceptione dignus. Sed vbi poterit ille innocens inueniri, qui mori velit, non ex debito, sed ex voluntate: non ex malo merito, sed ex beneplacito suo? Is fuit Dei Filius, qui dixit: *Ecce venio*: tunc Iustitia & Pax osculatæ sunt, quæ non modicè hactenus videbantur dissidere.

Ezech III.

Idem melleus Doctor Sermone de transitu S. Malachiæ *Pessima* MORS *peccatorum, quorum & natiuitas mala, & vita peior: Sed preciosa est* MORS *sanctorum. Preciosa planè tanquam* Finis laborum, *tanquam* victoriæ consummatio; *tanquam* VITÆ IANVA, *& perfectæ securitatis* INGRESSVS.

Porro, vt Iustorum *Mors* est *Ianua* vitæ & *Porta* gloriæ: ita impiorum est *Ostium Mortis æternæ*, & calamitatum. Quod *Symbolum* in profana etiam eruditione vel expressum, vel insinuatum reperies.

Charontica ianua.

Celebris est χαρώνειος θύρα, *Charontica ianua*, quomodo appellabatur vna è carceris ianuis, per quam damnati iudicum sententijs, ad *Mortem* ducebantur. Quod referunt Zenodotus, Hesychius, & Suidas. Quis autem ignorat fingi à Poetis Charontis cymba animas ad inferos deduci? Hinc *Charontica ianua*, de imminente capitis periculo, seu *Morte* prouerbij formulâ vsurpatur. Aristophanes in Pluto: ὁ δὲ χάρων τὸ ξύμβολον δίδωσι. *Dat autem symbolum Charon*, significans illi imminere *Mortem*.

Huc spectat illud Virgilianum

Ianua Ditis Virg. Lib VI.

*Noctes, atque dies patet atri* IANVA *Ditis.*

Quid enim aliud *Ianua Ditis*, quàm *Mors*? significatur autem non solùm *Mortem* omnibus esse communem, vt exponit Gilbertus Cognatus

gnatus in suis Adagijs, Centuria III. Verùm etiam semper aliquos ad Plutum ingredi. Quolibet momento aliqui per patentissimam hanc *Portam* transeunt. Non est vlla diei, aut noctis differentia.

Apertæ *Musarum Ianuæ* dicebantur olim ijs, qui facili promptóque erant ingenio, ac in percipiendis disciplinis celeri. Tardiorès autem clausis *Musarum Ianuis* discere dici poterant. Non est istiusmodi in *Ditis Ianuâ* discrimen, quæ mortalibus omnibus, stupidis æquè, ac ingeniosis; pauperi, & diuiti; robusto, & imbelli semper est aperta. Nec pacis tempore clauditur, vt apud Romanos Iani. Ἀνεῳγμέναι μουσῶν θύραι.

Claues tamen huius *Ianuæ* habere dicitur. de quo Apocalypsis I. *Ego primus & nouissimus, & viuus & fui mortuus: & ecce sum viuus in secula seculorum, & habeo claues* MORTIS *& Inferni*; quia absque illius imperio hanc viam non licet ingredi: illius est sistere ad hoc ostium accurrentium torrentem: penes illum est potestas transmittendi, cùm ita visum, quam plurimos. Apoc. I. 18.

At enim *Ianuæ* huius non est *Faber*, qui eius claues habet: alius illam fecit, alius illi præest. Fecit cacodæmon: præsidet illi Christus. Est itaque etiā Cacodæmonis vt *Fabri*, qui per eam thesauros se suos tutò asseruare posse, existimabat. Sed falsus est: venit ipso & sapientior & fortior, qui ingressus per custoditam tanta diligentia *Ianuam* gazas abstulit, *Infernum* deprædatus.

Quod dum meditor occurrit, olim iactari solitum, *Phani ostium*; *Ianua Phania*: quod ijs accinebatur, qui frustra seruassent aliquid: vt carcerarius Inferni innocuas sanctorum in limbo animas. Ferunt enim Phanum fuisse vsurarium: alij nominant cœcum, qui cum cellæ penuariæ ostium ita obstruxisset, vt citra strepitum non quiret aperiri, tamen à ministro apertum est, sublatúmque penu. Phaniam verò finxisse sibi multam opum vim domi esse reconditam: in quem finem *Ianuam* singulari artificio curauerat. Neutri astus profuit. Multo minus *Ianuæ* infernalis fabricatori, cuius claues Christus, superato earum vsurpatore, obtinuit: & quam parum haberet in bonis, tartareus vsurarius ostendit, ac preciosissimam illius supellectilem, & tot seculis reconditum thesaurum abstulit. ἡ Φάνου θύρα. Φανίου θύρα. Eustath. Lib. vlt. Odyss.

Nobis frequenter illud animo voluendum est, Patere semper, *Vitæ, & Interitus Ianuam*, MORTEM. Monitum est Epi-

ſteti, quod Arrianus, vt capitale refert: τὸ δὲ κεφάλαιον μέμνησο, ὅτι ἡ θύρα ἤνοικται: *Id quod caput eſt, conſidera, Ianuam eſſe patefactam*: *Ianuam* appellat, vt monet cognatus, *Exitum è vita*, quo quis liberatur omnibus in vita hac ærumnis, & vel ad æterna cælitum gaudia, vel inferorum ſupplicia ingreditur.

Adag. Chilia. 1 Centur. 1.

Sed cauendum omnibus maximoperè, ne aberrent ab hac *Ianua*. Turpe hic, ſi vllibi, & periculoſiſſimum, aberrare. *Aberrat à Ianua*, qui non benè paratus ad æternitatis iter illi appropinquat: qui virtutum bonorumque operum, & meritorum commeatum ſecum non defert, qui citius, quam mandatum Domini acceperit, animi vilitate ductus, & ærumnis huius vitæ territus, per illam ſe eijcere conatur. Qui in illa conſtitutus, ea, quæ retrò ſunt, non obliuiſcens; ad ea verò quæ ſunt priora extendens ſeipſum, ad deſtinatum non perſequitur, ad brauium ſupernæ vocationis, DEI in CHRISTO IESV.

Mors Cæli ianua.

Ap. Conc v. Mors Prop. IV.

Valet hoc *Symbolum*, vt perſuadeatur, *Mortem* iuſtis non timendam; ſed optandam: & quoniam ita boni *Mortem* concipiunt, ad illam anhelant. In hunc finem eo vtitur Franciſcus Labata, in Apparatu Concionatorum. Omnes quidem, inquit, boni & mali ſaluari cupiunt, cœli gloriam cupiunt: CÆLI autem IANVA MORS eſt. Iuſti ergo ſaluari cupientes, non refugiunt *Mortem*; ſed pro eâ gemũt admodum columbæ, cuius figuram ſumpſit Spiritus ſanctus, qui ſic gemere facit bonos deſiderio patriæ cœleſtis: malus autem ad modum corui non gemit, ſed ait *Cras*: ſaluari deſiderat; cœlum deſiderat: ſed non hodie abire deſiderat; ſemper abitum in ſequens tempus differre cuperet.

Quod bonorum malorúmque diſcrimen in *Mortis* feriâ optatione S. Auguſtinus graphicè depingit illa ipſa *Columba* & *Corui* comparatione, expendens illud quod habet S. Paulus ad Rom. VIII. 26. *Quid oramus, ſicut oportet, neſcimus, ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. Quid ergo Spiritus-ſanctus gemit? quærit Auguſtinus, vbi perfecta beatitudo eſt ei & æterna cum Patre & Filio? Spiritus ſanctus DEVS eſt, ſicut Pater & Filius: non ergo Spiritus-ſanctus in ſemetipſo apud ſemetipſum, in illa Trinitate, in illa beatitudine, in illâ æternitate ſubſtantiæ gemit: ſed, in nobis gemit, quia gemere nos facit. Nec parua res eſt, quod nos docet Spiritus-ſanctus, gemere: inſinuat enim nobis, quod peregrinamur, & docet nos in pa-

S. Aug. Tract. VI. in Ioan.

triam suspirare, & ipso gemitus desiderio, cui benè est in hoc seculo; imò, quia censet, quod benè ei sit, qui lætitia rerum carnalium, & abundantia temporalium, & vana felicitate exultat habet vocem *Corui* (nam gemitus est *Columbæ*) vox enim *Corui* clamosa est, non gemebunda. Qui autem nouit in pressura se esse mortalitatis huius, & à Domino peregrinari, & propter hæc gemit, benè gemit: Spiritus illum gemere docuit. Multi enim gemunt in terrenâ infelicitate, vel quassati damnis, vel ægritudine prægrauati, vel carceribus inclusi, vel fluctibus maris iactati, vel aliquibus inimicorum insidijs circumsepti: sed non spiritu Dei gemunt.

Gemebat Dei spiritu, qui in meditatione sua exardescens, ex intimo corde clamabat: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea.* Id est, interpretatione Augustini: Multum à te Domine recessi, peregrinatio mea facta est longinqua: nondum veni in patriā illam, vbi cum nullo malo victurus sum: vbi scandala non timebo: incolatus meus prolongatus est: incolatus peregrinatio est: incola enim dicitur, qui habitat in terrâ aliena, non in ciuitate sua. Ps. CXIX.

Addatur aliquid ex Profanis. Romani, ex Numæ præscripto, eandem DEAM, nuptiarum simul, & funerum præsidem fecerunt, *Venerem*, quæ alio nomine dicitur *Libitina*: vt innuerent, φθαρτὸν εἶναι τὸ γεννητόν, & vt MORS Æternitatis est IANVA: ita *Ianuam Mortis* ipsam *Vitam* vocari posse. Delphis quoque eodem mysterio simulacrum Veneris Sepulcralis. Ἀφροδίτης ἐπιτυμβίας visebatur: vt Plutarchus auctor est in Roman. *Venus sepulcralis.*

Poëtis etiam vsurpatum hoc *Symbolum*. Audi instituentem comparationem:

*Cuncta bonis prosunt, quos & Mors ipsa beatos* *Antol. Sacr. Iac. Bilii.*
*Efficit, vt sumant præmia principium.*
*Ille igitur finis malus est, quem pœna sequetur:*
*Et qui perpetui* PORTA *doloris erit.*

*Non quo absumuntur lacrymæ, cunctique dolores* *Fest. Pomp. in dictis Ridiculus.*
*Et veteris pereant omnia signa mali.*

In hac *Porta, corpus, Cantherius* est, qui etiamsi concidat, videndum tamen, vt animæ, quæ huius iumento insidet, suum constet robur.

Non curandus in hac *Portâ* carnis casus, modò Spiritus perstet firmiter. De Sulpitio Galba lego, cùm prouinciam exituro *Cantherius* in *Portâ* cecidisset, cum dixisse: Rideo *Cantheri*, *in portâ*, cùm tam longum iter sis iturus, iam lassum te esse, nam vix dum es ingressus. Æternitatis iter per *Mortem* ingressuro, corpus, si labatur in *Portâ*, Animus generosè, quod reliquum est, capessat.

## SYMBOLVM LVIII.

# MORS

## LIMEN.

EAdem analogiâ MORS, LIMEN dici potest, quo vocabulo id significatur, quod ex transuerso est in *Ianua*. Quid enim è vitâ egredientibus obliquatur, & vt *Limen*, occurrit? certè, non aliud, quàm *Mors*, quam ab Eruditis FATALE LIMEN appellari obseruabis, si lectione magis, quàm discursatione gaudeas.

*Limen superũ.* Hæc *Limen superum*, quo miseris sæpè caput confringitur, hæc *Inferum*, quo multis omnes defringuntur digiti. *Inferum.* In cœli regiam non est aditus nisi per hoc *Limen*. Hoc qui *Limine* submouetur, nunquam ad felicitatis adyta penetrabit. Ad beatitatis *Limen* accedis, dum *Morti* appropinquas. Et tu à *Morte*, vt à carceris perpetui *Limine* te subtrahis, ad nomen ipsum horres? iure merito, si malè: ineptè, si benè vixeris. Quis à *Limine* Capitolij Triumphator Romanus fugiat?

*Offendere in Limine.* Pessimi ominis erat olim in *Portâ*, vel *Limine* offendere. Quo die interfectus fuit Tiberius Gracchus, è domo egrediens grauissimè ad *Limen* offendit. Idem accidit Crasso, eo die, quo infausto prælio cecidit. Canit Poëta:

*Tibul.*

*O quoties ingressus iter mihi tristia dixi.*
*Offensum in* Pòrta *signa dedisse pedem.*

Scribit ad maritum tristis Laodemia:

*Cum*

*Cùm foribus velles ad Troiam exire paternis,*
*Pes tuus offensus* Limine *signa dedit.*
*Vt vidi, ingemui, tacitóque in pectore dixi:*
*Signa reuersuri sint precor ista viri.*

Hæc vt superstitionis damnatæ figmenta detestor: quemadmodum totam Augurum, Haruspicum, Fulguratorum, Sortilegorum, Ariolorum disciplinam. Caret autem omni superstitionis nota, certissimum Theologiæ effatum: De eius actum esse felicitate, qui in *Mortis Limine* pedem, hoc est, actionum suarum extremum lethaliter læserit.

Hic in *Limine æternitatis* deficit: quales non pauci salutis immemores, qui sibi optimè acclament:

*----Cur indecores in* Limine *primo* Virg.
*Deficimus?----*

Hoc idem *Limen, Victoriæ* nominare poteris: eo sensu, quo quidam in Q. Curtius Lib. vi.
ipso *Limine Victoriæ* se stare scribebat: hoc est, proximam esse sibi victoriam Quam quidam tamen in *Morte* etiam perdunt.

## *SYMBOLVM* LIX.

# MORS

## *CLIVVS.*

QVI in *Morte* tam turpiter stationem suam deserunt, ijs conuenit, quod ad Lucilium suum scribit Seneca; *In summo* cliuo *deficiunt.* Vita humana Mons est, altus, asper, cliuosus: in illum ascenditur magnis temporum, actionúmque sibi succedentium itineribus, ac gyris. Cacumen huius Montis est Æternitatis initium: supremum infimi: infimum supremi. Sed nemo ad culmen peruenit, nisi per MORTEM, ceu *Cliuum*, per quem accliuis est ad verticem ascensus. Sed quam illi infelices, qui conscenso propemodum monte, tum delassantur, cùm proximi sunt cacumini? desi-

nunc benè operari, cùm coronis imponenda esset operi! Vitæ non improbæ *Mortis* deploratæ homines. An tales aliqui? Accipe exempla, ad quæ ambæ aures tinniant.

# MORS MISERANDA

## *Heronis Monachi Senis.*

Ioan. Cassian. Collat. ii. c. 5.

NARRATIO est Abbatis Mosis apud Cassianum, qui hoc exemplo Discretionem suadere conatur. Recolite, inquit, id quod nuper gestum oculorum vestrorum vidistis obtutibus, Senem videlicet *Heronem* ante paucos admodum dies illusione diabolica à summis ad ima deiectum, quem quinquaginta annis in hac eremo commoratum, singulari districtione rigorem continentiæ tenuisse meminimus, & solitudinis secreta vltra omnes hîc commorantes, miro feruore sectatum. Hic igitur quo pacto, quaue ratione post tantos labores ab insidiatore delusus, grauissimo corruens lapsu, cunctos in hac eremo constitutos, luctuoso dolore perculit?

Nonne quia minus discretionis virtute possessa, suis definitionibus regi, quàm consilijs, vel collationibus fratrum, atque institutis maiorum, maluit obedire? Siquidem tanto rigore immutabilem ieiunii continentiam semper exercuit, & solitudinis, cellæq; ita iugiter secreta sectatus est, vt ab eo participationem ineundi cum fraternitate conuiuii, nec veneratio quidem diei Paschalis aliquando potuerit obtinere. In qua fratribus cunctis pro aniuuersariâ solemnitate in Ecclesiâ retentatis, solus non potuit aggregari, ne quantulumcunq; perceptione leguminis parui à suo videretur proposito relaxasse. Qua præsumptione deceptus Angelum Satanæ, velut Angelum lucis cum summâ veneratione suscipiens, eiusque præceptis prono obediens famulatu, semetipsum in puteum cuius profunditatem oculorum non attingit intuitus præcipitem dedit, de Angeli videlicet sui sponsione non dubitans, qui eum pro merito virtutum ac laborum suorum nequaquàm posse firmauerat vlli iam discrimini subiacere.

Cuius rei fidem, vt experimento suæ sospitatis euidentissimè com-

comprobaret, se puteo, nocte intempestâ illusus iniecit, magnum scilicet virtutis suæ meritum probaturus, cum inde exisset illæsus. De quo, ingenti fratrum labore, cùm penè iam exanguis fuisset extractus, vitam die tertiâ finiturus, quod his deterius est, ita in deceptionis suæ obstinatione permansit, vt ei, ne experimento quidem *Mortis* suæ potuerit persuaderi, quod fecisset Dæmonum calliditate delusus.

Quamobrem pro meritis laborum tantorum, & annorum numerositate, quâ in Eremo perdurauit, hac miseratione & humilitate summa, ab his qui eius compatiebantur exitio, vix à presbytero Abbate Pafnutio potuit obtineri, vt non inter biothanatos reputatus, etiam memoriâ, & oblatione pausantium iudicaretur indignus.

## MORS LVGENDA THEOLOGI.

PETRVS Episcopus Patauinus vir doctus, disertus, & pius, libro altero de ratione benè moriendi, duos quosdam viros eruditissimos fuisse refert: quorum alter cum obijsset, alteri in sua bibliotheca cõstituto, totus ardens apparuit, territóque amico, & quærenti, cur in eas pœnas incidisset, respondit. *Petrus Pataiuianus Lib. II. de ratione benè moriendi.*

Cum hora illa immineret, quâ diem extremum clausurus erã, ecce, inquit, Diabolus solitis armis suis instructus, adfuit, interrogauitque: de Deo, quid crederem? Cui ego. Id quod est in Symbolo Apostolorum. Tum ille: Rem certè inquit gratissimam mihi feceris, si quæ in Symbolo continentur, mihi planius explicaueris. Ego igitur ab Athanasij Symbolo exorsus, Apostolorum Symbolum exposui, vt potui; mihi verò, inquit ille, quæ de Patre Deo à te dicta sunt, partim vera partim non vera esse videntur. Illum enim ab æternitate DEVM esse, certò scio; sed an etiam Pater ab æternitate esse possit, vehementer dubito. Hic ego exclamo dogma illud Arianum, atque adeò hæreticum esse. Sed ille: Non est, inquit, bone vir, clamoribus, sed rationibus differendum. Tu si probare te posse confidis, DEVM

ab æternitate Patrem esse, ac deinde ab æternitate filium genuisse, age, incipe, audiam patientissimè: & si istud euiceris graui errore me liberabis. Si verò contrarium tibi persuadere potero, non sis ingratus: sed graui quoque errore liberatum ingenuè confitere.

Nec enim parum refert, vera, an falsa de Deo sentiens moriaris. Itaque fretus ego doctrina, & laboribus tot annorum & longâ exercitatione disserendi, pugnam de fidei dogmatibus non recusaui: sed ille tot Scripturarum testimoniis, tantâ vi, tantáque copia rationum & argumentationum me obruit, vt planè mihi persuaserit, neque Filium neque Spiritum sanctum esse. Interim è corpore egredior, & ante Deum ita, vt eram nempe hæresi Ariana imbutus. Ille me propterea in hunc ignem deiecit, qui tametsi atrocior est, quàm vt vos intelligere, aut cogitare possitis: tamen esset vtcunque tolerabilis, si finem aliquem habiturus, vel post mille secula speraretur.

O quam mihi vtilius fuisset, si minus temporis & studij in sapientia quærenda, & plus in pietate comparanda posuissem! O me fælicem, si quantum splendore literarum enitui, tantum ardore caritatis flagrare studuissem! At nunc omnium me studiorum, & laborum meorum pænitet, & semper pænitebit: neque tamen pænitendo quicquam proficiam.

## SYMBOLVM LX.

# MORS VNICORNIS.

Damasc. Hist. de Barlaam & Iosaph. cap. XII.

BARLAAMVS insignis *Symbolorum* sacrorum fictor, quem Damascenus Iosaphati doctorem facit: Hominem dicit similem viatori fugienti impetum furentis VNICORNIS. Hunc verò esse MORTEM, qui mortales assiduè insequitur. Fugit homo *Mortem*, vt ouis lupum: & fugiens in scrobem incidit, barathrum ille vocat; ibi casu amplectitur arborem, quam rodebant duo mures, in ima scrobe erat draco igneus homini deuorando inhians. Videbat hæc miser, sed stolidè modi-

modico melli, quod ex arbore stillabat, incubans, periculi omnis obliuiscitur. Assequitur eum *Vnicornis*, arbórque à muribus erroditur: ruit illa, & homo à dracone arripitur, & deuoratur. *Scrobs*, est *Mundus*; *Arbor*, est *Vita*; duo *Mures*, sunt *Dies* & *Nox*: *Draco* igneus; *est Infernus*; *Mellis gutta, Mundi voluptas*. O insania mortalium.

# SYMBOLVM LXI.

# MORS MONSTRVM.

MORTEM cuncti exhorrescunt, docti æquè ac indocti; diuites, & quibus res angusta domi felices opinione suâ, & miseri. Hic communis omnium sensus, quem pertinaciorem facit vulgare ludibrium. Concipitur enim MORS, vt MONSTRVM horrēdum, informe, ingens, cum quo non Chimera, non Cacus, non Polyphemus, non Sphinges conferri possint aspectus fœditate, & feritate Confirmant vulgi imaginationem Poetæ, additis *Monstro* coloribus, membris, comitatu. Narrant etiam visum ab aliquo, vt fidem extorqueant simplicioribus: attende, sodes, quam plausibiliter. *Morti omnes horrent.*

*Ioa. Bapt. Mant Lib. 11. Alfon.*

*——— vt lumina contra*
*Adstitit Alfonsus gelida malè olentia* MORTIS,
*Substitit: & tenebras oculis scrutatus inanes*
*Prospicit excursus piceo sub fornice longos,*
*Incertámque diem, caligantesque recessus:*
*In medio accumbens super alta cadauera* MONSTRVM.
*Corpora lambebat fluido stillantia tabo.*
MONSTRVM *ingens, cui flexilibus frons orba colubris*
*Cingitur: effossi liquere sedilia dentes*

Con-

*Concaua, truncatis deformia naribus ora*
*Ostendunt, inhonesta caui duo verticis antra.*
*Occiput aure caret: gemina sed vtrinque cauerna*
*Semper hiant, tetroque fluunt in pectore tabo.*
*Verticis os glabrum: ceruix nodosa lacertos*
*Nulla ligat iunctura humeris: sine viscere costa.*
*Arida membra sonant mota collisa sub aluo.*
*Tecta sepulchrales hydri posuêre, cubantque*
*In thorace cauo, coluber, nepa, vipera, buffo.*
*Stant famula circum dominum Pallorque, Timorque.*
*Et Dolor, & Pestis: qua nigro armata veneno,*
*Obuia transadigit lethalibus inguina telis.*
*Alciden dedit ipsa neci, qui vicerat hydram,*
*Qui Laphitas, qui Centauros, & cetera monstra.*
*Atque tridentifero Febris metuenda lacerto.*
*Vulgatum & commune malum, quod fortia sternit*
*Corpora: & extremis gaudet, nunc ignibus ardet,*
*Nunc tremulo contracta gelu stridentibus alget*
*Faucibus, & quarit rigenti incendia tergo.*
*Et tenuis sine ventre Fames. Et semper hiulca*
*Fauce Sitis: qua dum nostris pro finibus olim*
*Belliger Orlandus Mauros contuderit armis,*
*Occidit inuictus bello: sitis aruit astu.*
*Et luxata manus plantas nodosa tumentes,*
*Nobilium morbos, Medicos risura Podagra.*

Omne

*Omne Marasmorum genus. Et sine voce Synanche.*
*Improba mordaci serpens prurigine Lepra.*
*Et caput inuoluens nebulis letargica moles.*
*Ferreus & medica Sopor incurabilis arte.*
*Et Mentagra cutem maculis variata cruentis.*
*Et Phlegetontæo veniens à flumine cancer.*
*Dira lues populans artus liquor ignibus ardens.*

Ne terrearis. Non est tam deformis *Mors*, quàm pingitur. Ludunt Poëtæ, quibus fingendi potestas: vulgus luditur. Sapientis est, rem ipsam propiùs intueri, non fictione falli.



## *SYMBOLVM* LXII.

# MORS

## *ATHLETA. PVGIL. LVCTATRIX.*

### *Mors & Vita duello conflixere mirando.*

QVOTIDIE audimus: *Est in agone, luctatur cum Morte, agonizat.* Quod Christianè dictum, licet probare ex Paulo, 1. Corinth. IX. Vbi Christianos dicit esse *Agonistas*, vt quæ Athletarum sunt propria illis conuenire debere ostendat: *Omnis*, inquit, *qui in agone contendit*: Πᾶς δὲ ὁ ἀγωνιζόμενος: id est, *Omnis autem, agonizans.* Itaque concipienda MORS est, tanquam ATHLETA, cum quâ congreditur in fatalis lectuli palæstrâ, quicumque ad extrema peruenit. *Christiani Agonistæ.*

Nec te exemptum fore existima ab hoc vltimo certamine, à quo pendet vel calamitas æterna, vel beatitudo nunquam interrūpenda: nam & ille, qui peccatum non fecerat, nec inuentus est dolus in ore eius; quia *Mortis* vires infringere nostri causa, deliberatum *Agonia Christi.*

Luc. XXII. habebat, ab hac luctâ eximi non voluit. *Factus in agoniâ:* inquit Euangelista, *prolixius orabat.* Quam *Agoniam,* quamuis existiment nonnulli, non differre à tribus internis animi cruciatibus, qui tristitiæ, timoris, ac tædij nominibus à Matthæo, & Marco exponuntur: quasi *Agonia* idem sit, quod *Angor*, licet prius istud vim quandam maiorem habeat, & significantius mœstitiæ magnitudinem exprimat: tamen placet magis aliorum sententia, qui per *Agoniam*, nouum supplicij interni genus indicari contendunt, ortum ex luctâ, id enim est ἀγὼν, vel certamine vehementissimo, quod fuit in CHRISTO inter partem inferiorem, ac superiorem: inter honorem, & contumeliam: inter amorem, & tormentum: sed præcipuè inter *Vitam* & *Mortem*. Nam in CHRISTO *Mors & Vita duello conflixere mirando.* *Erat*, inquit Lyranus, *ista Agonia reluctatio sensualitatis* Mortem *horrentis, & rationem ipsam acceptantis; quia virtute diuinâ quælibet pars permittebatur agere & pati, quod erat sibi proprium.* Quomodo autem hic conflictus sit institutus, quomodo concurrerint *Agonistæ*, quo pugillatorio stratagemate *Mors* ceciderit, triumpharit vita in Commentationibus de Passione Domini exequimur: & egregiè congressum hunc oculis spectandum dedit Domitius Platus in considerationibus de hoc ipso titulo.

Certamen Mortis cum vita. Est autem certamen *Mortis* cum *Vitâ* extremo illo tempore & grauissimum & periculosissimum, aduolant enim tunc, vt *Morti* adsistant, & animent, tanquam auxiliares copiæ, inferorum armatæ cohortes: agitúrque in eo de salute, vel damnatione æternâ. Nec licet reuocare gradum, si illum semel promoueris. Et quod in hoc conflictu delinquis, æternûm luitur. Lamachus centurio admissi, nescio cuius, erroris, cum increparet militem, respondit ille, satisfactioni promptus: nil tale inposterum me admissurum spondeo. At Dux, illo peritior: In bello, inquit, commilito, non licet bis peccare. In pugillatu cum MORTE nec semel licet. Error in eo omnis est mortalis, peccatum irreuocabile, Semel superatus à *Morte*, semper iacet: semel mortuus: semper est mortuus. Semel malè mortuus, eheu! semper miser, quia condemnatus. Hanc MORTEM corrigere hanc calamitatem excutere, hoc erratum emendare per omnem æternitatem nemo potest.

Mors qualis. Virgil. ITAQVE frequenter cogita *Athletam* te esse, certaturum

ali-

aliquando cum MORTE pugilum exercitatissimâ, & fallacissimâ, vt de illa reportes victoriam, fac, dum viuis, quod periti pugiles. *Omnis Agonizans*, inquit Paulus, *ab omnibus se abstinet*. Incredibilis sanè erat olim Athletarum continentia, vt ex Platone, Galeno, Æliano constat. *Athletæ à Venere abstinent*, inquit Simplicius, *amore oleaginæ coronæ, quæ in Olympicis dabatur*. Idem habet Clemens Alexandrinus: vini etiam abstinentiam nominat Horatius:

Plat. Li. VIII. de Leg. Gal Lib. VI. de morbis affect. Ælian. L. XI. Var. Simpl. in Epist. cap. 48. Cle. Lib. III. Strom. Horat. in Art.

*Qui studet optatam cursu contingere* METAM
*Multa tulit fecítque puer sudauit & alsit*
*Abstinuit Venere & vino ---*

Addit D Basilius, corporis contemptum, ob victoriæ consequendæ amorem, & ambitionem. Plura Tertullianus, asserens, *Athletas* segregari ad strictiorem disciplinam, vt robori ædificando vacent: contineri à luxuria, à cibis lætioribus, & à potu iucundiore: cogi, cruciari, fatigari: quanto autem plus in exercitationibus laborauerint, tanto plus de victoria sperari. Id tibi dictum puta, cui in congressu cum MORTE gloriosam victoriam promitto, & beatitudinis nunquam marcessibilem palmam, si *Athletarum* instar, perfectam rerum omnium continentiam sectatus fueris. Nec metuas plurium consortium. *Non est inuidus* Agonotheta *noster, nec alterius palma alteri parat ignominiam: omnes Athletas suos*, inquit Hieronymus, *desiderat coronari*.

Basil. Homil. 11. de Ieiun. Ter. ad Marty. cap 1. S Hieronymus Ep. XXVIII.

## SYMBOLVM LXIII.

# MORS

### GENIVS HOMINEM INSEQVENS.

VETERES, tum Philosophi tum Theologi, geminos ab ortu GENIOS singulos homines comitari sensere, bonum & malum: illum in salutem & tutelam: alterum, qui prauas species menti ingerat, nósque impellat in exitium, prauus & inuidus. Verùmne id, an falsum, & quatenus admittendum, alibi videro.

Ioa. Mariana L. 1. de Morte.

Illud certè negare iure nemo poterit, ab ortu & die natali instare singulis MORTEM, quasi MALVM à tergo GENIVM, ossibus & neruis imposito cranio, pennis volucrem propter celeritatem; runcinâ præacutâ armatam, qua demetit vitam à prima die exorsa, neque cessans ad exitum.

## SYMBOLVM LXIV.

# MORS

## ALEATOR.

Ludus alearũ.

PLATO, Vitam hominum similem Ludo alearum esse pronunciabat, in quo optimus quisque iactus Aleatori maximè expetendus est. Statim à natiuitate ad tabulam lusoriam collocamur; ibi alea per totam vitam exercetur: hinc toties auditur illud: *Iacta est alea.* Ludimus cum Fortunâ plurimùm: à paucis iacitur Venus, qui iactus olim erat lucrosissimus. Accidit plurimis, quod illi, qui querebatur infelicem sortem suam.

Plutar. de Tranquil. ani.

Proper. Li. IV. Eleg. IX.

*Me quoque per talos Venerem quærente secundos:*
*Semper damnosi subsiliere canes.*

Vltimus iactus pro vitâ est, sed hîc semper MORS lucratur. Hoc enitendum, ne mala MORS nobis obueniat: is iactus est damnosissimus, & emendari non potest, quare hic non valet, quod monet Comicus, vitam mortalium tesseris comparans.

Teren. Adelphis.

*Ita vita est hominum, quasi cum ludas tesseris:*
*Si illud quod maximè opus est, iactu non cadit:*
*Illud quod cecidit forte, id arte vt corrigas.*

Si semel mala MORS nobis obtigit, iactus est, vt irreuocabilis ita inemendabilis; in nostra autem manu est, ne proueniat: nam, vt sæpè dixi, qui benè vixit, tam damnosum in *Morte* iactum non faciet.

SYM-

## SYMBOLVM LXV.

# MORS

## LATRVNCVLATOR.

NESCIO, cur hoc nomine vocari non possit, qui latrunculis ludit, quamuis alio significatu, ex Vlpiano, passim vsurpetur. Plus autem is lusus, quem *Scacchia* vulgus appellat, quam quiuis alius, similitudinis cum Vita humana habet, eiusque casibus, vt suo loco monstramus: ideoque magis in eo, quàm in alio quouis MORS repræsentatur. Res digna notatu, ab ijs qui tantoperè eo lusionis genere capiuntur, vt multorum dierum sæpè iacturam faciant, nullo rerum suarum compendio.

*Latrunculator L. 1. Pandect. L. Solemnus de Iudic. Index rerum capitalium in militia.*

*Ludimus effigiem belli simulatáque veris*
*Prælia, buxo acies fictas, & ludrica regna,*
*Vt gemini inter se Reges albúsque nigerque*
*Pro laude oppositi certent bicoloribus armis.*

*Hier. Vida initio Scaccheidis.*

*Niger* MORTIS est *Symbolum*; *Albus, Vitæ*: vel è conuerso. alteruter sanè *Mortem* bellissimè exprimit: sicut & *Latruncularius* ipse, qui

*Insidiosorum dum ludit bella latronum,*

Ludentem, ac semper alicui mortalium insidiantem MORTEM imitatur. Et nomina ipsa, atque acclamationes, quæ à lusoribus vsurpantur huc nos ducunt. Celeusma est in *Scacchia* victoris, *Scach-Mat* quod *Mors* ingeminare potest, dum ad extrema compulit collusorem; seu, dum hominem, tanquam fictitium Regem, stipatoribus suis, omnibúsque vitæ administris spoliauit.

Sunt autem, qui ad Hebraicam orginationem respiciũt, (nam Hebræos *Scacchia* inuentores faciunt) Hebræis autem, שכ *Scach*, est vallauit, sæpiuit, circumdedit: & מת, *Mat* vel מות *Mot*, mortuus est. Et sanè in ludo *Scacchario*, cùm ludi Rex ita vallatur, & obsidetur, premitúrque, vt stationem suam deserere cogatur, *Scach-Mat* adclamatur. Finitur autem lusus, cum nulla fugiendi spes restat, adeò, vt calculus ad extremũ redactus, immobilis, quasi mortuus reddat[ur].

*Scacchia Hebræorum lusus*

*Greg. Tolos. Syntagm. Iur. L. xxxix. c. 4.*

*Latrunculi Persarum inuentum.*

Est, qui latrunculorum lusum Persis transcribit; simili ductus coniecturâ: vbicunque enim ludi hoc genus viget, seruantur calculorum, siue latrunculorum nomina eadem aut corrupta saltem, parúmque detorta à Persica nomenclatura. Rex illis est *Xá* Domina vel Regina *VVazir*: Elephas illis est *Fil.* Equum appellant *Asp.* vel Faráz, quod idem est. *Peon* vocant Peadá, quasi *peditem*. Quodque *Xaque* ludentes, apud nos dicunt, illi *Xá* enunciant, quâ particula Rex admonetur. Quod nostrates *Mate*, illi *Xámata* dicunt, quod lingua Persica significat REX MORTVVS EST.

*Petrus Teixera. Tarrycus Mirkondus Persa. Circa A. 575.*

Refert hæc Petrus Teixeira in compendio Historiæ Persicæ ex Tarryco Mirkondo Persarum Chronographo. Ex quo etiam illud accipe: Circa tempora Anuxironis, Persarum Regis, & Auicennæ celeberrimi Medici, ex India in Persiam allatos duos insignes libros Philosophicos, quorum alteri *Keliláh*, alteri *VVademaná* nomen inditum erat, ijsque adiunctam fuisse *Tabulam latruncularium*, qua significabant inconstantiam ac mutabilitatem vitæ humanæ, eiusdémque perpetuam discordiam, in qua, cùm luctandum sit cotidie, ac certandum strenue arbitrabantur, vitam institui oportere, caute imprimis, ac prudenter.

Addit Mirkondus, remissum Indis à Persis, *Alueum tesserarium*: quo indicabant, solam prudentiam hominibus in hac vita militantibus non sufficere: sed adiungendam necessariò aliquam arti & industriæ fortunam: cui in tessararia tabula plurimum licet; cum in latrunculorum ludo peritiæ ludentium, & ingenio soli locus esse videatur. In vtroque autem bellissimum est, non VITÆ modò, sed & MORTIS simulacrum.

SYM-

# SYMBOLVM LXVI.

# MORS

## OTIVM.

*Mors nobis tempus habetur iners.*

DVBITO sanè, debeam-ne MORTEM dicere OTII esse *Symbolum*, vel OTIVM, MORTIS. Quid enim aliud est *Mors* viuentis, quàm OTIVM? quid aliud otium defuncti, quam MORS? Rectè vnum alterius dicitur *Symbolum*: quum vnum *symbolicè* sit alterum. Adde quod in tertio conueniant: quæ autem in tertio conueniunt apud Philosophos, inter se sunt eadem. Tertium illud est SOMNVS, *Otij* imago, æquè ac *Mortis*: nisi quod *Otium* tanto peius sit *Somno*, quod *Somnus* duntaxat corpus, *Otium* verò & ipsam animam afficiat. Quare qui argumenta quærunt ad Otij detestationem, & hoc adijciant.

Acutè, & ad normam penè Philosophiæ CHRISTIANÆ Seneca. *Effœminatur animus, atque in similitudinem* Otij *sui, & pigritiæ, in qua iacet, soluitur. Quid ergo? viro non, vel obrigescere satius est?* Deinde, *Delicati timent* MORTEM, *cui Vitam suam fecere similem. Multum interest inter* Otium *& conditiuum. Quid ergo, inquis, non satius est, vel sic iacere, quàm & istis officiorum verticibus volutari? Vtraque res detestabilis est, & contractio, & torpor. Puto æquè qui in odoribus iacet, mortuus est, quàm qui rapitur vnco.* OTIVM SINE LITTERIS MORS EST, *& viui hominis Sepultura.* Sen. Epist. LXXXIII.

Hoc loco mihi Demetrius occurrit, qui vitam securam otiosamque, & sine vllis fortunæ incursionibus, MARE MORTVVM vocat: nihil habere, ad quod exciteris, ad quod te concites, cuius denuntiatione, & incursu firmitatem animi tui tentes: sed in *Otio* inconcusso iacere non est tranquillitas, malacia est, MORS est, sed hominis viui. Mare mortuũ. Sen. Epist. LXIX.

Quid.

Ouid. Lib. 1. de Pon. Eleg. 6.

Quid Ouidius, ille alibi otioſorum patronus?

*Quid potius faciam? non ſum qui ſegnia ducam*
OTIA: MORS *nobis tempus habetur iners.*

Seruilius Vacia vir prætorius, ac prædiues odio negotiorum abdiderat ſe in villam ſuam, quam habebat non procul à Cumâ: nec aliâ re notus fuit, quàm eius villæ otio. Itaque qui negotiis premebantur, exclamare ſolebant: *O Vacia! ſolus ſcis viuere.* Huius tamen ignauum & ſine literis *Otium* damnans Seneca, negat illum ſciſſe viuere, ſed latere. Eóque nonnunquam villam præteriens ioco dicere ſolebat: HIC SITVS EST VACIA, ſubindicans, nihil intereſſe inter mortuum & inerti otio abditum. Si igitur viuere cupis, & dies videre bonos:

Sen. Epiſt. LI.

Tiſſer. Poeta.

Otia *perpetuò delitioſa caue.*
*Quo te cumque die nil ſancti egiſſe videbis*
*Hunc tibi vel penitus deperijſſe puta.*
*Iſta nec in minimis pœnas diſpendia damnis*
*Ære poteſt nullo, vel breue tempus emi.*

## SYMBOLVM LVII.

# MORS

## ARDELIO. ABACTOR. ÆRVSCATOR.

### PRÆDO. SICARIVS. SVBSESSOR.

CONIVNGENDA ſunt plurima, vt exprimatur illa, quæ tot infamium Artificum technas omnes callet, & cùm fallat omnes, à nemine fallitur. Voluit illam exprimere hiſce diebus, ſumpto ſibi MORTIS nomine, & perſonâ audaciſſimus *Impoſtor:* ſed illa ipſa, quã ſe eſſe fingebat, Morioni impoſuit vide quàm feſtiuè, ſed Impoſtori funeſtè.

Peſtilitas in Hungaria. Anno 1623.

Hoc anno MORS crudeliter vaſtauit Hungariam, immiſſâ regionum multarum depopulatrice Peſte. Vbique illa exercebat tyrannidem: nimirum, non ſat multos Bellum peremerat. Trahebatur currus hominibus refertus: in itinere, lue correpti omnes moriuntur,

tur, ipso etiam auriga aere pestilente afflato: sicque à viatoribus reperti sunt mortui.

Haido quidam domo suâ in agros secesserat, inuenit vespillones profundam fodientes fossam, pro cadaueribus peste sublatorum. *Haido.* Ad quos ille: ad quid tam profunda fossa? nunquid & me hac sepultum vultis? Cui vespillones: nescis, mi homo, quid serus ferat hesperus. Ille mox inde se proripiens domum accurrit festinus (senserat enim iam capitis dolores) & vix limen attigerat, cùm corruit & moritur.

Alius, ne moreretur MORS dici voluit, & haberi. *Mortem se fingit Impostor* Vir grandæuus, barbâ prolixâ, corpore longo, & procero, vultu, haud parum deformi (Scytham fuisse est opinio) pagos obibat, & opida, fingens se MORTEM. Formidandus nebulonis aspectus haud parum fidei *Anno 1524. vel XX:2.* verbis addebat. Solebat is vicatim singulas pulsare ædium fores, & primùm occurrenti terrorem incutere, deinde se *Mortem* esse, ac moriturum illum ipsum, nisi se redimeret, denunciare. Res hæc satis diu ad votum successerat, multámque à simplici plebe, quæ MORTEM effugere cupiebat, pecuniam collegerat.

Tandem lepidus hic præstigiator ad domum viduæ cuiusdam copiosam habentis prolem venit, quam alloquutus: Nostin' me, inquit, qui sim? negante illa, MORS, ait, ego sum parata proinde sis, quia hodie morieris. Illa filiorum orbitatem, ac paupertatem prætendens, rogare, obsecrare, inducias daret. Ille benè auritus: sed quia se MORTEM finxerat, quæ auribus carere dicitur, absque auribus se simulans, non exaudit. Non parcam, inquiebat, hoc die tibi moriendum: atque hisce minis acrius instabat, vt plures emulgeret numos à meticulosa fœmina. Eo tandem precibus ventum, vt personata MORS inducias sponderet, si certam mulier pecuniam sibi adnumeraret. Tantum autem exegit ardelio, vt ferè pauperis viduæ facultates excederet. Itaque solicita, vicinorum implorat auxilium, ærumnas suas questa.

Interim alius ad eundem viduæ domum diuertit hospes, illo altero paullisper digresso. Haido is erat gladio ac sclopo benè instructus. Hunc vbi ad se ingredientem vidua conspexit, per superos rogat, se vt inde quam primum proripiat, nec tam certo se vitæ exponat periculo, vtpote, cui moriendum esset, simul ac MORS mox reditura, eum inuenisset. Ille intellectis, quæ sibi euenisse fœmina

Rrrr nar-

narrabat partim territus, partem gauisus, quod MORTIS videndæ copia daretur, quam toties, sibi, iam olim vitæ pertæsus, optauerat, ad hospitam conuersus: quieto, inquit, esto animo, & negotium mihi committe, quicquid periculi interuenerit, libens patiar.

Mox ergo onerata bombardâ ad angulum domûs secedit, & se infra scalas abdit, MORTEM præstolaturus. Sub crepusculum vespertinum MORS adest foris ad fenestram, exigit pecuniam: negat vidua se tantum potuisse corradere, tumultuatur MORS, & morituram statim denunciat, nisi actutum, quæ spoponderat, numeret. Hæc omnia Haido è latebris arbitratus, dum acrius instare videt MORTEM, in pedes se erigit, sclopum parat, & in MORTEM directû exonerans, frontem eius glande traijcit. Concidit miser: & qui *Mortem*, alijs intentarat, ipsus infeliciter moritur. Prosilit è latebrâ Haido, occurrit vidua, fit clamor, concurritur à pagi incolis, multum sibi gratulantibus, de MORTE interemptâ, & ob id benè à se pecunias impensas existimantibus. Interim Haido MORTEM occidisse non contentus, spoliare etiam aggreditur: DCCtos aureos reperit, quorum C. viduæ donans, reliquos sibi retinens, inde opimâ prædâ lætus ocyus discedit.

At personata MORS occidi potuit; vera, pluribus homines deludens præstigijs, mactat vniuersos, ipsa quamdiu tyrannidem obtinebit, inuulnerabilis.

# *SYMBOLVM* LXVIII.

# MORS

## *PVBLICANVS.*

*Somnus Publicanus Mors*

CLEMENS Alexandrinus Lib II Pædagogiæ cap 9. vbi Christianis præscribit: Quomodo in *Somno* se gerere debeant: *Symbolum* MORTIS dicit esse SOMNVM huius autem, PVBLICANVM. Ex quo ni fallat collectionis bonæ regola, inferret Dialecticus. Ergo & PVBLICANVS est MORTIS *Symbolum*. Rectè: Nam si benè prædicatur de

de *Morte Somnus*, quæ huic conuenit denominatio, qua talis est, & illi conuenire necesse est. Siquidem vtriusque fundamentum idem est.

I. At, quamobrem imago symbolica MORTIS fingitur PVBLICANVS? An quia, quemadmodum *Publicani*, apud Romanos, vectigalia ac portoria Reipublicæ debita exigebant, vel precio redimebant: Ita *Mors*, quod DEO & exlitum Reipublicæ est debitum vectigal, ab homine præstandum: id est, Animam exigat, *Exactrix*, inde dicta? Profectò: Publicanorum nullus tam exactè vnquam, pro importatis, aut exportatis mercibus extorsit portorium ab institoribus, quàm ab omnibus animam *Mors* soleat. *Publicanus exigit vectigal*

II. AN fortasse: quia, vt dicit Vlpianus, *de publ. vectigal. Lib.* 1. Publicani *sunt, qui publico fruuntur*: nam inde nomen habent. Et omnes, qui aliquid à fisco conducunt, rectè vocantur *Publicani*? Quis, quæ-ue autem magis, publico, quàm *Mors* fruitur? quæ in omnia, quæ publica, priuatáque manus, pro imperio, inijcit, sibíque mancipat? Hæc à fisco supremi Principis, quicquid in publicum hoc vniuersi forum, dum gignitur, fertur, condúxisse rectè dici potest Nam quod oritur, tandem interit, *Morti* obnoxium. *Publicani fruuntur publico.*

III. An potius: Quia *Publicani* pro Principe vectigalia colligebant. Quod munus *Mors* obire videtur, dum sparsos per omnes mundi partes mortales congregat, vt eos velut Imperatoris summi reditus fisco principali inferat. Non sibi sed Deo vectigal colligit. *Publicanus colligit vectigalia.*

IV. An melius: Quia *Publicani*, apud Hebræos hominum genus erat omni odiosum populo, & detestabile, eo præsertim tempore, quo CHRISTVS in Palæstina concionabatur, cum Iudæi non suæ gentis Regi, sed Romano Imperatori tributa pendere cogebantur? Cui *Mors* non est odiosa, cui non execrabilis? diris eam parui æquè ac magni deuouent. Sed tunc potissimùm eam detestantur, etiam fideles, cùm non suæ gentis Regi, DEO immortali: sed Inferorum Principi, Diabolo, tributum, quod collegit, transmittit. Quod in sceleratorum obitu contingit: non *Mortis* tamen: sed impiorum culpâ. *Publicani odiosi.*

*Publicani alienæ calamitatis auctores.*

V. An ingeniosius: Quia *Publicani*, alienæ calamitatis sunt auctores, amari, crudeles, violenter, & licenter sed & liberè ac impunitè sæuiunt? Quæ *Mortis* sunt in omnes tyrannicè grassantis, conditiones. Suidas. Τελώνης ἀλλοτρίων πραγμάτων μεριστής, πεπαῤῥησιασμένη βία, ἀνεπίμητος ἁρπαγή, ἀναίσχυντος πλεονεξία, πραγματεία λόγον μὴ ἔχουσα, ἀναιδὴς ἐμπορία. *Publicanus alienorum negotiorum est particeps, ac diuisor: libera, ac licita violentia: rapina impunita: auaritia impudens: negociatio ratione carens: mercatura inuerecunda.* Quorum nullum non commodius *Morti*, quàm Publicanis adscripseris. Sicut & conglobatas has D. Chrysostomi descriptiones: *Quid peius* Publicano? *dic mihi. Alienarum calamitatum minister, & negociator est: alienos labores partitur: & cùm sudoris non sit particeps, lucrum ex alieno labore percipit. Nihil enim aliud est* Publicanus, *quàm violentia licenter sæuiens: legitima offensio: auaritia honesto prætextu.*

*Publicani excutiunt itinerantes. S. Macha. Hom. XLIII.*

VI. An verò etiam. Quia, vt loquitur B. Maximus: quemadmodum *Publicani* sedent iuxta vias angustas, ac detinent & excutiunt prætereuntes: ita *Mors* in capitibus platearum, in viarum amfractibus, in quolibet angulo expectat, vt viatores omnes, quales sunt in hac vita homines, detineat, in eos manus iniiciat, & quod preciosissimum, in corpore, tanquam marsupio circumferunt: nempe, vitam, sibi tradi imperet, & ni obsequantur, vi extundat.

*Publicanus, Diuisor.*

VII. An tandem, quod ex Clemente Alexandrino elicio: Quia, vt *Somnus*, ita *Mors*: vterque velut *Publicanus*, dimidium nostri aufert. Et, quemadmodum *Somnus*, vitæ spacium, nobiscum: sic *Mors* totum hominem, cum Deo, cui animam immortalem transmittit, diuidit. Est autem proprium *Publicani* diuidere, vt idcirco *Diuisor* à Suida sit dictus.

SYM-

# *SYMBOLVM* LXIX.

# MORS

## *EVCHARISTIÆ SACRAMENTVM.*

### *Mors est malis: Vita bonis.*

VOCAT Basilius *Eucharistiam*, μέγα τῆς σωτηρίας μυστήριον: *Magnum salutis Sacramentum.* Ignatius φάρμακον ἀθανασίας, ἀντίδοτον μὴ θανεῖν. *Medicamentum immortalitatis, Antidotum contra Mortem*: Eadem tamen est *Mortis Symbolum*, quia caussa, non vi suâ, sed malignitate suscipientis. S. Basil p. 597 Ign. Ep ad Eph.

MORS *est malis:* VITA *bonis.*

*Hæc esca vitam sufficit,* I. Pontan in Florid. Lib. II. Sponsal. vs 126.
*Hæc esca* LETHVM *parturit:*
*Tantum boni, tantum mali,*
*Eandem habent originem.*
*Vita quid est iucundius?*
*Quid* MORTE *contra tristius?*
*Hoc pabulum veruntamen*
*Vtrumque fit sumentibus.*
*Nil ergo eodem dulcius:*
*Est nil eodem amarius.*
*Sed improbos interficit:*
*Probósque vita munerat.*
*Quapropter omni crimine*
*Piati ad hoc conuiuium*

*Vos ferte, pleni sobriis,*
*Sanctisque cogitatibus.*

## SYMBOLVM LXX.

# MORS

## CRAMBE.

### Crambe bis Mors est.

Plin. Lib. xx. cap. 9.

SYMBOLI CVM quid habet vetus diuerbium: Δὶς κράμβη θάνατος: CRAMBE BIS MORS EST. Quod alij sic efferunt: *Crambe bis posita*, vel, *cocta Mors est*. Cramben brassicæ speciem facit Plinius: quam scribit Suidas antiquitus in conuiuiis adhiberi solitam: verùm recoctam adeo esse insipidam, & nauseæ procreatricem, vt Græcis in fastidij prouerbium abierit. Quocirca cùm rem iterum, iterúmque repetitam cum insigni molestiâ significabant, dicebant: δὶς κράμβη θάνατος: quod idem est, ac κράμβη δίεφθος *Crambe recocta*. Nec Latinis inusitatum fuit adagium: quod insinuari in istis Iuuenalis versibus existimat Politianus.

Crambe recocta.

Iuuena. Satyr. VII.

*Declamare doces ô ferrea pectora vectis.*
*Quum perimit sæuos classis numerosa tyrannos,*
*Nam quæcumque sedens modò legerat, hæc eadem stans*
*Proferet, atque eadem cantabit versibus iisdem.*
*Occidit miseros* Crambe repetita *magistros.*

*Cramben repetitam* appellare videtur declamationem summo cum tædio iterum atque iterum audiendam. Itaque ad significandum *Mortis* fastidium, quod naturaliter omnes capit, rectè illam appellaueris, *Cramben recoctam*. Et si adagium vsurpare lubet, sedes vocabulorum muta: & dic: MORS, BIS COCTA CRAMBE.

SYM-

## SYMBOLVM LXXI.

# MORS

## OBEDIENTIA RELIGIOSA.

*Quotidie morior*: 1. ad Corinth. xv. 31.

EXperiuntur, qui CHRISTI amore iugum illud subierunt, verè Mortui, Mundo, Carni, sibi. At sensus habent. Sensuum fortasse organa, sed ad functiones stupida: ideoque non nisi, ex Aristotelis enunciato, æquiuoca. Quid enim? Aures habent & non audiunt. Nares habent, & non odorantur. Manus habent, & non palpant. Pedes habent & non ambulant. Quis vita sensuque priuauit? MORS SYMBOLICA, OBEDIENTIA. Clarissimè Climacus *Symboli* huius formator. *Instrumenta æquiuoca sensuum.*

OBEDIENTIA *est animæ propriæ perfecta abnegatio, per corpus certius ostensa. Aut forte versa vice*: Obedientia *est mortificatio membrorum in viuente animo.* Obedientia *est inexaminatus, atque indiscussus motus; SPONTANEA MORS. Vita curiositate carens. Securum periculum. Immediata ad DEVM excursio. Metus MORTIS contemptio. Tuta Nauigatio. Itineratio, quæ perficitur dormiendo. OBEDIENTIA est SEPVLCHRVM VOLVNTATIS. Excitatio humilitatis: nihil resistit, nihil discernit. MORS est OBEDIENTIA in malis, & bonis apparentibus.* *Ioan. Climac. Gradu. iv.*

Hac MORTE decedunt, quicunque seculi rebus valere iussis, alterius se voluntati in Religione subdunt, quibus dici potest:

*Mortui estis, & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.* *Ad Col. iii. 3.*

SYM-

## SYMBOLVM LXXII.

# MORS

### INGRESSVS RELIGIONIS.

*Quasi morientes, & ecce viuimus.* II. Cor. VI. 9.

*Moritur, qui Religionem ingreditur*

PROXIME antecedenti SYMBOLO, hoc est planè geminum: nec vulgo ignotum. Si quis religiosæ familiæ se mancipet, dicitur, MORI CIVILITER. Ergo INGRESSVS illius, MORS est: Sed CIVILIS. Quæ vocula proprietatem non aufert, sed adfert distinctionem. Differt enim à MORTE naturali: quamuis multa habeat cum illâ communia.

*Abbas Apollo.*

*Ioa. Cassian. Collat. XXIV. cap. I.*

Hæc est, non Profanorũ tantũ: sed & Religiosorum ipsorum met persuasio. Vnius dictum excipite: ceterorum idem est sensus, etiam dum tacent. Ad Abbatem Apollo, *cùm germanus suus* (narratio est Ioannis Cassiani) *intempestâ nocte venisset, implorans, vt de monasterio suo paullisper egressus, ad euellendum bouem, quem cœno palustri eminus inhærere flebiliter querebatur, ei esset auxilio: quia eum solus nequaquam posset eruere: Abbas pertinaciter obsecranti: Cur, ait, iuniorem fratrem nostrum, quem præteriens propiorem, quàm me habueras, non rogasti? Cúmque ille eum* Mortem *olim sepulti fratris oblitum, & ex nimia continentia, ac solitudinis iugitate, velut impotem mentis, existimans, respondisset: Quem ad modum poteram de sepulchro eum, qui ante annos quindecim obijt, inuocare?*

*Cella Sepulchrum.*

*Luc. IX.*

*Abbas Apollo: Ignoras ergo, ait, me quoque ante annos viginti hinc mundo fuisse defunctum: nulláque iam posse de huius* CELLÆ SEPVLCHRO, *quæ ad præsentis vitæ pertineant statum, tibi conferre solatia? Quem intantum Christus ab intentione Mortificationis arreptæ, vel modicum ad extrahendum bouem tuum non patitur relaxari, vt ne breuissimi quidem momenti inducias pro patris indulserit sepulturâ; quæ multò vtique celeriùs, honestiùs, & religiosiùs fuerat exhibenda.*

*Religiosus, Cadauer.*

Huc spectant plurimæ imagines, quibus viri Religiosi, vt verè Mortui, exhibentnr. Quid magis mortuum quam CADAVER? cui

An

An MORS insit, tanquam accidens quinti prædicabilis, disputent Dialectici. Nobis certum, sedem censeri *Mortis*: aut eius causam. Est autem Religiosi *Symbolum* : quod is prima sui in ordine sacro initiatione, obierit: & pòst, vt *Cadauer*, versari debeat.

Audite Religionis bonum Magistrum : *Quisque sibi persuadeat, quòd, qui sub obedientia viuunt, se ferri ac regi à diuina Prouidentiâ per superiores suos sinere debent, perinde ac si* CADAVER *essent, quod quoquo versus ferri, & quacumque ratione tractari se sinit.* Ita S. Ignatius Loiola. Qui fortasse *Symbolum* illud acceperat à Seraphico Patre S. Francisco : qui illud vsurpasse fertur, ac identidem, cum fratribus suis agens, repetiuisse. Quibus etiam frequenter ingeminabat: *Mortui estis mundo: & omnibus, quæ in mundo sunt.* *Part. vi Const. cap. 1 §. 1.*

Adfine huic est *Symbolum*, BACVLVS SENIS : cui S. Loiola suos desiderabat esse similes. Nam is *vbicumque & quacunq; in re, velit eo vti, qui eum manu tenet, ei inseruit.* *Baculus sen.*

S. Basilius magis vniuersè INSTRVMENTVM INANIMATVM in manu artificis producit, cui Religiosum comparat, anima, vitaque ciuiliter, moraliterque destitutum. *Quemadmodum,* inquit, *Faber, Ædificatór-ue singulis artis instrumentis pro arbitrio vtitur suo : neque vnquam vllum inuentum est* Instrumentum *; quod ad quemcunque ille vsum voluisset, non se facilè tractandum præbuerit: ac moderatoris manui cesserit. Item quoque conuenit verum pietatis cultorem, perinde, vt* Instrumentum *quoddam vtile opifici ad complendam spiritualem fabricam, omnibus in rebus parêre ; in quibus vt operam suam nauet, rectum esse Antistes iudicarit: ne si id facere recusarit, impedimento sit, quo minus spirituale opus compleatur.* *Instrumentum inanimatum.*

Addit. *Vt* Instrumentum, *non sibi ipsi deligit quod facto opus sit ad artem iuuandam Eodem modo, pietatis cultorem non conuenit, ipsum esse, qui sibi indicio suo opus deligat: sed gubernationem sui Artificis prudentia debet, consilióque concedere.* Est enim hoc proprium *Instrumenti* à quo vita abest: qualis est Religiosus, Christianè mortuus. Qui idcirco, post professionem emissam non succedit, ab intestato, & aliorum est incapax, de quibus Glossa c. *Placuit.* XVI. q. 1. Quo titulo Arsenius hereditatem acceptare noluit. Et validatur ijs testamentum ac donatio causa *Mortis*. Quid, quod professione, Matrimonium ratum, non consummatum dissoluatur? Agnoscunt hanc *Mortem* in Italia illi Religiosorum propinqui, qui si decedat è vita Religiosus, veste lugubri non induuntur, quod iam pro mortuo habuerint.

Iurisconsulti quoq; quoad contractus ciuiliter mortuum Religiosum dicunt. Pluribus hæc confirmant asceticarum rerum scriptores, quique de Religione, aut ad Religiosos dixerunt. Inter quos Hieronymus Platus Lib. 1. de Bono status Religiosi cap. 8. Iulius Nigronius in Regulas Societatis: & Alfonsius Rodricius in Exercitio Perfectionis Tract. v. cap. 6. vbi consentaneè ad hoc *Symbolum*, monet Religiosos omnes, vt se velut Mortuos existiment, & habeant.

*Mortui hominis propria.* Inde porro colligi, quempiam esse mortuum: quod non videat, non respondeat, non sentiat: denique, non conqueratur, quicquid tandem illi accidat, quocumqne deportetur, protrudatur, deijciatur: quomodocunque tractetur, & circumgyretur. Si mortuus est Religiosus: oportere itaque cæcum esse, ad videndum, ac discernendum ea, quæ à superiore imperantur. Non conuenire Mortuo, vt obmurmuret, vt expostulet, vt reluctetur, vt indignetur, (Hæc enim non sunt *Cadaueris*, sed hominis viui) dum sensui, ac sensualitati quidpiam repugnans iniungitur. Vt autem *Cadaueri* conquiritur, datúrque, quod vilissimum est, & tritissimum, quo obuoluatur: ita Religiosum persuadere sibi debere; quod domi est, tam in victu, quam vestitu, ac habitatione, & re qualibet aliâ sibi deberi. Quod si ad hanc insensibilitatē nondum peruenerit, nondum se *Cadaueri* esse similem, atque ita nondum Mortuum; & quod inde consequitur, nondum Religionem ingressum, quo moritur, quisquis seculo renuncians, vitam sensualem deponit.

*Senis baculus* Hoc ipsum, ait, *Senis Baculum* docere: lignum verè mortuum. Quocumque feratur, quocumque in loco ponatur, non detrectat. Motum à se non habet, quippe vitâ carens: sed omnem, quam habet, à dirigente accipit. Hoc Religiosi est, cui nullus motus proprius est: sed à superiore regitur, ac gubernatur: illum sequitur, quemcumque in locum raptetur: in illo conquiescit, quamuis in luto, & fimeto. Si *Scipio* seni non obsequeretur, sed in transuersum iret, non solatio esset, sed oneri, cúmque gestans abijceret. Hoc metuat Religiosus si vitalem impetum, murmurando, resistendo, obluctando exerat. Quod non faciet, qui se Mortuum esse, per Religionis ingressum, assiduè meditabitur, & vitam suam absconditam esse cum CHRISTO in DEO. Magis hoc in Professione contingit: quam dum edunt Religiosi, in nonnullis familiis,

miliis, ritus obseruant laudabiles, quibus professurus se Mortuum simulat, ante altare, coram sodalibus prostratus.

## SYMBOLVM LXXIII.

# MORS

## ADFECTVVM REFRENATIO.

*Laudaui magis mortuos, quam viuentes.* Ecclæ. IV. 2.

ASCETÆ *Mortificationem Passionum,* & veteris hominis vocant quæ MORS est: sed non nisi *Symbolica*: ideóque in hoc theatro spectanda. Eam aduocabat Bernardus, non fictè vt Naturalis solet à quibusdam. Cerne anhelantem, & audi. Mortificatio Mors.

*Excedente anima, etsi non vitâ, certè vitæ sensu, necesse est etiam, vt nec vitæ tentatio sentiatur. Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ, & volabo, & requiescam. Vtinam hac* MORTE *ego frequenter cadam; vt euadam laqueos* MORTIS: *vt non sentiam vitæ luxuriantis mortifera blandimenta. Vt non obstupescam ad sensum libidinis; ad æstum auaritiæ; ad iracundiæ, & impatientiæ stimulos; ad angores solicitudinum, & molestias curarum. Moriatur anima mea* MORTE IVSTORVM, *vt nulla illam illaqueet fraus, nulla oblectet iniquitas.* BONA MORS, *quæ vitam non aufert, sed transfert in melius.* Sermo LII. in Cant.

Eandem exoptabat inflammatissimo adfectu Augustinus cum DEO loquens, eiúsque charitatem postulans. *Quis mihi dabit,* aiebat, *vt venias in cor meum, & inebries illud, vt obliuiscar mala mea, & vnum bonum meum amplectar* TE? *Noli abscondere faciem tuam.* MORIAR, *ne* MORIAR, *vt eam videam.* Lib. 1. Conf. cap. 5.

Quomodò eâ moriamur aperit M. Papa Gregor. Lib. v. Mor. c. 5. vbi: *Quasi,* inquit, *huic mũdo adhuc viuimus cùm mente in eũ foris vagamur: sed* Mortui *in sepulchro abscondimur, cũ* Mortificati *exterius, in secreto contemplationis celamur. Quodquãuis perfectè postmodum fiet: etiã nunc ex magna*

*parte agitur, cum à temporalium desideriorum tumultibus, delectatione in interiora rapiuntur, vt mens eorum, dum in amorem Dei tota tenditur, nulla inutili perturbatione laceretur.*

Hanc *Mortem* expetere multos in dignitate constitutos, verè magnanimos, & Christianæ humilitatis sectatores scribit eodem libro, Moralium Magister eximius, exponens illud Iobi. *Qui expectant* MORTEM *& non venit.* Desiderant quippe MORTIFICARE se funditus atque ab omni vitâ gloriæ temporalis sese eximere: sed occultis sæpè Dei iudicijs, vel præesse in regimine, vel occupari iniunctis honoribus compelluntur: atque inter hæc *Mortificationem* plenissimam indesinenter expectant. Sed expectata MORS non venit quia eorum vsus temporali gloriæ etiam nolens viuit. Quam tamen pro diuino amore tolerant: & intus quidem seruant desiderium pietatis: foris tamen explent ministerium ordinis: quatenus nec à perfectione per intentionem recedant: nec dispositioni Conditoris per superbiam contradicant.

*Lib. v Moral. cap. 2.*

Commendat istiusmodi MORTEM Christianis omnibus Origenes, & de ea intelligit Ecclesiastæ pronunciatum: *Laudaui magis* Mortuos, *quàm viuentes.* Non hic alios nominat *Viuentes*, ait, quàm, de quibus dicitur: *Veruntamen vniuersa vanitas omnis homo viuens.* Non enim omnis vita in vanitate est: sed quæ secundum carnem est, & secundum errores seculi ac voluptates. Super hanc omnis homo est, qui huic vitæ *Mortuus* est, & dicit: *Mihi autem mundus crucifixus est, & ego mundo.* De quo dicitur: *Mortui enim estis cum Christo.* Quod autem scribitur: *Laudaui* Mortuos, *magis quam* Viuentes, euidenter ostẽdit, quod eos dicat meliores, qui *Mortui* sint mundo: & inferiores, qui viuunt mundo. Ad literam enim non magis laudandi sunt *Mortui*, quam viuentes. Laudatur enim quis in eo, quod voluntate bonâ egerit: MORS autem communis nulli ex voluntate venit. Quomodo ergo quis laudatur, in eo, quod contra propositum patitur? Si ergo renunciasti seculo; si abiecisti vitia: si non moueris ad peccatum, quasi *Mortuus* eris, & MORS vitæ laudabilis. Nam de *Morte* communi, quæ lege naturæ venit, nemo laudatur.

*Laudandi magis mortui quam viui. Eccles. IV. 2. Orig. Nu. X. 1. Ps. XXXVI. 1.*

Ita quidem Ecclesiastæ dictum exponendum putat Adamantius, quod tamen alij de MORTE naturali interpretantur, vt *Mortis* bonum commendet: quasi, defunctorum conditionem & statum, quia calamitatibus, ac ærumnis vitæ mortalis sint erepti, viuentium condi-

conditioni præferat: vt sensus eius sit: Præstat non viuere, quàm viuentem; fieri testem malorum, quibus mortalium vita infestatur.

Sed ad sceleratos & insignitè impios sententiam totam refert Neocæsariensis: vt significet Sapiens: Inter impios melius habere vitâ functum, quàm superstitem. Quo pacto MORS laudatur: quod improbis etiam instar sit *Medicinæ*, vel *Medici*: ac peccandi tempus & occasionem præcidat, vt Augustinus piè commentatur Lib. XIII. de Ciuit. c. 4. A quo non abhorret Ambrosius, Sermo CXIX. & Sermo XVIII. in Psal. CXVIII. & Lib. de Resurrect. **Impii melius mortui, quà vivi.**

Atque adeò Plato in Phædone scribit MORTEM impijs benè cedere, quod impiè agendi facultatem eis adimat. Sed eo ipso in libro luculenter etiam disserit de *Symbolica Morte*, de qua nobis hîc sermo. Siquidem docet, veram hominis felicitatem in solâ sapientiâ, hoc est, summi-boni contemplatione & amore consistere: ea propter in hac vita adquiri non posse. Magnum enim ad adipiscendum tantum bonum esse impedimentum hanc corporeæ concretionis molem, quam circumferimus; tum per se, tum propter sensuum fallaciam, tum propter alia penè infinita, quæ comitantur illam, incommoda: vt sunt morbi, cupiditates, timores: ac denique, multiplices, vt loquitur, imagines, ac nugæ, quibus animum implet: tum verò externarum rerum administratio, pecuniæ studium, & multiplex negociorum procuratio. **Impiis Mors bene cedit.**

Ex quibus confici putat, homines, vel nunquam hanc sapientiam consequi, vel post MORTEM tantum: non autem in hac vitâ, nisi quàm maximè ad *Mortem* accedant. Quod tunc contingere dicit, cùm amator illius sapientiæ à re familiari, ab omni negocio, à voluptate, tandémque à mundo & corpore auocat animum, & ad seipsum conuertit, secúmque cogit esse. Hoc enim esse genus quoddam *Mortis*, inquit: idque vnum propositum semper fuisse veris Philosophis, qui nihil aliud egerint, aut commentati sint, quam, vt cogitarent se mortuos esse, & quomodo cotidie perfectius morerentur.

Ob quam causam, hæc MORS dici solet PHILOSOPHICA. Quamuis illius vmbram solùm consectati sint Profani: Verâ perturbationes suas domant Christiani. De quâ integris libris agunt spiritualis vitæ Magistri, compendiò de eadem disputauit absolutissimè. **Mortificatio multiplex.**

 Iulius.

Iul. Fatius de Mortificat.

Iulius Fatius, qui illam distinguit, *Mortificationis* nomine, in *Rationalem*, seu *Humanam: Politicam*, seu *Moralem: Euangelicam*, seu *Christianam: Religiosam*, ac denique *Pontificalem*.

Mors Gratiæ. Ambros. Li. v. in Luc.

D. Ambrosius, MORTEM *Gratiæ* appellat. MORS, inquit, triplex est: Naturæ, de qua dicitur; Quærent homines *Mortem*, & non inuenient. Hæc *Mors* est metuenda fortibus, desideranda sapientibus, miseris expetenda. *Culpæ*, de qua dicitur: *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur. Gratiæ*, quæ secularium aufert interitum voluptatum, in qua non natura, sed delicta moriuntur. Hanc *Mortem* subimus consepulti cum Christo in baptismo.

## *SYMBOLVM* LXXIV.

# MORS

## *SERVITVS.*

*Omnis consecratio, quæ offertur ab homine, non redimetur, sed Morte morietur.* Leu. XXVII. 29.

Libertas vita

QVID enim aliud est sibi *Mori*, quàm libertatem, quæ altera vita est, naturali multis carior, à se alienare? Hinc *Seruus* pro *Mortuo* penè haberi solet. Seruitutem mortalitati ferè comparamus, inquit Vlpianus, L. Seruitutem, ff. de *Regulis iuris*. Et quur qui Professionem in religione edit? quur qui se alteri votiua obedientia addicit, quur qui se DEO irreuocabili volũtatis decreto consecrat, *Mori* censetur? Quia seruitutem nunquam dissoluendam, quamdiu inter homines erit, suscipit.

Domino consecratus, moritur.

An sic exponendum, quod est Leuitici XXVII? *Omne quod Domino consecratur, siue homo fuerit, siue animal, siue ager, non vendetur, neque redimi poterit. Quicquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino. Et omnis consecratio, quæ offertur ab homine, nõ redimetur: sed Morte morietur.* Quæ est vltima Regula, vt ibi aduertit Lorinus, de rebus, quæ offerebantur Deo per votum, non qualecumque, sed quo vouens, abdicato

cato penitus earum dominio, volebat illas ad cultum Dei sic applicari, in morem anathematis, vt perpetuo diuinæ seruituti essent mancipatæ, nec possent vnquam in profanos vsus conuerti: nec libertas esset alienandi illas, siue venditione siue redemptione, siue commutatione, siue donatione.

Hoc pacto, si Gentilis seruus Hebræi voueretur, voti genere consecratorij, deputabatur perpetuo seruitio sanctuarij; q, per laicas personas exerceri poterat, vt aquam cõportare, ligna cædere, & similia. Quomodo Leuita quoque, & Sacerdos poterant votum edere, de perpetuo ministerio, cum non tenerentur nisi vice, ac tempore suo. Censebatur autẽ res sic cõsecrata *Mori*. At qua *Morte*? Non *Physica*, quæ non cadit in agros, vitâ propriè carentes: sed vel hac, si erat animal immolatitium: vel *Metaphorica*, si erat homo, qui libertatem suam amittebat, & transibat in ius sacerdotum, & statum seruiendi perpetuò. Nam vsque ad *Mortem* naturalem seruire cogebantur. Ita ferè Nicolaus Lyranus: inde quoque stabiliens suam, & quorundam Hebræorum opinionem, de filia Iephte: quod eam pater sic consecrarit ex voto, non mactando, sed Deo offerẽdo, vt ei seruiret, inclusa domi, in virginitate & orationibus. Atque hoc sit *Morte mori*: Sed de vera *Morte* Iephte votum Patres accipiunt, siue illud fecerit ex instinctu Dei, siue praua legis intelligentia.

*Seruus Hebræi deuotus.*

*Iud. xi. 31. Serar. 16. Azor. Tom. 1. Lib. 11. c. xiv. q. 2.*

Hesychius autem ad tropologiam *Mortem* illã refert & Religiosis accommodat, seruituti diuinæ irreuocabiliter per vota addictis. Tandémque, necessarium esse adfirmat, vt omne quod Domino consecratur, MORTE MORIATVR, iuxta illud: *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*. Et, *qui in carne sunt Deo placere non possunt*. Laudat verò sic mortuum, quem dicit vsque ad culmen virtutis proficere, & mensuras contingere perfectionis: esse mortuum sæculo, à præsentibus alienum, & à mundi migrasse sapientia.

*Suar. Tom. iv. de Rel. Lib. ii. de voto ca. 10. Mors Moralis. Gal. v 24. Rom. viii. 8.*

Obserua tandem triplicis *Mortis* differentiam. Est enim *Realis*, *Naturalis*, *Physica*, qua animalia immolatitia mactabantur. Est *Ciuilis*, quâ homo. Est omninò *Metaphorica*, qua inanimata, vt agri, & domus, dicuntur mori.

*Triplex Mors.*

SYM-

## SYMBOLVM LXXV.

# MORS

## LIBERTAS.

*Vos in libertatem vocati estis.* Ad Gal. v.13.

Mors in Libertatē asserit.

VT *Seruitus* MORS est CIVILIS; ita MORS NATVRALIS, est LIBERTAS Senecæ sensu, qui hoc elogio *Mortem* commendat. Attende quàm fortiter, & animosè. *Meditare* MORTEM. *Qui hoc dicit, meditari* LIBERTATEM *iubet. Qui* MORI *didicit, seruire dedidicit, supra omnem potentiam est: certè extra omnem. Quid ad illum carcer, & custodia, & claustra? liberum ostium habet. Vna est catena, quæ nos alligatos tenet: Amor vitæ: qui non est abijciendus, ita minuendus est: vt si quando res exiget, nihil nos detineat, nec impediat, quo minus parati simus, quod quandoque faciendum est, statim facere.*

Epist. xxvi.

Loquitur è Stoâ, in qua vsitata phrasis, quando de *Morte* subeūda, vel sumenda sermo ἤνοικται ἡ θύρα: *Aperta est ianua. Exi, sodes* Arrian. 1. Diss. 1x Christiano nunquam, iniussu Imperatoris, exeundum: cui MORS LIBERTAS, post bonam vitam, quia in Libertatem filiorum Dei ducit, & à vitæ malis liberat.

## SYMBOLVM LXXVI.

## MORS--RABVLA.

Fatetur CAVSSIDICVS è tumulo blaterans.

*Qui* LEGVM *famosus eram* IVRIS*que* PERITVS
*Caussidico gnarus tollere bella foro.*

In

*In modicâ iubeor longum requiescere tumba:*
*Heu lingua heu fama flebilis vmbra meæ.*
*Nil prodest didicisse alias componere lites:*
*Nil veteri Leges condere iure nouas.* Iacob Biderm. Lib. II. Epig. LXXXVI.
*Intendit* MORS *lege sua mihi denique litem,*
*Hei mihi cur vnam hanc soluere non didici?*

## *SYMBOLVM* LXXVII.

# MORS

## *CONTEMPLATIO.*

*Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Ad Col. III. 3.

CELEBRANT *Contemplationem* quandam Doctores Mystici, quâ mentem humanam adeò subleuari adserunt, vt res spirituales, ac diuinas absque similitudinum corporearum, ac phantasmatum inuolucris, quantum fas mortali, intueatur. Hanc, *Dormitionem, Somnum, Quietem,* tandémque, MORTEM, *Symbolicè* haud dubiè, nuncupant: Sunt enim hæc *Symbola* CONTEMPLATIONIS PVRÆ Mysticorum, quæ Bernardus vsurpat, & explicat præclarè Sermone LII. in Cantica, vbi de *Sponsæ Somno* diuinè differit. *Contemplatio Mystica.*

*Adiuro vos, filiæ Ierusalem, per capreas, ceruosque camporum ne suscitetis, neque euigilare faciatis Dilectam quoadusque ipsa velit,* inquiebat sponsus. Prohibentur adolescentulæ ab infestatione Sponsæ dormientis, ne scilicet præter voluntatem ipsius vllatenus eam excitare præsumant. Sed dicamus, si possumus, quis nam ille sit *Somnus*, quo Dilectam suam Sponsus obdormire velit, nec patiatur omninò, nisi ad ipsius arbitrium excitari: ne fortè, cùm legerit quis apud Apostolum: *Cant. II. 7.*

Rom. xiii. Psalm. xii. *Hora est iam nos de Somno surgere:* siue apud Prophetam, exorari ab ipso DEVM, illuminari oculos suos, ne vnquam obdormiat in *Morte*, nominum æquiuocatione turbetur, nec inueniat omninò, quod dignè de *Dormitione Sponsæ*, quæ hoc loco memoratur, sentire possit. Nam ne illud quidem simile est huic, quod de Lazaro ait in Euangelio Dominus: Ioan. xi. *Lazarus amicus noster dormit: eamus & à* Somno *excitemus eum.* Hoc enim dicebat de *Morte* corporis eius, cùm Discipuli de dormitione Somni dictum putarent.

Dormitio corporis. Non est autem is Sponsæ *Somnus*, *Dormitio corporis* vel placida, quæ sensus carnis suauiter sopit ad tempus; vel horrida, quæ funditus vitam tollere consueuit. Multò magis verò, & ab illa alienus existit, quâ obdormitur *Morte*: cùm videlicet in peccato, quod est ad *Mortem* irreuocabiliter perseueratur. Magis autem istiusmodi vitalis, vigilque *Sopor* sensum interiorem illuminat, & *Morte* propulsatâ vitam tribuit sempiternam. Reuera enim *Dormitio* est, quæ tamen sensum non sopiat, sed abducat.

Ecstasis Mors. EST & MORS (quod non dubius dixerim) quoniam Apostolus quosdam in carne adhuc viuentes commendando sic loquitur: Ad Col. iii. *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum CHRISTO in DEO.* Proinde & ego non absurdè Sponsæ ECSTASIN vocauerim MORTEM, quæ tamen non vitâ, sed vitæ eripiat laqueis, vt possit dicere: Ps. CXXIII. *Anima nostra, sicut passer erepta est de laqueo venantium.* Inter medios namque laqueos in hac vita inceditur, qui vtique toties non timentur, quoties sancta aliqua, & vehementi cogitatione anima à semetipsa abripitur: si tamen eousque mente secedat, & auolet, vt & hunc communem transcendat vsum, & consuetudinem cogitandi. Prou. i. Etenim, *Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.* Quid enim formidetur luxuria, vbi nec vita sentitur? Excedente quippe anima, etsi non vitâ, certè, vitæ sensu, necesse est etiam, vt nec vitæ tentatio sentiatur. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?*

Vtinam hac MORTE ego frequenter cadam, vt euadam laqueos MORTIS, vt non sentiam vitæ luxuriantis mortifera blandimenta, vt non obstupescam ad sensum libidinis, ad æstum auaritiæ, ad iracundiæ, & impatientiæ stimulos, ad angores solicitudinum, & molestias curarum. Moriatur anima mea MORTE iustorum.

ſtorum, & nulla illam illaqueet fraus, nulla oblectet iniquitas. BONA MORS, quæ vitam non aufert, ſed transfert in melius. *Bona* qua non corpus cadit: ſed anima ſubleuatur. Verùm hæc hominum eſt.

## SYMBOLVM LXXVIII.

# MORS


## SPECVLATIO-ANGELICA.

*Scio hominem in Chriſto raptum vſque ad tertium cœlum.* II. Corinth. XII 2.

SED moriatur anima mea MORTE etiam, ſi dici poteſt, *Angelorum*, vt præſentium memoria excedens rerum ſe inferiorum corporearúmque, non modò cupiditatibus, ſed & ſimilitudinibus exuat, ſitque ei pura cum illis conuerſatio, cum quibus eſt puritatis ſimilitudo. Talis, vt opinor, *Exceſſus*, aut tantùm, aut maximè CONTEMPLATIO dicitur: Rerum etenim cupiditatibus viuendo non teneri, humanæ virtutis eſt: corporum verò ſimilitudinibus ſpeculando non inuolui, Angelicæ puritatis eſt: vtrumque tamen diuini muneris eſt. Vtrumque excedere, vtrumque teipſum tranſcendere eſt. Sed longè vnum, alterum non longè. Beatus qui dicere poteſt: *Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine.* Non fuit Pſ. LIV. contentus exire, niſi & longè ſe faceret, vt poſſet quieſcere. Tranſiliſti carnis oblectamenta, vt minimè iam obedias concupiſcentiis eius, nec tenearis illecebris: profeciſti: ſeparaſti te, ſed nondum elongaſti, niſi & irruentia vndique phantaſmata corporearum ſimilitudinum tranſuolare mentis puritate præualeas,

Huc vſque noli tibi promittere requiem. Erras, ſi citra inuenire te exiſtimas locum quietis, ſecretum ſolitudinis, luminis ſerenum, habitaculum pacis. Sed da mihi, qui illuc peruenerit, &

ineunctanter fateor quiescentem: qui meritò dicat; *Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.*



## SYMBOLVM LXXIX.

# MORS

## TEXTRIX. SECTRIX.

*Praecisa est, velut à Texente vita mea.* Isa. XXXVIII. 12.

MORTEM cum PARCA confundo: vel, quæ sunt vna, eadémque, non segrego. *Parca* autem & texit, & secat.

*Stulte quid Euboici speras tibi pulueris annos?*
*Quid Pylios speras vitrea bulla dies?*
*Disce* MORI, *dum vina, rosas, vnguentaque poscis,*
*Et noua fila lyræ,* MORS *tua fila secat.*

Bernat. Bauhus. Li. II. Epig.

Idem Poeta Pygmæo Epitaphium condens.

*Hæc tibi Pygmæo domus est æterna sepulto*
*Parua quidem, domino sed tamen apta suo.*
*Vixisti paruis poteras cum currere in armis:*
*Nunc Palamedæo victus ab vngue iaces,*
*Fila tuæ tantum fuerant subtilia vitæ,*
*Neret ea vt speculis de tribus vna soror:*
*Sed tamen & tenuem discerpsit forcipe lanam,*
*Et quæ vix potuit fila videre scidit.*

SYM-

# SYMBOLVM LXXX.

# MORS

## KAPPA. THETA. TAV.

K. Θ. T. ת.

### *Signa Thau super frontes virorum dolentium & gementium.* Ezech. IX. 4.

SYMBOLVM est *Iudiciale*, vsurpari solitum in tribunalibus. Quod vt illustretur: obseruo, iudices olim signasse sententiam in tabulis, siquidem caussa ageretur momenti non leuis. Ritum clarè exponit Sigonius his verbis. *Prætor Iudicibus tabellas dabat, & vt sententiã ferrent in concilium mittebat. Mittere autem in concilium, erat, iubere illos ad vrnas ire atque in eas, tabellas sententiam continentes conijcere. Vrna verò, siue cista, tot fuerunt, quot Iudicum ordines, qui iudicarunt: Tres quidem, cùm omnes adhibiti sunt; vna Senatorum, altera Equitum, tertia Tribunorum ærariorum. Tabellæ verò, quæ datæ erant iudicibus; quarum vnam in vrnam mitterent, erant tres, Vna;* Absolutionis: *altera,* Condemnationis: *tertia,* Ampliationis: *eæque omnes ceratæ erant. Nota* Absolutionis *fuit* A. Condemnationis, C. Ampliationis, N. L. *Non liquet.* Porro sententiam illos pronunciasse de tabula in leuioribus caussis, & ob id neque notâ, neque custode opus habuisse scribit Asconius in Diuin. Verrin. *Iudices signãt sententiam in tabulis.* *Sigon. Lib. 1. de iud. ca. 21.* *Asconius Diuin Verr.*

Itaque si caussa agebatur capitalis, *Mortis* signum erat C. Latinorum, & Græcorum, X. significans καταδικάζειν. Vt scribit Petrus Crinitus. Cui refragatur Britannicus Persij commentator, volens X, notam fuisse *Absolutionis*, ac proinde, *Vitæ Symbolum*, & significasse, καλὸν, id est *pulchrum.* *C. Latinorum X. Græcorum. Pet. Crin. Lib. VI cap. 6.* *καλὸν. pulchrum.*

Conuenit autem cum Crinito, quod Θ. *Mortem* significaret, tum *Symbolicè*, tum abbreuiatione Grammaticali, est enim prima littera nominis, θάνατος, quæ pro tota voce vsurpari consueuit.

Hinc *Mortiferum signum* & *Lethalem notam* vocat Martialis in Epigrammate, quo crudelem nescio quem quæstorem insectatur, qui carnifici', hominis occidendi signum dabat naso emungendo: quem dicit nouum; inusitatúmque *Theta* inuenisse, vt interfecturus quempiam, nasum emungeret: factum autem, vt postea spoliatus omni manuum potestate, ne nasum quidem abstergere potuerit.

*Nosti* mortiferum *Quæstoris Castrice* signum?
*Est operæ pretium discere* THETA *nouum*.
*Exprimeret quoties rorantem frigore nasum*
*Lethalem iuguli iusserat esse notam*.
*Turpis ab inuiso pendebat stiria naso.*
*Cùm fleret madida fauce December atrox*
*Collegæ tenuere manus: quid plura requiris?*
*Emungi misero Castrice non licuit.*

Huc spectat Ausonij in Pædagogum Eunum scomma, quo *Mortem* ei precatur, & quidem à veste, adscribique ad defuncti nomen optat *Theta*.

*Miselle Doctor, ò tibi sit obscæno:*
*Tuúmque nomen* THITA *sectilis signis.*

Quo loco Scaliger *ò erat signum suspendij, refert enim laqueum collo inuolutum: ϴ, littera condemnatoria. Quin & in castris militem ex cohorte* Morte *dispunctum hac nota significabat*. Quod sumpsisse videtur ex Isidoro, qui sic scribit: *In breuiculis quibus militum nomina continebantur*, T. *nota in capite versiculi posita superstitem designat: ϴ, verò ad vniuscuiusque defuncti nomen solet apponi.* Itaque sospitalis littera Romanis erat T. vitæ index, feralis, ϴ. Id subleſtâ fide scriptum ab Isidoro existimat I. Lipsius.

Isid. Lib 1 Etymol.

I. Lip. de Pronun. Lin. Lat. cap. 14.

Quæ enim ratio, inquit, cur T. viuum notauerit? aut quod alibi exemplum? Itaque ipse de V. illud verum censet, illámque litteram in Isidoro reponendam. Nam ecce, ait, in sepulchralibus lapidibus, quoties pluribus monumentum aliquod exstructum, adscalpi solet, qui ex ijs super terram, qui sub terrâ. Illis V. præponebatur, prima sc. in *Viuus*, litterâ, istis ϴ quia in *Thanato* capitalis, id firmat testimonijs aliquot inscriptionum sepulchralium.

Eru-

Eruditis tamen aliis haud improbabile videtur, quod Isidorus tradit: & acceptum id non dubitat Iacobus Gretzerus ex vetustiorum monumentis. Caussam autem cur, T. viuum, viuentemque significaret hanc esse potuisse & etiamnum esse posse scribit, vt virtus viuificæ crucis, à quâ nobis vita venit per hanc litteram, tanquam per figuram suam, & similitudinem tacitè insinuaretur: Quæ enim caussa erat cur Ægyptijs, T. signum vitæ esset, hæc eadem erat, cur & Romanis in catalogis militum. Quid quod Litteram, T. Tribuni plebis, auctore Valerio Maximo, Senatus-consultis, quorum ipsi aut populus fundus factus erat, subscribebant? Quod ad hanc rem notauit Hermannus Hugo, in eruditissimo opusculo *De scribendi origine*. Sed annon alia caussa, cur Θ *Mortis* sit *Symbolum*? Fortasse, & illa, quod humani pectoris tran fixi similitudinem gerat. Quod suggerit Matthæus Raderus in Martialem, & exornat plurimum hanc imaginem. Ad quod etiam faciunt, quæ habent Alexander Neapolitan. Lib. III. cap. 5. ibidémque Tiraquellus Brissonius Lib. v. de formulis. Foquelinus ad Satyr. IV. Persij. Brodæus Lib. I. Epigram. εἰς πονηρούς & Sixtus Senensis Lib. III. Bibliothecæ vbi ait dictum Θ, ἀπὸ τοῦ θανάτου: id est, à *Morte*: vnde habet, inquit, per medium telum: id est, *Mortis* signum: de qua Poeta quidam sic scribit:

T. littera fuisset lib. G. orig. lib. I. de Cruce c. LI.

Herm. Hugo de scrib. orig. cap. XXII.

Lib. VII. Epig. 11.

*O multum ante alias infelix littera Thita.*

Alia tamen consideratione, tum Latinorum, T. tum Græcorum, Tau, tum Hebræorum, Tau Mortis possunt esse *Symbolum*. Exprimunt enim hæ litteræ, si tamen plures sunt, crucis formam, quæ *Mortis* est signum, quia instrumentum. Lucianus in accusatione Tau. *Huius corporis filum tyrannos aiunt sequutos, eiusque speciem imitatos. Simili deinde figurâ ligna fabricasse, & homines in iis fixisse.* Clarissimè Tertullianus: *Ipsa littera Græcorum*, Tau, *nostra autem*, T. *species crucis*. Et Isidorus, Tau *littera speciem crucis demonstrat*. Nec minus apertè Paulinus Nolanus: *Christus non multitudine, nec virtute legionum: sed iam tunc in Sacramento crucis cuius figura per litteram Græcam,* Tau *numero trecentorum exprimitur, aduersarios Principes debellauit.*

Littera T. Mortis signũ.

Tertul. li. III. adu. Marcion.

De Hebræa, S. HIERONYMVS. *Antiquis Hebræorum litteris, quibus vsque hodie Samaritæ vtuntur, extrema,* Tau, *Crucis habet similitudinem*. Negant id quidem Nouatores, Iunius Lib. II. ca. I. Hugo

S. Hieron. in Ezech. cap. IX.

B. uch.

Bruchtonus in cap. IX. Daniel. Scaliger in Animadversionibus Eusebianis. Sed nihil adferunt, quod auctoritatem veterum, qui id affirmant, eleuet: Origenis in cap. IX. Ezechiel. Tertulliani aduersus Iudæos Lib. IX. capite: Seueri Lib. III. Isidori Lib. Allegoriar. cap. 24. quibus consentit Iustus Lipsius Lib. I. de Cruce cap. 8.

Vt igitur TAV, quia *Crucem* CHRISTI referebat,

*Qua genus humanum deuictâ* MORTE *triumphat*
*Arbore, cui nostræ stemma salutis inest.*

Baron. Tom. II. Gretz. Tom. I. Bellarm. Lib. II. cap. I. & in Panegyr. Ursenico c. XI.

VITÆ VENTVRÆ apud Ægyptios erat Hieroglyphicum, vt ex Ruffino, Sozomeno, Suida alijsque post Baronium Gretzerus probat: Ita, quia *Infelicis* olim *arboris, infamis stipitis, damnati interitus erat figura, Mortis* esse potest icon, Nunc *Mortis* deuictæ, vitæ triumphatricis.

*O Crux! ô columen! Spes vnica planta salutis,*
*O lignum ætherei fertile depositi!*

*Noxia prima fuit miseris mortalibus arbor,*
*Damna sed hæc medicâ nostra resarcit ope.*

*Protulit illa* NECEM, VITAM *hæc: erat illa doloris*
*Mater, at hæc plausus, lætitiæque fuit.*

Tandem, *Tau* Hebraicum, etiam vt nunc pingitur, ת Mortis est *Symbolum*: quia, vt obseruat Cardinalis Bellarminus, & Georgius Mayr, vterque initio *Institutionum Grammaticalium*, Terminum & significat, & denotat; Vtque illud *Alphabetum*, ita vitam MORS terminat.

Non reticendum ingeniosi Poetæ carmen, qua mortiferam litterulam, in salutiferam conatur vertere:

Bernar. Bauhusius.

*Infelix multis* THETA *est: mihi littera felix*
*Si* Θάνατον *scribit: scribit & illa* Θεόν:

SYM-

# SYMBOLVM LXXXI.

# MORS

## LITTERA--LONGA.

GRAMMATICALE dici potest *Symbolum*, cuius formandi materiam præbet iocus Plauti, apud quem anus Staphyla, vt auari patris familias intemperias effugeret, de genere *Mortis* sibi percommodo deliberans, ita loquitur. *Symbolum Grãmaticale.*

*— —neque quicquam melius est mihi*
*Vt opinor, quam ex me vt vnam faciam* LITTERAM
LONGAM, *mi laqueo collum quando obstrinxero.*

De hoc *Symbolo* morosissima est inter Grammaticæ Doctores contentio. Lambinus, & Adrianus Turnebus, nullam certam *Litteram* designari existimant: omnes enim *Litteras* posse esse *longas*, vel fieri, cum grandiores, & maximè cùm palmares, vel cubitales pinguntur. At: *apage*, inquit I. Lipsius, *Lambinianam facem, qui ad quamuis grandiorem litteram vult aptari.* Omnes enim Romanæ litteræ fuere grandes: nam hæ minutæ, ignotæ olim. *Lip. de Pro. Cap. VIII.*

Sed immeritò hoc conuicium iaci animaduertit Famianus Strada, neque enim ignorauit Lambinus, vnum Quiritibus fuisse scribendi genus: sed cum sciret, illud produci posse grandibus, & maximis litteris, vt loquitur Cicero, & cubitum longis, vt ludit Plautus, aut minutis litterulis, vt ait idem Tullius, putauit iocum Plautinum ad aliquam ex cubitalibus litteris esse referendum: & Lambini glossema non improbat Matthæus Rad. ad Lib. VI. Martialis. *Famia Stra. Lib III Prolus. Pral. III. Plau II.* *Rad. Lib. VII. Mar. Ep XXXI*

Alij tamen per *Litteram longam* intelligunt *capitalem* quamlibet, quæ vocabulis præponi solet, & est veluti ductor agminis litterarij. In hos potius conuenire Lipsianam censuram opinatur Strada.

Vulgus interpretum, inter quos Ioseph Castilionius de Littera L. exponunt, quia longiuscula est in nostra scriptione. Ratio friuola: nam apud veteres, L. ceteris non erat longior: habebant enim literas Romani quadratas, & pares. Nec penduli huius litteræ figu-

ram magis exprimunt pedibus, quàm qui humi suis insistunt vestigijs. Quod si quis ad flexum, obstipumque collum id referre vellet; is vt rectè monet Strada, inuertere deberet elementum.

Sunt itaque qui hominem pendentem diuaricatis cruribus cum Λ, Græco, comparant: & hanc *Litteram* illam *longam* esse. Verùm hic capitis & pectoris nullum apparet vestigium, quæ tamen hominis partes sunt præcipuæ.

T. *Cal. Rhodig. Lib. X. cap. 8.* Cælius Rhodiginus contendit esse litteram T. Nam qui pendet, litteræ illius reddit imaginem: corpus siquidem pendulum, libratúmque, lineam à summo ad imum productam exprimit: tignũ verò aut trabs ex qua laqueus demittitur transuersum litteræ ductum refert. Quo fortasse respexit Lucianus, apud quem Σ, T. litteram vt furacem arguit, & dignam, quæ supplicium in suâ figura sustineat, & in crucem, quam exprimit tollatur. Probant hæc quidem T. furcam repræsentare, non docent tamen, T. litteram esse longam, & eminentem, quod ad hoc *Symbolum*, & Plauti iocum maximè spectat. Itaque

I. *Scal. Lib. 1. de caus. Lin. L cap. 4. Lip. de pronun. c. VIII.* I. Cæsar Scaliger, à quo accepit I. Lipsius, *Litteram* I, nominat, quæ κατ' ἐξοχὴν inter omnes litteras propriè dicta *longa* fuerit, quia non vt ceteræ, geminabatur, sed productior fiebat, & longitudine velut dupla. Exempli caussa, PISO. VIVAS. ÆDILIS. Itaque, I. inter grandes illas & Romanas litteras super reliquas eminebat, & forma ipsa pensilem refert hominem, qui productior fit & oblongior, dum rectus pendet. Hoc sensu, putant Ausonium in Eunum quem suspendio dignum censebat, scripsisse:

*Quid imperitè, ρ, putas ibi scriptum*
*Vbi locari* Iota *conuenit* longum?

Facit ad idem Terentius Scaurus, qui sic monet. *Super* I *litteram apex non ponitur, melius enim*, I *in longum producetur: cetera vocales apice distinguuntur*.

Habent hæc omnia suos auctores, & sunt probabilia, quare, vel I. vel T. vel L. designari posse existimat Raderus. Omnes itaque illæ, *Mortis* sunt *Symbola*, quia non minus, quàm X. & Θ, ferales, & mortiferæ.

*Litera longa. Herm. Hugo de rat. scrib. cap XXII. Suidas.* Non displicet tamen, quod Hermannus Hugo suspicatur, qui *Litteram longam* ad notam condemnationis refert, de qua Suidas:

das: *Μακρὰ γραμμὴ, ἡ καταδικάζουσα longa littera, seu linea, condemnationis signum est:* breuis enim erat *Absolutionis.*

# *SYMBOLVM* LXXXII.

# MORS

## *VVA-PENSILIS.*

ALIVD SYMBOLVM formo ex coniectura Hieronymi Aleandri, & Taubmanni, quam probat Famianus Stada. Cum enim indecorum videatur anum, & seruam argutari de re litterariâ, litteratis viris tantum cognita, imò ne doctis quidem omnibus, opinantur sic legi posse:

*——neque quicquam melius est mihi,*
*Vt opinor, quam ex me vt* VVAM *faciam* LINEA
LONGA, *mi laqueo collum quando obstrinxero.*

Sic personæ decorum seruatur. Est enim muliercularum potius *Vuam* ad domesticos vsus filo suspendere, quam litteram facere. Alluditur etiam ad nomen anus *Σαφυλὴ*, quod *Vuam* indicat.

Minori autem litterarum immutatione sic legi posse suggerunt.

*——neque quicquam m. lius est mihi*
*Vt opinor, quàm ex me vt* VVAM *faciam* AD LITTERAM
*Longum mi laqueo collum quando obstrinxero.*

Nempe ad litteram, & nominis sui similitudinem, Staphyla, vt *Vuam* faceret, si se pendulam demitteret.

Roborat hanc conceptionem Strada: tum, quod loquutio ea, ab *Vuâ* ad suspendium translata, Plautina sit. Sic enim ipse alibi, cùm adolescens seruum alloquens dixisset:

*Ausculta mihi modò, ac suspende te.*

respondentem audit seruum.

*Siquidem tu es mecum futurus pro* VVA *passa* PENSILIS, tum, quod *Longa linea*, in hanc sententiam vsurpetur à Columella: qui, *Ligato pede*, inquit, *longa linea gallina custoditur*: tum denique, quod fili flexus circa racemi caput, ac nodi complicatio, *Vuaque* demissio, melius suspē-

diosum, ac pendentem è trabe, quàm vlla *Littera* conformatio, exprimat Est itaque non minus, VVA è tigno pendula, quàm vlla *Littera*, MORTIS SYMBOLVM.

## SYMBOLVM LXXXIII.

# MORS

## SCOPVLVS. ARENA. SILEX.

*Vsque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Iob XXXVIII. 11.

VT inexorabilitas, & testatissima MORTIS gnome, NON MOVERI, exprimatur *Symbolicè*, pingantur, quæ tribus illis voculis indico. Præclaras singulæ continent comparationes, Poëtis præsertim adamatas. Nutrix in Hippolyto apud Senecam, posteaquam iuuenem flectere non potuit, ad quod tentabat:

*Vt dura* Cautes *vndique intractab.lis*
*Resistit vndis, & lacessentes aquas*
*Longè remittit: verba sic spernit mea.*

Et in Agamemnone.

*Nihil ille motus ardua vt* cautes.

Ouidio eadem arrisit Lib. II. Metamor.

*Quæ pater haud aliter, quàm* Cautes *marmora ponti*
*Excepit.* ———

Et Euripidi in Medea : ὡς δὲ πέτρ☉
ἢ θαλάσσι☉ κλύδων ἀκούει.

Lib. vi. Æneid. Pueris decantatum est illud Virgilij:

*Non magis incepto vultum sermone mouetur,*
*Quàm si dura* Silex, *aut stet* Marpesia Cautes.

quo dura, & mentis obstinatissimæ Dido describitur comparatione du-

ductá à Scopuli immobilitate: nihilo illa magis, quàm *cautes* vndis circumfrementibus Ænea lacrymante, ac orante mouebatur. Sicut ante Æneas ad Elisæ preces fletusque steterat immobilis. Quod alia imagine expressit Poeta, Æneam *Quercui* conferens, quæ *Mortem*, æquè ac *Cautes* refert. Stat enim immota, nulli cessura ventorum murmuri. Lib. IV. Æneid.

*---Nullis illa mouetur*
*Fletibus, aut voces vllas tractabilis audit.*
*Ac veluti annosam valido cum robore* Quercum
*Alpini Boreæ nunc hinc, nunc flatibus illinc*
*Eruere inter se certant.----*

Talis est *Mortis* pertinacia, tam præfracta, & inexpugnabilis siue constantia, siue obstinatio, verè moueri nescia. INCVS maxima non metuens, nec sentiens strepitus: Vt ADAMAS ferrum excipit, imò frangit, sic illa ferream licet, temperiem, conplexionem adamantinam.

Non minus ingeniosè hoc exprimas *Arenæ* littoralis *Symbolo*, ad quam frangitur, quod in orbe est, tumidissimum. Ad cuius contemplationem Iobum inuitat Deus: *Circumdedi illud terminis meis, & posui vectem, & ostia. Et dixi: Vsque huc venies, & non procedes amplius: & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Res digna consideratione. Ponit Deus ferocienti elemento, ac furenti *Vectes* & *Ostia*: ex originali dicere possis *Repagula, obices, pessula*. Sed quæ res tam firma, tam ærea, quæ mare, vrbes & valla densissima perrumpere, ac operire solitum contineat, eiusque frangat impetum? Nominant aliqui, freta, littora, montes circumiectos. Iob XXXVIII. 10 11.

Mihi magis placet ARENA: qua nihil videtur ad continendos, frangendósque fluctus minus idoneum: ea tamen hic est terminus: hic scopulus conterendis & dissipandis furentibus vndis destinatur. *Posui* Arenam Terminum mari, *præceptum sempiternum, quod non præteribit: & commouebuntur, & non poterunt: & intumescent fluctus eius, & non transibunt illud.* Ieremiæ V. 22. *Hic*, nimirum ad Arenam, *confringes tumentes fluctus.*

Cerne mihi Oceanum, cuius vbique mirabiles sunt elationes, sed in littore potissimùm, cùm ad erumpendum, & omnia longe la-

tequę dominationis iure occupanda, ac oppositas omnes moles transgrediendum, quasi collectis in se vniuersis viribus procurrit: simúlque reducto spiritu fluctus enituntur & fremunt, ad Arenæ terminalis contactum superbiam ferociámque per tot æquoris spacia diuagatam ponere. Tanta vis est *Arenæ*: sed ob præceptum Dei. Hic dixit, hic statuit, ratum fixúmque hic voluit, vt furor omnis ad glareæ contactum mitesceret. An fortasse idcirco, in diuinis Litteris

III. Reg. IV. 29 sapientia Salomonis comparatur *Arenæ*? dedisse enim refertur Deus sapientiam Salomoni, *sicut Arenam, quæ est in littore maris*. Quod sicut *Arena* repellit & comprimit ferocientes fluctus: sic sapientia coerceat regios iracundiæ impetus.

ARENA *Mors* est intellectu arcano. Hanc sublimium timoribus, & Celsitudinibus terminum posuit: hoc voluit esse potentiæ nunquam exsaturabilis repagulum: hinc obicem audaciæ; hæc claustra, ac vectes arrogantiæ: hunc fluctuum insanientium Scopulum: hanc cautem pertinaciæ Eucherius ad Valerianum: Velut ex alto vndarum iactus, alijs, atque alijs superuenientibus, in littoris extremo frangitur: ita in terminum Mortis succiduæ alliduntur ætates.

Huius fronti capitalibus insculptum litteris legere est: *Vsque huc venies, & non procedes amplius: & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Heu

Isa. LVII. 20. quomodo insanijt Alexander Macedo, *quasi Mare feruens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum*? At vbi debilitati sunt? in *Mortis* attactu, vt Arenæ littoralis. Quantopere tremuit Iulius Cæsar, Nero, Caligula, Diocletianus, Decius, Iulianus, tótque alij Imperatores, Reges, Principes? At vbi nam depressus tumor, coercitus impetus, fracta audacia? In eodem littore. Termi-

Psal. CIII. 9. num illis posuit DEVS, quem non transgredientur, nec conuertentur operire terram.

Carol. Scribani Iulio in Amorem.

*Qui Reges numeras, terrarum lumina:*
*Qui Duces inclytos, bellorum fulmina.*
*Funesta prospice Regnorum culmina.*
*Incerta purpura fallacis omina.*

Infelix Regum multorum, magnorumque exitus.

*Quò Remus, Romulus, Sextus Tarquinius?*
*Quò Titus Tatius, Tullus Hostilius?*
*Vel Ancus Marcius, Seruiusq; Tullius?*
*Priscus Herculeus, Drusúsque Manlius?*
*Quò Gracchi, Melius, Seianus, Marius?*

Quò

*Quò Cato, Regulus, Carbo, Licinius?*
*Ruffinus, Caſſius, Brutus, Antonius?*
*Gallus, Copronymus, Phocas, Alexius?*
*Siluanus, Lentulus, Conſtans, Sertorius?*
*Quintillus, Didius, Probus, Demetrius?*
*Carinus, Tacitus, Leo, Valerius?*
*Macrinus, Commodus, Carus, Procopius?*
*Comnenus, Nicias, Celſus, Conſtantius?*
*Agis, Miltiades, Zeno, Decentius?*
*Traulus, Leonidas, Syphax, Actius?*
*Conon, Themiſtocles, Dion, Iſacius?*
*Achilles, Hercules, Hector, Numanticus?*
*Tigranes, Phocion, Pyrrhus, Britannicus?*
*Auitus, Michael, Thomas, Philippicus?*
*Theſeus, Pauſanias, Glycas, Iſauricus?*
*Lucullus, Lepidus, Lyſander, Lucius?*
*Manfredus, Vitiges, Maſſa, Parthenius?*
*Cabrera, Stilico, Silanus, Flauius?*
*Philippus, Datamis, Brocas, Ablauius?*
*Omnes domeſtica, aut hoſtili corruunt*
*Manu praproperâ ferroue intereunt:*
*Aut duro exilio, aut veneno concidunt,*
MORTEQVE *inglorij funeſta pereunt.*

*Hac ſceptris gloria daturque purpura:*
*Hac auro & opibus; fatali murmure.*
*Hoſtili vi poſteros funeſtent vulnere:*
*Elati barbaro, & cruento funere.*
MORTE *pars minima* pacatâ *concidunt:*
MORTE *pars maxima* funeſtâ *concidunt.*
*Qui tela neſciunt, mærore pereunt:*
*Vel lenta ſanie, tabeque corruunt.*

Nimirum: *Poſuit Deus* ARENAM *terminum Mari: commouebuntur, & non poterunt, intumeſcent fluctus eius & non tranſibunt.*

SYM-

# SYMBOLVM LXXXIV.

# MORS

# PELAGVS.

NVPER hac imagine inexplebilem *Mortis* voraginem repræsentabam, nunc eadem in omnes, infra vnum, eius merum plenumque dominium. Nulli *Mare* subijcitur, præterquam vni, qui omniũ est Dominus: nullius alterius respectum habet: in omnes æquè sæuit. Non Principum, Regúmue personam accipit. Vt MARE, sic MORS docet, inanem esse, quæ tantopere inflare solet multos, humanam potentiam.

CANVTO Anglorum Regi hoc perspectum: qui, vt Adulatores suos, Regem penè superis æquantes vt in aulis fieri amat, *Symbolo* doceret: quoniam dixerant, omnia illi seruire, & *ad nutum eius, vultumq;* (vt Annales loquuntur) *conuerti*: spectantibus illis, sedem regiã in littore *Maris* posuit, in ipso accessu eius, & fluxu: tum dixit; *Tu* Mare *ditionis mea es, & terra, in qua sedeo, est mea. Impero tibi, & denuncio, ne in terram meam ascendas, nec membra, nec vestem Domini tui madore perfundas.* Dixerat Canutus: sed *Mare* tenorem suum tenebat, non hominis imperio, non minis obnoxium: itaque veniebat, procurrebat, alluebat, penè inuoluebat. Tum resiliens Rex: *En,* inquit, *quàm ego omnibus imperito! Quin sciant omnes, qui terram incolunt, vanam, & falsam esse Regum potentiam: atque vnum eo nomine dignum, qui verè imperium inhibet cælo, terra, mari.*

Profuit idem Canuto ad modestiam, qui deinde serio pietatis, & Christianæ submissionis studia coluit, coronâ cruci impositâ, vt quidam scribunt: quam vltrà in caput illum non admisisse alij adfirmant.

*Polydor. Virg. ex Chron. Ger. Anton. Dauroltius in Hist. Catech. cap. 1. Tit. XXVI Exem. 3 Iust. Lip. in Exem. Pol. L. II. c. 14.*

—MORS *sola fatetur*
*Quantula sit Regum vis atque potentia.*

SYM-

# SYMBOLVM LXXXV.

# MORS

## VENTVS.

EADEM est huius, quæ proximè antecedentis *Symboli* significatio. *Mors* æquè in omnes exercet imperium, nullo sceptri aut ligonis discrimine, nullo diadematum, aut infularum intuitu. Hoc *Vento* est peculiare. Philippo II. Hispaniarum Regi Catholico filius fuit Iacobus, quem paruulum, sed dignitatis, & in illâ, potestatis suæ non ignarum, *Ventus* vehementiori flatu incessebat, prospectantem è fenestrâ: cui ille, pueriliter indignabundus: Heus, *Vente*, impero tibi, vt molestiã mihi exhibere desinas. Adstabat tum fortè Principi Aloysius Gonzaga, Marchio Castilionensis adolescentulus, qui opportunitate vsus: Potes, inquit, Domine, homines tuis dictis obedientes nancisci: in elementa autem solius Dei imperium est, cui & Te parere oportet. Non ignorabant hoc Iudæi, quibus iniecta de Christi Diuinitate suspicio: quia Venti & Mare obediebant ei. Nullius imperio, præterquam DEI solius, *Mors*, subest reliquis imperare assueta.

*Virgil. Cepa. rius in vita B. Aloy. Lib. 1. cap. 7.*

*Matt* x:11 27

Sed habet quidpiam peculiare *Ventus*, quod potentes vel terreat, vel erudiat. Sæpius faciliúsque in ea, quæ altissimo constituta sunt loco, incurrit: ibi pulcrum putat, quantum ipsa possit, experiri. Caueant, qui capitibus hominum impositi, elatiores sunt ceteris. *Vento* magis exposita, quæ altiora. & hæc, *Morti.*

*Claudia. Epig.*

*In breuibus nunquam sese probat* Æolus *vndis;*
*Nec capit angustus* Boreæ *certamina collis:*
*Alpes ille quatit: Rodopeia culmina quassat.*
*Incubuit nunquam cælestis flamma salictis:*
*Nec parui frutices iram meruere Tonantis:*
*Ingentes quercus annosas fulminat ornos.*

Timeant qui in sublimi degunt, formidãdam in præcipitiis ruinam: in casum nutant, quæ in summo consistunt: certè nihil magis *Vento*

Apollod. opportunum, vt nihil magis *Morti*, quàm qui præ reliquis eminet est expositus. *Amplissima fortunæ dona*, aiebat ille, *& timida, & tremula sunt.*

*Habent perampla dona fortunæ metum:*
*Periculóque non carent præluſtria;*
*Nec vlla cella tuta sunt mortalibus,*
*Quæ auertere vel inuidia, vel tempus solet.*
*Felicitatis culmen vbi quis attigit.*

Prou. XVII. 16. *Qui altam facit domum suam*, ait Sapiens, *quærit ruinam*: nam citius corruet, vel eo ipso, quod alta.

*— —Licet arma vacent,*
*Cessentque doli, sidunt ipso*
*Pondere magna, ceditque oneri*
*Fortuna suo ———*
*Vela secundis inflata Notis:*
*VENTOS nimium timuere suos.*
*Nubibus ipsis inserta caput*
*Turris pluuio vapulat Austro*
*— —Quicquid in altum*
*Fortuna tulit, ruitura leuat.*

Carol. Scriban. Pluribus hoc deducit pius Poeta, Ludo in seculi Amorem, inimicum Amori diuino, docens magna ferè ruinæ proxima esse: Æternare humilia

*Qui Celsa sequitur, prærupta metuat:*
*In summa vertice ni modum statuat.*
*Prolapsu celeri necesse corruat,*
*Cùm moles imminens incautos obruat*
Mors grauior. *Lapsus ex humili, planóque tutior,*
*Cùm è præcipiti ruina grauior.*
*Ex alto durior planóque mitior,*
Mors frequentior. *Alto frequentior, planóque rarior.*
*Sic summi vertices tanguntur fulmine.*
*Quamuis præualido cincti munimine.*
*Superba pectora calcantur Numine.*
*Quantumuis callido tecta molimine.*
*Sic altas arbores VENTI præcipitant:*
*Duráque robora momentò excaudicant.*

Cel.

*Celsaq; rabiem* Ventorum *prouocant.*
*Accendunt animos, minasq; exasperant.*
*Virgulta tenera cùm* Noti *quatiunt,*
*Aut* Aquilonibus *lentata proruunt,*
*Stant fixa sedibus, irasq; combibunt,*
*Nec sæuam rabiem, irasq; metuunt.*
*Sors dura & aspera Magnorum æmula.*
*Magnorum inuida, diraq; fæcula:*
*Futuri generis infamis macula;*
*Cùm regnum sistitur fatorum famula.*
*Cùm summo vertice momentò labimur.*
*E primo culmine momento pellimur.*
*E summis opibus momentò exscindimur*
*E celso munere momentò excutimur.*
*Cum flore medio fracti depluimur.*
*Iuuentâ mediâ rapti protrudimur.*
*Mundique gaudiis viles proscribimur.*
*Regnoq; medio, sceptrisq; euertimur.*
*Vt flores pampini, baccæq; excutimur.*
*Vt* VENTO *folia concussa spargimur.*
*Vt denso arundines imbre propellimur.*
*Vt* Euro *palea subiecta rapimur,*
*Æternis animos tepentes erigas.*
*Æternis noxia cordi submoueas.*
*Æternis præmia mundi discutias.*
*Æternis pristina, moresq; corrigas,*
*Æternum vt Numini coniunctus gaudeas.*
*Quæ Mundus munera promittit fugias.*
*Æternum corpore menteq; vt valeas,*
*A carne, honoribus, auroq; caueas.*
*Æternùm vt ignibus flammisq; careas,*
*Densis gemitibus peccata deleas.*
*Æternùm vt animum pœnis eripias,*
*Ne carni fragili. Mundoq; pareas.*

Reuerà, vt VENTVS, ita MORS altioribus frequentius, & velocius imminet. An quia à natura hæc rerum est mortalium conditio? An potius, quia gaudet DEVS *eminentissima* quàm primum *depri-*

*mere, quia neminem alium, quàm scipsum sinit magnificè de se sentire,* & immortalem existimare. Quo monito, Principibus sæpè occinendo, Artabanus Persa, modestiam Xerxi persuadere conabatur. Herod. L. VII. ad initium.

## SYMBOLVM LXXXVI.

# MORS

## BVBO. NYCTICORAX.

EST hoc Hora-pollinis Niliaci qui vetustissimus est Hieroglyphicorum Ægyptiorum scriptor. Is libro secundo, Hieroglyp. XXIV. Νυκτικόραξ θάνατον σημαίνει: NYCTICORAX Mortem *significat*. Ex illo Pierius Valerianus Lib. XX. Hieroglyp. *Apud Ægyptios* NOCTVA Mortis *erat hieroglyphicum, vulgatissimo iam etiam apud nos & Oratorum, & Poetarum testimonio,* Noctuam, *lethale aliquid, aut inauspicatissimum infortunium adferre.* Quæ *Symboli* huius ratio?

AN quòd cùm *Cornix* vitæ longioris imago habeatur, compertum sit, *Noctuam*, quadam naturæ discordiâ, eius nidis magis, quàm aliarum auium insidiari; repero eam clanculum, noctis tenebris fretam; &, vel pullos, vel oua *Cornicis* inuadere, atque deperdere? Certè in manu-scriptis Hori codicibus legitur, quod nunc impressis etiam est insertum: ἄφνω γὰρ ἐπέρχεται τοῖς νεοσσοῖς τῶν κορωνῶν κατὰ τὰς νύκτας, ὡς ὁ θάνατος ἄφνω ἐπέρχεται. *Quemadmodum enim hic repente pullos Cornicum noctu; sic &* MORS *homines non opinantes inuadit, atque opprimit.* Est de hoc in Anthologia lepidum Epigram.

Νυκτικόραξ ᾄδει θανατηφόρον· ἀλλ' ὅταν ᾄδει
Δημόφιλος, θνάσκει κ' αὐτὸς ὁ Νυκτικόραξ.

AN, quia *Mors* furtim, ac velut in tenebris irrepit, dum vel lumen rationis obtenebratum, vel sensuum fenestræ morborum violentia sunt occlusæ: denique, quando vitæ dies occidit? Quod alijs Symbolis sæpè est declaratum.

AN, quod in *Noctua* cantu *Mortis* inesse præsagitio sit creditum?

per-

persuasione fortasse à Poetis inductâ, quorum Princeps inter omina necis Didoni procurandæ recenset *Bubonis* cantum.

*Seráque culminibus ferali carmine* Bubo
*Sæpè queri, & longas in fletum ducere voces.*

Nota, epithetum huic rei aptissimum: *Ferali carmine*; id est, *funebri.* Quia enim veteribus MORS dicebatur FERA, hinc omnia, quæ ad mortuos, manésque pertinebant dicebantur *Feralia.* Sic *ferales cyparissi*, apud Ouidium: *Feralia officia*, apud Apuleium Lib. I. Metamorph. *Epulum ferale*, apud Plinium. *Ligna feralia* apud Minutium in Octauio: *Reliquiæ ferales*, apud Tacitum.

*Beroal. in Apul. Turneb. Lib. XIV. c. 1. Delrius Aduers. in Sen. Hercul. Fur.*

Ominosum etiam *Bubonis* cantum Ouidius celebrat, Lib. V. Metamor.

*Tristia mille locis* Stygius *dedit omnia* Bubo.

idémque insinuat Virgil. Lib. XII. Æneid.

*Quæ quondam in bustis, aut culminibus desertis*
*Nocte sedens serum canit importuna per umbras.*

Plinius Lib. X. cap. 12. BVBO *funebris, & maximè abominatus publicis præcipuè auspiciis: deserta incolit, nec tantum desolata, sed dira etiam, inaccessa. Noctis monstrum: nec cantu aliquo vocali sed gemitu. Itaque in vrbibus, aut omninò in luce visus dirum ostentum est. Priuatorum domibus insidentem plurimis scio fuisse feralem. Volat nunquam quò libuit, sed transuersus aufertur. Capitolij cellam ipsam intrauit Sex. Papellio Istro L. Redamio Coss. propter quod Nonis Martiis vrbs lustrata est eo anno.*

Magis feralis, & funebris est MORS, propter quod vnumquodque est tale, illud magis: maximè abominata, publicis præcipuè auspiciis, quibus si interueniat, funestat omnia, deserta incolit, si non inueniat, facit: desolata quoque & inaccessa: verè abominatio desolationis, cui nihil inaccessum. An non Capitolij cellam intrasse dici potest, cum in Paradisum sese insinuauit locū priuilegiis omnibus Principis munitissimum? Noctis monstrum: vniuersis, non tam cantu, quàm gemitu indicens, imò, adferens exitium. Non plurimis, sed, nemine mortalium exempto, cunctis feralis.

Exitialem esse vlulatum *Noctuæ* Pyrrhi Epirotarum Regis exemplo demonstrant Eruditi. Hic cùm Argos expugnatum duceret, infelicissimæ, ac ignominiosissimæ Mortis signum accepisse fertur à *Noctua*, quæ hastæ illius ex itinere insedisset. Siquidem cum detracto insigni è galeâ ne internosceretur in Argiuos oppidanos cædem in-

*Noctuæ vlulatus Pyrrho portendit exitium.*

ceptasset, aniculæ cuiusdam filius, eum hastâ leuiter vulnerauit. At cùm Pyrrhus impetum in percussorem fecisset, Argiui mater, quæ supernè spectabat periculum intuita, tegulam ambabus manibus acceptam super Regis galeam effudit: quo ictu, cùm exanimatus concidisset, Zopyrus quidam, qui sub Antigono militabat, Rege cognito accurrit, detractáque galeâ, ferrum gutturi admouit: sed toruis Pyrrhi oculis attonitus, os & mentum eius pro iugulo recidit.

Hoc *Mortis* signum illud fuisse opinatur Bolzanius, quod ab Lictore ferebatur ad damnatum publico iudicio, præsertim apud Æthiopas, à quibus Ægyptios aiunt multa rituum id genus mutuatos. Eo autem signo viso, reus sponte sibi *Mortem* consciscebat, magno & sibi, & patriæ dedecori futurus, nisi fecisset. Et ferunt quendam per hoc *Morti* destinatum cùm de fuga cæpisset agitare, priusquam periculo se subduceret, Zonâ à matre strangulatum: adeò persuasum fuit genti, non licere Mortem, magistratuum pronunciatione decretam, exilio, vel subterfugio quopiam commutare.

Est itaque MORTIS accommodatum *Symbolum*, siue *Bubo*, siue *Noctua*, siue *Nycticorax*. An, quia hæc infausta volucris ad se quoque, tutelæ caussa confugientes, miserum in modum exagitet? Ita Ægyptijs erat persuasum, qui vt hominem ad alicuius misericordiam, patrocinij, vel salutis gratia euentu irrito confugientem, significarent, *Passerem*, & *Noctuam* soliti erant pingere. Siquidem Passer, vel alia quæpiam auicula, vbi aucupis infestas artes declinare studuerit, ad Noctuam confugere dicitur, cuius patrocinio speret se periculum euitare posse: sed ab ea infestius excipitur, vbi sibi perfugium adesse proposuerat.

Eadem imagine, *Mortis Tyrānis*, de quâ toties à nobis est actum, exprimitur. Tyrannidem enim *Nycticorax* designat, ob occultationem consiliorum, quæ dissimulare, non magis potentiores, quàm *Mors* pro magno habet negocio. Quis *Mortis* se fuisse consiliarium profiteri vnquam potuit? quis eius abdita in lucem proferre? quis momentum, quis horam, quis diem aduentus infallibiliter semper prædicere? tecta eius omnia sunt consilia: nocturni sermones, multo magis quam tyrannorum, vel *Nycticoracum*.

Latet interdiu *Nycticorax*, noctu verò prodit, ad infausta negocia, deque culminibus ædium, lethalia quæque meditatur, & inui-

sum

sum quiescentibus tumultum excitat inauspicatissima. Et *Mors* tum plerumque occulitur, cum tanquam clara luce omni diligentia præcauetur: cum verò illius nulla suscipitur cogitatio, & quiescitur suauiter, feralem excitat strepitum, & exitium molitur.

Ampliando huic *Symbolo*, & adornando, deseruiunt nomina; iisque respondentes species nocturnarum auium, quæ omnes eximiæ quædam sunt in Symbolices theatro imagines *Mortis*, tanquam Noctis dominæ. Suppeditat non pauca Psalmi C I. versus V I I I. *Factus sum sicut* Nycticorax *in domicilio*: quod mirâ varietate legitur. Apud Hieronymum: *Quasi* Bubo *solitudinum*. Apud alios est. *Noctua*, aut *Vlula*, aut *Cicuma*, aut *Asio*, aut *Otus*, aut *Vespertilio*, aut *Nycteris*, aut *Scops*, aut *Ibis*, aut *Cucu[illegible]s dissipationum*, seu *ruinarum*. Hebræi contendunt *Bubonem* intelligi. Latini Græcanicam vocem retinent, *Nycticoracem*, hæc vix differt à *Nycteride*, & *Vespertilione*, dicitúrque sic, quasi *Nocturnus coruus*: quamuis Paulinus, ab Agellio citatus, dici velit, quasi νυκτικόραξ, quod acies eius noctu tantùm valeat. Communi denominatione aliquando aues omnes nocturnæ *Noctua* audiunt. De his agunt accuratè Gesnerus Lib. de Auibus. Rhodiginus Lib. X V I I. cap. I I. Pierius Lib. X X. Sed copiosissimè Vlysses Aldrouandus Lib. V I I I. Ornithol. ex Aristotele Lib. V I I I. hist. anim. Plinio Lib. X. cap. 3. 12. 13. Isidor. Lib. X I I. orig. c. 7. Alberto Lib. X X I I I. de Animal. Athenæ. Lib. V I I I. cap. 14. Bellonio Lib. V I I. Histor. cap. 13.

## *SYMBOLVM* LXXXVII.

# MORS

## *ECHO.*

### Qualis in vita, talis in Morte.

SI sonus ad corpus durum, leue, ac benè compactum allidatur, quoniam non dispergitur, redit integer: & auditur E C H O: *Echo quid.*

quæ

quæ est soni vel vocis repercussio. Quemadmodum enim lux, speciesque visilis ad corpus tersum impacta, si angulum faciat reflexa, sicut fecerat directa, similis ferè vtrobique est: ita & aer resonus simil s priori efficitur, si corpus pulset in quibus non dispergatur, sed integro fere impetu remeet. Hinc domus nuper illitæ, fornices, dolia, lagenæ, fluminum quiescentium ripæ ob aquarum læuorem, cauúmque æs maximè resonant, vt docent Philosophi.

*Vbi fiat.*

Poeta Princeps ingeniosè tria loca innuit in quibus fiat vocis repercussio, Syluas, Littora, Colles, siue Montes. Æneidos v.

*Lib. VIII. Consonat omne nemus strepitu collesque resultant.*

*Tum plausu, fremitúque virûm, studiisque fauentûm*
*Consonat omne nemus: vocémque inclusa volutant*
*Littora, pulsati colles clamore resultant.*

*Plaut. Amph. Contra consonat terra.*

Ego ex *Theologia Symbolica* aliquot alia de signo; nominentur, Lectus fatalis, sandapila, vrna, sepulchrum. In his MORS est ECHO: soni vocisque repercussio, non alterius, quàm, quæ vsitato magis vocabulo, VITA dicitur.

*Vita hic transacta* Mors *est resonabilis* ECHO.

Quid vitam humanam esse existimas? SONVM dicit Symbolicus. Qu d horam illam decretoriam? LITTVS è quo in altum ducitur animæ rostrata, vt in Æternitatis portum inuehatur; vel Mons durissimus, & scopulosus, ad quem classis, eatenus benè compacta, alliditur. Quid igitur mirum, vitam, quippe sonum, in hoc littus, & scopulum, appulsam, redire integrum, vt audiatur Vitæ Echo Mors.

Præclarum *Symbolum*, quo docearis, Mori homines, vt vixerũt: solam *Mortem*, veridicum esse defuncti Encomiasten: huic, non alteri ex palpatoribus, deferendum, vt oratione funebri laudet, quem extulit. ECHO non aliud reddit, quàm quod loquens, clamans-ue protulit. Si dixit, *benè*: consonat littus, & respondet *Echo* syllabatim, *be; è*. Si enunciauit, *malè*: resultant scopuli, & respondet *Echo* eodem aduerbio, *malè*. Si nominetur à clamante *Venus*, si *Bacchus*, si *Euclio*: si exprimatur, *Superbus, Auarus, Luxuriosus*; vicissim reddet *Echo*, soni repercussu eadem vocabula. Ob quam caussam, *Echo* dicitur *Imago*: nempe vocis, eius qui loquitur. Valerius Flaccus

*Valer. Lib. III. Argon.*

*Rursus Hylan, & rursus Hylan per longa reclamat*
*Auia, respensant siluæ, & vaga certat* Imago:

Horatius:

*Quem Deûm, cuius cecinit iocosa*
*Nomen* Imago.

Haud

Haud ſequus Mors adſonat. Si *vita* tua,tanquam ſonus,expreſſerit,*bonum*:reſpondebit *Mors* reciprocè,*bonum*: ſi *malum*:reddet illa,*malum*: ſi *laſciuum*,non proclamabit *Mors*,niſi *laſciuum*: ſi *ſuperbum, guloſum, vinolentum, adulterum, ſimoniacum, vſurarium, mollem, cynædum*: eadem *Mors* exprimet: Si *cælum*, audies *cælum*: ſi *Infernus*, reſonabit *Mors*,& ingeminabit,*Infernus*.

At fortaſſe vnum ſolummodò proferre poteſt vitium, vnam virtutem: aut ſemel tantum reddet, quod accepit ſemel. Erras: omnia,quæ fuêre in *Vitâ*, *Mors* exprimit. Multas illa voces multis in locis reciprocas facit. Sicut in vrbe Cyzico turres ſeptem acceptas voces numeroſiore repercuſſu multiplicabãt: & Olympiæ porticus erat,quam heptaphonon appellabant, quoniam ſepties eadẽ vox reddebatur. Multiplicat vocem defuncti *Mors Echo*, vt omnibus innoteſcat,qualis fuerit,quem vrna continet. Plin. L. xxxvi. cap 15.

*Sex etiam,ac ſeptem loca vidi reddere voces:* Lucr.
*Vnam cùm faceres: ita colles collibus ipſi*
*Verba repulſantes, iterabant verba referri.*

Quàm verè dictum: *Mors* à *Vita* non diſcrepat: nam non diſſidet *Echo* à *Voce*,cuius eſt repercuſſio: Vitæ exitus reſpondet decurſui. Exempla dedimus in *Grammatico Profano*. Qui profanè vixit,profanè moritur. Comment. vi. §. 12 & ſeq.

Georgius Buchananus Sectæ Caluiniſticæ acerrimus propugnator, profanitati addictiſſimus, & laſciuiæ Poetarum; in *Mortis* limine,rogatus à Miniſtris: *Orationem-dominicam* diceret, nec ſomniãs, nec phreneticum quid patiens, primam Propertij elegeiam, vice *Pater*, & *Aue*, inſtar *Echûs*, *Morte*, voces *Vitæ* exprimente, dicere eſt exorſus:

*Cynthia prima ſuis miſerum me cæpit ocellis,*
*Intactum nullis ante cupidinibus.*

negauitque aliam *Orationem-dominicam* ante hoc, quadraginta annos extitiſſe. Idem hydrope laborans accerſito ad lecti ceruical Vaſconici vini dolio, conteſtatus eſt, ſi mentem, animámque in illo mergeret,capturum ſe nonnihil in *Morte* voluptatis. Similis fuit exitus *Iſaaci Caſauboni*, litterati æquè arrogantis, ac profani de quo ibidem.

Refert Athenæus ex Chryſippo,fuiſſe qui à carnifice trucidandus,dixerit ſe velle mori decantatâ cygneâ cantione,intelligens di- Athenæ Lib. xiv. Dipnos.

ctum aliquod salsum, vt erat salibus assuetus, quod simul atque proloquutus esset non cunctaretur emori.

Alium perhibent, qui, è scalâ Iudici festiuè insusurrarit: mirari se vbi is ocularia senex adfigeret, cum naso valdè simo esset.

Alium, qui poculum, etiam è scala hausturus, spumam studiosissimè efflabat, caussamque addebat, quod spuma calculus generaretur.

Socratem tota vita Vrbanum, sub finem iocatum accepimus hausto iam ferali poculo.

Annis superioribus celebrabatur Molmæus facetiarum sectator, qui vicinus *Morti* Canonicâtus sui insigne, quod (*Domino*) passim vocant, postulasse ferebatur, dixisseque: *Beati, qui in Domino moriuntur.*

**Iulianus Apostata blasphemus in vitâ, blasphemat in morte.**

**Inueterati dierum malorum, in senio etiamnum lasciuiunt apud Danielem, in iuuentute capræ, hirci in senectâ. Denique vt conclusio apud Dialecticos præmissis: ita *Mors* vitæ, quam concludit, respondet.**

## *SYMBOLVM* LXXXVIII.

# MORS

### *IMAGO. SIMVLACRVM. SPECVLVM. PHENGITES.*

EODEM tendunt omnia, nec è superiore differunt significatu. Vt *Imago* lineamenta; speciem, *Simulacrum*, formam, *Speculum*, eius, quem referunt, exhibent, ita *Mors*, *Vitam*, quàm repræsentat. Orationem esse factorum *simulacrum* aiebat Solon, vt refert Laertius: sed longè exquisitius *Vitæ simulacrum Mors* est. Vt vim & speciem animi cuiusque verba nō secus, quàm rerum formas specula; ita quidquid tota vita actum, dictum, cogitatum *Mors* effingit. Idcircò verè

Plin. Lib. xxxvi. cap. 22. PHENGITES. *Nerone Principe, in Cappadocia repertus est lapis, duritiâ marmoris, candidus, atque translucens, etiam quâ parte fulua inciderant vinæ ex ar-*

*ex argumento* Phengites *appellatus*. Hoc lapide Domitianus tempore suspecti periculi appropinquante solicitior indies, porticuum parietes distinguebat, vt ex eius splendore, per imagines, quicquid à tergo fieret, videret. Quicquid pone factum, per *Mortem*, ceu specularem materiem, Phengite splendidiorem, & in *Morte* cernitur. Sueton. in Domit. c 14.

Ridiculum fuit votum, scelerati hominis Balaam: *Moriatur anima mea* Morte *iustorum, & fiant nouissima mea horum similia*. Quasi vt in speculo repræsentaret bos, equum: columba, accipitrem: lupum agnus: musca, elephantum: Angelum, Cacodæmon: Infernus, cœlum postularet. Nouissima principijs sint consona oportet: cauda capiti, pedes corpori. Contrarium si fiat, aberratio est, vel peccatum naturæ, & risum mouet. Nu. XXIII. 10.

*——— Amphora cœpit*
*Institui currente rotâ, cur vrceus exit?*
*Humano capiti ceruicem pictor equinam*
*Iungere si velit, & varias inducere plumas,*
*Vndique collatis membris, & turpiter atrum*
*Desinat in piscem mulier formosa superne*
*Spectatum admissi risum teneatis amici.*

# SYMBOLVM LXXXIX.

## VITA---SIGILLVM.

## MORS---CERA.

VITÆ *Symbolum* Rotam fecère multi, vt dictum alibi, quod attollat, & deprimat: nunc mihi est *Annulus*, sed *signationis*, in cuius gemma, sit signum Ceræ imprimendum vel gypso. Hinc *Sigillum*, quasi paruum signum: & *Siglum*, quasi dicas, paruum *Sigillum*, vt existimat Gregorius Tholosas. Quemadmodum enim *Sigillum* inquit est parua icuncula, seu nota, quâ litteras obsignamus: ita *Siglum* est nota, quâ intelligitur plus esse intelligendum, quàm expresse adlongum, vt dicunt, est scriptum. Quod autem facit, vel Lib. XVI. de Rep. c. 1. §. 6. Aliter Cuiacius Lib. XII. cap. 10.

gemma, vel aurum, vel ferrum vel similis materia cui notâ, vel signû est incisum, ceræ adprimatur, idem fit alio metallo, quo stigmata inuruntur.

Plin. Lib. XXXVII. cap. 1. Porro in Sigillo variæ spectantur imagines, notæ, characteres. Pyrrhus achatem habuit, in qua nouem Musæ & Apollo citharam tenens spectabatur. Ismeniam choraulem clarum fecit smaragdus, in quâ sculpta erat Amymone. Alexâdri effigies in gemmâ à Pyrgotele solo sculpta olim erat in precio. Augusti imaginé expressit Dioscorides, qua postea Principes signabant. Sylla Dictator traditionem Iugurtæ in annulo signatorio circumferebat. Augustus inter initia Sphinge signabat. postea, ad euitanda conuitia Sphingis, Alexandri magni imagine est vsus. In hoc genere, Mecœnatis Rana est celebris. Recentiora omitto. Hoc nostri est instituti. Quicquid in *Sigillo* effictum, formatúmque fuerit, refundi in *Ceram*, & ab ea referri, nec aliud. Imperatoris epistolæ signatæ Aquilam exhibent, quia hæc in gemma est: Gallorum Regis Lilia, quoniam hæc annulo insculpta sunt. Sed & Caluini dorsum Lilia habebat, siquidem in vstorio ferro, ad Sodomiticum crimen testandum, hæc visebantur, non sentes. Lusitani Regis tabulæ stigmata Christi præferunt: quod hæc Alfonsus Portugalliæ Dux primus Sigillo incidi voluerit. Denique, si in *Sigillo* fuerit Angelus insculptus, in *Cerâ* conspicietur Angelus: si fœdissimus Cacodæmon, quid expectetur aliud, quam Cacodæmon?

APODOSIS. Vita hominum est varia, vt imaginum in *Sigillo*. Hic *Vulpem* agit, vt Herodes, calliditate: iste *Serpentem*, prudentiâ: alius *Columbam*, simplicitate: alter, *Leonem*, superbiâ: non nemo, *Lupum* voracitate: quidam *Pauum*, ostentatione: est, qui *Ceruum*, timiditate: *Aquilam* altissimarum rerum contemplatione: *Coruum*, bonorum operum procrastinatione: *Simiam* nugacitate: *Equum*, & *Mulum*, lasciuiâ: *Pantheram* rabie: *Ciconiam* pietate: *Pellicanum* amore: *Canem*, impudentia: *Suem*, immunditie: *Vitulam*, procacitate: Hæ sunt notæ in *Sigillo*. At haud aliæ facies prodibunt in *Cerâ*. MORS est CERA, cui signum vitæ imprimitur. *Vita*, si Angelum referat, *Mors* Angelum repræsentabit: Si Cacodæmonem illa, in hac prodibit Cacodæmon. Angelicè moritur, qui Angelicè vixerit: Diabolicè contra, cuius diabolica fuerit vita. *Non potest male mori, qui benè vixerit*, Augustini enunciato.

August. L. de Discip. Christ.

SYM-

# SYMBOLVM XC.

## VITA-CERA.

## MORS---SIGILLVM:

*Epiſtola eſtis Chriſti, miniſtrata à nobis, & ſcripta non atramento.* II. ad Corinth. III. 3.

VITAM, vt ceratam tabulam intueor, vel chartam, aut membranam: in quâ, quot ſunt in homine dicta, facta, cogitata, tot characteres conſpicio, quibus epiſtola exaratur, DEO tradenda, & in vniuerſitatis conſpectu legenda. Hac phraſi vtens Paulus: *Epiſtola*, inquit, *noſtra vos eſtis, ſcripta in cordibus noſtris, quæ ſcitur, & legitur ab omnibus hominibus.* Et, *Epiſtola eſtis Chriſti, miniſtrata à nobis, & ſcripta non atramẽto.* Ex hac Epiſtola, quilibet vel condemnabitur, vel abſoluetur: modò ſubſcripta fuerit & ſubſignata: nã fides non eſt vel auctoritas epiſtolæ, ſicut nec diplomati aut Reſcriptis Principum, niſi poſt impreſſum ſigillum. Quod hic non eſt aliud, quàm MORS, quæ *Vitam* anteactam ſignat, & tunc eſt Epiſtola auctentica. Ceterùm, vt *Sigillum*, id quod in Epiſtola ſcriptum eſt, confirmat: ita *Mors* roborat, quod in vita eſt actum, ſiue bonum, ſiue malum.

In *Morte*, talis iudicaberis, qualis inuentus fueris. *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Eccl. XI. 3. Bernardus. Auſtri calor, & lenitas in Scriptura Sacra bonam habere ſolet ſignificationem: ab Aquilone verò panditur omne malum. Porrò, homines, ſicut arbores ambulantes vidit aliquis. Exciditur ergo Arbor in *Morte*: & quocumque ceciderit, ibi erit: Quia, vbi te DEVS inuenerit, ibi te iudicabit. Ex tua te epiſtolâ, ſed *Morte* ſignatâ, iudicabit, ſerue nequam, aut fidelis.

# SYMBOLVM XCI.

# MORS

## TECTORIVM.

*Non in Tabulis lapideis, sed in Tabulis cordis carnalibus.* II. Corinth. III. 3.

FRequens est in *Symbolica sacra*, hominis, veluti tabulæ artificiosissimè depictæ consideratio: iure sanè optimo, cum sit creatus ad imaginem, & similitudinem Dei altissimi. Hæc autem tabula, peccati sordibus inquinatissima, vt pristino nitori restituatur, deinde nouis illustretur coloribus, & perfectè illum, cuius habet iconem, repræsentet, indiget ablutione, illinimento, ac coloribus, quæ boni Pictoris manu adhibeantur, & effigiem forment. Illinimentum vero, quod in pariete est incrustatio, & primum TECTORIVM dici solet, quia tegit ruditatem muri vel scabritiem, vt colores suscipiat, MORTEM repræsentat Quæ nisi præcesserit, anima ad beatitatis colores, &, vt sic dicam, lineamenta Diuinitatis recipienda, quibus Deiformes efficimur, non est idonea.

Nyssen. Orat. I de Beatitud. Audi præclarè differentem Gregorium Nyssenum: *Quoniam is, qui finxit hominem, secundum imaginem fecit eum, secundo loco beatum iudicandum fuerit, id, quod per communicationem, & participationem eius, qua verè beatitas est, hoc nomine appellatur. Quemadmodum enim in præstanti corporis forma, principalis quidē ac primaria pulchritudo in viuaci vereq; subsistēti est facie: secundū autē locum ab hac obtinet, id, quod ad imitationē eius in imagine, ac simulacro ostenditur: ita natura quoq; humana quæ est effigies quædā ac imago supernæ beatitudinis, etiam ipsa pulchritudine eximie ornata habetur, cum in sese ostenderit, beatorum insignium significationes, & repræsentationes. Sed quoniam peccati sordes, pulchritudinem imaginis labefactarunt, & turpem reddiderunt, venit CHRISTVS qui nos elueret, suâ aquâ viuente pariter, ac salienti in vitam æternam.* Sed nondum est idonea hæc tabula, quamuis ablu-

abluta, vt colores beatitatis suscipiat, nisi prius *Morte*, tanquam primo, *Tectorio* illinatur.

Accedit ad huius Symboli expressionem ex recentioribus Franciscus Labata, qui vt probet *Mortem* Iustorum non esse tam tetram vt concipitur, ita disputat. *Horribilis, nimiúmque deformis* MORS *apparet: at non ex eo, quod apparet, sed ex eo, quod est in se iudicium de sanctorum* Morte *ferendum est. Sumit pictor tabulam nitentem, & expolitam, vt in ea Sancti alicuius explicet effigiem, & primo quidem rudia quadam & indecora constituit lineamenta. Qui artem ignorat, tabulam contaminatam potius, quam imagine ornatam iudicabit. At postquam colores, & expolitionem, vltimamque adhibuerit manum, ornatam, & optimè decoratam tabulam, spectator adfirmabit. Sic nimirum, qui* MORTEM *in homine considerauerit, hominem deturpatum, omnisque pulchritudinis expertem iudicabit: at postquam gloriæ coloribus, & nitidissimis ornamentis expolitum conspexerit, non ex* Morte *deturpatum; sed ex gloria decoratum laudabit. Sicut ergo non est infelix tabula ex nigra illa & informi figura: sic nec ex* Morte *Iustus: sine, perficiat summus ille Artifex opus suum, & tunc laus erit vnicuique perfecta.* F. Lab in Appa. V. Mort. Trop. XXI.

## SYMBOLVM XCII.

## MORS--- OBLIVIO.

## O. O.

*Malitia horæ obliuionem facit luxuriæ magnæ.*
Eccles. XI. 29.

FERVNT Philosophum, cùm de vita illius conclamatum intellexissent discipuli, rogatum ab ijs, vt Laconica aliqua gnome, sui mnemosynon in animis ipsorum relinqueret: nec moratum diu Magistrum poposcisse stylum & tabellam: in quâ exarauit duplex elementũ, O, O. prætereà nihil. Dedit ea res sermones & incitauit acuta adolescẽtum ingenia, vt fingerẽt ipsi, quod Doctor dicere de tractarat. Fuit ergo, qui duplici charactere expresũ coniectaret,

Mor-

*Mortis Symbolum*, nempe initiali & terminatiua vocis vnius litterâ. Quæ-nam autem illa? OBLIVIO. Quid enim aliud est *Mors*, quàm *Obliuio rerum omnium*? Obliuio calamitatum, obliuio ærumnarum, Obliuio persequutionum, Obliuio molestiarum, Obliuio dedecoris, infamiæ, accusationis, condemnationis, pœnitentiæ, torturæ, carnificinæ, rotæ, catastæ, patibuli. O! qui DEI caussa, & iustitiæ, circuitis in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non est mundus, in solitudinibus errantes, in montibus & in speluncis, & in cauernis terræ, quibus insidiatur Mundus, Caro, Dæmon, & his nocentiores, falsi fratres, leuate capita vestra: nam haud procul est horum omnium *Obliuio*.

Sed & est *Mors*, *Obliuio* vanitatum, spectaculorum, comessationum, compotationum, honorum, dignitatum, potestatis, pulcritudinis, sceptri, diadematis, infulæ, tiaræ, formarum, lenociniorum, voluptatum. O! qui genio indulgetis & cuticulæ curandæ: *qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam & potandum vsque ad vesperam, vt vino æstuetis: qui potentes estis ad bibendum & miscendam ebrietatem*: qui estis *in conuiuiis potatorum*: qui ambulatis *in comessationibus, & ebrietatibus, in cubilibus, & impudicitiis, fornicarij, molles, adulteri, masculorum concubitores*, detractores, maledici, ambitiosi, auari, superbi, attendite, non est procul voluptatum omnium *Obliuio*. *Malitia horæ obliuionem faciet luxuriæ magnæ*. Græca sic conuerti possunt vt notat Iansenius.

Isa. v. 11.

Isa. v. 22.

Pro. XXIII. 20

Rom. XIII. 13.

Afflictio & tribulatio horæ obliuionem facit magni luxus, & delitiarum. Vadas & adfluas delitijs, & fruaris bonis: magnifices opera tua, ædifices tibi domos, plantes vineas, facias hortos, & pomaria, extruas piscinas, possideas seruos, & ancillas: armenta quoque & magnos ouium greges: coacerues argentum & aurum, & substantias Regum, ac prouinciarum: facias tibi cantores, ac cantatrices, & delitias filiorum hominum, scyphos & vrceos in ministerio ad vina fundenda: supergrediaris omnes opibus, qui ante te fuerunt in hoc orbe: omnia quæ desiderant oculi tui, non neges ijs, nec prohibeas cor tuũ, quin omni voluptate fruatur. Quid tandem consequeris? *Malitia horæ obliuionem faciet luxuriæ magnæ*. Audies tandem. *Væ væ ciuitas illa magna Babylon, quia vna hora venit iudicium tuum*, morere.

Apoc. XVIII.

*Sub* Mortis *venient magni vestigia Reges,*
*Deposito luxu turbâ cum paupere mixti*
*Omnia Mors æquabit.* ———

SYM-

# SYMBOLVM XCIII.

## MORS---CIRCVLVS.

## O. O.

*Reuertatur puluis in terram suam, vnde erat; & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Eccl. XII. 7.

EXCITARVNT ijdem characteres aliorum acumen, qui aiebant, ijs indicatos binos circulos, aut circumuolutiones sphæricas, quarum altera corpus spectet, animam altera. Vtraque autem, non tam est imago *Mortis*, quàm *Mors* ipsa. Quid enim hæc? Reditio pulueris in puluerem: dum corpus, quod in ortu ex terra prodijt in terram reuertitur: à puncto ad idem punctum, vt in circulo fieri solet. recursus animæ ad DEVM, à quo eius initium: non quod diuinæ substantiæ sit portio: non quod creata in cœlo: non quod dilapsa in terram: sed quod immortalis ad Deum migret, vt ad suam regionem corpus. Ita frequenter *Mors* in sacris describitur. *Mors circulatio.*

Genesis III. 19 *Donec reuertaris in terram, de quâ sumptus es. Puluis es & in puluerem reuerteris.* Mors igitur est circularis reuersio. Iob. XXXIV. 15. *Homo in cinerem reuertetur* Psal. CIII. 28. *Auferet spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur.* Eccl. XL. II. *Omnia, quæ de terra sunt, in terram conuertentur*, quod repetitur c. XLI. 13. Morientur enim

οἱ ψυχῆς πταμένης, σφετέρην πάλιν εἰς ἐπὶ γαῖαν *Apollinar. in Psalm.*

*Qui animâ euolante, suam rursus redibunt in terram*

Nec ignota fuit hæc figura profanis Xenophon: ἐκ γῆς γὰρ τὰ πάντα, καὶ εἰς γῆν πάντα: *Ex terra omnia* (hoc error est) *& in terram omnia*: nimirum, quæ ex terrâ orta & mortalia. Epicharmus: Διεκρίθη καὶ ἀπῆλθεν ὅθεν ἦλθε πάλιν γᾶ μὲν εἰς γᾶν, πνεῦμα δὲ ἄνω; *Discretum est, & eò redit vnde venerat: terra quidem in terram, spiritus autem sursum.* Lucretius quoque sensu Epicuri

*Cedit item retrò, de terra quod fuit ante,*
*In terras, & quod missum est ex atheris oris,*
*Id rursus cœli relatum templa receptant.*

Itaque, quicquid tandem agas, quicquid moliaris, quocumque te conferas, quamquam orbem terrarum circumnauiges, licet curras ad Indos, & Garamantas: quantumuis toto vitæ tempore peregrineris: tametsi *Mortem* per longissima terrarum spacia fugias, ad idem punctum reuerteris. Mortales in circuitu ambulant. Imus, redimus. Generatio præterit: generatio aduenit. Per ortum, ceu portā vnam ingredimur, nascendo: per aliam egredimur, excidendo. Continuus est in via ad metā corruptionis cursus, vt ad punctum circulationis. Tanquam Angues, quibus in ore cauda, reuoluimur. Tanquam Aquæ in Oceanum nostrum relabimur, & omnes τὸν ἐνιαυτὸν, annum vitæ circularem conficimus; sicque, reuertitur puluis in terram suam vnde erat, & spiritus redit ad DEVM, qui dedit illum.

## *SYMBOLVM* XCIV.

# MORS

## *NIGROR.*

QVI coloribus Quatuor Nouissima *Symbolicè* exhibere vellet in tabula: haud dubiè, Cælestem gloriam, Candido, aut Cæruleo: Infernum, Coccineo, vel Flammeo: Iudicium, Vario: Mortem, vel Cinereo, vel Atro, Fusco, Piceo: quique hos omnes cōtinet, *Nigro* repræsentaret. Et sanè quā proprietate, MORS TENEBRÆ, eadem, NIGROR dicetur. Quod non exsibilabūt Eruditi, quibus *Niger* idem est, quod *Mortuus*: nimirum, subiectum, *Morte*, tanquam colore, illitum. An potius *Mortem* colore referens? Vel, *Mortis* colore infectū? Vsurpauit *Nigrum*, pro *Mortuo* Iuuenalis Satyra 1.

*Instituitq; rudes melior locusta propinquos*
*Per famam & populum* Nigros *efferre maritos.*

An etiam Horatius monens:

*Hic* Niger *est: hunc tu Romane caueto.*

Ita existimat Seruius, enarrans illud Virgilij Ecloga V.

*Candidus insuetum miratur limen Olympi.*

Can-

Candidus,inquit, id eſt, DEVS: vt contra, *Mortuos, Nigros* dicimus: citátque in teſtem Horatium. Sed huius locum illum,eſſe minus ad id probandum idoneum, obſeruat Iacobus Pontanus, Symbolarum in Virgilium Lib.I. Poſſet tamen ita exponi,vt ſuggerit Martinus Roa Lib.VI Singularium: Tu iſtius modi homines non minus tetros,atq; horribiles, quam ſint mortui diligenter fugito: ne tetri aliquid haurias,aut corruptus te circumfuſus aer inficiat. Sed nec illud ipſe poſteà probat, cùm Horatius ad animum potius, quàm ad corpus reſpexerit. Illud negari non poteſt,ab alijs *Nigrorem Morti* adſcribi: quæ à Statio Lib.IX. Thebaid. *Nigra* dicitur:

*Funeris &* Nigræ *præcedunt nubila* Mortis.

In concreto *Nigram* vocat, quæ in abſtracto *Nigror* dici poteſt: ſic quãtitatem quantam aliquando pronunciamus. Huc ſpectat, quod vino nigro rogum extinguerent, vbi cadauer abijſſet in cineres. Homerus de pyra Hectoris: *Hom. L.XXIV. Iliad.*

*——Nigroque ignes extinguere vino*
*Incipiunt. ———*

An idcirco fortaſſe etiamnum *Nigræ* in luctu ſumuntur veſtes? Quod antiquiſſimis temporibus vſurpatum. Sic apud Homerum Thetis Achilis filij necem deplorans atra induitur.

*———— Sic fata, nigerrima ſumit*
*Veſtimenta, operit ſeſe, ſequitúrq; volantem.*

Et apud Euripidem Iphigenia matrem Clytemneſtram monet, ne comam laniet ſuam ob mortem; néue atram induat veſtem: *Soles* quoque *Atri* dicuntur ei, qui interit: vt contra *Candidi*, dum naſcitur. Vitæ enim *Symbolum* eſt *Albedo*,& *Candor*: imò immortalitatis. Hinc albos Deorum filios appellabant; vt ſcribit Plato Lib.V. de Republ.& ex eo Plutarch. Lib. de diſcrim.adul.& amici. Inde ſub perſona Daphnidis Virgilius Cæſarem vocat *Candidum*, tanquam Deorum filium,immortalem, beatum,relatum inter Diuos.

Vide Tiraquellum in caput XX. Libri IV. Genialium Alex. Neapolit.

# SYMBOLVM XCV.

# MORS

## INTERVLA. STRAGVLA. PYRA.

*Spoliauit me gloria mea, & abstulit coronam de capite meo.* Iob. XIX. 9.

SVNT hæc eiusdem generis, ideóque coniungenda, quamuis effigie differant, & diuersorum, à quibus vel inuenta, vel vsurpata, vel relicta, intuitu. Imperium Mortis victoriosæ omnia repræsentant; seu Mortem in Imperijs ludentem.

INTERVLAM, vt tyrannidis huius Symbolum dedit Saladinus, Ægypti Sultanus potentissimus; qui exuuijs terræ mandandis præferri iussit pannum nigrum de lancea suspensum, præcone has addente voces. Saladinus Asiæ totius dominator, ex tanto regno, tantisque opibus, moriens, nihil aliud secum defert. Alij subuculam nominant, monentque:

Bergomens. Lib. XII. Pius II. apud Blon. Deca. VI. Lib. 6.

*Quamlibet nunc grauem exuuiis Regum*
*Vile tunc linteum victorem teget, Regnis,*
*Coronis, Purpurisq; hic relictis.*
*Subuculam dumtaxat extulit totius victor*
*Orientis Saladinus.*

Val. Max.

De Morte verissimè dicas: Quem vestire debuit interulâ, vestiuit interitu; sibi etiam interulam surripiens.

STRAGVLA feralis fuit Imperatoris Iustiniani, cui iam mortuo insternebatur Phrygio opere texa, in qua visebantur deuictarum vrbium, & Barbarorum Regum, quos ipse suis auspicijs debellarat effigies: de qua Corippus:

Baron. ad ann. Iust. XXX. X.

*Et tulit intextam pretioso murice vestem,*
*Iustinianorum series vbi tota laborum*
*Nexo auro insignita fuit, gemmisq; corusca.*

Illic

*Illic barbaricas, flexa ceruice, phalanges,*
*Occisos Reges, subiectasq; ordine gentes*
*Pictor acu tenui multa formauerat arte,*
*Fecerat, & fuluum distare coloribus aurum,*
*Omnis vt aspiciens, ceu corpora vera, putaret.*
*Effigies auro, sanguis depingitur ostro.*
*Ipsum autem in media victorem pinxerat aulâ,*
*Effera Vuandalici calcantem colla Tyranni,*
*Plaudentem Libyam, fruges, laurúmque ferentem.*
*Addidit antiquam tendentem brachia Romam*
*Exerto, & nudam gestantem pectore mammam,*
*Altricem Imperij, libertatisq; parentem.*

Hoc paludamentum fuit Mortis, quo Imperatorem spoliauit omnibus imperitans.

PYRA placuit, ad idem exprimendum, Pontifici Max. Martino V. cui Otto Columna nomen fuerat. Et sponte ad *Mortem* ducit *Pyra*, in qua antiqui defunctorum cremabant corpora. Sed Pontifex ardentem lignorum struem exhibet in Emblemate, cui iniecta sunt, Tiara Pontificia, Galerus Cardinalium, Infulæ Episcoporum, Diadema Imperatorum, Coronæ Regum, Ducum nudus ensis, adiuncta gnome. *Sic omnis mundi gloria.* Symb. Diui. & Hum. Typotius.

## SYMBOLVM XCVI.

# MORS

## CALVA.

*Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum, & derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.* Iob xix. 20.

VVlgatissima *Mortis* imago, *Cranium*; quod, vt eius subeat mentem recordatio, portatur manu ab ascetis, spectatur in mensa ab Ec-

clesiasticis, appẽditur precatoriæ coronæ à religiosis. Sed vetustior est eius vsurpatio. Ferunt Ptolomæum Philadelphum inter medias epulas caluariam semper ad latus habuisse, iussisseque interdum repeti à ministris hanc vocem: Inspice Rex & vide, ac perpende, eum, cuius hic caluam cernis, tibi fuisse similem: ac venturum tempus, quo illi non sis futurus dissimilis, tuúmque aliquando cranium mensis Regum inferendum.

Vide Plutar. Conui. VII. Sap.

Nostro tempore, laudatissimus Pontifex Clemens VIII. Caluariam, scabello, propè cathedram, in qua sedebat, semper superpositam habere erat solitus, vt homo, in tantam altitudinem euectus, se quoque hominem esse non obliuisceretur.

Florimun. Ram. in Anti-Chr. cap XXXI.

Hoc *Symbolum*, inter XII. diuinæ prædestinationis, secundum locat, Auctor Zodiaci Christiani: illíque adiungit lemma: *Animus ad* MORTEM, *quæmcumq; illam, semper paratus.* Hoc Christi est monitum: Vt similes simus hominibus expectantibus dominum suum, quãdo reuertatur à nuptijs; vt, cùm venerit, & pulsauerit, confestim aperiamus ei. Optimum signum, & proprium Electorum, si cupiamus dissolui & esse cum Christo, multo id melius, quàm si prolongetur noster hic lugubris incolatus.

Luc. XII.

Et quid illud est, quod nobis eripi adeò formidemus? Vita quid est? nisi ludibriorum scena, & mare miseriarum, quacumque veharis naui, aurea, an argẽtea, gemmea, seu lignea assilientes fluctus non declinabis: in aduersantes scopulos sæpius impinges; in periculosis vadis crebrius obhæresces. Beatus ille, qui mare hoc transiit, beatus, qui enauit, & iam in portu est. Quid ergo *Mortem*, laborum finem, præmiorum auspicium metuamus? Scimus, quoniam, si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habeamus, domum non manu factam, sed æternam in cœlis. Sic ille, additque digna recogitatu.

II Cor. V.

*Homo nunquam non paratur mori, sic secum ipse ratiocinatur. Quid mori trepidem? Iter patrum, imò omnium latam tritámque semitam ingredior, quid solus ego mihi nescio quid aliud malim? libens faciam, quod facerem etiam nolens. Scio, quicquid fit à volente, fit leuius; & desinit esse necessitas, cum accedit voluntas. Sed nec tergiuersandi causam habeo, cum esse desino, quod inuitus fui, mortalis. Non sic odi quietem, vt respuam malorum ferias. Et cur non potius tunc gaudeam, cum vitam hanc, miseriarum innumerabilium officinam licebit claudere:* Mortis, *& Fortunæ iugum excutere: diem ordiri nulla nocte finiendum.*

Felix

*Felix nuncius, cùm me Rex meus vocaturus est, & ex hoc carcere liberaturus. Multa sciam solutus, quæ vinclis nullo vnquam studio didicissem. Auicula, apertâ caueâ non eÿcitur: sed euolat: Sic ego in apertas illas & cæruleas plagas libens emigrabo, vitæ iam pridem satur.*

*De loco* Mortis *mea, de tempore, nil angor penitus, faciat ille, qui me fecit, quicquid vult. Voluntas illius vnica mihi vitæ* Mortisque *est regula. Nil mali ab eo, aut acerbi metuo, qui bonitas totus est & benignitas. Et nonne in manu Figuli est vasculum leui rotâ effingere, & idem frangere? vasculum ego sum à Magno illo Figulo. Quid querar, si qui me finxit, velit frangere, imò refingere, & ex misero reddere beatum. Viuere me vult? quamdiu vult, volo. Vult mori? nullas* Mortis *inducias, nec ad momentum posco. Initium meum & finis ab illo sunt. Quicquid ille immiserit, excipiam, non libenti tantùm, sed & hilari fronte.* Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.

*Amo* TE, *ô mi amantissime* DEVS, *cupióque ardentiùs amare: hæc amoris flamma cor meum penitus liquefiat. Nihil extra te me beare potest. Et quando ô* DEVS! *& quando ad Te hinc euolabo? sequor Te, benigne Parens, sequor, & eo promptiùs, cùm propiùs ad Te vocas. Ita, mi Christiane,* Mors *ipsa cum venerit, facilè vincitur, si priusquam veniat semper recogitetur, nunquam timeatur.*

Oblectat me tabella, quam interdum auidè inspicio, in qua *Mors* Astronomo Diuinatori, & in sphæram cœlestem vibranti ardentes oculos, *Caluam* vtraque manu præfert, & sic adfatur.

*Aspiciens curuum ficta sub imagine cœlum,*
*Euentura aliis dicere fata soles.*
*Dic mihi si bonus es ventura sortis aruspex*
*Ad me quando tibi fata venire dabunt?*
*Inspice præsentem, quam fert mea dextera sphæram,*
*Te melius fati præmonet illa tui.*

SYM-

# SYMBOLVM XCVII.

# MORS

## TERMINVS.

HOc Symbolum eo ſpectat, vt *Mortis* in omnes declaretur poteſtas inuicta, peruicax reſiſtẽdi vis, nulli cedere aſſueta: in omnes impetum facere: non moueri vllius auctoritate, potentia, blanditiis.

*Terminus Deus.* DEI titulo celebratur à Romanis TERMINVS, Τέρμονα Græci appellant. Is Ioui, ſolus omnium Deorum cedere noluiſſe perhibetur.

*Ouid. Lib. II. Faſtor. Liu. Lib. I. ab V. C.*

*Quid noua cùm fierent Capitolia? nempe Deorum*
*Cuncta Ioui ceſſit turba, locúmque dedit.*
TERMINVS, *vt memorant veteres, inuentus in æde,*
*Reſtitit, & magno cum Ioue templa tenet.*

Quanta contumacia? quantum robur? quanta poteſtas? quæ non tam *Termino* conueniunt, quam MORTI, cui illa adſcribit inter Iuris-conſultos eruditiſſimus Philologus, inciſis ſub *Termini* ſigno carminibus

*Alciat. Emb. CLVII.*

*Quadratum infoditur, firmiſſima teſſera ſaxum,*
*Stat cirrhata ſuper pectore imago tenus.*
*Et ſeſe nulli profitetur cedere, talis*
*Terminus eſt, homines qui ſcopus vnus agit.*
*Eſt immota dies, præfixaq; tempora fatis,*
*Deq; ferunt primis vltima iudicium.*

*Claud. Minos. Mors ineuitabilis.* Explicat Emblema alter Iuris-conſultus. Et monet, *Termini* picturam nihil vlli concedentis *Mortem* ſignificare quæ ineuitabilem habet in res qualcumque neceſſitatem: ad quam, cùm peruenimus, tum ſolent hominum, qui ſuperſtites ſunt, liberæ de nobis eſſe opiniones, ac iudicia. Sequitur Theologo digna commonefactio.

*Quod vltima quæque & poſtremò facta: imò verò interdum cogitata tam lynceis oculis inſpici ſoleant, támque ſecurè, ac ſeuerè accipiantur,* in confeſſo eſt, *noſtræ partes ſunt, ne noſtrapte culpâ in conficiendo vitæ huius noſtræ curſu, aliquid*

quid

*quid agamus, aut etiam moliamur, ex quo sinistri quidpiam de nobis homines iudicare possint. Quod facilè consequemur, si* Terminum. *id est, extremum vitæ diem perpetuò, aut quidem sæpè, ob oculos ponamus. Qui* Terminus, *cùm minimè cedat, principibus etiam viris, de quibus mortuis iam intrepidè fama pronunciat: quid nobis infima conditione hominibus existimandum?*

Habuit pro *Symbolo* Erasmus Roterodamus, quod in annulo incisum circumferebat, *Terminum*, cum inscriptione, NVLLI CEDO. Id arrogantiæ notam interpretatus Caruaialus acriter in Batauum inuectus est, & mordaciter. *Erasmi Terminus. Caruaialus Apo. contra Eras.*

*Malè*, inquit, *habet Erasmum, quod Ecclesiæ Doctores, & Euangelistæ ad numerum quaternarium sint redacti, quod videat se non posse inter illos computari, neque credit se illis esse inferiorem, qui* Nulli cedit: *hoc enim elogio sua scripta claudit Erasmus*, CEDO NVLLI. *Et, vt nemini fas sit ignorare, hanc Erasmi præcipuam insaniam, apponit* Dei Termini *effigiem cerâ signatam, qui* DEVS, *nec ipsi quidem Ioui cedebat. Nonne hæc Erasmi insolentia omnes eius insolentias superat? Non cedis Erasme Budæo, non cedis Capnioni, Clitouæo, Pico, aut Angelo?* Cedo, *inquit*, nulli. *Non cedis Augustino, Ambrosio, aut Hieronymo?* Cedo nulli. *Non Hilario, Cypriano, Lactantio, aut Origeni?* Nulli. *O felix seculum cui talis homo datus est!* Quæ mens fuerit Erasmo in effingendo *Symbolo*, ignoro. Insectanti respondet, quæ à modestia profecta videri possunt. Ait: Signum annulare sibi esse figuram *Termini*: inscriptionem; *Concedo nulli Terminus*, vel, *Terminus concedo nulli*. In fusili *Termino legi*, ὁρῶ τέλος μακροῦ βίου. Latinè, *Mors vltima linea rerum*: indicare se voluisse, Mortem nulli cedere; atque ita meipsum admoneo, inquit, instare supremum vitæ diem, quemadmodum Prudent.

*Instat* Terminus, *& diem*
*Vicinum senio iam* DEVS *applicat.*

Hic itaque *Terminus* dicit omnibus: Concedo nulli: non Erasmus. *Si vis, vt meo nomine respondeam: Nemini non concedo. Si postulas, vt* Termini, *id est*, Mortis *nomine, respondeam; dicam: Non concedo leonibus, non elephantis: non cedo Monachis, & summis Pontificibus: non cessi Prophetis & Apostolis.* Quid? *non cessi* DEO *mortalitate circumdato:* CHRISTVS *mortuus est.*

*Mors & fugacem persequitur virum*
*Nec parcit imbellis iuuentæ*
*Poplitibus, timidoque tergo.*
*Illa rapit iuuenes primâ florente iuuenta:*

*Non oblita rapit, sed tamen illa senes.*
*--- Cunctis stat* TERMINVS *aeui,*
*Extremúmq; diem primus tulit.*

Sil. Ital. L. III. Plura de *Termino* Gellius Lib. XII. Noct. c. 6. Politianus in Miscelan. c. XXXVI. Lilius Gyrald. Syntag. I. S. Augustinus de ciuit. Dei Lib. IV. cap. 13 ibidemque Ludouicus Viues & Leonardus Coquæus. E nostris, Ludoui. Richeomus in Idololatria Huguonotica docens Terminalia à Nouatoribus nostris ex Orco reuocata.



## SYMBOLVM XCVIII.

# MORS

## META.

### *Metam properamus ad vnam.*

Circi: Carceres, Meta. IN Circo carceres erant & *Meta*: inde principium currendi, hic finis: vsitata phrasis: *A carceribus ad Metam.* Cicero alicubi: *Nec velim, quasi decurso spacio, ad carceres à calce reuocari. Meta* currendi erat terminus: ad quam cùm ex carceribus emissæ quadrigæ peruenissent, circa illam flectebantur. Vita humana est velut cursus in stadio, in quo carcer, quo coercemur, antequam detur procurrendi potestas, aluus materna, META MORS.

*Tendimus huc omnes,* Metam *properamus ad vnam.*
*Omnia sub leges* Mors *vocat atra suas.*

Falsum est istud Senecæ & impium:

*Post* Mortem *nihil est, ipsaque* Mors, Nihil.

Verum tamen quod adnectit:

*Velocis spacij* Meta *nouissima.*

Quid hanc fugimus insani? quis non in Circo quàm primum optet *Metam* contingere?

SYM.

## SYMBOLVM XCIX.

# MORS

## FINIS.

PLurima hîc latent *Symbola*: nam pro rerum diuersitate, multiplicantur fines, rerum autem numerum quis ineat? Aliquas nominat Chrysostomus: aliarum eadem est ratio. Sic autẽ ille. Hom. XLVI. in Matth. *Omnibus laborantibus dulcis est* Finis. *Viator libenter interrogat vbi sit* Mansio. *Mercenarius frequenter computat, quando annus completur. Agricola semper tempus messis expectat. Negociator, die ac nocte thecæ suæ discutit rationem. Mulier prægnans semper de decimo mense cogitat. Sic serui Dei libenter de* MORTE *sua commentantur. Vbi enim thesaurus eorum, ibi & cor est. Si haberes solidorum in arcâ tuâ quantitatem, oculos illic sæpe haberes. Sic sancti illum locum aspiciunt, vbi repositam habent coronam.*

## SYMBOLVM C.

# MORS

## LINEA.

*Vulgatum est illud ex Horatio.*

*MORS VLTIMA LINEA RERVM.* Hor. Lib. 1. Epist. XVI.

SEd haud vulgo notum, vnde ducatur *Symbolum*. Dicam igitur clarissimè. In curriculo, vt erat terminus à quo, & ad quem (quemadmodũ nunc loquũtur Philosophi) ita duplex videbatur *Linea*: initiũ n. vnde cursum inchoabant, signabat *Linea*; rursus extremũ, *Linea* notabatur. Idcircò: *A linea incipere*, siue, *Ad lineã redire*, dicebãtur qui rem ab Linea duplex.

Extrema Linea. initio repetebant. Tum verò, quod in quaque re postremum est, *extremam Lineam* appellabant: Extremum autem rerum mortalium est interitus, quæ MORS dicitur. Hoc sensu Tertullianus Hermogenem vocat ignorantûm *extremam Lineam*, quia vltimus erat tunc temporis hæreticorum.

Vita. Curriculum. Cu. di Viuere. AT est quidpiam peculiare in hac comparatione. Quid est vita humana? Curriculum, quod conficit, qui moritur. Cicero: *Qui rectè & honestè curriculum viuendi à natura datum conficit.* Quid est *viuere*? *Currere in stadio*, eorum instar, qui

Sil Lib. vi. Thebaid.

*—— nunc ritè citatos*
*Explorant, acuuntque gradus, variasque per artes*
*Exstimulant docto languentia membra tumultu:*
*Poplite nunc flexo sidunt, nunc lubrica forti*
*Pectora collidunt plausu, nunc ignea tollunt*
*Crura, breuemque fugam, nec opino fine reponunt.*

1. Cor. IX. 24. Est B. Pauli allegoria, qui *Vitam* nostram, *Stadio* confert; homines, cursoribus. Duplex autem ibi *Linea*: & à quâ; &, ad quam currebant. In carceribus extendebatur vna cui insistebant cursuri, donec currendi signum acciperent: de qua Aristides in Themistocle vt notat

Cap. L. Laurentius Ramirez in suo Pentecontarcho: ἐξέτασις πρώτη αὔλη τεμιστοκλέους καὶ κρίσις ἐντεῦθεν ὅρα τὸν ἄνδρα, ἀπὸ γραμμῆς ἀρξάμενος. *Hoc primum Themistoclis specimen, ac probatio, hinc virum spectato à* Lineâ *exorsus*.

Paul. Philip. III. 14. Altera *Linea*, terminum designabat, eratque pro *Meta*. Ibi scopus, præmium, brauium, de quo Paulus non vno loco. Græci appellant, γραμμήν. Pollux Lib. IV. Onomast. c. XXX. § 3. quod est de cursu gymnico καὶ ὅθεν μὲν ἀφίενται, ἄφεσις καὶ ὕπλιγξ καὶ γραμμὴ καὶ βαβλὶς περὶ δὲ ὃ κάμπτουσι νύσσα καμπτήρ. ἵνα δὲ παύονται τέλος καὶ τέρμα καὶ βατήρ. ἔνιοι δὲ καὶ βαβλὶς. Vnde vero emittuntur, emissio, carcer LINEA, repagulum: sed circa quod flectuntur, inclinatio, & flexus dicitur. Vbi autem cessant finis, & meta, & terminus. Aliqui autem, & βαβλὶν appellant.

Est igitur MORS, *Linea*: quia finis vitalis curriculi, meta stadij, terminus conuersionis omnis mortalis. Hanc DEVS, tanquam scopum statuit, in quo brauium apprehendamus; vel, si id vitæ demerita postulant condemnemur. In eo, dum consistunt improbi dicere possunt.

eia:

ἐπ' ἄκρον ἥκομεν γραμμὴν κακῶν *Eurip. in Antigona.*

*Deuenimus summam ad malorum Lineam.*

Ad hanc, nisi quis, sine offensâ decurrerit, felicitatis titulum obtinere non potest. Rectè enim idem Græcus:

Μή μοι τὸ πρῶτον βῆμ' ἐὰν δράμῃ καλῶς *Eurip. in Electra.*

νικᾶν δοκείτω τὴν δίκην, πρὶν ἂν πέλας

γραμμῆς ἵκηται, καὶ τέλος κάμψῃ βίου

*Ne mihi, licet primum cucurreris benè*

*cursum æstimetur victor ante* Lineam

*quam tangat, & compleat vitæ modum.*

Nobis enitendum est, vt cùm, Deo auspice, & adiutore, in hoc vitæ mortalis Stadio, ad Æternitatem magnis passibus benè currere cæperimus, ad extremam vsque LINEAM constanter decurramus: id est, εἰς τέλος: IN FINEM. *Amare vltima linea Amare in finem.*

# CORONIS

## *SYMBOLORVM OMNIVM*

# MORS

*Nullo non tempore, loco, occasione, instrumento, impunè grassatur.*

Quisque sibi caueat; semper, & vbique paratus.

---

## Osculando necat.

DIXIT Ioab ad Amasam: *Salue, mi frater. Et tenuit manu dexterâ mentum Amasæ, quasi osculans eum. Porro Amasa non obseruauit gladium, quem habebat Ioab, qui percussit eum in latere, & effudit intestina eius in terram, nec secundum vulnus apposuit, & mortuus est.* Lib. II. Reg. XX 9. 10.

Æneid. IV.

*Perfide, sed duris genuit te cautibus horrens*
*Caucasus, Hyrcanaq; ad morunt vbera Tigres.*

*Amoris pignore vulnus infligis, & caritatis officio sanguinem fundis, & pacis instrumento necem irrogas.* S. Ambros.

Ouid. in Heroid.

*Te lapis & montes, innataq; rupibus altis*
*Robora, te sæua progenuère feræ.*

# Amplexando.

Sen. epist. LI.

Latronibus Ægyptiis persimilis: quos Philetas ex eo dixère, quod amplecterentur quos iugulabant. Mors subdolè amplectitur, vt strangulet, verè φιλήτης, κλέπτης, λῃστής.

# Iocando.

Drusus puerulus pomo necatur.

*Luserat Ausonios Drusus puer inter ephebos,*
*Drusus, cui pulcher displicuisset Hylas.*
*Luserat, & lapidum versarat in aëre pomum:*
*Securúsque manu, quod iacet, ore capit.*
*Sæpius hunc licuit, non semper, ludere lusum.*
*Gesticulante redux hæsit in ore pila.*
*Ridendo moritur puer. Ah ne fidite* Morti!
*Seria quid faciet, quando iocando necat?*

# Ludendo.

Hyacinthus puer disco ab ludente Phœbo percussus, moritur.

*Iamq; ferè medius, Titan venientis, & actæ*
*Noctis erat: spacióq; pari distabat vtrinque:*
*Corpora veste leuant, & succo pinguis oliuæ*
*Splendescunt, latiq; ineunt certamina disci.*
*Quem prius aereas libratum Phœbus in auras*
*Misit, & opposito disiecit pondere nubes.*
*Decidit in solidum longo post tempore terram*
*Pondus, & exhibuit iunctis cum viribus artem.*
*Protinus imprudens, actusq; cupidine lusus,*
*Tollere Tænaridos orbem properabat: at illum*
*Dura repercusso subiecit in aere tellus*
*In vultus Hyacinthe tuos. expalluit æquè*
*Quam puer, ipse Deus, collapsósq; excipit artus,*
*Et modò te refouet, modò tristia funera siccat:*

*Nunc*

*Nunc animam ad motis fugientem sustinet herbis.*
*Nil prosunt artes: erat immedicabile vulnus.*
*Vt si quis violas, rigidóque papauera in horto,*
*Liliaq; infringat, fuluis hærentia virgis:*
*Marcida demittant subitò caput illa grauatum,*
*Nec se sustineant, spectentq; cacumine terram.*
*Sic vultus moriens iacet, & defecta vigore,*
*Ipsa sibi est oneri ceruix, humeroq; recumbit*
*Laberis Oebalide primâ fraudate iuuenta,*
*Phœbus ait, videóque tuum, mea crimina, vulnus.*
*Tu dolor es facinusq; meum, mea dextera letho*
*Inscribenda tuo est. Ego sum tibi funeris auctor*
*Quæ mea culpa tamen nisi si lusisse vocari*
*Culpa potest: nisi culpa potest, & amasse vocari*
*Atq; vtinam pro te vitam, tecumque liceret*
*Reddere: quod quoniam fatali lege vetamur:*
*Semper eris mecum, memoríque hærebis in ore:*
*Te lyra, pulsa manu, te carmina nostra sonabunt:*
*Tempus & illud erit, quo se fortissimus heros* Aiax. in florem.
*Addat in hunc florem, folióq; legatur eodem.*

Fabula est, sed Mortem insidiantem vere exhibet. Cum Hyacintus disco se cum Apolline exerceret, Zephyrus vehementius flare cæpit, discúmque ab Apolline in aere coniectum, ita repercussit in Hyacintum vt puerum interfecerit.

## Sopiendo.

*Tristia disce meo vitare pericula casu*
*Hospes, & alterius cautior esse malo.*
*Nox erat & gelidos emiserat Æolus Euros,*
*Cùm puer armentum pascere iussus eram.*
*Excito fumosum radice sub arboris ignem:*
*Inde soporatum me premit alta quies*
*Dum capio somnum, violentis ignibus arbor*
*Corruit, exitio, meq; ruina dedit.*

Sic cantat post fata Puer pastoritius in Epitaphio suo apud Petrum Andream Canonherium in Flor. illustrium Epitaphior.

Sub

# Submergendo

*Thrax puer adstricto glacie dum ludit in Hebro*
*Frigore concretas pondere rupit aquas.*
*Cúmque imæ partes rapido traherentur ab amne*
*Abscidit heu tenerum lubrica testa caput.*
*Orba quod inuentum mater dum conderet vrna*
*Hoc peperi flammis, cetera dixit, aquis.*

# Exurendo.

Exempla dedimus Lib.1. Comment. V. *Incendiarius*, quibus hoc addendum.

Ingolstadij adolescens nobilis ingenij & corporis dotibus, probandus Sodalium B. Mariæ Virginis albo aliquando fuit ascriptus. Is cum ætatis lubricæ spacia inoffenso pede aliquandiu decurrisset, iniecta sensim animo rerum illecebra habenas paulatim cæpit cupiditatibus remittere. Inde prauorum incitamentis illectus liberioris vitæ cursum init. Eousque autem consuetudine prouectus est, vt quæ antea magna veneratione coleret studia pietatis ea demum risui contemptuique haberet, nec quicquam illi magis cordi esset, quam, vt per summam lasciuiam compotationibus, ac pergræcationibus tempus consumeret, ijsque genialiter indulgeret, quæ illi vitæ comitari solent. Et vt miser humanæ prauitatis venenum altiùs imbiberet, in aliorum Sodalium genio deditorum familiaritatem se penitus immersit. Hi ad ceteram lasciuientis ætatis dementiam etiam illud addiderunt, vt ardentibus tedis, aut sarmentis accensis tanquam Orestem furiæ, modò hunc, modò illum ex suo numero ex improuiso adorirentur, flammis circumsisterent, corpus amburerent, ni properè cœnam expediret. Cumque multos iam furiosa illa alea in orbem percurrisset, die, qui purificationis Virginis festum insequitur, hunc miserum, nihil minus cogitantem ebriosa illa turba tedatorum derepente opprimit, homini flammas admouet, cœnam exigit: paratur, expediuntur pocula, potatur in multam noctem: Postquam poculis indultum est satis onusti vino ad suos quisque lares reuertuntur. Hic in suum se recipit cubiculum: & vt quieti se daret, vestes detrahit ad linteum indusum. Inde vino, somnóque victus, vt erat seminudus in mensam quæ posita erat in cubiculo dormita-

mitabundus se acclinat,innixus cubito. Interim misero alto sopore presso ardens candela casu admota indusium inflammat,idque peruadit totum non sentienti. Concepta flamma expergiscitur tandem semiustulatus. Exclamat amens horrendis vocibus familiam conciet. Cúmque se è flammis exuere non posset, humi prouoluitur,si fortè pressu corporis flammas opprimeret. Nihil proficitur : flamma iam valida magis sæuiebat. Accurrunt familiares ; miserum adolescentem,quas frustra malè vitarat ante cœnam, post cœnam flammis vident absumi. Perculsi pauore,periculo tamen audaciam faciē te,licet seram,aliquam tamen opem ferunt,pertinacésque flammas, qua possunt ratione restinguunt,consumpta sindone, cute corporis iam penitus ambusta. Ea incendij vis tam altè visceribus insedit,vt nullis remedijs coerceri potuerit,quo minus assatæ cutis tabes intus serpens acerbissimo cum ipsius cruciatu etiam vitalia depasceret. Itaque octauo die eadem penè hora , qua in eam calamitatem inciderat,consumptus est.

Francisc.Bencius Anno MDXCI.Franc.Veron.cap.i.Manualis par.1.§.1v.Antonius Dauroltius Catech. Hist. cap.11.Tit.XLIV. Exemp.VII.

## Traijciendo.

*Admorat flammas patriæ puer æmulus artis,*
*Et vomit ignipedem fistula sæua globum*
*Ille Duci galeam,non hæc ad fulmina fortem*
*Corripit,& diro demetit orbe caput.*
*Nil valet hic virtus si quem sua parca vocauit*
*Illum vel pueri mittere dextra potest.*

*Tormento temerè exploso Puer hostium ducem perimit*
*G. S.*

## Tundendo.

*Pendula dum tonsor secat excrementa capilli*
*Expirans cadit,& gelidâ tellure cadauer*
*Decubat. Vltrices sic pendent crimina pœnas.*

## Pudefaciendo.

Diodorus Cranus Philosophiæ Professor præ pudore expirauit , lusoria quæstione non protinus ad interrogationem Stilponis resolutâ,Plutarchus.

## Fulminando.

*Gra[c]ulus incendium domus sua fugiẽs fulmine perit. G 8.*

*Immodicus Graia cùm grassaretur in æde*
*Mulciber, in Liparâ ceu foret ille suâ.*
*Ardua non summos lambebat flamma penates,*
*Iam victrix toto fax erat vna lare.*
*Penè etiam Dominum traxisset flamma morantem,*
*Fecerat alatos, sed fuga læta, pedes.*
*Intereà crebro misceri fulmine cælum:*
*Cæperat, & multo tela sonare Ioue*
*Graculus inuisos iam iam vitauerat ignes*
*Iam vidit lætum ianua tuta pedem.*
*Illum sed media tetigerunt fulmina porta*
*Et tenuit volucrem va Iouis ira pedem.*
*Gracule fulmineos cursu nemo effugit ign s*
*Vulcanum poteras vincere claudus erat.*

## Pungendo.

Τὸ βρέφος Ἑρμώνακτα διεχρήσασθε μέλισσαι
(φεῦ κύνες) ἑρπυστὴν, κηρία μαιόμενον.
πολλάκι δ' ἐξ ὑμέων ἐστιγμένον ὤλεσατ' (αἶ αἶ)
Κέντροις. οἱ δ' ὀφίων φωλεὰ μεμφόμεθα
πείθεο Λυσιδίκη καὶ ἀμύντορι, μηδὲ μελίσσας
Αἰνεῖν κἀκείναις πικρὸν ἔνεστι μέλι.
*Infantem Hermonactem vos interemistis ô Apes,*
*Heu canes! reptantem, fauos quærentem.*
*Sæpè à vobis compunctum perdidistis (a. a.)*
*Aculeis. nos autem (tantum hactenus) serpentum latebras reprehendimus.*
*Persuade Lysidicæ, & Amyntori neq; apes*
*Vt laudent: & ipsis etiam amarum inest mel.*

## Strangulando.

Anacreon Poeta Teius, dum aliquando liberius Baccho indulget, acino vuæ strangulatus est. Val. Maxim.

## Præcipitando.

*Pro duce cæcus habet cæcum dum incertus vterque*
*Ambulat: in foueam lapsus vterque ruit*
*Vlterius nam sperat homo dum pergere, tum b.a*
*In tenebras illum* Mors *mala præcipitat.*

Lycurgus Thracum Rex à suis in mare præcipitatus est, quod primus mero aquam miscuerit. Quid minus peccare potuit? Quod tamen, ceu grauissimum scelus, tam grauiter luere debuit. Lactant.

## Refrigerando.

Cardinalis Columna Prorex Neapolitanus tempore Caroli V. ficus glacie tinctas dum auidè comedit, animam efflauit. Iouius.

## Laniando.

Heracletus Philosophus cùm esset hydropicus ad remedium seuo bubulo se inunxit: itaque soli siccandum præbuit: inde in somnum lapsus à canibus ad seuum concurrentibus certatim laniatus est.

## Opprimendo.

Hylas puer, dum aquam vellet haurire vrnæ pondere submersus est.

## Prodendo.

Ibycus Poeta à latronibus interfectus spe prædæ: dum cultros iugulo videt instare, præteruolantes fortè grues obtestatus est. Aliquanto post tempore, cùm interfectores sederent in foro, rursusque grues superuolarent, per iocum inter se susurrabant. *Ecce adsunt* Poetæ Ibyci vltores. Quo sermone proditi, & inquæstionem ac supplicium dati sunt. Plutarch.

*Ibycus vt periit, vindex fuit altiuolans grus.*

## Cremando.

*Dixerat Antolemo: flammas consultus Aruspex*
*Die cauendas postero.*

*Credidit, & iterum dubius de manè sub amnis*
*Delituit Hetrusci vadis*
*Sed neque sic fatum effugit: nam dum innatat Arno,*
*Ictus crematur fulmine.*

## Exedendo.

Hunniricus Vandalorum Rex cùm octo annis Christianam religionem insectatus esset, à pediculis consumptus est. Bap. Egnatius.

## Deijciendo.

*Nobilis haud vllos secum portabit honores*
*Deijciet summo* Mors *vbi dura loco.*
*Non celebres titulos, claraq; insignia gentis*
*Auferet. In tumbâ non nisi Puluis erit.*

## Separando.

Hæc mihi faciet Dominus, & hæc addat, si non sola *Mors* me & te separauerit. Ruth. 1. 17.

*Hic est verus amor, qui nos coniungit in vnum*
*Et ligat æterna mutua corda fide.*
*Sed nimis, heu, paruo durabit tempore: namque*
Mors *citò coniunctos diuidet vna duos.*

## Trahendo.

Quasi agnus lasciuiens, & ignorans, quod ad vincula stultus trahatur. Prouerb. VII. 22.

*Insanire, & scire nihil, suauissima vita est:*
*Optima non itidem. Quid furiosus agit?*
*Securus fati simplex lasciuit vt agnus.*
*Nescius ad* Mortis *vincula quod trahitur.*

## Rapiendo.

*Fortis & armatus dum vis & vita superfit*
*Tuta sui seruant atria præsidij.*
*Ecce superuenit iunctis* Mors *fortior armis.*
*Hincque malè tuta de statione rapit.*

Iu-

# Iugulando.

Cambleta Lydorum Rex eò voracitatis venisse fertur vt nocte quadam in somnijs vxorem propriam vorarit: cúmque summo manè illius manum adhuc in ore comperisset, præ dolore semet iugulauit. Xanthus apud Cœlium.

# Confodiendo.

Confodietur iaculis. Exodi XIX. 13.

*Hic puer ætate imprudens, at sanguine feruens,*
*Cum parmâ iaculum, cetera nudus habet.*
*Infelix puer, atq; impar congressus atroci*
Morti, *qua iaculis confodit hunc propriis.*

# Impellendo.

Pueri in ligno corruerunt. Threnor. V. 13.

*Ludere par impar, equitare in arundine longâ,*
*Socratico & pueros currere more iuuat.*
*Ecce repente ruunt equites in caudice ligni:*
*Ligneus vt Troiæ pergama vertit equus.*

# Ridendo.

*Lustrandi studio veterum decora alta Quiritum*
*Veni, prò hospitio Roma dedit tumulum.*
*Forma, anni, mores, patria, genus & pater, & res*
*Æqua mihi:* MORS *hæc risit & abripuit.*

Denique:

*Omnia sunt hominum tenui pendentia filo:*
*Et subito casu, quæ valuêre ruunt.*

# LIBER TERTIVS.
# SYMBOLA MORTIS
## MEMORIA CVLTÆ.

Quibus demonstratur, Commentationem de Morte, perutilem esse, & Christiano necessariam.

*In omnibus operibus tuis Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Eccles. VII. 40.

## THEOPISTO S.

Meditari, vt Columba.

Theopiste.



*Vam sit fructuosa de* Morte *cõmẽtatio,* THEOPISTE, *imò, simplex eius Memoria, nemo non Magister morũ Christianus dixit: sed fortasse nemo hactenus.* SYMBOLIS *continuata serie nexis, quod hic tentamus. Qua fini? Vt, quod verbis exprimunt multi, ideoque elabitur facile, quia tam euanido impositum vehiculo: id scita repræsentatum imagine, dum blanditur oculis, illabatur animo, & infigatur altiùs: Semel impressum, nunquam euellendum. Sic vouemus, eius memores sententiæ longè verissima, quippe à Doctore cœlesti dictatæ. In omnibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.*

*Ha-*

*Habent enim hoc* SYMBOLA, *ut, cùm iuuent plurimum (verba sunt Clementis Alexandrini)* καὶ πρὸς τὴν ὀρθὴν θεολογίαν, καὶ πρὸς εὐσέβειαν, καὶ πρὸς ἐπίδειξιν, καὶ πρὸς βραχυλογίας ἄσκησιν, καὶ σοφίας ἔνδειξιν: *& ad rectam Theologiam, & pietatem, & ad demonstratiui generis orationes, ad breuitatis denique exercitationem, specimenque sapientiæ minimè vulgaris: tum mirificè conferant ad res oculis non subiectas, quas artificiosè exhibent, in mente firmiter consignandas. His itaque tertium hunc de* MORTE *librum, quem vt breuissimum, ita vtilissimum Tibi,* THEOPISTE, *adornauimus.* Clem. Lib. v. Strom.

Viue memor Lethi.



## *SYMBOLVM* I.

# MORTIS MEMORIA.

## *PHARMACVM.*

EXPETVNTVR à vitæ mortalis amatoribus ad morborum quorundam curationem, tanquam medicamenti præsentanei materia, demortuorum hominum partes aliquæ, eaq; solicitè conquiruntur, nec paruo ære redimuntur ab ægris. Valere enim plurimum ad sanitatem perhibent, ossa, adipem similia: quare magno in pretio solent esse cadauera, vnde hæc desumuntur. *Pharmacum à cadaueribus.*

Sed, ô ferinam rabiem! vt vitæ consulatur humanæ, humanitatis rationem habere nullã? Quod in Græcis, Latinisque detestatur Romanus morum censor. An non enim pudendum, tam portentosa pro homine ex hominibus confici medicamenta? *Ad arcendum comitialem morbum spumantibus poculis sanguinem gladiatorũ bibebant, quod spectare facientes in eadem harenã feras quoque horror est: At, hercule, illi ex homi-* *Ferina rabies.*

*homine ipso sorberi efficacissimum putant calidum spirantémque: & vna ipsam animam ex osculo vulnerum, cùm plagis ne ferarum quidem, admoueri ora fas sit humana. Alij medullas crurum quærebant, & cerebrum infantium. Nec pauci, apud Græcos, singulorum viscerum membrorúmque sapores dixere, omnia persequuti vsque ad resegmina vnguium. Quasi verò sanitas videri possit, feram ex homine fieri, morbóque dignum in ipsa medicina, egregiâ, hercule, frustratione, si non prosit.*

*Quæ videre non licet, manducantur.*

Meritò exclamat Auctor grauissimus. Aspici humana exta nefas habetur: quid mandi? quis ista inuenit ostenta? Tecum enim res est euersor iuris humani, monstrorúmque artifex, qui primus ea cõdidisti, credo, ne vita tui obliuisceretur. Quis inuenit singula membra humana mandare? qua coniectura inductus? Quam potest medicina ista originem habuisse? Quis veneficia innocentiora fecit, quã remedia? Esto, barbari, externique ritus inuenerint abominandos: etiam-ne Græci suas fecêre has artes? etiam-ne Christiani?

*Infanda remedia.*

Extant commentationes Democriti ad alia noxij hominis è capite ossa plus prodesse: ad alia, amici & hospitis. Iam verò, vi interempti dente gingiuas in dolore scarificari Apollonius efficacissimum scripsit. Miletus oculorum suffusiones felle hominis sanari. Artemon caluaria interfecti, neque cremati, propinauit aquam è fonte, noctu, comitialibus morbis. Ex eodem suspendio interempti catapotia fecit, contra canis rabiosi morsus Antheus.

*Christiano non qualibet vsurpanda remedia.*

Nos Euangelium docti, vitam non adeò expetendam censemus, vt quoquo modo trahenda sit. Quisquis est talis æquè morietur, etiam cùm obscænus vixerit, aut nefandus. Nobis tamen aliam *Medicinam* adparare fas est ex mortuo: aut potiùs, quod planè nouũ & inauditum fortasse, ex MORTE ipsa, quæ si non in corporis, certè in animæ remedijs habeatur. MORS enim, licet sit absentia quædam vitæ, vitalemque omnem succum momento temporis effundat: minusque substantiæ habere videatur, quàm vmbra, quæ est hominis

*Ex Morte Pharmacum.*

priuatio: tamẽ, si illud, quale, quale *Symbolicum Mortis corpus*, vt cogitatione vulgi fingitur, vastissimo, capacissimoq; mentis sagacioris conceptaculo, tanquã distillatorio vasi, ex quo succus è floribus, aut herbis, liquoresque de cunctis ferè rebus, eliciuntur, ac stillant, includatur: deinde accendatur infernè sub vase ignis deuotionis, isque orationis, meditationis, ac contemplationis flabris commoueatur, vt flammas eiaculetur, & foueatur desideriorum prunis: hoc calore diui-

diuino Mens agitata, ex illo ipso *Mortis* corpore, iam ante veritatis pilo contuso, & in minutal, per commentationem repetitam redacto, medicatum liquorem eliciet, qui non stillicidio delabetur; sed torrentis instar, pleno alueo excurret, & morborum omnium commune erit PHARMACVM.

## *SYMBOLVM* II.

# MORTIS MEMORIA.

## *PANCHRESTOS.*

EST enim MORTIS MEMORIA illi simile remedium, quod Græcis πάγχρηστος, PANCHRESTOS, vel PANCHRESTVM, Latinè dici potest, morbis omnibus conducibile, vel omnibus adfectibus vtile. Quomodo Cicero, per iocum, Pecuniam appellat, *Medicamentum Pancrestum*, quod ad varios vsus sit vtilis: nam Pecuniæ omnia seruiunt. Sed in Verrem ita ludebat, qui spem salutis omnem in pecunia collocarat, nullumque tam graue periculum arbitrabatur, cui mederi *pecunia* non posset. Pecunia.

*Aduentu L. Metelli Prætoris cùm omnes eius comites, iste sibi suo panchresto medicamento amicos redemisset.* Cic. in Ver.

Tale *Medicamentum* est MORTIS MEMORIA, ad omnia vtile. Rarum equidem, & singulare, quale in Medicorum officinis non inuenias, in quibus vnum aliquod multis, imò omnibus morbis adferre remedium, inauditum est, licet æquet, aut vincat theriacam Venetam, Mithridaticum, herbam Moly Homero decantatissimam.

Quod de *gladio Goliath* à se trucidati dixit Dauid: *Non est ei alter similis, da mihi eum*: hîc valet. Non est *Medicina, Mortis contemplationi* similis: nulla alia tam efficax, præsentanea, vniuersalis. Propinetur omnibus & morborum omnium spiritualium remedium dederis. Verissime Cassianus, MORS, nimirum præmeditata, *omnium vitiorum est peremptoria.* 1. Reg. xxi. 9. Col. xvi ca 6.

# SYMBOLVM III.

# MORTIS MEMORIA.

## MEDICAMENTVM--PROPHYLACTICVM.

Præseruatiuum remedium.

VIs *Pharmacum præseruatiuum* cōtra vniuersa morborum spiritualium genera? *Mortis memoriam* nunquam depone. *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Occurrat tibi noctu, & interdiu: mane, vespere, & meridiè: in solitudine, &, in aliorum dum agis consortio, illa dies, quâ in lectulo protensus, animam ages, vndequaque obsessus, & ad extremas redactus angustias. Hic morbo, illic conscientia: istic dæmonibus, ibi doloribus opprimentibus: horsum Numinis offensi vindicta, illorsum cœlitum indignatione: antrorsum mentis confusione, dextrorsum Angeli minitantis gladio, sinistrorsum scelerum multitudine metum augentibus.

Mortis memoria.

Tentat te malesuadus Anguis, & ad illicita contra Dei prohibentis legem vsurpanda suauissimè, & pertinacissimè instigat? offert intemperantiæ pomum Gula? Spumantia mero pocula Ebrietas? laudat, extollit, allicit? Quæso te, *Memorare nouissima tua & in æternum non peccabis.* Accurrunt socij, suadent vetita, blandiuntur, tantum non trahunt, imò trahunt, quia orant, obsecrant, obtestantur: aurem auerte. *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Mundus apparentium specie bonorum conatur tibi imponere: vnde ruas tabulata struit: ætatem, diuitias, natales suggerit, omnia ad illaqueandum comparat? *Auerte oculos ne videant vanitatem. Memorare nouissima tua & in æternum non peccabis.*

Extolluntur in altum aduersitatum fluctus. Vnà Eurus Notúsque ruunt: instat inuidiæ Boreas: mergere te exoptant aduersariorũ fraudes. Quid turbaris? medijs tranquillus in vndis, *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Ceteris magis dolosa, quia magis domestica, vulpecula, Caro suggerit, quæ cogitare non licet: offert, quæ videre non expedit: proponit, quæ accipere est piaculum; inuitat, irritat, impellit; accendit sensualitatis ignem, voluptatem vicinam aduocat: totis te castris aggreditur: miraris, quomodo repentè turbentur omnia, languescat voluntas, obtenebretur ratio, flaccescat geno-

generoſus fortitudinis impetus: fomes fumet, æſtuet concupiſcentia, pruriat delectatio. Non cedas magnanime, vis remedium? *Memorare nouiſſima tua & in æternum non peccabis.*

Occurrat dies illa, dies iræ, dies calamitatis & miſeriæ, dies luctus & amaritudinis, cum, vel in ſtrato depoſitus vixiſſe diceris, vel linteo inſutus, & in ſtramine collocatus ad tumbam deportaberis, quod tunc te feciſſe velles, hoc modo exequere. Quam dolebis, & ſuſpirabis in nouiſſimo (ſi tamen hæc tibi fiat gratia) ſi ob momentaneam leuiſſimæ voluptatis delectatiunculam, æternùm duraturam animæ ſanitatem perdas: quàm gaudebis, ſi glorioſum de tot hoſtibus te circumſtantibus reportes triumphum. *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.*

Verè igitur ſapientérque Monachus ille montis Oreb (quem anteà diſſolutum, graui poſtea infirmitate decubantem emigraſſe è corpore vnius circiter horæ ſpacio refert Ioannes Climacus) poſt annum duodecimum ſui raptûs, rogatus, aliquid proferret in mediũ fratribus profuturum, dixit ſummo cum animi ſenſu, *Indulgete mihi: Nemo memoriam* Mortis *habens, poterit peccare.* Experto crede. *Ipſe enim verè erat transformatus in nouum hominem,* ait Climacus. *Monachus montis Oreb;*

Porro quam ſit efficax hoc *Prophylacticum,* conſtat iudicio cœleſtis *Medici,* qui cum Adamum, in eóque genus humanum vniuerſum in perpetua ſanitate conſeruare cõſtituiſſet, quod fieri non poterat, ſi peccati lue inficeretur, non inuenit remedium præſeruatiuum, magis præſentaneum, quam *Mortis Memoriam:* ideóq; illam præſcripſit, vt primùm legem tulit: *De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas: in* *Gen. 11. 17.* *quocumque enim die comederis ex eo Morte morieris.* Idem ſeruatum deinde ab alijs legiſlatoribus, aut rerum Dominis. Sic Salomon Semei: *3. Reg. 11. 36* *Quacumque die egreſſus fueris, & tranſieris torrentem Cedron, ſcito te interficiendum.* Draconem etiam, celeberrimum Nomothetam, vt omnes à legum tranſgreſſione arceret, quàm longiſſimè, ferunt legum ferè omnium capita, capitis ſupplicio ſanciuiſſe: vnde fabulæ origo: de qua Plutarchus & Ariſtoteles, Draconem leges ſuas ſanguine conſcripſiſſe. Ceterum *Mortis Memoriam Medicamentum* eſſe non minus *Curatiuum,* quàm *Præſeruatiuum* ex ijs, quæ ſubiungentur Symbolis pateſcet.

*Plutarch. in Solone. Ariſt. 111. Rhet. c. 13. Alex. de Alex. Lib. 11. ca 7. Lud. Richeo. Val. An. par, 8 cap. 4.*

# SYMBOLVM IV.

# MORTIS MEMORIA.

## EMPLASTRVM.

Ferdinandus de Boris in Concion. Quad. A 1597

SAPIENS illa Mulier, quam Ecclesiam vocamus, in Medicamentis conficiendis, ac præscribẽdis expertissima, vt filios curet à tot mortiferis vulneribus quibus toto anno saucij, miserè torquẽtur, vtque illos à lethalibus morbis expediat, præscribit primo die *Quadragesimalis curæ*, EMPLASTRVM, á se adparatum ex iniectione *cineris* ac *puluer is* confectum, quod capiti, tanquam totius hominis compendio, adplicat, vt illo curato, reliqui etiam corporis constet sanitas.

Cineris conspersio.

Erratis profectò, si existimetis Ecclesiam matronam honestissimã, grauissimámque, inimicas saltatriculas imitari, & histrionica cineris conspersione, ceu leui ritus iocularis ostentatione hominibus velle illudere. Facit id vt Medicinæ spiritualis Magistra, quæ cùm longa experientia habeat nihil esse hominibus salutarius cotidiana *Mortis memoriâ*, illam non animo tantum infundit, syrupi & potionis modo, dum per aures immittit, *Puluis es & in puluerem reuerteris:* verum etiam tanquam *Emplastrum* capiti applicat, vt externis quoque sensibus obiecta nunquam illius memoria excidat.

# SYMBOLVM V.

# MORTIS MEMORIA.

## MEDICAMENTVM EMOLLIENS.

Medicamentũ μαμαχλικὸν. Rimedio per amollificare.

PRVDENTER autem capiti, quippe durissimæ corporis parti adponit. Est enim hoc *Medicamentum* inter illa, quæ à Medicis, EMOLLIENTIA vocantur, non, quod induratum corpus, sed animum

mum quouis marmore & caute obstinatiorem, emolliat. Sunt aliqui etiam inter Catholicos, quod dolendum, ex peccandi consuetudine tam obstinati in malo, tam pertinaci, contumacique in omnem improbitatem voluntate, tam ferreâ duritie, imò adamantinâ, vt nullis monitionum malleis, nullis aduersitatum tunsionibus emolliri possint. Intentes grauissimam iram Iudicis supremi, quæ supra quã credi possit quolibet peccato mortali incitatur: fabulas sibi narrari existimant. Conscientiæ vermem, qui improbos assiduè rodit, etiam in hac vita, obijcias: sentiunt illum quidem nec dissimulare possunt. Siquidem peccatum, instar Tyranni, suis cum molossis, & lictoribus sceleratum circumstat:

*Noxa caput sequitur.*

Et cogitur flagitiosus.

*Nocte dieque suum gestare in pectore testem*
*Occultum, quatiente animo tortore flagellum.*

sed eludere fraudulẽter, quasi non sentiat, conatur. Rationes ex ipsa hominis natura, quæ Rationem ducem sequi debet, accumules; sophismatis secum agi impudenter dicit. Virtutis honestatem, suauitatémque, quæ in illius est cultu, proponas frustra; non mouetur. Blandiaris, ridet: miniteris, magis obstinatur. Incredibilis durities! Quod remedium?

*Pharmacum μαλακτικόν: Emolliens medicamentum.* Viua *Mortis* repræsentatio. Incidant ijdem in infirmitatem, appropinquent vsque ad portas MORTIS: videantur pedem vnum in tumbâ habere: vel sit tam diuinus Orator, qui hãc imaginem linguæ penicillo in cordis tabulis exprimat. Quamuis frustra sit Orator aurem feriens, nisi diuini Spiritus gratiæque artificio cœlestis lineamenta ducantur, tunc instar ceræ mollescent.

Capitis damnatos aspice. Dum comprehensi primùm in carcerem conijciuntur, detrectant de pietate & salute animi vel verbulum ad aures admittere: duriores, quàm equi sternaces, & refractarij: horrescunt aspectum hominis religiosi, animi curatores reijciũt, tam contumaces, & obdurati, vt quicquid facies; adamantem tundere videaris. Tunde, tunde: nihil efficies. Subijciantur ijdem quæstionibus, examinentur, conuincantur, testimonijs obruantur, pronuncietur sententia: sint certi moriendi, adueniat carnifex, concusso horario glareano, pronunciet, tantillum vitæ superesse: *Mortem* *Capitis damnati flectuntur Mortis aspectu.*

stare in foribus. Ad *Mortis* voculam monosyllabam, quamuis antea interritus, licet audacissimus fur, latro, homicida, tremit, flectitur, colliquescit. Vocat Confessarium, osculatur manum, deprecatur culpam, spondet omnia, gemit, suspirat, lacrymatur, orat: imò, postulato flagello, sæuit ipse in corpus antequam carnifex. Ingens mutatio! quæ causa? *Medicamentum emolliens*, Mortis Memoria. *Cùm occideret eos quærebant eum & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eū.* Plenæ sunt horum exemplis litteræ annuæ Societatis IESV. Sed dignum posteritatis memoria, quod refert Franciscus Sacchinus in Historia Societatis de nepotibus Pauli IV. P. M.

Ps. LXXVII. 34.

Franc. Sacch. Hist. Tom II. Lib. V. n. 12.

Nocte quæ Martias Nonas præcessit, supremo affecti supplicio Carolus Caraffa Cardinalis, Ioannes Caraffa Montorij Comes, dein Palliani Dux, huiusque sororis vir, Comes Allifanus, & Consobrinus Leonardus Cardines: diéque insequenti tres postremi ad Pontem Ælium spectaculo propositi insigne præbuerunt documentum inconstantiæ humanarum rerum, cùm tota Vrbs, quos paulò ante rerum Dominos intuita erat, in summum infortunium deiectos spectaret attonita: iamq; non solum restinctis tali exemplo odijs, sed fama etiam constantiæ & magni animi quo vltimum illud miseriarum tulerunt amore conciliato, passim miseraretur. Et quidem Ioanni Carraffæ putatur Deus tam sanctum vitæ finem largitus, quod semper bonorum amans virorum ac benignus in egenos fuisset: olimq; Neapoli in Sodalitatem, quam candidorum vocabant, talia curantē adscriptus, libenter consueuisset præstò esse *Morte* multandis. Is desperatum propè de vita, cùm intellexit, cura omni ad ornandā *Mortē* & casum quemlibet quo animo generositatē suam & Christianam decebat, perferēdum conuersa; Lainium rogauit, vti Patrum aliquē ad se mitteret, qui animā suā tempore illo supremo regeret. Missus est Ioānes Baptista Peruscus Romanus vir prudētia eximia, & omni genere virtutis excellens. Cū eo Ioannes de patriâ cœlesti sermones, de vanitate mortaliū rerū, de beneficijs diuinis deq; admirabilib. vijs quibus ad æternā salutē cœlestis Pater, quos elegit, perducit, freqūētes prolixeq; habens, dicere erat solitus, pluris se facere calamitatem illam carceris, quàm præteritā felicitatē, maioreq; in Dei beneficio ponere. Nimirum, quod felicitas, vt solet, penè abstulisset, calamitas dedisset mentem. Admirabili deinde constantia *Mortem*, tum ipse tum alij antea nominati subierunt. Tu lege, & obstupesces.

IDEM

IDEM accidit in alio genere. Incidit aliquis in febrim: videtur initio leue malum, nec curatur, quia spes est liberationis: crescit indies & exasperatur: accessiones crebræ minitantur: accersitur Medicus, neglecto Confessario: præscribuntur, & cumulantur remedia: monent domestici, vt animæ prouideat, ad confessionẽ se præparet, nõ se negligat, dum curat, alia. Nihil mouetur, quoniã Medicus spem fallacibus pollicitationibus alit, dies falluntur integri, labuntur septimanæ: Sanitas nõ redit, quia deplorata, fallit pulsatilis arteria, calor deficit: Medicus actũ de vitâ indicat. De vita? Ergó ne mihi moriendum? inquit infirmus. Vbi Confessarius? vocentur illicò Ecclesiastici, Religiosi, Monachi. Intereà dolet, cruciatur, vota concipit. Tantæ est virtutis ad emolliendum hominem *Mortis Memoria*. Desperati ægrotans mollescit.

QVOD huic in lecto multis alijs contingit in naui: qui quamuis aliàs sceleratissimi, & ad bona, precesque duri: quam duritiem Chrysostomus Nautis peculiariter adscribit: quos Bias, *neq; inter viuos numerabat, neq; inter mortuos*, vt Plato refert: Anacharsis autem Scytha eosdem dicebat, *moribus esse persæpe desperatis, vt vitâ*: tamen, si ventus aliquis typhonicus, turbulentus, vehemens, interruptus, si Euro-Aquilo concutiat omnia, si alij venti Chrysostomus. Act. xxvii. Plato in Axiocho. Laer.

*Eripiant subitò nubes cæcúmq; diémque.* Æneid. I.

Si *——præsentem intentent omnia Mortem*:

in genua concidunt, orationes iterant, vota concipiunt, peregrinationes longissimas sanctè promittunt, peccata, audientibus etiam alijs, aperiunt, ac confitentur: flectuntur ad quidlibet, qui antea, vt Marpesia cautes, bonis omnibus resistebant. Vnde tam repentè tot sanctuli? *Mortis memoria* cor emollijt. At vtinam verum non esset Italorum diuerbium.

QVID hic memorẽ Ezechiam? qui audito *Mortis* nuncio versus ad parietem exclamauit subitò, ac si iam dudum animo constituisset id suo: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Isa. xxxviii. 15.

Achabum, impium, sceleratum, idololatram, *Mortis* minæ, quæ illius imaginem animo impresserant, dum Elias fulminaret ad vestium dilacerationem, ad saccum, ad ieiunium, ad capitis demissionem perpulerunt. Lib. III. Reg XXI.

Regem, populúmque Niniues ad cinerem, seuerissimámque corporis castigationem adegit *Mortis* imminentis imaginatio: *Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur.* Iona III.

Ioan-

Luc. III.

Ioannis Baptistæ *Mortis Symbolum*, *Securim* intentantis concio, plus quàm funebris, quàm multos emolliuit? *Multi veniebant confitentes actus suos*, inquit Lucas.

Pestis grassetur, imò illam solummodò quorundam inanis metus grassari vulget: immineat prælium: miles ducatur ad conflictum: obsideatur vrbs, in quam irruptio sit facienda, vix est in illa fæce hominum, animas in manu portantium, & catenus ad concionatorum voces rebellium, qui non pœnitudine ducatur, & ad sacerdotis sese pedes abijciat. Tam *Emolliens Medicamentum* est *Mortis Memoria*.

Dubitant frequenter conscientiarum Præsides industrij & anxiè disquirunt, dum ad se confluentibus optimè consultum volunt, quid præscribere possint spiritualiter ægris, vt ad dolorem, contritionem & satisfactionis opera, pro grauissimis sceleribus, suscipienda, mollescant. Constat enim quosdam esse, qui nullis persuasionibus adduci posse videntur, vt voluntarijs pœnis, vel à confessario impositis peccata expient. Horrent ad flagellationem, & disciplinæ nomen. *Fodere*, inquiunt, *non valeo: mendicare erubesco.* Ieiunare se non posse fortasse mentiuntur: eos non velle facilè credo: humi cubare recusant: cilicio carnem premere refugiunt. Et tamen Confessarius, ex officij ratione pænitentias ad criminum grauitatem admetiri debet: ni faciat: ipse viderit; rationem dabit ei cui Iustitia assidet.

*Pænitentes acceptare tenentur pænitentiam à Confessario impositam.*

Pœnitentes verò, ne quis fortè erret, easdem acceptare tenentur, & implere: de quo nemo ambigat post tam spissam Theologorũ nubem id testantium. Quod hoc tempore tam habetur certum, vt sine temeritate negari non posse existimetur, cum ferè Tridentinũ id clarè definierit: adeò, vt Franciscus Victoria, summus Theologus, id de fide esse pronunciarit. Docent autem apertè omnes isti:

*Vidend. Suar. Tom. IV Disp. XXXVIII. sect VI. Concl 1.*

Magister in IV. Dist. XVI. Et XVIII, ibidemque S. Thom. Q. I. Art. 3. Quæstiunc. 3. Richardus in II. Quæst. V. Paludan. Dist. XX. quæst. 2. in fine. Maior. Q. 5. & Dist XVII. Q. 2. atque ibidem Durand. Q. 2 & 3. Alensis IV. Par. Q. XXIV. Mem. IV. Art. 5. Antoninus III. P. tit. XVIII. cap. XIX. § 19. Ruardus Tapper Art. III. pag 273. Victoria in summa Num. 240. Dominicus Sotus Distinct XX. Quæst. II. Art. 2. Petrus Soto Lib. II. de satisfactione. Melchior Canus Relect. de Pœnitentia p 5. Ledesmius II. Parte IVti. Q. XX. Art. 3. colligiturque ex Leone Papa, Epistola LXXXIX. & habetur cap. *Multiplex: de Pænitent. Distinct. I.* atque ex Concilio Saleguftadiensi c. XVIII. in III.

Tomo

Tomo Concil. *Multi* (inquit) *tanta falluntur stultitia, vt capitali crimine culpati pœnitentiam à suis sacerdotibus acceptare nolint:* fauent receptissimæ sententiæ Cap. *Omnis vtriusque*: Concil. Florentinum, & clarissimè, Tridentinum Sess. XIV, Cap. 8. sed hoc iam non agimus: qui Confessario suademus, vt si inflectere velit, quos tam obstinatos comperit.

Iniungat, aut suadeat, vt *Mortis meditationem* cotidie attente flexis poplitibus in conclaui peragãt attẽte: manus dabunt tandem retractarij. Fama est (fides sit penes narrantem, è quo id refero) ab Alexandro Pontifice, quotus is fuerit eius nominis non additur, militem quendam longè flagitiosissimum hoc *Medicamẽto* curatum. Cum enim miles peruicax omnem mulctam, pœnitentiæ nomine, Catholico ritu, ab illo indictam auersaretur: is annulum ei suum digito gestandum dedit, satisfactionis vice, eâ lege, vt quoties eum, ipse intueretur, toties de sua *Morte* cogitaret. datam legem accepit miles durus: cúmque diebus aliquot mandato Pontificis fuisset obsequutus, reuersus ad Alexandrum, paratum se dixit quidlibet perferre ac pati. Hoc in Milite cuius ferociam emolliuit *Mortis* oleum. Admirabilius fortasse est, quod sequitur. *Miles Meditatione Mortis mollescit.* *Philip. Besquier. Conc. 11.*

MATRONA vanitatis mancipium, cum omnes à Confessario impositas pœnas recusaret, huic tandem, velut reliquis faciliori, adquieuit, vt quoties manus ebore nitidiores lauaret, secum ipsa diceret: *Carnem hanc depascent aliquando vermes.* Vix diebus aliquot leuem hanc pœnitentiam subierat, cùm in aliam mutata, tot breui tempore enituit virtutibus, quot anteà sorduerat vitijs: & tam sancto præluxit exemplo, quàm dedecoroso anteà offenderat. *Petr. Coton. Conc. XVI. de Morte.*

Addatur his tertium de viro nobili cuius fregit durissimum pectus eadem *Medicina*. Filius eius, in quo spes familiæ sitæ erant, ordinem religiosum ingressus erat: id tam ægrè tulit parens vt confestim ad religiosorum domicilium aduolarit, omniaque minis, & querelis implicuerit, ferrum etiam, & ignem intentans, nisi vnigenitus sibi restitueretur. *Philip. Besq. Con. 11.*

Aduocatur adolescens, patri sistitur, fit abeundi potestas, sequuturum se patrem dicit filius, si pater, quâ pollebat potestate, hoc efficeret, vt in paterno imperio lex non amplius obtineret, quâ æquè citò mori adolescentes, ac viri consueſſent. Stetit attonito similis pater, & *Mortis* vehementi cogitatione mitior factus, filij consilium

# LIBER TERTIVS.
# SYMBOLA MORTIS
## MEMORIA CVLTÆ.

Quibus demonstratur, Commentationem de Morte, perutilem esse, & Christiano necessariam.

*In omnibus operibus tuis*
*Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Eccles. VII. 40.

## THEOPISTO S.

Meditari, vt Columba.

Theopiste.



*Vam sit fructuosa de* Morte *cōmētatio,* THEOPISTE, *imò, simplex eius Memoria, nemo-non Magister morū Christianus dixit: sed fortasse nemo hactenus.* SYMBOLIS *continuata serie nexis, quod hic tentamus. Quasini? Ut, quod verbis exprimunt multi, ideoque elabitur facile, quia tam euanido impositum vehiculo: id scita repræsentatum imagine, dum blanditur oculis, illabatur animo, & infigatur altiùs: Semel impressum, nunquam euellendum. Sic vouemus, eius memores sententiæ longè verissima, quippe à Doctore cœlesti dictatæ. In omnibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.*

*Ha-*

*Habent enim hoc* SYMBOLA, *ut, cúm iuuent plurimum (verba sunt Clementis Alexandrini)* καὶ πρὸς τὴν ὀρθὴν θεολογίαν, καὶ πρὸς εὐσέβειαν, καὶ πρὸς ἐπίδειξιν, καὶ πρὸς βραχυλογίας ἄσκησιν, καὶ σοφίας ἔνδειξιν: *& ad rectam Theologiam, & pietatem, & ad demonstratiui generis orationes, ad breuitatis denique exercitationem, specimenque sapientiæ minimè vulgaris: tum mirifice conferant ad res oculis non subiectas, quas artificiose exhibent, in mente firmiter consignandas. His itaque tertium hunc de* MORTE *librum, quem vt breuissimum, ita vtilissimum Tibi,* THEOPISTE, *adornauimus.*

Clem. Lib. v. Strom.

Viue memor Lethi.

## *SYMBOLVM* I.

# MORTIS MEMORIA.

## *PHARMACVM.*

EXPETVNTVR à vitæ mortalis amatoribus ad morborum quorundam curationem, tanquam medicamenti præsentanei materia, demortuorum hominum partes aliquæ, eaq; solicitè conquiruntur, nec paruo ære redimuntur ab ægris. Valere enim plurimum ad sanitatem perhibent, ossa, adipem similia: quare magno in pretio solent esse cadauera, vnde hæc desumuntur.

*Pharmacum à cadaueribus.*

Sed, ô ferinam rabiem! vt vitæ consulatur humanæ, humanitatis rationem habere nullã? Quod in Græcis, Latinisque detestatur Romanus morum censor. An non enim pudendum, tam portentosa pro homine ex hominibus confici medicamenta? *Ad arcendum comitialem morbum spumantibus poculis sanguinem gladiatorũ bibebant, quod spectare facientes in eadem harenâ feras quoque horror est: At, hercule, illi ex homi-*

*Ferina rabies.*

*homine ipso sorberi efficacissimum putant calidum spirantémque: & vna ipsam animam ex osculo vulnerum, cùm plagis ne ferarum quidem, admoueri ora fas sit humana. Alij medullas crurum quærebant, & cerebrum infantium. Nec pauci, apud Græcos, singulorum viscerum membrorúmque sapores dixere, omnia persequuti vsque ad resegmina vnguium. Quasi verò sanitas videri possit, feram ex homine fieri, morbóque dignum in ipsa medicina, egregiâ, hercule, frustratione, si non prosit.*

Qua valetudine sceleste mandantur.

Meritò exclamat Auctor grauissimus. Aspici humana exta nefas habetur: quid mandi? quis ista inuenit ostenta? Tecum enim res est euersor iuris humani, monstrorúmque artifex, qui primus ea côdidisti, credo, ne vita tui obliuisceretur. Quis inuenit singula membra humana mandare? qua coniectura inductus? Quam potest medicina ista originem habuisse? Quis veneficia innocentiora fecit, quã remedia? Esto, barbari, externique ritus inuenerint abominandos: etiam-ne Græci suas fecêre has artes? etiam-ne Christiani?

Infanda remedia.

Extant commentationes Democriti ad alia noxij hominis è capite ossa plus prodesse: ad alia, amici & hospitis. Iam verò, vi interempti dente gingiuas in dolore scarificari Apollonius efficacissimum scripsit. Miletus oculorum suffusiones felle hominis sanari. Artemon caluaria interfecti, neque cremati, propinauit aquam è fonte, noctu, comitialibus morbis. Ex eodem suspendio interempti catapotia fecit, contra canis rabiosi morsus Antheus.

Christiano non qualibet ratione quærenda remedia.

Nos Euangelium docti, vitam non adeò expetendam censemus, vt quoquo modo trahenda sit. Quisquis est talis æquè morietur, etiam cùm obscænus vixerit, aut nefandus. Nobis tamen aliam *Medicinam* adparare fas est ex mortuo: aut potiùs, quod planè nouũ & inauditum fortasse, ex MORTE ipsa, quæ si non in corporis, certè in animæ remedijs habeatur. MORS enim, licet sit absentia quædam vitæ, vitalemque omnem succum momento temporis effundat: minusque substantiæ habere videatur, quàm vmbra, quæ est hominis priuatio: tamẽ, si illud, quale, quale *Symbolicum Mortis corpus*, vt cogitatione vulgi fingitur, vastissimo, capacissimoq; mentis sagacioris conceptaculo, tanquã distillatorio vasi, ex quo succus è floribus, aut herbis, liquoresque de cunctis ferè rebus, eliciuntur, ac stillant, includatur: deinde accendatur infernè sub vase ignis deuotionis, isque orationis, meditationis, ac contemplationis flabris commoueatur, vt flammas eiaculetur, & foueatur desideriorum prunis: hoc calore diui-

Ex Morte Pharmacum.

diuino Mens agitata, ex illo ipso *Mortis* corpore, iam ante veritatis pilo contuso, & in minutal, per commentationem repetitam redacto, medicatum liquorem eliciet, qui non stillicidio delabetur; sed torrentis instar, pleno aluco excurret, & morborum omnium commune erit PHARMACVM.

## *SYMBOLVM* II.

# MORTIS MEMORIA.

## *PANCHRESTOS.*

EST enim MORTIS MEMORIA illi simile remedium, quod Græcis πάγχρηστ☉, PANCHRESTOS, vel PANCHRESTVM, Latinè dici potest, morbis omnibus conducibile, vel omnibus adfectibus vtile. Quomodo Cicero, per iocum, Pecuniam appellat, *Medicamentum Pancrestum*, quod ad varios vsus sit vtilis: nam Pecuniæ omnia seruiunt. Sed in Verrem ita ludebat, qui spem salutis omnem in pecunia collocarat, nullumque tam graue periculum arbitrabatur, cui mederi *pecunia* non posset. Pecunia.

*Aduentu L. Metelli Prætoris cùm omnes eius comites, iste sibi suo panchresto medicamento amicos redemisset.* Cic. in Verr.

Tale *Medicamentum* est MORTIS MEMORIA, ad omnia vtile. Rarum equidem, & singulare, quale in Medicorum officinis non inuenias, in quibus vnum aliquod multis, imò omnibus morbis adferre remedium, inauditum est, licet æquet, aut vincat theriacam Venetam, Mithridaticum, herbam Moly Homero decantatissimam.

Quod de *gladio Goliath* à se trucidati dixit Dauid: *Non est ei alter similis, da mihi eum*: hîc valet. Non est *Medicina, Mortis contemplationi* similis: nulla alia tam efficax, præsentanea, vniuersalis. Propinetur omnibus & morborum omnium spiritualium remedium dederis. Verissime Cassianus, MORS, nimirum præmeditata, *omnium vitiorum est peremptoria.* 1. Reg. xxi. 9. Col. xvi. ca 6.

Ccccc SYM-

# SYMBOLVM III.

# MORTIS MEMORIA.

## MEDICAMENTVM--PROPHYLACTICVM.

Præseruatiuum remedium.

VIs *Pharmacum præseruatiuum* cõtra vniuersa morborum spiritualium genera? *Mortis memoriam* nunquam depone. *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Occurrat tibi noctu, & interdiu: mane, vespere, & meridiè: in solitudine, &, in aliorum dum agis consortio, illa dies, quâ in lectulo protensus, animam ages, vndequaque obsessus, & ad extremas redactus angustias. Hic morbo, illic conscientia: istic dæmonibus, ibi doloribus opprimentibus: horsum Numinis offensi vindicta, illorsum cœlitum indignatione: antrorsum mentis confusione, dextrorsum Angeli minitantis gladio, sinistrorsum scelerum multitudine metum augentibus.

Mortis memoria.

Tentat te malesuadus Anguis, & ad illicita contra Dei prohibentis legem vsurpanda suauissime, & pertinacissimè instigat? offert intemperantiæ pomum Gula? Spumantia mero pocula Ebrietas? laudat, extollit, allicit? Quæso te, *Memorare nouissima tua & in æternum non peccabis.* Accurrunt socij, suadent vetita, blandiuntur, tantum non trahunt, imò trahunt, quia orant, obsecrant, obtestantur: aurem auerte. *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Mundus apparentium specie bonorum conatur tibi imponere: vnde ruas tabulata struit: ætatem, diuitias, natales suggerit, omnia ad illaqueandum comparat? *Auerte oculos ne videant vanitatem. Memorare nouissima tua & in æternum non peccabis.*

Extolluntur in altum aduersitatum fluctus. Vnà Eurus Notúsque ruunt: inflat inuidiæ Boreas: mergere te exoptant aduersariorũ fraudes. Quid turbaris? medijs tranquillus in vndis, *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Ceteris magis dolosa, quia magis domestica, vulpecula, Caro suggerit, quæ cogitare non licet: offert, quæ videre non expedit: proponit, quæ accipere est piaculum; inuitat, irritat, impellit; accendit sensualitatis ignem, voluptatem vicinam aduocat: totis te castris aggreditur: miraris, quomodo repentè turbentur omnia, languescat voluntas, obtenebretur ratio, flaccescat geno-

generosus fortitudinis impetus: fomes fumet, æstuet concupiscentia, pruriat delectatio. Non cedas magnanime, vis remedium? *Memorare nouissima tua & in aternum non peccabis.*

Occurrat dies illa, dies iræ, dies calamitatis & miseriæ, dies luctus & amaritudinis, cum, vel in strato depositus vixisse diceris, vel linteo insutus, & in stramine collocatus ad tumbam deportaberis, quod tunc te fecisse velles, hoc modo exequere. Quam dolebis, & suspirabis in nouissimo (si tamen hæc tibi fiat gratia) si ob momentaneam leuissimæ voluptatis delectatiunculam, æternùm duraturam animæ sanitatem perdas: quàm gaudebis, si gloriosum de tot hostibus te circumstantibus reportes triumphum. *Memorare nouissima tua, & in aternum non peccabis.*

Verè igitur sapientérque Monachus ille montis Oreb (quem antea dissolutum, graui postea infirmitate decubantem emigrasse è corpore vnius circiter horæ spacio refert Ioannes Climacus) post annum duodecimum sui raptûs, rogatus, aliquid proferret in mediū fratribus profuturum, dixit summo cum animi sensu, *Indulgete mihi: Nemo memoriam* Mortis *habens, poterit peccare.* Experto crede. *Ipse enim verè erat transformatus in nouum hominem,* ait Climacus. *Monach. us montis Oreb;*

Porro quam sit efficax hoc *Prophylacticum*, constat iudicio cœlestis *Medici*, qui cum Adamum, in eóque genus humanum vniuersum in perpetua sanitate conseruare cōstituisset, quod fieri non poterat, si peccati lue inficeretur, non inuenit remedium præseruatiuum, magis præsentaneum, quam *Mortis Memoriam*: ideóq; illam præscripsit, vt primùm legem tulit: *De ligno scientia boni & mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo Morte morieris.* Idem seruatum deinde ab alijs legislatoribus, aut rerum Dominis. Sic Salomon Semei: *Quacumque die egressus fueris, & transieris torrentem Cedron, scito te interficiendum.* Draconem etiam, celeberrimum Nomothetam, vt omnes à legum transgressione arceret, quàm longissimè, ferunt legum ferè omnium capita, capitis supplicio sanciuisse: vnde fabulæ origo: de qua Plutarchus & Aristoteles, Draconem leges suas sanguine conscripsisse. Ceterum *Mortis Memoriam Medicamentum* esse non minus *Curatiuum*, quàm *Præseruatiuum* ex ijs, quæ subiungentur Symbolis patescet. *Gen. 11. 17.* *III Reg. 11. 16* *Plutarch. in Solone. Arist. III. Rhet. c. 23. Alex. de Alex. Lib. III. ca 7. Lud. Richo. Val. An. par. 1 cap. 4.*

## SYMBOLVM IV.

# MORTIS MEMORIA.

## EMPLASTRVM.

*Ferdinandus de Bois in Concion. Quad. A. 1597*

SApiens illa Mulier, quam Ecclesiam vocamus, in Medicamentis conficiendis, ac præscribẽdis expertissima, vt filios curet à tot mortiferis vulneribus quibus toto anno saucij, miserè torquẽtur, vtque illos à lethalibus morbis expediat, præscribit primo die *Quadragesimalis curæ*, EMPLASTRVM, á se adparatum ex iniectione *cineris* ac *pulueris* confectum, quod capiti, tanquam totius hominis compendio, adplicat, vt illo curato, reliqui etiam corporis constet sanitas.

*Cineris conspersio.*

Erratis profectò, si existimetis Ecclesiam matronam honestissimã, grauissimámque, inimicas saltatriculas imitari, & histrionica cineris conspersione, ceu leui ritus iocularis ostentatione hominibus velle illudere. Facit id vt Medicinæ spiritualis Magistra, quæ cùm longa experientia habeat nihil esse hominibus salutarius cotidiana *Mortis memoriâ*, illam non animo tantum infundit, syrupi & potionis modo, dum per aures immittit, *Puluis es & in puluerem reuerteris*: verum etiam tanquam *Emplastrum* capiti applicat, vt externis quoque sensibus obiecta nunquam illius memoria excidat.

## SYMBOLVM V.

# MORTIS MEMORIA.

## MEDICAMENTVM-EMOLLIENS.

*Medicamentũ μαλακτικὸν. Rimedio per mollificare.*

PRVDENTER autem capiti, quippe durissimæ corporis parti adponit. Est enim hoc *Medicamentum* inter illa, quæ à Medicis, EMOLLIENTIA vocantur, non, quod induratum corpus, sed ani-

mum

mum quouis marmore & caute obſtinatiorem, emolliat. Sunt aliqui etiam inter Catholicos, quod dolendum, ex peccandi conſuetudine tam obſtinati in malo, tam pertinaci, contumacique in omnem improbitatem voluntate, tam ferreâ duritie, imò adamantinâ, vt nullis monitionum malleis, nullis aduerſitatum tunſionibus emolliri poſſint. Intentes grauiſſimam iram Iudicis ſupremi, quæ ſupra quã credi poſſit quolibet peccato mortali incitatur: fabulas ſibi narrari exiſtimant. Conſcientiæ vermem, qui improbos aſſiduè rodit, etiam in hac vita, obijcias: ſentiunt illum quidem nec diſſimulare poſſunt. Siquidem peccatum, inſtar Tyranni, ſuis cum moloſſis, & lictoribus ſceleratum circumſtat:

*Noxa caput ſequitur.*

Et cogitur flagitioſus,

*Nocte dieque ſuum geſtare in pectore teſtem*
*Occultum, quatiente animo tortore flagellum.*

ſed eludere fraudulẽter, quaſi non ſentiat, conatur. Rationes ex ipſa hominis natura, quæ Rationem ducem ſequi debet, accumules: ſophiſmatis ſecum agi impudenter dicit. Virtutis honeſtatem, ſuauitatémque, quæ in illius eſt cultu, proponas fruſtra; non mouetur. Blandiaris, ridet: miniteris, magis obſtinatur. Incredibilis durities! Quod remedium?

*Pharmacum μαλακτικόν: Emolliens medicamentum.* Viua *Mortis* repræſentatio. Incidant ijdem in infirmitatem, appropinquent vſque ad portas MORTIS: videantur pedem vnum in tumbâ habere: vel ſit tam diuinus Orator, qui hãc imaginem linguæ penicillo in cordis tabulis exprimat. Quamuis fruſtra ſit Orator aurem feriens, niſi diuini Spiritus gratiæque artificio cœleſtis lineamenta ducantur, tunc inſtar ceræ molleſcent.

Capitis damnatos aſpice. Dum comprehenſi primùm in carcerem conijciuntur, detrectant de pietate & ſalute animi vel verbulum ad aures admittere: duriores, quàm equi ſternaces, & refractarij: horreſcunt aſpectum hominis religioſi, animi curatores reijciũt, tam contumaces, & obdurati, vt quicquid facies; adamantem tundere videaris. Tunde, tundo: nihil efficies. Subijciantur ijdem quæſtionibus, examinentur, conuincantur, teſtimonijs obruantur, pronuncietur ſententia: ſint certi moriendi, adueniat carnifex, concuſſo horario glareano, pronunciet, tantillum vitæ ſupereſſe: *Mortem* *Capitis damnati flectuntur Mortis aſpectu.*

ſtare in foribus. Ad *Mortis* voculam monoſyllabam, quamuis antea interritus, licet audaciſſimus fur, latro, homicida, frangitur, flectitur, colliqueſcit. Vocat Confeſſarium, oſculatur manum, deprecatur culpam, ſpondet omnia, gemit, ſuſpirat, lacrymatur, orat: imò, poſtulato flagello, ſæuit ipſe in corpus antequam carnifex. Ingens mutatio! quæ cauſa? *Medicamentum emolliens*, Mortis Memoria.

Ps LXXVII. 34. *Cùm occideret eos quærebant eum & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eū.* Plenæ ſunt horum exemplis litteræ annuæ Societatis IESV. Sed dignum poſteritatis memoria, quod refert Franciſcus Sacchinus in Hiſtoria Societatis de nepotibus Pauli IV. P. M.

Franc. Sacch. Hiſt. Par. II. Lib. V. n. 12.

Nocte quæ Martias Nonas præceſſit, ſupremo affecti ſupplicio Carolus Caraffa Cardinalis, Ioannes Caraffa Montorij Comes, dein Palliani Dux, huiuſque ſororis vir, Comes Alliſanus, & Conſobrinus Leonardus Cardines: diéque inſequenti tres poſtremi ad Pontem Ælium ſpectaculo propoſiti inſigne præbuerunt documentum inconſtantiæ humanarum rerum, cùm tota Vrbs, quos paulò ante rerum Dominos intuita erat, in ſummum infortunium deiectos ſpectaret attonita: iamq; non ſolum reſtinctis tali exemplo odijs, ſed fama etiam conſtantiæ & magni animi quo vltimum illud miſeriarum tulerunt amore conciliato, paſſim miſeraretur. Et quidem Ioanni Carraffæ putatur Deus tam ſanctum vitæ finem largitus, quod ſemper bonorum amans virorum ac benignus in egenos fuiſſet: olimq; Neapoli in Sodalitatem, quam candidorum vocabant, talia extrahē adſcriptus, libenter conſueuiſſet præſtò eſſe *Morte* multandis. Is deſperatum propè de vita, cùm intellexit, cura omni ad ornandā *Mortē* & caſum quemlibet quo animo generoſitatē ſuam & Chriſtianam decebat, perferēdum conuerſa; Lainium rogauit, vti Patrum aliquē ad ſe mitteret, qui animā ſuā tempore illo ſupremo regeret. Miſſus eſt Ioānes Baptiſta Peruſcus Romanus vir prudētia eximia, & omni genere virtutis excellens. Cū eo Ioannes de patriâ cœleſti ſermones, de vanitate mortaliū rerū, de beneficijs diuinis deq; admirabilib. viis quibus ad æternā ſalutē cœleſtis Pater, quos elegit, perducit, frequētes prolixeq; habens, dicere erat ſolitus, pluris ſe facere calamitatem illam carceris, quàm præteritā felicitatē, maioreq; in Dei beneficio ponere. Nimirum, quod felicitas, vt ſolet, penè abſtuliſſet, calamitas dediſſet mentem. Admirabili deinde conſtantia *Mortem*, tum ipſe tum alij antea nominati ſubierunt. Tu lege, & obſtupeſces.

IDEM

IDEM accidit in alio genere. Incidit aliquis in febrim: videtur initio leue malum, nec curatur, quia spes est liberationis: crescit indies & exasperatur: accessiones crebræ minitantur: accersitur Medicus, neglecto Confessario: præscribuntur, & cumulantur remedia: monent domestici, vt animæ prouideat, ad confessionē se præparet, nō se negligat, dum curat, alia. Nihil mouetur, quoniā Medicus spem fallacibus pollicitationibus alit, dies falluntur integri, labuntur septimanæ: Sanitas nō redit, quia deplorata, fallit pulsatilis arteria, calor deficit: Medicus actū de vitâ indicat. De vita? Ergó ne mihi moriendum? inquit infirmus, Vbi Confessarius? vocentur illicò Ecclesiastici, Religiosi, Monachi. Intereà dolet, cruciatur, vota concipit. Tantæ est virtutis ad emolliendum hominem *Mortis Memoria*. *Desperatè ægrotans mollescit.*

QVOD huic in lecto multis alijs contingit in naui: qui quamuis aliàs sceleratissimi, & ad bona, precesque duri: quam duritiem Chrysostomus Nautis peculiariter adscribit: quos Bias, *neq; inter viuos numerabat, neq; inter mortuos*, vt Plato refert: Anacharsis autem Scytha eosdem dicebat, *moribus esse persæpe desperatis, vt vitâ*: tamen, si ventus aliquis typhonicus, turbulentus, vehemens, interruptus, si Euro-Aquilo concutiat omnia, si alij venti *Chrysostomus. Act. xxvii. Plato in Axiocho. Laert.*

*Eripiant subitò nubes cœlúmq; diémque.* *Æneid. I.*

Si *—præsentem intentent omnia Mortem*:

in genua concidunt, orationes iterant, vota concipiunt, peregrinationes longissimas sanctè promittunt, peccata, audientibus etiam alijs, aperiunt, ac confitentur: flectuntur ad quidlibet, qui antea, vt Marpesia cautes, bonis omnibus resistebant. Vnde tam repentè tot sanctuli? *Mortis memoria* cor emollijt. At vtinam verum non esset Italorum diuerbium.

QVID hic memorē Ezechiam? qui audito *Mortis* nuncio versus ad parietem exclamauit subitò, ac si iam dudum animo constituisset id suo: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* *Isa. xxxviii. 15.*

Achabum, impium, sceleratum, idololatram, *Mortis* minæ, quæ illius imaginem animo impresserant, dum Elias fulminaret ad vestium dilacerationem, ad saccum, ad ieiunium, ad capitis demissionem perpulerunt. *Lib. III. Reg. xxi.*

Regem, populúmque Niniues ad cinerem, seuerissimámque corporis castigationem adegit *Mortis* imminentis imaginatio: *Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur.* *Iona III.*

Ioan-

Tomo Concil. *Multi* (inquit) *tanta falluntur stultitia, vt capitali crimine culpati pœnitentiam à suis sacerdotibus acceptare nolint*: fauent receptissimæ sententiæ Cap. *Omnis vtriusque*: Concil. Florentinum, & clarissimè, Tridentinum Sess. XIV. Cap. 8. sed hoc iam non agimus: qui Confessario suademus, vt si inflectere velit, quos tam obstinatos comperit.

Iniungat, aut suadeat, vt *Mortis meditationem* cotidie attente flexis poplitibus in conclaui peragãt attẽtè: manus dabunt tandem refractarij. Fama est (fides sit penes narrantem, è quo id refero) ab Alexandro Pontifice, quotus is fuerit eius nominis non additur, militem quendam longè flagitiosissimum hoc *Medicamẽto* curatum. Cum enim miles peruicax omnem mulctam, pœnitentiæ nomine, Catholico ritu, ab illo indictam auersaretur: is annulum ei suum digito gestandum dedit, satisfactionis vice, eâ lege, vt quoties eum, ipse intueretur, toties de sua *Morte* cogitaret. datam legem accepit miles durus: cúmque diebus aliquot mandato Pontificis fuisset obsequutus, reuersus ad Alexandrum, paratum se dixit quidlibet perferre ac pati. Hoc in Milite cuius ferociam emolliuit *Mortis* oleum. Admirabilius fortasse est, quod sequitur. *Miles Meditatione Mortis mollescit.* *Philip. Bosquier. Conc. 11.*

MATRONA vanitatis mancipium, cum omnes à Confessario impositas pœnas recusaret, huic tandem, velut reliquis faciliori, adquieuit, vt quoties manus ebore nitidiores lauaret, secum ipsa diceret: *Carnem hanc depascent aliquando vermes*. Vix diebus aliquot leuem hanc pœnitentiam subierat, cùm in aliam mutata, tot breui tempore enituit virtutibus, quot anteà sorduerat vitijs: & tam sancto præluxit exemplo, quàm dedecoroso anteà offenderat. *Petr. Coton. Conc XVI. de Morte.*

Addatur his tertium de viro nobili cuius fregit durissimum pectus eadem *Medicina*. Filius eius, in quo spes familiæ sitæ erant, ordinem religiosum ingressus erat: id tam ægrè tulit parens vt confestim ad religiosorum domicilium aduolarit, omniaque minis, & querelis impleuerit, ferrum etiam, & ignem intentans, nisi vnigenitus sibi restitueretur. *Philip. Bosq. Con. 11.*

Aduocatur adolescens, patri sistitur, fit abeundi potestas, sequuturum se patrem dicit filius, si pater, quâ pollebat potestate, hoc efficeret, vt in paterno imperio lex non amplius obtineret, quâ æquè citò mori adolescentes, ac viri consuessent. Stetit attonito similis pater, & *Mortis* vehementi cogitatione mitior factus, filij consilium

Ddddd &vi-

& vitæ institutum arripere non puduit, vt Deo in posterum viueret, mundo eatenus addictus.

Hist. S. Dominici Ord. Fuit vir Bononiæ, delicatus in paucis, ac carni deditus qui vitam omnibus delitijs affluentem agebat, quam mollis ad voluptatem, tam ad virtutem durus. Quod ad hunc emolliendum remediũ? *Mortis Meditatio.* Conuenit eum è D. Dominici familia religiosus, & multa familiariter, comiterque loquutus, digrediens vnum monuit: Isa. xiv. cogitaret sub noctem lectum ingressus illud Prophetæ: *Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Fecit ille, vt erat monitus: atque ita altè cogitatum illud animo insedit, vt rebus omnibus abdicatis, homo antea ad diuina durissimus, se Deo, arctiorique vitæ obstrinxerit.

Guerricus Philosophus. Guerricus, magnus in seculo Philosophus, cùm audisset in templo legi è libro Genesis. *Factum est omne tempus, quod vixit Adam nongenti triginta anni, & mortuus est. Et facti sunt omnes dies Seth nongentorum duodecim annorum, & mortuus est. Factique sunt omnes dies Enos nongenti quinque anni, & mortuus est. Et facti sunt omnes dies Mathusalem nongenti sexaginta nouem anni, & mortuus est:* ita *Mortem* animo imbibit, cùm perpenderet eadem sibi lege nato, eandem impendere moriendi necessitatem vt mundo relicto, cui tenacissimè adhæserat, S. Dominici institutum sit complexus, quo vitam sanctiùs institueret, & *Mortem* securiùs obiret. Quod pluribus haud dubiè contingeret, si epiphonema illud frequentius, attentiusque perpenderent: nam. *Facilè* S. Hieronymus Epist. CIII. *contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum.*

# SYMBOLVM VI.

# MORTIS MEMORIA

## MEDICAMENTVM SVPPVRATORIVM.

Dedi sup. bi. 1. Cor viii. 1. HAc formâ *Mortis contemplatio* Litteratis medetur, & scientiarum alumnis. Scientia inflat, inquit Apostolus, id est, suapte natura animi tumorem parit, qui plenus purulento sui æstimationis

nis sanguine, nisi educatur interitum creat. Itaque adhibendum est remedium tum *Suppuratorium*, quod puris materiam commoueat, tum *Discussorium*, quod tumorem exinaniat. Vtriusque rationem habet *Mortis memoria*, quæ si benè applicetur, vel sumatur, agnoscet homo, vnum omnes scire quod nihil sciant: sapientiam humanam appellari posse stultitiam: scientiam, ignorantiam: doctrinam inscitiam. Διαπυητικόν. Διαφορητικόν.

GRAMMATICVS scilicet superbiat, qui etiamsi ad Prisciani, Diomedis, Donati, Seruij cognitionem peruenerit, nunquam eo attinget, vt *Mortem* declinare possit: quam si declinabilem in schol s docuit, indeclinabilem in fatali lecto experietur. Cetera declinabit fortasse: hic deficiet, tumulóque inscribere poterit: *Grammaticum indeclinabilis Mors.*

*Grammaticam multos didici docuique per annos*
*Declinare tamen non potui* MORITVR.

ORATOR in foro triumphare solitus, infletur: subsidet tumor ad *Mortis* conspectum, & impotentiam fatebitur, quod qui à ceteris omnia, à *Morte* nihil impetrare valeat. *Rhetor.*

LOGICVS fidat captiosis ratiunculis, insolescat argumentandi argutia: compellat multos ad confessionem inscitiæ. *Mortem* contempletur, & illius elenchos: sentiet se superatum, & alia omnia circumspiciet. *Mors* omnes in saccum cogit, quod tantoperè exhorrescit Dialecticus. *Mortis* vel sola *Memoria* efficere potuit, vt exclamarit nobilis Logicus. *Logicus.*

*Linquo coax ranis, cras coruis, vanaque vanis.*
*Ad* Logicam *pergo, quæ* Mortis *non timet* Ergo.

ARITHMETICVS intumescat, quod stellarum multitudinem, arenarum maris numerositatem colligat: inscitiam *Mors* arguet, ostendens, quod *nesciat numerum dierum suorum*: nec sciat, quid desit sibi. *Arithmeticus* *Ps. XXXVIII.*

MEDICVS alibi *Expertissimi* titulo gaudens, & fortasse superbiens, ob merum mixtum in Reges imperium, hîc caput submittit, & inexpertum se fatetur, clamatque: *Medicus*

*Contra vim* Mortis *non est medicamen in hortis.*

LEGVMPERITVS in tribunalibus falces versare assuetus, hic submittet, nullis exceptionibus, comperendinationibus, vadimonijs, elusionibus, glossis, interpretationibus, legibus, se huic Iudici resistere posse animaduertens. *Legum-peritus.*

Theologus. THEOLOGVS alta speculetur, eoque in altum efferatur: hic deprimetur illicò, & vanam esse præsumptionem suam discet.

O præclarum pro viris doctis, imò, omni hominum genere *Medicamentum*! Tumore superbiæ pessimè affectus es: animaduerto id è capite, pedibus, manibus, linguâ, totiusque corporis agitatione. Quod remedium? *Emplastrum* ex cinere, *Mortis meditatio, Pharmacum præparatorium. Quid superbis terra & cinis? Puluis es, & in puluerem reuerteris*: lutum videlicet inflectur.

Tumebant præter naturam Hebræi, & quicquid adhibebatur, exacerbabat malum, non curabat. DEVS Medicus optimus vocat Ieremiam & præcipit: *Surge & descende in domum figuli, & ibi audies verba mea.* Cur non mittit ad regiam, Synagogam, templum? nimirum opus illi erat *Emplastro* è luto, quod commodissimè in domo figuli paratur: ibi enim vasa ex simili materia conficiuntur. Et quid aliud corpora humana? *Confringes illos tanquam vas figuli.* Quamobrem insusurrat Ieremiæ DEVS: *Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea.* Considera te, vas figuli esse, ex luto, & cinere coagulatum, in cinerem conuertendum, deprimetur tumor omnis, & pus æstimationis propriæ effluet: *Agnoscat se homo mortalem, inquit Augustinus, & franget elationem.*

Ier xviii 1.

Psalm. ii.

Aug. de verb. Domini.

Hoc *Emplastrum* summo etiam religionis Antistiti offerendum censebat Bernardus, cuius sunt illa, ad Eugenium Papam: *Consideranti duo hæc* Rationale, *&* Mortale, *Tibi exinde occurrit fructus, vt* Mortale, *quod est in Te,* Rationale *humiliet: rursus* Rationale, Mortale *confortet: quorum neutrum neglectum est homini circumspecto scientiâ. Nam etsi superbierit ex* Rationali, *quod ei commune est cum Angelis ex* Mortali *fit humilis, quod participat cum iumentis.*

Imperatori puluis offertur. P. Damiani Epist xvii.

Nec dedecet idem *Emplastrum* alteri orbis Monarchæ, quod in Imperatoris coronatione significabant Græci, de quorum ritu Petrus Damiani ad Alexandrum Romanum Pontificem. *Cum Imperator quis in dignitate creatur mox vt imperialibus fuerit infulis redimitus, coronæ simul ac sceptri gloria decoratus; cum denique procerum vallatur obsequiis, cùm excipitur modulantibus psallentium choris, quidam sibi præsto fit obuius, qui videlicet vnâ manu vasculum plenum mortuorum ossibus, ac pulueribus offerat, in alia verò stuppam lini subtiliter pexam, ac pilis pensilibus, molliter demolitam, cui protinus ignis adhibetur, & repentè in ictu oculi, flamma subitò vorante, consumitur. Vt in altero debeat cõsiderare quod est: in altero valeat videre,*

quod

*quod habet. In* Cineribus *siquidem se* Cinerem *recognoscit, in* Stuppâ *iam colligit in die iudicij quàm subito mundus ardebit, quatenus, dum se simul, ac suâ tam vana, tam sic occidenda considerat, de Imperialis culminis ascenso fastigio nullatenus insolescat. Et dum possessor, atque possessio subiacere communi omnium casui non ambigitur, iam quasi de singularis dignitatis apice, qui ad summa prouectus est, non infletur.*

Subnectit saluberrimum monitum pius Pater. *Pulchrum ergo mundanæ conditionis ordinem homo consideret, & dum suis vsibus omnia cernit attribui, non sibi sed suo referat gratias creatori: lenocinātem mundi gloriam sub iudicij sui calcibus deprimat, virorem carnis aridum iam puluerem credat: diem suæ vocationis, tanquam speculum, suis semper obtutibus anteponat: districtum vltimæ discussionis iudicium contremiscat: quatenus, dum nunc Creatoris sui legibus subditur, qui inter creaturas, quæ terrenæ sunt, videtur insignis: in cælesti quisque gloria veraciter sit sublimis.*

## *SYMBOLVM* VII.

# MORTIS MEMORIA

## *PHARMACVM-AQVIDVCVM.*

ITA appellant Medici illud, quod hydropicorum aquam inanit, Græcis *Hydragogum*. Si quis Auaritia, tanquam aqua intercute distendatur, *Mortis Meditationem* adhibeat, aquam omnem phylargyriæ educet facilimè. Libebit nimirum congregare aurum, vel argentum, cui in mente hæret: *Diues cùm dormierit, nihil secum auferet. Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem parasti cuius erunt? Nihil intulistis in hunc mundum: haud dubium, quia nec auferre quid potestis. Relinquēt alienis diuitias suas. Thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea.* Profectò *qui se quotidie recordatur esse moriturum, contemnit præsentia, & ad futura festinat.*

*Auaru Hydropicus.*

Iob xxvii. 17.
Luc. x i. 20.
1. Tim vi. 7.
Ps. XLVIII.

S. Hier. Epist. ad Cyprian.

## SYMBOLVM VIII.

# MORTIS MEMORIA.

## PHARMACVM-STVPEFACIENS.

SVNT *Medicamenta* quæ vim habent fallendi sensum, vt nulla rei, quamuis præsentis delectatione tangatur, torporem enim inducunt suâ frigiditate, & sensum stupefaciunt. Hanc virtutem habet *Mortis Memoria*: qua nihil est efficacius ad refrigerandum corporis facultates & appetitiones animi, quæ æstuare solent, carnis concupiscentia, quæ amores vetitos omnemque lasciuiam complectitur: Quare qui hoc morbo liberari expetit, *Mortem* frequenter animo voluat. Certè *nihil sic ad edomandum desideriorum carnalium appetitum valet* (verba sunt M. Gregorij) *quàm vt vnusquisque hoc, quod viuum diligit, quale sit mortuum penset.* Ita flammas cupidinis restinxisse quosdam nouo atque admirando modo legimus.

*Lib. xvi. Mor. c. 16.*

*Guido Presbyter.* *Th. Cantiprat. Lib. II. ca. 30.*

Thomas Cantipratensis in libro apum narrat hoc factum hominis salutem suam peramantis. Vidi S. virum Magistrum *Guidonem*, Presbyterum Monialium Niuellensium, de quo certissimò ferebatur, quod cum in Sehonegio Hannoniæ oppido scholas regeret adolescens, incautè semel fœminam contemplatus per annos tres, etiam ipsa mortuâ, intantum tentatus sit, vt, excepto eo, quod vigilans sustinebat, etiam nocte in somnis eam crederet esse præsentem. Sentiens ergo Diabolum circa se non cessare, de nocte clam tumulum mulieris aperuit, naréque, & faciem in cœno putrefacti corporis tam diu tenuit, & ponè fœtore nimio suffocatus, quasi mortuus caderet resupinus. Quæ res in tantum valuit sancto viro, vt nullum postea stimulum in carne sentiret, nimirum, libidinis sensu omni stupefacto.

*Eremita Scythia.* *Vit. PP. Par. II de Fornicat.*

Non absimile exemplum est in Vitis Patrum, de Eremita Scythiæ, qui cum non ignoraret sepultam fœminam, cuius memoria sæpè animo recurrebat, ignemque libidinis suscitabat, ingressus sepulchrum, abstulit putridi cadaueris particulam, eamque panno inuolutam

uolutam ſeruabat, vt, cùm ſentiret libidinis commotiunculas, hoc *Emplaſtrum* ori admoueret, applicarétque naribus, non minori ſui victoriâ, quam ſenſus, initio quidem moleſtiâ, poſteà verò, ſtupore ac inſenſibilitate tranquilliſſima.

## SYMBOLVM IX.

# MORTIS MEMORIA.

## MEDICAMENTVM SICCANS.

O! quam neceſſarium eſt iſtiuſmodi *Pharmacum* helluonibus, comedonibus, lurconibus, ſemper madidis, ſemper ad paſtum potúmque anhelantibus, magis, quàm ad aquam piſces aſſolent. Facile intra temperantiæ limites ſeſe continerent Bacchici lurcones, & comedones Apicij, ſi ſe mox mox morituos firmiter animo imprimerent, aut mori poſſe cogitarent, vt multi dum ſpumantem cratera coronarunt, dum gulæ indulgerēt, extemplò conciderunt. Quæreréſne immoderatè delitias corporis, ſi paulò poſt te vermibus eſcā fore firmiſſimè crederes? Si ad rogum ducendus eſſes, vel ad furcam, caperét-ne te lautitiatum, & menſæ opiparè apparandæ cogitatio vel cura? Et quid eſt vita humana aliud, quàm iter ad patibulum?

Progreditur homo ex vtero, in quo originale contraxit peccatum, ob quod damnatus eſt ad Mortem, præcedit præco inclamans ſententiam iudicis: *Statutum eſt hominibus ſemel mori.* Reus ipſe defert inſcriptum pectori condemnationis teſſerā, & cauſſam: circumfert enim mortalitatem ſuam, tanquam teſtimonium delicti communis: circumſtant creaturæ, vt ſatellites, & carnifices, vt parati ad feriendum, vel ad primam Iudicis vocem: præcedunt tubæ *Mortem* prænunciantes, tonitrua, peſtes, fames, terræmotus, procellæ, dolores, morbi: & tibi hoc fortaſſe momento plectendo, ſi id perpenderes, liberet comeſſari? Ferunt Principem quendam aſſiduâ *Mortis* cogitatione ad maturitatem, grauitatemque ſingularem adductum, à Mimo aliquando exſtimulatum, vt hilarius ageret, rideret, epularetur, choreis, quemadmodum tot alij

Vita, iter ad patibulum.

Mortis ſpeculum.

in.er-

interesset, & ipse quoque duceret, iussisse illicò poni sedem Mimo ex lignis putridis compositam, supponi ignes, gladium verò ex alto appendi vt cuspis capiti immineret, tuncque incitasse, vt genio indulgeret, potitaret alacriter, pergræcaretur, & cum sodalibus suis lætissimè diem illum falleret: Mimum verò illum ad omnem strepitum sede exilientem, & nunquam non in omnes se partes versantem, ex tam dapsili apparatu nihil ausum fuisse delibare. Idem faceres, si in te *Mortis* imminentis vigeret *Memoria*. Si corporis putridi fragilitatem, æstuantis concupiscentiæ, & natiui caloris flammas omnia paullatim consumentes: gehennæ ignem pedibus tuis suppositum, capiti vindicatricis iustitiæ ensem penè inhærentem continenter, studioseque contemplareris.

Dionys. Tyran. Cic. 1. Tusc. Antiquius est, quod de Dionysio Tyranno scribitur à Cicerone, & Valerio Max. Is Democlem ingeniosum parasitum, iactitantem, vt adulatores solent, vel imperiti, Regum vitam esse iucundissimam, iussit sedere in regali solio, & nihil deesse, quod ad splendorem regium, aut lautitias desiderari posset, appenso tamen è tenui filo gladiolo, *Mortis* præsentaneæ *Symbolo*, horruit parasitus, nec ausus fuit quicquam manibus de refica mensa contingere. Tantũ potuit ensis super caput stricti, id est, *Mortis* vel præsentis, vel instantis, cogitatus.

## SYMBOLVM X.

# MORTIS MEMORIA.

## LARVA-OSCILLARIS.

SCio hanc *Medicinam* quibusdam non fuisse siccantem, sed humectantem, verùm id indispositioni malè adfectorum tribuendum est, vt in alijs quoque solet contingere non pharmaci qualitatibus, quæ contrarium operantur, si debitè *Medicamentum* applicetur, vel sumatur. Itaque fuerunt, qui vt sese iniurgitarent alacrius, *Mortis* imaginem in symposiis, & inter epulas circumtulerunt.

Not-

Nota ſunt antiquitatis profanæ gnaris, *Oſcilla*, Græcis, ϛομάλια, & προσωπεῖα, quæ *Laruæ* erant, ſeu perſonæ, ſic aptæ, & coagmentatæ, vt articuli, vertibulæque, quibus commiſſæ erant, in omnem partem flecterentur, & figuras omne genus exprimerent. Eæ in conuiuium medũ iaciebantur, & ex illis eas figuras Rex conuiuij exprimebat, vt mutationis, & breuitatis vitæ conuiuantes commonefaceret: & proptereà bibendum eſſe, vt nihil de fructu huius vitæ pereat, diceret.

*Oſilla.* Turnebus Lib. VII c. 20. Lib. XX c 24. Delr. in Sen. Hippol. Act. 2. Tamel. in Tertul. de Pall. cap. 1 nu 18. Ioa. Breda. Durandus Caſelius Lib. 1. variar. ca. 19. Hier. Mer. u ritalis Lib. iii. variar cap 9. Rhodigin. Lib. VI c 10. Lib. VIII. c 13. Lib. XXVII. c. 6. Briſſonius in Append lexici Lipſius. Com. in 2. Annal. Taciti. Petro, in Satyr.

Ritum expreſſit clariſſimè Petronius: qui, *Potantibus*, inquit, *& accuratiſſimè lautitias nobis mirantibus,* Laruam argenteam *attulit nobis ſeruus, ſic aptam, vt articuli eius, vertebræq; locatæ in omnem partem flecterentur. Hanc cùm ſuper menſam ſemel iterúmque abieciſſet: & catenatio mobilis aliquot figuras exprimeret,* Trimalcio adiecit:

*Heu, heu nos miſeros, quàm totus homuncio nil eſt*

. . . . . . . . . .

*Sic erimus cuncti poſtquam nos auferet Orcus:*
*Ergo viuamus, cùm licet eſſe, benè.*

Vbi eius *Laruæ* copia non erat, caput mortui, vel in menſa apponebatur, vel manibus verſabant: vel è triclinio, ſeu ſtibadio ſuſpendebant, vt eo vterentur ad eandem rem, ad quam *Larua* illa: nimirum, vt eius intuitu ad bibendum hortarentur. Confirmat id Auſonij Scholiaſtes Epigrammate Græco haud inuenuſto: in quo non ſolum caput mortui, ſeu *Cranium* idem facit, quod apud Petronium *Larua*: ſed & illa exhortatio pro cumulo ſubijcitur, quam vſurpauit Trimalcio. Itaque vitam properare helluonibus ſuggerebant: *Mortem* imminere: proptereà, tanquam iam morituri bibebant, & tanquam nunquam amplius id facturi: ſtultiſſimi mortalium. Plautus Sticho:

*Caput mortui.*

*Io. Scaliger Lib. II. c. 26.*

*Volo nos pro ſummo bibere, nulli rei erimus poſteà.*

Horum συμποτικῶν ἐπιφωνημάτων, pleni ſunt libri veterum, præſertim Martialis. & Græcorum Poetarum: Nimirum, Athei, credentes animi cum corpore interitum, ex vitæ breuitate, & *Mortis* propinquitate, παραλογίζονται καὶ σοφίζονται colligebant ineptè, ac fallaciter, voluptatibus eo amplius, & celeriùs vacandum.

*Mart. Li. II. Epiſt XLIII.*

Sic impij apud ſapientem: *Vmbræ tranſitus eſt tempus noſtrum. Venite ergo, & fruamur bonis, quæ ſunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Vino precioſo, & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis: coronemus nos roſis, antequam marceſcant: nullum pratum ſit, quod*

*Sap. II. v 6.*

Eeeee non

*non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrum exors sit luxuria nostræ: vbique relinquamus signa lætitiæ: quoniam hæc est pars nostra, & sors nostra.*

*Amici dum viuimus, viuamus.*

Hor. 1 Car. od. 4.

*Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrtho.*

*Aut flore, terra, quem ferunt solutæ.*

*--- -breuis hic est fructus homullis*

*Iam fuerit, neque post vnquam reuocare licebit.*

Itaque, *Comedamus, & Bibamus, cras enim moriemur.* Quid restitas?

*Indulge genio: carpamus dulcia.*

Ne dubites

*------pocula pulchrum*

*Spargere, & immerito sociorum sanguine fuso*

*Instaurare diem, festasque reponere mensas*

*Donec ab Elysiis prospexit sedibus alter*

*Castor & hesternas risit Titonia mensas.*

*Sic noctem patera, sic ducas . . . . donec*

*Inspiciat radios in tua vina* DEVS.

O bestialis ratiocinatio, impium epithema, fallax collectio. Aliud infert Paulus: Mors est præ foribus: itaque viuendum iustè, piè, sobriè. *Hoc dico, fratres: tempus breue est*: Ergo *qui habent vxores tanquam non habentes sint. Præterit enim figura huius mundi.* Similis est illatio Dauidis: *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem: quoniam tanquam fœnum velociter arescent.* Sed sero tandem sapient impij, & post longa experimenta, colligent: *Ergo errauimus.*

1. Cor. xii. 29 Ps. xxxvi. 1.

Sap. v. 6.

## SYMBOLVM XI.

# MORTIS MEMORIA.

## ÆGYPTIORVM SCELETVS.

Sceletus corporis ossa duntaxat compage extantis effigies.

ÆGYPTII ceream in conniuio circumferebant *Mortis* imaginem, alii argenteum *Sceleton* fuisse memorant: An vt conuiuæ de Morte admoniti largius se inuitarent, geniόque suo benigne facerent?

rent? Ita multi opinantur, quasi animam vnà cum corpore interire existimarint. An, vt modestiæ accumbentes admonerent, & Mortis effigie temperantiam ingererent? hoc nonnulli insinuant: illudque adferunt dici singulis solitum: *Hoc intuêns epulare.* Prius, verius.

*Herod. Lib. II. Plutarch. Lorin Eccl. VIII 8. Bosquier, Conc. 11. Rad; Mar. Lib II. Epist 41. Caussin. L. V 31.*

## SYMBOLVM XII.

# MORTIS MEMORIA.

## SILICERNIVM.

VOx SILICERNIVM, quantoperè Grammaticorum ingenia exercuerit, indicio sunt quinque eius etyma tam diuersa, vt pugnare videantur: de quibus eruditè Kirchmannus de *Funere Romanorum*. Mihi sat est, Litteratorum iudicio, significare, *Conuiuium funebre*: siue, quòd senibus exhiberetur, quos *Silicernia* vocat Terentius, quia curui, silices spectent: siue, quod DIS *Manibus*; in quo escas adpositas silentes cernant vmbræ: id est, possideant: vel cernant: id est, degustent: vel, quòd senes cum silentio vescentes, tanquam ad tumbam sepulcralem properantes, cernerentur. Quapropter abeuntes è conuiuio, quasi non se amplius visuri, mutuo se salutabant. Nihil autem ad *Mortis* memoriam renouandum hoc in genere videri posset magis accommodatum.

*περίδειπνον. Kirchman. de Fun Rom. Lib. IV. Nonius. Donatus.*

Talem *cœnam*, verè funebrem *Mortis* repræsentatiuam dedit Senatorij ordinis viris Imperator Domitianus, lugubri spectàculo, euentu hilariore nonnullis, nam alij in graues morbos inciderunt, & inde mortui sunt. Conuiuij apparatus fuit huiusmodi. Curauit, vt ædes essent nigerrimæ ex omnibus partibus. erant enim atra laquearia, parietes, ac pauimentũ: in eóque sedes nudæ eodem modo collocatæ erat. Quibus paratis eos de nocte introduci iubet absq; comitibus. Ac primũ omniũ, iuxta vnũquemq; columnã collocat, factã instar *Sepúlchri*, in quo nomẽ eius scriptũ erat: pendebatq; de ea lychnuchus paruus, vt assolet in monumẽtis. Tũ nudi pueri atramẽtóq; oblıti tanquã spectra quædam ingrediũtur, ipsosq; horribili saltatione

*Cœna funebris Domitiani.*

Lec...

circumeunt: eóque facto, ante pedes ipsorum consistunt: ad extremum, omnia, quæ in exequijs mortuorum adhiberi solent, in vasis eodem modo eis apposita fuerunt.

Quas ob res quisque maximè sibi formidare cæpit & perhorrescere, quod se iam expectarent interfectum iri: præsertim, quod ceteris magnum silentium erat, quasi iam mortui essent: quódque Domitianus sermonem habebat de ijs rebus, quæ ad *Mortes*, quæ ue ad cædes pertinerent. Tandem verò illos dimittit, præmissis famulis illorum, qui in vestibulis ædium remanserant. Cumque præparasset alios incognitos homines, à quibus domum reducerentur, vehiculis, & lecticis datis, ijs metum multo maiorem incussit. Iam quisque domum venerat, iamque respirare quodammodo cæperat, cùm nūciatum est, nonnullos ab Augusto venire. Tunc iterum territis, & *Mortem* expectantibus, ab vno horum oblata est columna argentea: ab altero aliud quidpiam; ab alio vas, ex ijs, quæ in cœna adposita fuerant pretiosissima. Postremò, puer ille qui antè Dæmonem repræsentauerat, vnicuique lotus, & ornatus, oblatus est: eóque pacto illi totam noctem magno timore perculsi munera acceperunt. Hæc Xiphilinus in Domitiano: qui adiungit, Domitianum hos *Triumphos* egisse, (vel vt vulgo loquebantur,) *Exequias* eorum qui in Dacia, Romæque mortem obierant. Hoc pacto, si vescerentur cotidie, qui Persico more cænant, & noctem pergræcationibus traducunt, fortasse, tam viua *Mortis* imagine ad sobrietatem tandem traducerentur.

*Diæta Domitiani.* Instituit autem hoc περίδειπνον Imperator, in *Diætâ*, ad id conditâ, & supulcralibus ornamentis horrida. Nam aliam habuit planè auream, in quâ, Ægyptiorum more, *Mortis* simulachro, ad hilarius agendum, vtebatur. *Cœnaculum aureum.* Dicebatur illud cœnaculum ab operis paruitate MICA. Martialis:

*Mica. Mart Lib. II. Ep. XLIII.*

*Mica vocor, quid sim, cernis? Cœnatio parua,*
*Ex me Cæsareum prospicis ecce tholum.*
*Frange toros, pete vina: rosas cape: tingere nardo:*
*Ipse iubet* MORTIS *te meminisse* DEVS.

*Tholus è quo Cranium.* Quo in loco, quod dicat Poeta, prospici tholum, de tholo interiore *Micæ* intelligunt eruditi: ab eo enim pendebat *Cranium*, quod conuiuas

uiuas *Mortis* admonebat, vt eo largius, ac indulgentius viuerent, & potationibus, voluptatibúsque assiduò vacarent. De quo non esse posse dubium putat Scaliger. Ramirezius tamen ad Mausoleum Augusti refert, quod ex cænaculo spectaretur; quæ enarratio non displicet Radero. Sed ad eundem finem, quem exprimit Martialis alio carmine; *Io. Scal. Aus. Lib. II. c. 26.*

*Iam vicina iubent nos viuere Mausolea:*
*Cum doceant ipsos posse perire Deos.*

Atque idcirco subiungit, assiduè ad mensam accumbendum, maioribus poculis hilaritatem prouocandam, coronandum caput, nardo corpus tingendum: nam Ipse Deus, Cæsar Domitianus, *Mortis* imagine obiecta, monet, vt præsenti vita fruaris, nullumque momentum à iocis, & voluptatibus abire sinas. Tantopere aberrant à viâ veritatis tenebrarum filij. Melius Zaleucus Locrensium legislator, qui *Memoriam Mortis* ad virtutis cultum conducere existimans in legum suarum procemio, præscripsit. *Singulos oportet semper in singulis actionibus illud tempus* (MORTIS) *adeò cogitationibus familiare facere ac si præsens esset.* Ita enim *maximè* HONESTI IVSTIQVE *cura vigebit.*

## SYMBOLVM XIII.

# MORTIS MEMORIA.

## COLLYRIVM.

*Collyrio inunge oculos tuos, vt videas.* Apoc. III. 8.

SVNT mortalium plerique, vel cæci, rationis lumine, infidelitatis vitio, aut malis institutionibus, tanquam tenebrarum velo obducto: vel ophthalmiâ saltem ita laborantes, vt non secus, quam lusci, strabones, ac coclites in rerũ cognitione caligent, ac hallucinentur. Hinc tanta est in iudicio de se suisque deceptio. Putant se plerique *Cæci mortales.*

fortes, & sunt imbecilles: existimant se beatos, & sunt miseri: habent se, vt sani, & sunt infirmi. Quodnam his adhibendum remedium? Quo oculi malè adfecti curantur.

Oculi curantur Collyrio. COLLYRIVM, quod propriè est *Medicamentum oculorum*. Ita appello Mortis memoriam: quia ea intellectus, qui mentis est oculus perpurgatur, & error iudicij emendatur. Apocalypsis III. Episcopo, Laodiciæ pessimè videndi facultate vtenti, dicentiq; gloriabundè: *Diues sum, & locupletatus, & nullius egeo*: suadetur, vt *Collyrio* inungat oculos suos, sic fore, vt videat, quod sit *miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus*.

Angelus Laodicia. Apoc. III.14.

Quod nam illud est *Collyrium*? Mortalitatis, indeque infirmitatis suæ consideratio. Cuius conficiendi rationem docuit cœlestis Medicus, malagmate ex puluere, & saliua composito, quod cæci nati oculis apposuit, eumque luteo emplastro sanauit. Sanè, si puluerem ex quo conditi sumus, & lutum ex quo plasmati, oculis mentis applicemus, nostræque vilitatis simus assiduè memores; & quàm breui in antiquam illam nostram originem simus relapsuri, eâ cogitatione, tanquam *Collyrio* aspectum ad Diuina contemplanda, nostraque omnia in DEVM referenda, atque adeò ad diuinam gratiam consequendam, recuperabimus.

Agnouit hoc *Collyrium* S. Ambrosius, qui Lib. III. de Sacram. cap. 2. *Tibi*, inquit, *imposuit lutum: id est, considerationem fragilitatis tuæ*. Hoc vtitur Ecclesia, dum puluere caput inungit, additque: *Memento homo, quia puluis es & in puluerem reuerteris*. Sunt cæci quidam à natiuitate ob natales, stemma, maiores: fragilitatem suam non vident, superbia ac fastu efferuntur: quæ vera sit nobilitas non cernunt: his applicandum est *Collyrium* ex luto, vt considerent fragilitatem, vilitatem, puluerem suum: *Dij estis & filij Excelsi omnes*: sed, *sicut homines moriemini. Sciant gentes quoniam homines sunt*.

Psal. LXXXI. Psal. IX.

SYM-

## SYMBOLVM XIV.

# MORTIS MEMORIA.

## THERIACA.

VIPERAM MORTIS esse *Symbolum* alibi demonstramus; ex viperæ autẽ carnibus fit *Theriaca*, quâ nullum est remedium, contra venenum, & venenata efficacius. Ex *Morte* per eius considerationem, fit electuarium, quod virtutem omnem, eâque longè maiorem continet, si suo tempore & loco adhibeatur. *Theriaca ex viperæ carnib.*

*Theriaca* in desperatis morbis vtebantur veteres: extremum quod peccatoribus, quibus deplorata est salus, præscribi potest, remedium, est *Mortis* seria cogitatio: hæc si non iuuet actum est. Eam medicinam Galenus appellat, γαλήνην, id est, *tranquillam*, quod impetus morborum frenet, coerceat, tranquillet: sed magis adfectus omnes, vitiososque animi, quam illa corporis, sedat *Mortis memoria.* Huius auctor non Mithridates, sed cœlestis Medicus, qui diuinum medicamentum primus præscripsit. *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* *Theriaca tranquillat.*

## SYMBOLVM XV.

# MORTIS MEMORIA

## CINIS VIPERÆ: OLEVM SCORPIONVM.

## CANVM PILI. RVBIGO HASTÆ.

EIusdem generis sunt hæc omnia, ideo iungenda. Viperæ morsus curat viperæ cinis: Scorpionũ ictus, oleum Scorpionũ: canũ morsus, eorundẽ pili: Pelias Achillis hasta, Telephũ quem antea pridem vulne- *Philip. Bosqu. Conc. 11. de Finib.*

vulnerarat, curauit, vt est in fabulis, iniectâ in vulnus ferri eius rubigine. Ita peccatum, quod Viperâ, Scorpione, cane atque hastâ quauis nocentius, MORTEM genuit, homines momordit, ac læsit: id est, mortales ex immortalibus effecit, *Mortis meditatio* enecabit. Huius Viperæ, Scorpionis, Hastæ, canis vulnus: id est, propensionem in peccatum, curabit Viperæ cinis, Scorpionis oleum, Canis pili, hastæ, quæ læsit rubigo: id est MORTIS MEMORIA: qua videlicet ea à peccato, auctore est, aut quasi parente. Amet quisquam scilicet peccatum totius generis sui, suique ipsius tandem parricidam? dicet potius

Virg. IV. Æneid. *Exoriare aliquis nostris ex ossibus vltor.*

S. Augustinus in Append. diu: Sermone LXXV. *Solent Medici ægritudines aliquando curare per contraria, aliquando per similia. Sic Scorpionum carnes oleo coctæ percussionibus medentur Scorpionum: sic* THERIACA *de serpentis carne confecta morsibus serpentinis occurrit.*



## *SYMBOLVM* XVI.

# MORTIS MEMORIA.

## *LIXIVIVM.*

*Colliget vir mundus Cineres vaccæ, vt sint multitudini filiorum Israel in custodiam, & in aquam aspersionis.* Num. XIX. 9.

AN præcipit DEVS ex cineribus & aqua LIXIVIVM confici, quod sit in custodiam, id est, custodiatur ad expiationem, vt eo lustretur legaliter immundus? Ita opinatur Franciscus Labata: & quærit, vt Concionator: Quid cum illa hominis munditia LIXIVIVM? Si mundandi fuissent panni linei, *Lixiuium* optimè conueniret;

At hominis maculæ spirituales, quomodo *Lixiuio*, & *Cinere* mundari possunt?

Philo allegoricorum sensuum indagator solertissimus Lib. de offerentibus victimas, hoc idcirco à Deo præscriptum fuisse dicit, vt homines moneret, quod in Cineres sint redigendi, sicque *Memoriam Mortis* salutarem ingeneraret: quæ ad emundationem ac purificationem macularum animæ, id est, peccatorum maximè conducit. Multi enim attentè considerantes, quod in cineres tandem resoluentur, & nesciant, quando: animaduertant autem interdum quosdam, imò sæpe aliquos, ac ferè cotidie abripi subitò à *Morte* homines absque confessione, contritione, & diuini nominis IESV inuocatione, tremunt; ac quod alijs accidisse vident sibi euenire posse metuunt, & ne contingat, præcauent, pœnitentiam agere incipiunt, vitámque seriò emendant. O vtile & emundans LIXIVIVM!

E Cineribus colatur *Lixiuium*, quo sordes omnes tolluntur. E *Morte*, cuius *Symbolum* sunt Cineres in Memoriæ vase, infuso considerationis liquore procurrit humor, quauis causticâ spumâ præstantior, ad næuos omnes animæ eluendos & munditiam incredibilem conciliandam.

Ob eandem virtutem rectè dixeris, MORTIS MEMORIAM, SMEGMA, NITRVM, SAPONEM BORITH, TERRAM CIMOLIAM. Hæc enim omnia emaculandi & abstergendi sordes vi singulari sunt prædita.

## SYMBOLVM XVI.

# MORTIS MEMORIA.

## SAGVM TABERNACVLI.

*Fecit Saga de pilis caprarum ad operiendum tectum Tabernaculi.* Exodi. XXXVI. 14.

EXodi XXXVI. commemoratur triplex operimentum Tabernaculi. I. Sagum de pilis caprarum. II. Opertorium de pellibus *Sagum Tabernaculi tripl. x.*

arietum rubricatis. III. Velamentum de pellibus ianthinis. *Saga* quæ erant de pellibus caprarum; & valdè pungunt, significant *Timorem Mortis*: quæ pungit admodum: & corpus reddit fœtidum, vt est capra. Pelles rubræ, signant *Timorem Inferni:* vbi scil. est rubor igneus, & vbi furor sanguineus inuenitur. Pelles ianthinæ, quæ colorem habent cœlestem, signant *Amorem Paradisi*, qui sursum in cœlo esse creditur, & præparatur.

Porro ista tria: *Mortis Timor; Horror Inferni; Amor Paradisi* claudunt hominem, illúmque operiunt, & ab exterioribus vagationibus constringunt, & arcent. An hæc sunt tria Tabernacula, quibus hominem includi est perquam salutare. *Faciamus hic tria Tabernacula*, Matth. XVII. 4.

## *SYMBOLVM* XVII.

# MORTIS MEMORIA

φάρμακον ——— γλυκύπικρον

*O Mors, quam amara est Memoria tua!*
Eccl. XLI. 1.

*Pharmacum amarum.* DIximus aliquoties *Mortis Memoriam* esse PHARMACVM, quod amaritudine suâ virtutem singularem, & eximiam efficaciam indicat: sunt enim amara pharmaca mellitis salubriora. Quàm autem sit amara hæc potio, quoniam vix explicari simplici loquendi modo potest, exclamatione illud insolita adumbrare voluit Ecclesiasticus.

*Eccl. XLI. 1.* O MORS *quam amara est* Memoria *tua, homini pacem habenti in substantiis suis!* Amara profectò magis, quàm absynthium: sed quorundam solùm palato: habentium nimirum, quietem in substantijs suis: hominum mundo deditorum, corporis curam potiorem, quàm animæ habentium, opes accumulantium. Alijs verò, quibus mundana desipiunt, qui aspirant ad cœlestia, quibus in votis est, DEO frui & esse

& esse cum CHRISTO, est super mel dulce: *Dulcis amarities*: Medicamentum γλυκύπικρον: *dulce amarum*. *ita Musaus Grammat. Stimulum Amoris vocat. Dulco-amarũ.*

Optas fortasse scire, quomodo paretur hoc *Pharmacum*, tam omnibus necessarium, quamuis aliquibus amarum? *Recipe*. I. Seceditur ab amicis, & sodalibus diebus aliquot. II. Excluduntur à sensu externo, interno, mente, vana, curiosa, noua, secularia: & quæ cogitatum aliò flectere idonea. III. Pernoctatur in oratione cũ CHRISTO. IV. Exesse iubetur, Musca, Rana, Pica. V. Aduocatur Passer, Turtur, Aquila. VI. Cum his migratur ad sepulchrum Crœsi, Iri, Epulonis, Lazari. VII. Ibi corpore hæretur, mens suspẽditur, voluntas inflammatur, viscera commouentur, homo commutatur. Hoc modo, *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis*.

## SYMBOLVM XVIII.

# MORTIS MEMORIA.

## PANIS-COTIDIANVS.

SYMBOLVM est Ioannis Climaci, qui *Sicut*, inquit, *cibus omnibus* Panis *vtilior est, & magis necessarius: ita præstat omnibus operibus Mortis cogitatio*. *Cap. VI. de Mortis memoria.*

Quemadmodum egemus pane, inquit è Nostris Concionatoribus Franciscus Labata, sic ad conseruationem vitæ, quæ est animæ, *Mortis* assidua consideratione habemus opus. Ideò ergo meritò *Pani*, *Mortis* memoria comparatur, quia ex illa animæ, vt ex *Pane*, corporis vita pendet. *App. Concio. v. Mors Prop. v.*

Vt necessitatem hanc pluribus Symbolis exornet Philippus Bosquierius, addit: Me iudice, quàm auibus, *Alæ*, ad volandum, nautis *Vela*, *Gubernacula*, *Cynosura*, ac *Pharus* ad ritè nauigandum: piscibus *Caudæ*, ac *Pinnæ* ad natandum: quadrigis *Rotæ* ad vehendum: equis *Vngulæ ferratæ* adcurrendum: tam necessaria homini *Meditatio Mortis* ad bene beatéque viuendum. *Philip. Bosq. Con. 1.*

## *SYMBOLVM* XIX.

# MORTIS MEMORIA

## *FILVM---- THESEI.*

*Fabula de Theseo.*

E Fabulâ hoc accersitur. Ita mos est *Symbolices*. Ferunt Minotaurum, monstrum biforme, ac portentosum, formâ partim hominis, partim tauri, iussu Minois Labyrintho fuisse inclusum, ibidemq; humanis carnibus pastum. Coegit autem Minos Athenienses, qui Androgeum filium eius interfecerant, vt quotannis septem filios, ac totidem filias in Cretam mitterent alendo monstro. Inter illos, ex fœderis præscripto, fuit Theseus Ægei filius, qui adeò prudenter, ac viriliter se gessit vt Minotaurum interemerit. Industriæ fuit, & artis, vt è Labyrintho egrederetur, quod hoc commento consequutus est.

*Glomus.*

Accepto fili glomere, illum principio Labyrinthi relegauit, quo filo per cæcas ambages & alioqui irremiabiles ducto, iter feliciter relegit, nullo suo incommodo.

*Lib vi. Æneid.*

*---- ipse dolos tecti, ambagesque resoluit*
*Cæca regens filo vestigia---- ----*

*Apparat. Concio. v. Mors Prop v. Virg Lib. v. Catul. Ouidius. Pruden. Apotheo. Plin. L. xxxvi. cap. 3. Plut. de Num. vind.*

Apodosim dabit Franciscus Labata, ne quis me profanitatis arguat. Illi *Mundus* est *Labyrinthus*. Bellè. Non fuerunt in Labyrintho tot doli, non tantus error, non tam inobseruabilis via, non tam inexplicabilis semita, non tot occursus, recursusque, non tam indagabiles exitus, non tot subterranei: non tot impliciti aditus, quot in mundo vitiorum, adfectuum, deceptionum, cupiditatum labyrinthei flexus, ambages, & mæandri. Eum qui temerè semel ingreditur, nec facilè exitum inuenit, licet artis humanæ voluat.

*Ouid. Epist.*

*Fila per adductas sæpe recepta manus.*

Inibi Minotaurus hospitatur, *Mundi Princeps*, hominum deuorator, plures cotidie quàm septenos deglutiens. Felix ille, qui

*Erra-*

*Errabunda regens tenui vestigia filo*

à tartareis intricationibus se expedit. Quis ille fili Glomus? MORTIS MEMORIA. Huius ductu

*Cum pateat lecto stamine torta via.* Prop. Lib. IV. Eleg. 4.

habebit facilem, & expeditum è mundi implicatis nexibus exitum. Qui dum negotiorum mole premitur, & perpetuis implicatur curarum terrenarum erroribus, si breui se moriturum cogitet:

*Inde pedem sospes multa cum laude reflectet.* Catul.

## SYMBOVLM XX.

# MORTIS MEMORIA

## THESEVS.

FILVM THESEI ipsum trahit *Theseum*, cuius tam vniuersale fuit auxilium, quo, opem indigentibus, subueniebat, vt in prouerbium abiuerit, οὐκ ἄνευ Θησέως: *Haud absque Theseo.* Cuius originem dat Zenodotus, scribens, *Theseum* permultis viris fortissimis in certaminibus auxilio fuisse: quippe, qui & Meleagro adfuit in conficiendo apro Calydonio: auxiliatus & Pirthoo cum Centauris pugnanti: item Herculi cum AmaZonibus belligeranti. Nullum subsidium ex ijs, quæ in cogitatione consistunt, vniuersalius est, aut certius, quàm quod è *Mortis Memoria* petitur, ad tentationum omnium insultus repellendos, & aduersariorum acies debellandas: vt meritò in omnibus operationibus eam Ecclesiasticus exegerit. Vincentique Mundum, carnem, Dæmonem accini possit: *Haud absque* MORTIS MEMORIA. Adagior. Chiliad. I. Cen. V. 37.

# SYMBOLVM XXI.

# MORTIS MEMORIA.

## CINIS-- IVNIPERI.

CINEREM, MORTIS esse *Symbolum* suo loco ostendimus; hic ad *Iuniperi Cinerem* constringimus *Mortis Memoriam*, sequuti Robertum Olkotum, egregium sapientiæ Salomonis Enarratorem. Qui *Memoriam Mortis Cinere* significatam tres scribit habere effectus inter ceteros, planè eximios. *Cinis*, inquit, *intentè recogitatus fugat tentationem, seruat deuotionem: ornat orationem*. Quod fuget tentationem illustrat exemplo Corui, qui, Alberto auctore, ad nidum non redit, si quando vitri diminuti fragmina, & pulueres inspersi fuerint: aut inter lignum & corticem arboris collocati.

*Iuniperus. Isido. L. xvii. Orig. c. 7 Lyr. Ps. CXIX.*

Deinde, ait, *Mortis recordationem* conseruare deuotionem. Cuius præclarum *Symbolum* est *Cinis Iuniperi*. *Iuniperus* enim dicitur, vt scribit Isidorus, & confirmat Lyranus, testimonio libri, cui titulus *Catholicon*, à *gigno* & πῦρ quasi, *gignat ignem*: conceptum enim diutissimè continet, adeò, vt, si prunæ ex eius cinere fuerint opertæ, vsque ad annum perueniant. Ridet etymon Grammaticus, & simul historiam de annoso igne Iul. Cæs. Scaliger: sed adfirmat, præter dictos, Cardanus, quod *Symbolico* est satis, qui diutius ignem amoris diuini, ignem caritatis proximi, ignem deuotionis sub *Mortis Memoria* conseruari asserit, & ad experimentum prouocat.

*Scal. Exercit. CCCXXVIII. Card. de Subt. Lib. VIII.*

*Homo, Iuniperus.*

Paullo aliter Olkotus cuius ista est apodosis. *Iuniperus* ignem gignens debet esse homo, qui ignem feruentis deuotionis & dilectionis altari cordis iugiter conseruet, iuxta illud Leuit. VI. *Ignis in altari meo semper ardebit*. Si ergo istum ignem deuotionis, ac dilectionis Dei per totum vitæ nostræ annum seruare velimus, inuoluamus illum cineribus carnis nostræ: id est assiduâ *Mortis meditatione* operiamus.

In altissimis montibus reperiuntur *cineres* integro anno minimè dissipati. In Sanctorum mentibus iugis est *Meditatio Mortis*, cum deuotione, & pœnitentia, ac reprehensione suorum vitiorum: exemplo

emplo sit Iob, qui de se scribit: *Meipsum reprehendo, & ago pœnitentiam in fauillâ, & cinere.* Iob XLII.

Ne scriptura recenter chartæ illita deleatur, *Puluere*, aut *Cinere* insperso cooperiri solet. Ad impediendum ne deuotionis feruor, & quodlibet opus bonum eradatur, *Mortis* meditatæ aspergine obducendum est.

Denique *Cinis* ornat orationem. Quanto pauper se magis humiliat, & necessitates suas magis declarat, tanto facilius impetrat, quod implorat: Ita homines, si fragilitatem suam coram DEO humiliter fateantur, facile obtinebunt, quod postulant. Exemplum dat Abraham, qui rem magnam à Deo impetrare exoptans, præmittebat: *Loquar ad Dominum, cùm sim puluis & cinis.* Quod si à nobis fiat, dabitur Corona pro cinere, vt est Isaiæ XLI. *Cinis Orationem ornat.* Gen. XVIII.

Vtiles sunt ad hanc contemplationem versus olim soliti ab Ascetis relegi.

*Dic, Homo, vas cinerum, quid confert flos specierum:*
*Copia quid rerum?* MORS *vltima meta dierum.*
*Flores, marcesces: candes? in* Morte *nigresces.*
*Audis, surdesces: formidas nulla? pauesces.*
*Hac lege: lecta tene, lacrymis laxentur habenæ.*
*Ne pateat pœna tibi ianua tempore cœnæ.*
*Forma genus, mores, sapientia, vis, & honores,*
*Non retinent hominem, cùm redit in cinerem.*

Item ille.

*Ortum cuncta suum repetunt, matremq; requirunt.*
*Et redit in* NIHILVM, *quod fuit ante* NIHIL.

## SYMBOLVM XXII.

# MORTIS MEMORIA

## PANACES. ALEXIPHARMACVM.

Plin. Lib. XXV. cap. 3.

PANACES ipso nomine omnium morborum remedia promittit. ἀπὸ τοῦ πάντα ἀκεῖν.

Panacea in pulueres cōminuta Æsculapium Medicum adeò cele- Panax. Panaces. Panacea.

celebrem, & inclytum apud omnes reddidit. vt pote quâ mortuis vitam & ægris sanitatem restituit amissam. *Cineres* autem nostri *Mortis Memoriam* exprimentes salutare sunt aduersus lethalem peccati morbum ALEXIPHARMACVM, animæque pollutæ salutem conciliant. Quin vniuersale quoddam sunt remedium, omnibus animi morbidis affectionibus ac plagis adhibendum.

## *SYMBOLVM* XXIII.

# MORTIS MEMORIA

## CVPRESSVS.

CVPRESSVS & MORTIS, & MEMORIÆ huius est *Symbolum*. Arbos semper feralis, & mortuorum sepulchris destinata. Ea blattas & tineas non sustinet: atque ideò, apud veteres simulachra ex hac potissimum materia conficiebantur ad perpetuitatem. Auctor Plinius.

MORTIS MEMORIA vitiorum & adfectuum inordinatorum blattas, quæ animum corrodunt enecat. Hinc Senecæ monitum:
Sen. Lib. xx. Ep. i. ad Lucil. *Nihil tam æque tibi profuerit ad temperantiam omnium rerum, quam frequens cogitatio breuis æui, & huius incerti.*

## *SYMBOLVM XXIV.*

# MORTIS MEMORIA

## *CLAVVS. MALLEVS.*

*Confige Timore tuo carnes meas.* Ps. CXVIII. 120.

Aug. lib. II. de soli. Christ. CLAVVI. TIMOR *de futura* Morte, *quasi* CLAVIS, *carnis omnes motus superbiæ ligno Crucis adfigit*, inquit Augustinus, Motus superbiæ exprimit, sed

ſed vitiorum omnium, cuius mater eſt ſuperbia, potuit intelligere. Itaque duplex hinc efformari poteſt *Symbolum*, concipitur enim recte *Mortis Meditatio*, vel tanquam *Clauus*, quo tum vitia ipſa, tum vitioſi adfectus ita infiguntur cruci, vt commoueri vltra nequeant: vel tanquam *Malleus*, qui clauum timoris quem de *Morte* naturaliter habemus crebra repetitione ictuum imprimit. MALLEVS.

AN hunc *Clauum* deſignabat, cum diceret Dauid: *Confige timore tuo carnes meas*? Poſtulat ſanctiſſimus Propheta, vt ex contemplatione iudiciorum diuinorum timore concepto ita motus omnes carnales conſtringantur, vt rationis præſcriptum non excedant. *Timorem* igitur iudicij diuini, quo *Mors* peccatoribus eſt conſtituta, & tam grauia alia ſupplicia promanarunt, Clauum eſſe imaginatur: hoc enim indicat illa dicendi formula, *Confige timore*, Græcè καθήλωσον: quod verbum ſine clauis intelligi non poſſe, obſeruat Auguſtinus, eandémq; vim eſſe in Hebræo notant Richardus Cenomanus, Auendanus, Genebrardus, Bellarminus. Quare legit Cyprianus *Confige clauis de metu tuo*: Ambroſius verò: *Confige clauis de timore tuo. Non ferreis clauis* (inquit idem alibi) *ſed timoris & ſpei*. Aug Con. xxv. in Pſ. CXVIII. Cypr. Lib II. cap. 5. Ambr. lib I. de Sp. S. cap. 8.

Sunt autem multa *Meditationi*, vel, *Timori Mortis* cum *Clauo* cōmunia. *Claui* eſt, corpus cui infigitur, perforare, continuum diuidere, diuellere, quæ vnita ſunt. Eundem eſſe *Mortis* effectum agnoſcebat, qui dolenter querebatur: *Siccine ſeparat amara Mors*? Quam autem ſeparationem *Mors* facit realiter, eam efficit myſticè *Mortis Meditatio*, & inde ortus *Timor*: nam diuidit carnem à ſpiritu: voluntatem à corporeo appetitu; ſenſum ab intellectu: diuellit à lingua, quod dulce, ab ore, quod iucūdum, ab oculis, quod pulchrum, à manibus, quod molle, ab aure, quod ſonorum; à naribus, quod odoratum: vt ſinguli ſenſus dicere poſſint: *Siccine ſeparat amara Mors*? 1. Reg. xv 32.

Deinde, vt eſt in veteri prouerbio: *Clauus clauo pellitur*. Quod præter Lucianum, Ariſtotelem, Syneſium, M. Tullium, profanoſque alios, ſcitè vſurpat S. Hieronymus Epiſt. ad Ruſticum, ſcribens, Philoſophos ſeculi ſolere amorem veterem amore nouo, quaſi *Clauum clauo pellere*. Eius vſus eſt, quando id, quod moleſtum eſt, alia re, haud minus nobis moleſtâ, profligamus. Luci in Philopſeude. Ariſt. Lib. v. Polit. cap. 11. Syne. ad Olym. Cic. Tuſc. IV.

Id contingit *Mortis Memoria*. Sunt tibi moleſti labores pro virtute ſuſcipiendi: graue eſt ieiunium, horres ſolitudinem, deteſtaris corporis caſtigationem; difficilis eſt peregrinatio, acerba eſt pœni-

tentiæ satisfactio: his tanquam *Clauis* configeris, & torqueris. Sed *Clauum clauo* pelle. *Memorare nouissima tua*, & nihil videbitur arduum, ex ijs, quæ paulò ante horrebas tantoperè. Vis alios *Claues?* Clauus *est libido*, inquit Ambrosius, Clauus *tristitia*, Clauus *iracundia*, Claui *sunt omnes passiones, quæ velut veru quoddam animam nostram penetrant, & infigunt corpori, visceribus eius adnectunt.* Hos *Clauos* vitiorum, & passionum immodicarum *Mortis Memoria*, atque inde ortus *Timor* ex anima efficaciter extrudunt. *Nihil sic reuocat à peccato hominem quam frequens Mortis Meditatio,* si credimus Augustino. Baculum pastor armatum *stimulo* gerens & quasi *Clauo* reuocat lasciuiens pecus in viam, & caulas; Præterea, *Clauus* aliud cum alio configens vtrumq; firmissimè nectit: adeò, vt separari nisi magna violentiâ non possint, & sæpe non sine alterius destructione. Nobis, si salutem cõsequi velimus, duplex procuranda est coniunctio: vna, arctissima cum Deo: altera cum Cruce Domini: vtraq; fi *Contemplatione Mortis*, tum primæ, huius vitæ, cum secundæ, quæ est alterius, seu gehennæ. Ita Bernardus Deo aliquem adhærere docet, ac coniungi vel durè ac fortiter, per *Funes* id est, per Memoriam honestatis, quæ inest virtuti, aut promissionis: vel fortius, & durius, per *Clauos* ligneos ferreósq; qui est *Timor Mortis* perpetuæ & pænarũ inferni: vel suauiter, & securè, per *Gluten caritatis*: ita, vt quis vnus spiritus fiat cum Deo, & cõglutinetur anima illius cũ eo, sicut de Dauide, ac Ionatha scribitur. Quãuis autem *Glutino* bonũ sit cũ Deo iungi, vt est Isaiæ XLI. tamen sæpè coniunctio per *Clauum Timoris* præmitti debet. Hunc eũdem *Timorem* vocat alibi Bernardus *Sagittã* quæ cõfigit & interficit carnis desideria, vt spiritus saluus fiat.

Ambr. de Bono Mor. c. 5. L. III de Virg.

Aug. lib. I. contra Manich.

Bernar. Ser. de tripl. cohær. vincul.

1. Cor. VI. 1. Reg. XV. II.

Is. XLI 7.

Monet autem S. Paulus vt crucifigamus nos Mundo, & mundum nobis, ac Christo crucifixi simus Cruci: quod fit *Cõtemplatione Mortis* dominicæ, & communi omnium nostrûm, qua maximè Christo crucifixo conformamur. Quamobrem hortatur S. Leo, vt cum qui spiã obseruantiæ se limitem sentit excedere, atque in id cupiditates suas tẽdere, quod eum à recto itinere faciat declinare, recurrat ad *Mortis* in cruce pro nobis obitæ, *Memoriã*, ac instrumento illius *Mortis*, quod simul est lignũ vitæ motus noxiæ voluntatis adfigat: ac voce prophetica ad Dominum clamet: *Confige clauis timoris tui carnes meas; à iudiciis enim tuis timui.* Quid autem est, *Clauis timoris* istiusmodi carnes habere confixas, nisi corporeos sensus ab illecebra illiciti desiderij sub metu diuini continere iudicij, vt qui resistit peccato, & concupiscentias suas,

Gal. VI.

Leo Ser. XIX. de Pass.

ſuas, ne quid *Morte* dignum operentur, interficit, audeat cum Apoſtolo dicere: *Mihi autem abſit gloriari niſi in Cruce Domini.* Gal. vi.

Sic confixus, mortuus eſt vitijs & concupiſcentijs, quo ſpectat Ioannis Caſſiani elegans ac pia diſputatio, qua docet, hominem religioni mancipatum cruci affixum eſſe debere, non alijs haud dubiè *Clauis*, quàm aſſiduæ *Memoriæ Mortis* Chriſti, & noſtræ, quâ fiat, vt vniuerſæ voluntates ac deſideria mortificata, nihil in ſe viuum, nihil turbulentum habeant: ac ita voluntas, non ſecundum id, quod nobis ſuaue eſt, ac delectat ad præſens: ſed ſecundum legem Domini, quo nos illa conſtrinxerit, applicetur. Virtus Claui Timoris. Lib. iv. Inſt cap 14.

Eiuſdem virtute *Claui* fieri, vt non iam præſentia contemplemur, nec de noſtris affectionibus cogitemus: & pro die craſtino ſolicitudine, curáque diſtendamur: nullâ poſſidendi concupiſcentia permoueamur, nulla ſuperbia, nulla contentione, nulla æmulatione ſuccendamur: non de præſentibus doleamus iniurijs: non præteritorum iam recordemur: nos cùm adhuc ſpiramus in corpore, cunctis elementis credamus eſſe defunctos, illuc præmittentes noſtri cordis intuitum, quò nos non dubitamus illicò tranſituros. Hom. in Pſ xxxiii.

Ex his conſequitur, quod habet S. Baſilius. Quemadmodum, quibus corporis membra ſunt *Clauis* transfixa, ad actionem quamlibet immobilia ea retinent: ſic ij quorum animum penetrauit *Timoris Clauus*, omnem prorſus importunam peccati, & obſtreperam occaſionem vitant. Opto, vt hic *Clauus*, æternitatem ſpectantibus, ſit pluſquam adamantinus, auelli non poſſit de illorum cordibus *Mortis Memoria*: ſit pluſquam picta ſæua neceſſitas Hor. lib. iii. Carm. ode 9. Hor. 1. Car. 35.

*Clauos trabales, & cuneos manu*
*Geſtans aliena.*

pluſquam in poſtico pariete templi Mineruæ in Capitolio ſolenni ritu à Conſule, vel Dictatore infixus *Clauus ferreus*, non tam contra peſtilentiam, quam non metuit, qui *Mortem* aſſiduè præ oculis habet, quam contra vitiorum luem, quam arcet *Mortis contemplatio*. Tier. Lib. XLVIII. Alex. ab Alex. Lib. 1 cap. 6. Tiraq. ib. Liui. Lib vii. Dec 1 L. viii. Et Lib. ix.

Ornabit hoc *Symbolum* facinus heroicum generoſiſſimæ fœminæ Iahelis: quæ ſiniſtra manu *Clauum* oblongum Siſaræ tempori admouit: dextrâ *Malleum* adegit, & caput eius perforans eum terrâ confixit, vt narratur in libro Iudicum. Iud iv 21. cap. v. 26. Orig. Hom: v. Ambr. Lib. de Vid.

Scio, quàm ingenioſè hæc ad Eccleſiam transferant Origenes, Ambroſius, Auguſtinus: *Quæ enim eſt illa mulier*, inquit poſtremus, Aug. Li. xii. contra Fauſt. cap. 32.

Ggggg 2 plena

*plena fiducia hostis tempora ligno* transfigens, nisi fides Ecclesiæ cruce Christi regna Diaboli perimens?

Nicol. Ser. Iud. v. Q. XXVIII. N. V. Nec me latet, quàm piè eadem deriuet ad Virginem Beatissimam MARIAM Nicolaus Serarius. Fuit enim illa benedicta inter mulieres plusquam Iahel: cuius venter fuit Tabernaculum, in quo habitauit Altissimus, cuius Cruce, tanquam *Clauo trabali* perforata sunt Tyranni tartarei tempora, & concidit.

Nec ignoro eandem imaginem exhibere *Concionatorem* sacrum, cuius est Sisaræ improborum moribus ac vitijs exitium adferre, prauos eorum habitus, inolitásque consuetudines peccandi, impacto contundere *Malleo*, trabali *Clauo* transfigere, penitúsque tandem exanimare.

Iul. Nigro. in Reg. Com. R. IV 17. Nec sum nescius, quàm accommodatè hæc applicet *Religioso* vouenti Iulius Nigronius, vt Sisaræ caput sit vitium, aut Passio: *Clauus, Votum*: *Malleus, Deuotio*, seu vouendi actus, Iahel, Animam vouentis denotet.

Iahel, Scansio. Sed me iuuat concipere *vim intellectricem* mentis humanæ tanquam *Iahelem*: eâ enim, quod Iahelis etymon admonet, in cælum scanditur: *Sisaram* dico, *Tentatorem Dæmonem, Peccatum, Voluptatem, Passionem*: *Malleum* habeo *Mortis Contemplationem, Clauum, Mortis habitualem Memoriam*, vel si lubet, *Timorem* Dei ac iudiciorum diuinorum inde oriri solitum. Nihil enim æquè Hostes omnes tartareos, peccatum, cupiditatésque contundit, penitúsque interimit.

Ioa. David Ima. XXXV. de Clauis Domini. Non alienum ab hac fictione inuenio Ioannem Dauid in *Paradiso Sponsi & Sponsæ*, vbi à confixione abhorrentes ita aggreditur: *O insensati, miserique, horretis, fugitis, & detestamini* Clauos Timoris Domini, *quibus confixi Christo Cruci infanda facere prohiberemini*: *& miseriam vestram non attenditis, quod ignitis* Diaboli Clauis *transfixi, miseram ei, durámque seruitutem seruitis, dum secundum carnem sic insanitis.*

*Nunquid igitur immerito tot vitiorum aculeis, tot carnis stimulis, tentamentisque lancinamini in hac terra corpusculi lutei, vitaque mortalis?* Carnem igitur tuam, ô homo! potius *clauis timoris Domini* configi precare: vt ipsum quoque Tentatorem, mundi maligni Principem, in tuæ carnis tentorio proditoriè latentem conficias, & adhæreas Christo. Exemplar in speculo cupis, quod imiteris? Confugit Sisara (figura Diaboli) in tentorium Iahel, ibique delituit, plus mali, si euasisset, perpetraturus. Jahel autem tulit *clauum tabernaculi*, & *Malleum*, & posuit

fuit cum silentio supra tempus capitis eius *Clauum*, percussumque *Malleo* defixit in cerebrum, vsque ad terram. Hanc imitare, & de hoste domestico triumphabis, *Timore Domini* illum in tua carne interimente. O Domine! *Confige timore tuo carnes meas.*

*Figite me* CLAVI: *minus hoc: sed fixa potenti*
*Mens sit* Amore DEO: *fixa* Timore *Caro.*

## *SYMBOLVM* XXV.

# MORTIS MEMORIA

## *CRAMBE.*

PER CRAMBEN designari *Mortem* alibi demonstro, eadem verò, quam vim *Mortis Memoria* contineat, præclarè exhibet. Prima enim Crambes species (nam tres facit Dioscorides) præterquam, quòd aliàs ad multa remedia efficax est, etiam ebrietatis & crapulæ incommoda tollit, si crudam edas ante cœnam ex aceto, vt indicauit M. Cato. Rationem adsignat Aristoteles. Quoniam cum ipsa sit frigida, & succum habeat dulcem, ac discutientem, fit, vt vinosos humores in aluum detrahat, tenues humores in vesicam delabantur: ipsa in ventriculo remanens, corpus refrigeret. *Crambes species Diosc. Lib. II.*

Sanè negari non potest inesse *Crambæ* obsistendi vino vim quãdam peculiarem. Siquidem & à vinitoribus habemus: si in vineto seratur, vinum prouenire dilutius. An idcirco apud Ægyptios, & Sybaritas, solenne fuit, ante omnia sumere *Cramben* coctam? Quibusdam morem fuisse alicubi lego ex amethystino vasculo *Crambes* lomen ante compotationem capere, quo citra periculum ebrietatis, indulgere vino possent.

Vt *Symbolica Crambe* est *Mortis Memoria*: ita *Symbolica Ebrietas*, est mentis quædã insania (omnis enim Ebrietas auctore Pythagora breuis quædam insania est) excitatur autem fortunæ, sortisque arridẽtis poculo, fœlicitatis nectare: clarius: rerum temporalium abundantia, copia facultatum, honoribus, populi applausu, adulatorum blanditijs *Ebrietas Symbolica Heli. Pintur in Dialog.*

ditijs, clientum turba, fauore Principum: his enim, & sexcentis istiusmodi, animus extra se quodammodo positus, sui obliuiscitur: omnia quasi bina, quod ebrii solent, intuetur: maiora etiam, quæ circa se sunt, quam reuera existant. Eodem vino mens soluitur, voluntas relaxatur, caligat intellectus: & in corpus quoq; eadem redundat ebrietas. Inde enim oculorum elatio, superbus incessus, ironicus risus, arrogans dictio, æqualium contemptus, inferiorum oppressus: denique delirium. Nam, *vinum & ebrietas auferunt cor.* Osea IV 11

Hinc Ebrietati resistit MORTIS *recordatio*: quæ non permittit, quemquam fortunæ bonis insolescere. An insolescat Alexander, quamuis orbis domitor, dum

Iuuen. Saty. x.

*Æstuat infelix angusto limine mundi,*
*Vt Gyaræ clausus scopulis, paruáque Seripho?*

si audiat:

*Hic postquam à figulis munitam intrauerit vrbem,*
*Sarcophago contentus erit?* ----

An ambulet in magnis, & mirabilibus supra se Iulius Romani moderator Imperij, si animo voluat serio,

*Omnia Cæsar habet: sed Gloria Cæsaris esse*
*Desinit, & tumulus vix erit octo pedum?*

An ob diuitiarum abundantiam sibi placeat, reliquos contemnat Crassus, Lucullus, Cræsus, si meditetur: *Nudus egressus sum de vẽtre matris meæ, nudus reuertar?* Si audiat? *Cum morietur homo, hæreditabit serpẽtes, bestias & vermes.* Si dicat? *Solum mihi superest sepulchrum.* Si cogitet? *Spoliabit* Mors *me glorià, & auferet coronam de capite meo.*

Ob hanc caussam solenne fuit prudentibus ad auerruncandũ huius ebrietatis incommodum, cotidie *Cramben Mortis* ex meditationis poculo, ante compotationem sumere: aut, vt id illi facerent, qui metuere sibi possunt ab *Ebrietate Symbolicà*, suadere.

Philippus Macedo. Ælia. L. viii. Var. cap. 15.

Celeberrimus est hoc nomine, ex Ethnicis, Philippus Macedo, qui cùm victoriam contra Athenenses obtinuisset, in Cheronea, ne efferretur, tam sibi fauentis fortunæ lenocinijs, cotidie à seruulo, sibi occini voluit, antequam ipse prodiret, vel alij ad ipsum aduentarẽt, HOMO ES PHILIPPE: id est, *Memor sis sortis humanæ*; memor naturæ mortalis: memor *Mortis* imminentis, ac semper insidiantis. Nam quoties quis nominatur *Homo*, *Mortis* admonetur. Idem enim nobis declarant *Mortales* ac homines.

Sed

Sed vnde Philippo tam sapiens consilium? Nimirum, cùm post ipsam illam Chæroneam pugnam insolentiùs se efferret, scripserat illi Archidamus spartæ Rex, paucis, vt Laconem agnoscas: *Metire Vmbram tuam, nihilo reperies auctiorem*, id est, vt interpretatur bonus Politicus: *Quid attollis te in hostibus victis? in finibus propagatis? tibi nil accessit. Numquid animo? curæ maiores, aut metus. Numquid corpori?* Metire vmbram, *videbis*. I. Lip. in Exemp. Polit.

Sensit ipse Philippus cùm aliquando in palæstra inter luctandum prolapsus surrexisset, & corporis vestigium in arena vidisset. *Papæ!* inquit *quàm paruam terræ partem sortiti, orbem appetimus?*

Et quid vetat Clericum quemlibet, imò quemlibet hominem Monitorem suum quotidie audire dicentem. HOMO ES FERDINANDE, Homo es Ioannes, Homo es Paule. Si ephebo non vtatur, qui hæc ingerat, ipse idem pronunciet: addatque, *Dispone domui tuæ, quia morieris tu & non viues.* Erit vesper cuius tu posterum mane visurus non sis: erit mane, cuius non sis habiturus vesperem insequentē. Hac *Crambe*, ebrietatis, & voluntariæ insaniæ à fortunæ naturæque bonis prouenientis facillime vitabis incommoda. Is. xxxviii.

Agnouit illud tandem Seuerus Romanorum Imperatór, qui diu in ambitione, & eius gratia bellorum periculis, iam senio confectus & moriturus vrnam ad se deferri iussit, in qua cineres, more tunc recepto erant recondendi: & diu contrectans ac contemplatus, exclamauit: *Tu virum capies quem orbis terræ non capit.* Verissimè

*— —Mors sola fatetur*
*Quantula sint hominum corpuscula.*

Addit vir doctus. Attollere in vita, manus & spes ab oriente ad occasum mitte: illa contrahet, & te intra te coget. Et quoniam nihil magis apud Romanos ebrietatem illam conciliabat, quam triumphantis gloria, sapienter triumphatoribus adiungebant, qui in fastu & pompa triumphali suggereret; Hominem te esse memento. Iust. Lip. Exe. Polit.

Optima contra ebrietatem Crambe, quæ licet decies recocta, placebit: certè placere deberet.

SYM-

# SYMBOLVM XXVI.

# MORTIS MEMORIA

## RAPHANVS.

*Athena. Li. 1. Raphani vis.*

AVCTOR est Athenæus priscis *Cramben*, ac *Raphanum* ad arcendam vini potentiam pro eodem esse habitam. Et sanè Theophrastus prodidit, vitem etiamnum viuam *Raphani* odorem fugere. Est itaque hic idem Symboli sensus, mutatâ imagine. *Mortis Memoria*, felicitatis humanæ impetum infringit, ne *Ebrietatem*, seu insaniam ingeneret. Id Gentilium exemplis declarauimus superiori *Titulo*; hic addamus vnum, alterúmque Christianorum.

*Ioa. Eleemosynarius.*

Ioannem cognomento Eleemosynarium quis non celebrari audiuit ab hac solertia? Is cùm esset Patriarcha Alexandrinus, ne tāti honoris infulis insolesceret, initio statim Pontificatus, tumbam sepulchralem inchoari voluit, non perfici: & festis solemnioribus, quibus amplo stipatus comitatu prodibat: imò cotidie, vt referunt nonnulli, à designato ad id stentore proclamari iussit: *Domine sepulchrum tuum captum quidem iam pridem: sed eatenus imperfectum, atque interruptum. Tu ergo perfici illud iube: nescis enim quâ horâ* FVR *venturus.*

*Leo in vita. Marul. lib. v. cap. 9.*

*Gregor. XV. Anno 1623. viii x Iulii.*

DVM hæc scribo, adfertur GREGORIVM XV. laudatissimum Pontificem vixisse, & reuocat mihi memoriam ritus antiqui. Ferunt enim: Cùm Summus Pontifex recens electus, solenni cæremonia ad sacellum deducitur, esse inter anteambulones, qui præeat, & ardentem stuppam concutiens ingeminet: PATER SANCTE SIC TRANSIT GLORIA MVNDI: quasi dicat: *Memorare nouissima tua*, & ille tot nationum plausus à constantiæ modestiæque gradu, in quo firmiter stare debes, per ebrietatis mundanæ insaniam non deijciet.

SYM-

## SYMBOLVM XXVII.

# MORTIS MEMORIA.

## AMETHYSTVS.

ET hoc *Symbolum* eodem ſpectat. Significatur, mentis emotionem, quam humanus fauor, Principum gratia, opes, dignitas, potentia, & iſtiuſmodi fortunæ ludibria, vel Fati ſuperioris liberalitas parit, conſideratione *Mortis* inhiberi, & mentem ad ſobrietatem & modeſtiam inflecti.

Quæ præclarè Amethyſti imagine denotantur, ſiue etymon ſpectes, ſiue rem illi ſubiectam. Componitur n. iſtud vocabulum, ex ἀ, particulâ priuatiuâ, & μέθυς©, quod eſt deriuatum verbi, μεθύω: id eſt, ebriũ ſum: & ſignificat, tum eum, qui non eſt ebrius, tum omne illud, quod arcet ebrietatem. Quod fieri poſſe probant Medicis nota φάρμακα, καὶ πόσεις ἀμέθυςοι. *Amethyſti etymon.*

Non deſunt autem qui Gemmæ inditum Amethyſti nomen ſcribunt, quia præſeruet homines ab inebriatione. Licet alij cauſam nominis adferant, quod *vſque ad vini colorem accedens, priuſquam eum deguſtet, in violam deſinat*: quaſi, colore vini, quem promittit, non inebrietur, vel impleatur. Certè fulgor quidam in illa eſt purpuræ, non ex toto igneus, ſed in vini colorem deficiens. *Plin. li. xxxvii cap. 9.*

Verè *Mortis Memoriã Amethyſtum* dixeris vel ob hoc potiſſimùm ꝙ inebriationem ſuperbiæ ac propriæ æſtimationis arceat. Quod facilè mihi tribuent, qui, vt eſt apud Pierium harum rerum curioſiſſimum diſquiſitorem *Amethyſtum ſobrietatis Symbolum* eſſe dicunt, quod eiuſmodi lapidem contra ebrietatem ſtare compertum ſit: non enim vino tentari poſſe, qui eum geſtet. *Pieri. li. XLI. Hierogly.*

Ob ſimilem cauſſam, ij, qui exponunt ſymbolicas ſignificationes lapidum qui fuêre in Rationali Pontificis Iudaici, aut nominantur à Ioanne Euangeliſta, tanquam fundamentales vrbis ſanctæ, per *Amethyſtum* intelligunt, vel *Humilitatem* nunquam ſuperbientem: vel *Temperantiam*, Gulæ, ac Ebrietati inimicam: vel Apoſtolorum aliquem harum virtutum laude præſtantem: vt concinnè diuinant *Exod. xxviii. Apocal. xxi.*

Hhhhh Ribe-

*Rib. Vieg. Alca Apo. xxi. Cor Ex. xxviii Laur. Syl Allegor. Mar. Exod. xxviii. Maximilianus I.*

Ribera, Viegas, Alcazarius, Cornelius de Lapide, Hieronymus Lauretus, Leonardus Marius.

Agnouit hanc virtutem in *Mortis Memoria* MAXIMILIANVS I. potentissimus, & bellicosissimus Imp. qui aut biennio, aut triennio (nam dissentiunt Auctores) ante morbum tumbam funebrem è querno ligno, arcæ viatoriæ inclusam circumferri secum iussit: cauitque testamento, vt exanimum corpus suum rudi linteo inuolutũ sine vllâ exenteratione illi imponeretur, naribus, ore, auribusque viuâ calce oppletis.

Commentatur piè super hoc facto I. Lipsius. Et: quid sibi voluit, inquit magnus vir? nisi monumentum illud assiduè in oculis habere, quod diceret: COGITA MORI, quod amplius diceret. Quid te dilatas, & extendis? quid plura possides? plura appetis? Quem tot prouinciæ & regna non capiunt, loculus iste capiet. Cur autem & calcem cauis illis partium immisit? En aromata, quibus condiretur. Sed hoc spectauit, vt corpus putredini natum, eâ quoque excedente, & consumente materie, citiùs consumeretur, & iret in suam terram.

Quanta hic Christiano digna Principe humilitas? quam alio facto ostendit, dum pluribus diebus ante *Mortem*, nil nisi MAXIMILIANVS appellari voluit, Imperatoris, & Maiestatis titulis repudiatis.

*Carolus V.*

Quod imitatione expressit CAROLVS V. auo non inferior nepos, qui ex mortalitatis consideratione tantum profecerat, vt singulari, & nostris seculis inaudito exemplo, pompis omnibus nuncium sponte remittens, vitam solitariam, DEO & quieti vacaturus, elegerit. In qua dum cotidie animo obuersaretur, qualis breui futurus esset, interdixit aliter se, quàm *Carolum* appellari: *Cæsaris* & *Augusti* appellationem, *Cinere*, quem assiduè meditabatur, obliterans.

De eodem ferunt: diu ante Imperium à se abdicatum, sarcophagum sibi construi iussisse cum funebri suppellectile, deportandum, clanculum tamen, quocumque proficisceretur: eum apud se quinquennio paratum habuisse, vbicumque locorum esset: etiam, dum Mediolanum contra Gallos moueret: singulis autem noctibus diligentissimè illum reponi iubebat. Arbitrabantur autem quidam, qui circa illum erant, thesaurum esse: alij selectos libros: nonnulli quidpiam aliud ad vsum Cæsaris. At ille dicere erat solitus ridendo: in rei cuiuspiam sibi carissimæ vsum id secum deferri.

Ha-

Habet præterea quidpiam *Amethystus*, quod meritò ad mortis Memoriam transferam. Qui *gemmam* probarunt, dicunt, esse verissimam violam, hilaris, lætique aspectus, at quæ spectatorem recreet, non satiet. Si assuescas de *Morte* contemplari, eiusque bonum, quod integro libro se non satis copiosè exposuisse arbitrabatur eloquẽtissimus Ambrosius, frequentius, perpendere, recreaberis illius intuitu, & magis magisque eo capieris, adeò, vt siue meditans siue loquens, siue scribens, te tam dulci oculorum benè illuminatorem pabulo satiari non posse adfirmaturus sis. Experto fidem adhibe. *Amethystus recreat, non satiat*

*Amethystorum*, cùm sint variæ species, quas recensent Plinius, Isidorus, Beda: omnes tamen sculpturis sunt faciles. Facillimè insculpitur quidlibet eorum animis, qui seriam *Mortis Meditationem* suscipiunt. Itaque qui castitatis, sobrietatis, modestiæ, afflictationis corporeæ; imò religiosæ vitæ cogitationes auditoribus insculpere optaret, prius *Mortis* frequentem considerationem suadere deberet: tunc enim facillimè alias omnes imagines imprimeret. Nullam ille virtutis, concionatoris-ue sculpturam respuet, qui animum *Mortis Memoria* emolliuerit. *Pli. L. xxxvii. Isido. Li. xvi. Beda de Gem.*

# *SYMBOLVM* XXVIII.

# MORTIS MEMORIA

## *COLOCYNTHIS.*

VOCATVR ita *agrestis cucurbita*, vt auctor est Dioscorides: vel, *deserti cucurbita* à Persis, vt refert Mesue. ab alijs, *Felterra*. Mortem refert, ob præcipuam amaritiem, quæ tanta, vt cum filij Prophetarum concidissent illam in ollam pulmenti, gustassentque socij, clamarint MORS IN OLLA Lib. IV. Regum IV. id est, esca, tam amara quàm *Mors* est: vel vt ibi interpretatur Nicolaus Serarius, *Esca mortifera*. O quàm multis *Mortis Memoria* in loquentis linguâ, aut considerãtis mente habetur vt *Colocynthis*, *Mors in ollâ*. Atque ideirco de illâ audi- *Colocynthis κολόκυνθα, κολοκυνθίς. Diosc. Li. IV. Reg. IV. 40.*

audire refugiunt, eam à cogitatione, & oculis procul habent: si quis de illa disserat, audit: *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* lapides spuit.

Eccl. XLI. O MORS *quàm amara est Memoria tui!* Naturaliter ita esse, negari non potest, experiuntur omnes. Ipse DEI Filius, vitæ fons, amaritiem hanc persensit, & exhorruit. At nullum-ne huic malo remedium? Propheta, conquerentibus de *Colocynthidis* amarore, *Afferte*, inquiebat, *farinam: cùmque tulissent, misit in ollam & non fuit amplius quicquam amaritudinis in ollâ.*

At quî fieri potuit, vt Elisæus, immissâ farina adeò emendaret amarissimam herbam, vt esui idoneam, imò dulcem redderet? maximè, cùm *Colocynthis*, non amara solùm, sed adeò perniciosa sit, vt si supra quatuor obolos, etiam emendata sumatur, possit super purgationes, & exulcerationes ventris, vitam etiam eripere, atque adeò admota exteriùs enecet fœtus.

Francisc. Vall. Sacr. Philos. cap. XXXVI. Id naturaliter omninò, & citra miraculum fieri non potuisse existimat Medicus excellens Franciscus Vallesius: itaque virtute diuina factum arbitratur, vt dulcescerent, & noxam deponerent: sic tamen, vt quæ naturaliter ad eundem effectum faciunt, adhibita fuerint, vt hoc modo, naturalis operationis ratio seruaretur, quod est diuinæ consuetudinis. Nam Medici omnes, vt differit Vallesius, inter emendantia *colocynthidem*, recensent ea, quæ lenta sunt, & glutinantia, in quibus constat esse amylum, quod ex tritico conficitur: post hoc verò, farinam triticeam. Hæc enim suæ substantiæ modo lento ac glutinoso, & sapore grato, atque, vt ita dixerim, cibali, causis dysenteriæ obsistunt, mordacitatem, acrimoniámque hebetant: atque ita *colocynthides* condire, ac mitigare potuere, non ita tamen, vt absque miraculo, tantam amaritudinem, tam citò penitus abstulerint.

Mortis Memoria perniciosa. Iam *Mortis Memoriam* arripe: est ea non amara solùm, sed & perniciosa quibusdam: nam & vitam non paucis abstulit, territando nimium, & mortalem ingenerando tristitiam. Emendari tamen potest farina triticea, quæ *Symbolicè* non est aliud, quàm ærumnarum huius vitæ quæ mortalibus tritici instar bene comminuti pabulum præbet inspersione. Considerentur calamitates, quibus genus humanum à primâ horâ introitus in vitam, vsque ad vltimum momentum exitûs, premitur, dulcescet *Mortis Meditatio*.

Sed

Sed non omnem exuet amaritudinem, nisi supra naturam, gratiæ Auctor plus aliquid contulerit, quam humanæ vires, & creatarum quarumlibet rerum virtus præstare potest.

## SYMBOLVM XXIX.

# MORTIS MEMORIA

## HERBA-SARDOA.

HABET hoc MORTIS MEMORIA, vt moriendi securitatem præstet. Quid? Securitatem tantùm? etiam alacritatem, etiam hilaritatem, & quidem cum risu. Hanc in *Herba* quadam virtutem de prædicant Philologi: quæ, vel à Sardo insulâ dicatur, *Sardoa, Sardonia*, aut *Sardonica*: vel à Sardis Lydiæ oppido, *Sardiana*, aut *Sardianica*. Vnde Risus, siue *Sardonius*, siue *Sardianus*, & *Sardonicus*: cuius originem non omnes eandem commemorant. *Sardoa Ichnusa.* Σαρδώνιος γέλως.

Zenodotus in collectaneis suis, Eschylum nominat, qui scribit, gentem esse quandam, Carthaginensium Coloniam, quæ Sardonem regionem inhabitet: ei morem esse, senes septuagesimum prætergressos annum, Saturno sacrificare, ridentes interim ac mutuo sese complexantes. Nam turpe ducebant in funere, aut eiulatum edere, aut lacrymas profundere, hinc simulatum risum, *Sardonium* vocari cœptum. *Eschylus de Paramis.* *Senes Saturno sacrificati.*

Timæus apud eundem Zenodotum, ait, Sardonijs consuetudinem fuisse, vt filij parentes iam grandæuos iuxta fossam, aut præcipitium, in quo sepeliendi essent, collocarent, atque inde fustibus cædentes, in eam darent præcipites. At illi interim pereuntes ridebãt, existimantes, eam *Mortem* felicem, atque egregiam, quod liberorum impietate interirent. *Grandæui præcipitati.*

Sunt plures, qui asserant, in Sardorum insulâ, HERBAM nasci quandam, cui SARDOA nomen, apiastro similem, eam sapore quidem esse dulcem, verùm gustatam, ora hominum in rictus dolore contrahere, vt veluti ridentes emoriantur. Huius opinationis vide- *Herba enecat.*

 tur

tur fuisse Solinus,& eum hoc Seruius Grammaticus, explicans versiculum ex Virgiliana Thyrside.

*Imò ego Sardois videar tibi amarior herbis.*

Atque his consentanea scribit Lycophronis Interpres, de *Risu Sardonio*: eiusdémque opinationis videtur fuisse Latinus Drepanus in Panegyrico, dicens: *Serenos vultus induebamus, & ad illorum vicem, qui degustato Sardorum graminum succo, feruntur in* Morte *ridere, imitabamur læta, mærentes.* Complectitur ferè hæc omnia antiquus Epigrammatographus Græcus, cuius versus hic Latinè exhibeo.

*Quadam insula est vocata* Sardo *Iberia,*
*In qua herba perniciosa surgit è solo,*
*Cui* Sardanæ *nomen, apiastri præferens*
*Figuram, at ea comesa ab imprudentibus*
*Mox ora contrahit, atq; risus exhibet*
*Speciem: deinde protinus* Mors *occupat*
*Imitata risum. Ceterùm sunt, qui ferant,*
*Gentem esse quandam* Sardanorum *barbaram*
*Ætate, qui fessos parentes in loca*
*Prærupta raptos deferant: atq; ibi neci*
*Saxisq;, fustibusq; dent miserrimos.*
*Ex arduis subinde præcipitent petris.*
*At inter isthæc impiis rident iocis,*
*Ludúntq; temerè parricidis lusibus.*
*Aliis magis probatur hæc sententia:*
*Ridere eos, qui sic necantur, quippe qui*
*Spectent suorum pignorum vesaniam*
*Citasq; rerum, & æstuarias vices.*

*Iusti rident in Morte.* Diuersimodè etiam MORS, ac illius *Memoria* ridentes facit. Iustos quidem, & DEO proximè iunctos, qui dum viuerent, nihil magis in votis

votis habuerunt, quàm mori in Domino, ad risum mouet, qui fit lætitiæ sincerissimæ index.

An-non ridentem excessisse è vita putem Seraphicum *Franciscum?* qui cum grauissimis cruciaretur totius corporis doloribus, nullum aliud fomentum habebat, quàm vt & ipse suauissimè diuinas laudes caneret, & alios canentes audiret. In quo cum à suo Heliâ penè obiurgaretur, quod potiùs præstaret extremum illud tempus lacrymis, & pœnitentiæ impendere: respondit, non licere sibi aliter facere cum sciret se breui cum Deo fore. *S. Francisci Mors.*

An-non cum risu hinc migrasse dicam *Nicolaum Tolentinatem?* qui cùm resolutionis tempus instaret, in extremo spiritu, voces fundere cœpit lætantis, atque gestientis; cuius inusitati gaudij, fratres, qui circumstabant, cùm caussam quæsissent, attonitus ille, vixque sui compos, præ magnitudine rei: Dominus meus IESVS CHRISTVS, inquit, Sanctissimæ Matri suæ, & Augustino Patri nostro innixus, dicit mihi, *Euge serue bone & fidelis intra in gaudium Domini tui.* Quæ vix pronunciarat; imò pronuncians: an-non & ridens? ita credere fas, expirauit. *S. Nicolai Tolentini.*

An-non ridendo mortuum existimem *Gerardum*, Bernardi Claræ-vallensis fratrem, qui mediâ nocte penè animam agens, in illam ex Psalmo vocem erupit: *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis.* Iam tibi, exclamat Bernardus, frater mi, nocte adhuc mediâ dieſcebat: nox sicut dies illuminabatur. Accitus sum ego ad id miraculi: videre exultantem in *Morte* hominem, insultantem MORTI. Vbi est MORS victoria tua? vbi est MORS stimulus tuus? Iam non est stimulus, sed iubilus. Iam cantando moritur homo, & moriendo cantat. An-non etiam ridendo? Ita, ita. Risit in *Morte* haud dubiè *Franciscus, Dominicus, Bernardus*, totque alij Religionum Antistites & religiosæ vitæ cultores, qui dum viuunt *Mortem* assiduè meditantur, imò vitâ ac moribus exprimunt, & ad salutis suæ portum anhelant, vt in *Morte* nonnisi ridendi occasionem habere possint, certò magis ridendi, quàm flendi. *Gerardi fratris S. Bernardi* *Ber. Ser. xxvi. in Cant.*

Porrò, eadem MORS, & illius *Contemplatio*, improbis, ac vitam suam nimis tenerè amantibus, ingenerat risum *Sardonicum*, vt Herba illius nominis. Est is risus iracundiæ, ac amarulentiæ indicium: dentes enim tantummodò denudantur, vt in canibus *Improbi in Morte ridens Sardonicè.*

nibus

nibus cernimus. Quod acutè insinuauit cum ioco parasitus Plautinus, conquerens, quod suis dictis iuuenes non arrisissent, ac saltem canes fuissent imitati, vt dentes ostenderent: estque id, restrictis labellis ridere. Ringuntur impij, dum à vita euocantur quod tot spes, tam benè, vt existimabant fundatas; tot benè culta latifundia, tot suauitates, & delitias momento deserere cogãtur: quid mirum quod dentes canum instar nudent, & sic *Sardonicum* risum exprimant? *Caninus* est iste *risus*, Lunam allatrantium. Imò & equinus: morem enim illum equis esse dicunt, si quando ridere videntur, mordere. Dentes ad mordendum expediunt scelerati dum de *Morte* audiunt, aut dum illi appropinquant, & sic ridere putantur.

*Iuliani Mors.* Quomodo ferè rident, qui apud se vindictam moliuntur, ob molestiam, quam sentiunt, quare hunc risum adfingit Poeta Græcus Vlyssi, dũ procis perniciem inferre agitabat animo. *Odyss.* Ita risit, sed amarulente, & vindictæ, ac minarum in Dominum *Mortis* spirans nequicquam, improbissimus Apostata Iulianus, qui lethali ictus iaculo exclamasse fertur, manu sanguine referta, tanquam in cœlum iacta: Vicisti Nazaræe.

*Mors Ioan Caluini.* Consimilis risus est blasphemantium, qui rictum etiam diducunt, canino more, & *Sardonico* risu internam carnificinam testantur. Sic ridendo excessit Ioan. Caluinus, deterrimus hæresiarcha, quem Hieronymus Bolsecus, scribit grauissimos dolores, & asperrimos cruciatus, quibus Dei in illum seuerâ manu ingruente excruciabatur, non ferentem, dæmonibus inuocatis, iurantem, execrantem, & blasphemantem miserè expirasse. *Hier. Bols. cap XXII. Bredenbach. Lib. VII. c. 14.* Annon hoc est *Sardonicè* ridentem emori?

*Risus Sardonius, insanorũ.* Quid quod peccatoribus omnibus, MORS sit *Herba Sardoa*: facit enim vt omnes cum risu diem extremum claudant, sed cum risu *Sardonico*: quem accipiunt nonnulli ex eruditis, pro risu demente, quoties instantibus malis insanè ridetur. Ita C. Gracchus in ambiẽdo magistratu repulsus, aduersus inimicos insolentiùs ridentes inclamauit, eos *Sardonium* ridere risum, ignaros quibus tenebris circũfunderentur. Quod Plutarchus refert in Gracchorum vita. Idem verò in *Commentario* de superstitione, scribit, eum, qui nullos credit esse Deos, *Sardonium* ridere risum.

Nonne tales omnes, qui hinc ad æterna supplicia commigrãt? ignari, quibus ærumnis premantur, & ad quas calamitates gradum faciant,

faciant. Verè insani, & phrenetici, quos, in cachinnum solutos, nonnunquam extremum mittere spiritum cernimus. Hanc phrenesin in Romanis sui temporis salsè carpit Saluianus Episcopus, sententiolâ, quam vniuersalem licet facere, peccatoribus substitutis in Romanorum loco: *Sardonicis quodammodo herbis omnem Romanorum populum putes saturatum*: MORITVR & RIDET. Saluia. L. vii.

## *SYMBOLVM XXX.*

# MORTIS MEMORIA

## *PHALANGIVM.*

VIx à superiori differt hoc *Symbolum*, nisi quod hic Animal inducatur, in eo sit Herba. PHALANGIVM animalculum est lethiferum, ex aranearum genere, quod cum risu necat. Ita scribit Strabo in Albania contingere. Strab. Lib. xi.

## *SYMBOLVM XXXI.*

# MORTIS MEMORIA

## *TARANTVLA.*

ET hoc superioribus est adfine: sed præterea demonstrat, pro varia contemplantis, ac monentis dispositione, variam esse MORTIS eiusque *Memoriæ* vim & effectum.

*Aranea* est *Apula*, à Tarento vrbe, *Tarantula* nominata, dirum animal, tactu pestilens: eam, si casu spectes, futilem, & sine noxa putabis: & sanè aliquo anni tempore minimè perniciosa, aut exitialis, vix aliquid neruorum, aut virium ad nocendum habet. Cùm verò Aranea Apula.

æstu anni flagrantissimo, assiduo sole Apuliæ campos torreri cæptū est, tum maximè, seu afflatu noxio, seu æstu accensa, morsu virulento pestiferam perniciem adfert, cui tanta malo vis est, vt quemcumq; morsu percusserit, nisi celeri remedio succurratur, stupor exitialis primo, deinde certa nex subsequatur necesse est. Ita Alexander ab Alexandro.

Alex. Lib. ii. dier. gen. c. 7.
Card. Lib. ix. de subtil.

Cardanus nihil eo aranei genere mirabilius esse scribit, quod demorsos *Morte* per lethargum occupet. Remedium palam esse ex musicâ; seu, quod illa dormire prohibeantur, vt tubarum strepitu; seu, quod optimum est, ad saltandum incitentur: nam saltando veternus discutitur, & cum eo simul venenum, quod natura frigidissimum est.

Scal. Ex. 155.

Contra Scaliger: Quem lethargum adferat *Tarantularum* morsus, non intelligo. Nam qui lethargum patiuntur, inertes, languidi, soluti, denique νωθροὶ sunt. Eorum modus vnus omnium. At qui læsi sunt à *Tarantulâ* non vnum esse eorum modum ex Apulorum opinione palam est. Arbitrantur enim, quot in hebdomade sunt dies, tot esse noxarum species à bestiola illatarum. Præterea, non omnes obliuione, vel putri somno premi, nostrati quoque prouerbio manifestum est. Quippe alacriorē quempiam, animó-ue insolentiore, ac dissolutiore cum videmus, eum *Tarantulæ* morsu appetitum dicere consueuimus. Aliqui sopore occupantur: sed non pauciores perpetuis vigilijs distrahuntur. Alij flent: alij risu diffunduntur. Quidam currunt: nonnulli inertes sedent. Sunt, qui sudent, qui vomant, qui insaniant.

Quare non defuerunt Philosophi, qui putarunt *Tarantularum* tot esse species, quot hæc agnoscerentur accidentia. Mihi aliud videtur. Quemadmodum Ebrietas non vnius est modi, sed sua cuique pro natura, & instituto. flent, rident, silent, blaterant, dormiunt, discurrunt, verberant: ita ex hoc morsu euenire.

Hæc ad *Mortem* eiúsque *Memoriam* accommodare est facilè. Aliquibus est causa lethargi. Nam & *Mors* quosdam æternùm sopit; & *Mortis contemplatio* stuporem ingenerat, & virium quasi languorem, vt agere nihil lubeat. Quosdam flere facit: ridere alios. An non etiā, & saltare? Audi Gregorium: *Lacrymarum caussas tripudiantes peragunt, & Mortis suæ negocium ridentes exequuntur. Tenent tympanum & Citharam & gaudent ad sonitum organi: & in puncto ad infernum descendunt.*

Greg. Mor.
Iob. xxi. 12. 13

Ex-

Expectas, vt Musicâ sanari dicam morsos, vel saltatione curari, vt contingit in Apuliâ? Cælestis musica est, diuinus ad superna adflatus, *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Optima est saltatio, operum bonorum exercitatio. Diuinis inspirationibus satisfaceret & nullo non tempore virtutum officiis strenuè inuigilare præsentissimum est contra veneficum *Mortis* lethargum remedium. *Musica cõtra Mortem.* *Olaus Lib. xv. cap. 8.*

Sic melius animi deiectio, & mœror ex *Mortis* consideratione haustus abigitur, quam organorum strepitu & saltationum ludicris, quæ à quibusdam illum in finem frequentantur. Qui quidem mihi similes videntur Lapponibus. Hæc gens septentrionalis, licet sub rigidissimo cœlo posita, & tenebris immersa, nonnum quam animi molestias lætitia exhilarare conatur, instruit igitur festa conuiuia, citharædis accitis, vt conuiuæ hilariores, licet vsu durissimarum dapium effecti excitentur ad saltandum: nec morâ in saltus & choreas vehementi quodam impetu effunduntur: hinc in gemitus & alta suspiria, reuoluti, in terram ruunt.

Hæc mala mentis gaudia: bona illa, quæ ex cœlestium meditatione capiuntur, quibus mens exhilaratur, & iam mori desiderat, multo ardentiùs, quam anteà viuere. Clamat identidem cum Sponsa: *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie. Tadet me vita mea videntem mala vniuersa esse sub sole, & cuncta vanitatem, & afflictionem spiritus. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea. Educ de custodiâ animam meam ad confitendum nomini tuo.* Vbi benè erit sine Deo, aut vbi malè esse poterit cum illo? *Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram,* DEVS *cordis mei, & pars mea* DEVS *in æternum.* *Cant. 1.* *Eccl. 2.* *Ps. CXIX.* *Ps. CXLI.* *Bern Ser. 1. de Aduen.* *Ps. LXXVII.* *Ps XXII.*

# SYMBOLVM XXXII.

# MORTIS MEMORIA.

## L A C.

*Rationabile, sine dolo Lac concupiscite.* 1. Pet. II. 2.

POSTQVAM gustauit DOMINVS IESVS *Mortem* vi illa digestiuâ, quâ pollebat maxima eam ipsam in succum vertit, succum salutarem, & lacteum, imò in vitam. Id quomodo factum ex Medicinæ arcanis deducit excellens Medicus Ioannes Bustamantinus hunc ferè in modum.

Ioa. Bust. Lib. IV. de Animal. SS. cap 7. Mors quomodo fit facta vita.

Alitum & alimentum contraria sunt initiò, fine eadem, nutritione peractâ, ex Aristotele II. de Anima cap. 4. CHRISTVS vita erat, commutauit *Mortem*, viuentem effecit illam, absorpta in victoria vitæ, commutata est *Mors*, vitalis iam robore Christi, calore illo potẽtissimo, caritatis igne, quo rebellem alimoniam cõfecit, & venenum mortiferum, superata. Imò, immutauit, vt coturnices venenis aluntur, Ibes aues & pleraque alia in natura ipsa ob illustrem & generosam potentiæ commutatiuæ, & animæ vim. Hinc apud Iobum Mors dicitur *Immutatio*: nempe, res immutata.

Hippocrates Medicorum summus, VI. Epidem. Comm. V. sect. 53. ita scribit: *Mulier, capra, elaterium edentes, pueris purgatio.* In cuius sectionis Comm. Galenus docet Medicos, pueros lactentes expurgaturos, medicamina expurgantia fortia laturos, & amara, vt elaterium, cucumer, dictus syluester, amaríssue cucumer, à quibus abhorrent pueri, ob ingratum saporem, ac respuunt, ob actiuissimam naturam, dant nutricibus, vt in *Lac* versa, ebibantur ab infantibus, quippe in succum gratissimum commutata. Ita fructum medicamenti, infantes accipiunt, amaritudinem non sentiunt. Quod placitum Medicis deinde omnibus probatum est.

Amara Mors.

*Amaram* esse *Mortem* fatentur omnes, probatione non eget: Sicci-

Siccine separat amara *Mors*, aiebat Agag. 1. Reg. xv. substantiæ duræ & insuperabilis naturæ viribus : *Statutum est omnibus hominibus semel mori.* Nemini parcit, rigida & inexorabilis : recrementa omnia nostra superflua auferens, aut emendans, castigans, & expurgans. Heb. 9.

Non-ne vel ipsa MORTIS MEMORIA tristissima si in se spectetur repurgat superfluitates omnes ac defectus excessusque; remedium præsentaneum & commodissimum nobis debilibus, ac eneruibus, qui inquinati sumus & corrupti vitijs, abundantes malitia, & veneno serpentis feralissimi infecti.

Verùm quoniam debiles calore caritatis illam conficere ac superare non poteramus, Nutrix nostra CHRISTVS Baruch IV. *Vt quid contristatis nutricē vestrā*, cuius lacte & doctrina alti sumus, *Mortē* in se recepit, amarissimúmque haustum ebibit, vt illam cùm superasset, ac vicisset; deindéque in salutiferum *Lac*, & alimentum conuertisset, in *Lac* versam, expurgantem malitiam nostram, virúsque mortale serpentis redderet intra limites timoris filialis eneruem, ac facilem, quæ vna & *Alimentum* esset, & *Medicamentum* admirabile tam præcautiuum futurorum, quam præsentium curatiuum, correctiuúmque.

Habet sanè non pauca, siue *Mors*, siue illius *Memoria*, communia cum *Lacte*, quæ integra commentatione deduci possunt. *Lac* nullam obiectæ rei similitudinem, licet in liquida, clara, lacente superficie, repræsentat, sicut alij liquores, aqua, vinum, oleum. In *Morte* eiúsque *contemplatione* nuda soláque spectatur veritas. Illa quales simus, quales fuerimus, quales futuri simus, indicat: vmbras illas honorum, diuitiarum, titulorum, quibus, tanquam laruis, decipiuntur videntes, non recipit. Agnoscunt id magni viri, qui in fatali lecto, non amplius sibi ingeri patiuntur: *Inuictissime, Serenissime, Illustrissime, Reuerendissime*, Celsitudo, Gratiose Domine, vir clarissime: sed: Memento homo, quia puluis es & in puluerem reuerteris : *Philippe, Matthia, Alberte, Ferdinande, Maximiliane*, moriendum est. *Moritur doctus pariter & indoctus. Vbi est legis verba ponderans, vbi est doctor paruulorum? Vnus est omnibus introitus, ad vitam, & similis exitus.* Mortis Memoria Lac. Eccl. 2. Isa XLIII. Sap. VII.

Disputans Gregor. Nyssenus, cur oculus sponsæ, cum columbis lacte lotis comparetur, designari vult per *Lac* doctrinam sanam, & diuinam, cui, qui acquiescit, nullis deluditur falsis imaginibus, vo- Nyssen. in c. v. Cantico.

1 Pet. II 2. carique ait *Lac sine dolo*, *γάλα ἄδολον*, quod epitheton habet Petrus Apostolus.

Non deludetur facilè vanitatis specie, qui cotidie se *Mortis* commentatiunculâ, tanquam *Lactis* poculo pauerit: simúlque nutrietur, nam vim nutriendi optimam *Lac* habet, tum sub ratione potus, tum cibi, vt obseruat Clemens Alexandrinus. *Mortis Meditatio*, siue, per modum aspirationum momentanearum, quod fit, quasi potando: siue, longioris contemplationis ritu, quasi masticando, dulcem semper præstat alimoniam ad vitæ interioris conseruationem, & suauitate mentem contemplatoris replet. Clem. I Pæd. cap. 6.

Lac paruulorum. Est hoc LAC necessarium paruulis, nondum altiora contemplari assuetis, qui *Mortis Meditatione* manuducuntur ad magis sublimia. A timore *Mortis* frequenter incipit peccatoris conuersio: ideóque tanquam paruulis, *Lac* istud sæpè peccatoribus propinandum est: imò & Iustis, quos conuenit esse *γαλακτοφάγους*, qui non solùm, vt pueri sugant, sed vescantur hoc *Lacte* assiduè. Nam & illis dictum est, quamdiu sunt in terra lacte & melle manante. *Memorare nouissima tua, & æternum non peccabis.* Homer. Ilia v. Clem. I. Pæd. cap. 6.

## SYMBOLVM XXXIII.

# MORTIS MEMORIA

## MYRRHA.

*Obtulerunt ei munera, Aurum, Thus, & Myrrham*, Matt. II. XI.

Myrrha plāta Plin. Lib. XII. cap. 15. MYRRHA plantula est, quæ multis in locis Arabiæ gignitur. Altitudinem habet ad quinque cubita, nec sine spina, caudice duro, & intorto: gaudet rastris, & ablaqueationibus. Hanc non designo

signo in lemmate; sed, quæ, inciso eius cortice, defluit, *Lacrymam*, quæ & ipsa MYRRHA vocatur. *Symbolum* esse *Mortis*, tum *Physicæ*, tum *Ethicæ*, quam *Mortificationem* Asceta appellant, tum *Memoriæ* vtriusque testatissimum reor. Sacra, Profanáque consulantur. Quid multis? Prodeat Balthasar, ita vnum è tribus, nominat Beda, qui CHRISTVM muneribus ex oriente allatis venerati sunt & huic *Myrrham* adscribit. An quia Regulus erat in Arabia? Sed quo fine Myrrha in regiis donarij? Mirus hic consensus est Patrum, mysterium inquirentium, licet in multis alijs discrepent. *Myrrham* omnes, vt *Symbolum Mortis*, & eorum, quæ huic adnexa, prædicant, additis caussis, quas non erit inutile in ipsis Doctorum verbis agnoscere. Lacrymo.

Irenæus Lib. III. Cap. 10. MYRRHA *quidem*, *quod ipse erat, qui pro mortali humano genere moreretur, & sepeliretur.* Aurum *verò, quoniam Rex cuius regni finis non est.* Thus *verò, quoniam* DEVS, *qui & notus in Iudæa factus est, & manifestus eis, qui non quærebant eum.*

Petrus Alexandrinus Can. XIII. *Obtulerunt ei conuenientissima, & decentissima donaria.* Aurum, Thus & Myrrham, *tanquam* Regi, & DEO, & Homini (*nempe morituro.*)

Basilius de humil. Christi gener. *Vt* Regi, Aurum: *Vt* Morituro, Myrrham: *Vt* Deo Thus *obtulerunt.*

Gregorius Nazianzenus Orat. in Christi Natiuit. *Cum stella curre, cum Magis dona affer*, Aurum Thus, & Myrrham, *vt* Regi, *vt* Deo, & *vt salutis tuæ caussa*, Mortuo.

Hilarius Can. 1. in Matth. *Oblatio munerum intelligentiam in eo totius qualitatis expressit. In* Auro, Regē, *in* Thure, DEVM, *in* Myrrhâ, Hominem *confitendo. In* Homine, Mortis: *in* DEO, Resurrectionis: *in* Rege, Iudicij *est cognitio.*

Hieronymus Lib. 1. Comment. in cap. 1. Matth. Pulcherrimè munerum Sacramenta Iuuencus Presbyter vno versiculo comprehendit. Iuuen. Lib. 1.

*Thus, Aurum, Myrrham, Regiq, Hominique, Deoque*
*Dona ferunt* — — — —

Idem alij Poetæ cecinerunt. Sedulius Carm. Euang. Lib. 1.

The-

*Thesaurisq; simul pro relligione solutis:*
*( Ipsa etiam vt possent species ostendere Christum )*
*Aurea nascenti fuderunt munera Regi;*
Thura *dedere* DEO: Myrrham *tribuere* Sepulchro.

Claudianus Epigram. de Christi Miracul.

*Dant tibi Chaldæi prænuncia munera* Reges:
*Myrrham, Homo: Rex, Aurum: Suscipe Thura Deus.*

Prudentius de Epiphan.

*Regem,* DEVM*que annunciant*
*Thesauris, & fragrans odor*
*Thuris Sabæi, ac Myrrheus*
*Puluis Sepulchrum prædocet.*

Idem in Enchirid.

*Heic pretiosa Magi sub virginis vbere Christo*
*Dona ferunt puero, Myrrhaq;, & Thuris, & Auri.*
*Miratur Genitrix tot casti ventris honores,*
*Seq; Deum genuisse, Hominem, Regemq; supremum.*

Aliud carmen habet S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ.

*Hic præsepe tuum Christe, atq; hic mystica Magi*
*Munera portantes Hominiq; Deoq; dedêre.*

Coloniæ Agrippinæ in æde summa, ad thecam argenteam deauratam Magorum exuuias continentem legitur hoc disticon

*Tres Reges Regum Regi tria dona tulerunt*
*Myrrham, Homini: Vncto, Aurum: Thura dedêre Deo.*

Nomina singulorum offerentium adponit Ioannes Adelphus recitans innominati Auctoris versus, commentariolo in Sequentiam sacri summi Natalitij

*Tres Reges quærunt Dominum, tria Dona tulerunt:*
Caspar *fert Myrrham: Thus, Melchior: Balthasar, Aurum.*
*Aurum dat Regem: verum dant Thura Prophetam:*
*Myrrha sepulturam signat, pœnamq; futuram.*

*Mortalitatem* exprimit Fulgentius Sermone vnico de Epiphan. *Per ista*, inquit, *tria munerum genera in vno, eodémque* CHRISTO, *& diuina Maiestas & regia Potestas, & humana* MORTALITAS *intimatur.* Thus *enim ad* Sacrificium: Aurum *pertinet ad* Tributum: Myrrha *ad* Sepulturam Mortuorum. *In oblatione* Thuris *confunditur Arianus, qui soli Patri sacrificium deberi contendit. In oblatione* Myrrhæ *confunditur Manichæus,* qui

*qui Christum verè mortuum pro nostra salute non credit. In* Auro *verò simul vterque confunditur, quia & Manichæus de semine Dauid secundum carnem natum non credit Regem: & Arianus de vnigenito naturalem adsignare nititur seruitutem. In ijsdem muneribus confunditur etiam Nestorius, qui nititur Christum in duas personas diuidere, cùm videat Magos non alia Deo, & alia Homini: sed vni Deo, Homini eadem munera obtulisse suppliciter. Non ergo diuidatur in personis, qui non inuenitur diuisus in donis.*

Eodem spectabat Petrus Chrysologus, qui Sermone. CLVII. Magos docet non arte sed Patrum traditione altóque sacramento cognouisse Christi ortum & *Mortem*, ideóque apta Patrum fidei munera adportasse.

Leo quoque M. Pontifex Serm. 1. de Epiphania: *Thus, inquit, Deo, Myrrham, Homini, Aurum offerunt Regi: scilicet, diuinam, humanámque naturam in vnitate venerantes, quod cordibus credunt, muneribus protestantur.*

Ab his acceperunt, quod consensu proferunt, posteriores, *Myrrham*, in Christo, Mortalitatis conditionem designasse. Vnus omnium sit instar Magister historiæ scholast. qui, *Obtulerunt Puero*, inquit, *singuli*, Aurum, Thus, & Myrrham, *secundum Sabæis consuetam oblationem. Inde significantes eum* Regem, DEVM, & MORTALEM.

Existimant igitur tot præclari Doctores, eximium in paucis, esse *Mortis Symbolum, Myrrham*. An quod amaritudinis sit præcipuæ, quam *Morti* adscribi meritò toties diximus, cuius pecualiaris est titulus, *Amara?* Amarissimam esse *Myrrham* non negabunt, qui vinum *Myrrhatum*, & vinum felle mixtum Christo patienti oblatum eundem fuisse potum existimant: de quo summa lis est inter eruditos, alibi decidenda.

An, quod *Myrrha* vis insit dolorem corporis omnem, non mitigandi solùm, sed & tollendi? Hoc fine sunt qui opinentur, à pijs mulieribus, quæ Christum lamentantes sequebantur, vinum Myrrha commistum datum fuisse, quod tormenta & cruciatus subituris dari soleret, vt vini Myrrha conditi ardore alienatis sensibus, dolorem, aut nullum, aut minorem caperent. Nihil est, quod ita sensus sopiat ac *Mors*, lethalis ipse *Sopor*, non ligans tantummodo sensum omnem vitalem, & vsum præpediens: sed auferens quoque vtendi potestatem.

Kkkkk An

An, quòd *Myrrha* condiendis demortuorum cadaueribus adhiberi ſit ſolita tam apud Gentes, quàm Iudæos? Nonne Christo mortuo venit Nicodemus ferens mixturam *Myrrhæ* & Aloes quaſi libras centum vt ſepeliretur Dominus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire? Hunc morem Iudæos ab Ægyptijs accepiſſe auctor eſt Tacitus. Ad quem morem reſpexiſſe Magos in *Myrrhæ* delatione Patrum nonnulli ſentiunt.

Ioan. XIX.

Tacit Li. XXI. Animal.

Clariſſimè Gregorius Homil. x. in Euang. *Magi*, inquit, *Aurum, Thus & Myrrham deferunt. Aurum quippe Regi conuenit. Thus verò in Dei ſacrificium ponitur: Myrrha autem mortuorum corpora condiuntur. Eum ergo Magi, quem adorant, etiam myſticis muneribus prædicant: Auro Regem: Thure, Deum. Myrrha, Mortalem.*

At, quâ de cauſſa cadauer *Myrrha* conditur? Vt diutius conſeruetur innoxium, procul à putredine. Hoc ſpectaſſe Nicodemum & pias matronas cum aromatibus ad CHRISTI ſepulcrum properantes monet Chryſoſtomus: *Si enim celerem reſurrectionem nouiſſent, illúmque Dei Filium credidiſſent, non hæc à putredine præſeruantia medicamenta paraſſent.* Eundem finem in Magorum muneribus agnoſcunt nonnulli ex Patribus.

Ambroſius Lib. II in Lucam. *Aurum, Regi: Thus Deo: Myrrha Defuncto. Aliud enim Regis inſigne: aliud diuinæ ſacramentum eſt Poteſtatis: aliud honor eſt Sepulturæ, quæ non corrumpat corpus mortui, ſed reſeruet.*

Auguſtinus Serm. L de Epiphan. *Per Aurum Rex oſtenditur: Deus in Thure dignoſcitur: per* Myrrham, *quæ condiendis eſt apta corporibus Sepultura crucifigendi hominis deſignatur.*

Cyprianus Sermone de Stella & Magis: *Primitiæ Gentium ſacramentalia munera proferant de theſauris. Profitentur ex ratione munerum de eo, quem adorabant, quid crederent, quid ſentirent. In Auro Regem: in Thure Sacerdotem, in* Myrrha *incorruptibilem, quamuis paſſibilem profitentur.*

Et hæc ipſa cauſa eſt, cur *Myrrha Symbolum* ſit *Memoriæ Mortis*, & *Mortis Ethicæ.* Vtraque enim, animam, ſi illa non leuiter aſpergatur Myrrha hac lacryma, ſed condiatur, ab omnis peccati putredine immunem reddit, ſed illius ſignatè, quod, quoniam corporis etiam putrefactionem non rarò inducit, putredine conuenientius, quam alia pleraque ſignificantur: cuius tot ſunt ſpecies, quot caſti-

tatem

tatem turpificantes maculæ. Quarum nullâ velles deformari mentem, multo minus corpus?

Stillent manus tuæ *Myrrham*, & digiti tui sint pleni Myrrha probatissima. *Myrrha* inungas manus, & digitos, per quos operationes intelliguntur. Quicquid exterius interiúsque feceris, cum *Mortis*, mox mox imminentis, cogitatione peragas, & stimulos carnis non senties. Non manus tantum, sed & digiti *Myrrham* stillent: Non solum dum in magnis ardúisque versaris *Mortis Memoriam* cole: sed in omnibus, quamuis minutissimis actionibus eam circumfer. Siue edas, siue bibas, siue dormias, siue aliud quidpiam facias, semper tibi versetur ob oculos, & auribus insonet non terribilior, quam verior comminatio: *Stulte hac nocte à te repetent animam tuam.* Cant. v. 5.

Digna consideratione mihi sæpè visa est illa Ambrosij de peccato luxuriæ sententia: *Sæuus criminum stimulus* Libido *est, quæ nunquam quietum manere patitur adfectum: nocte feruet, die anhelat, de somno excitat, à negocio abducit, à ratione reuocat*, aufert consilium, amentes inquietat, lapsos inclinat, nullus peccandi modus, & inexplebilis scelerum sitis, nisi MORTE amantis extingui non potest. An ergo *Mortis* ad Castitatis incorruptionem tanta est necessitas, vt libidinis flammam non possit extinguere: nisi vitali flamma penitus absumpta? At multos, nondum mortuos, & in flore ætatis, nouimus noxium illum ignem oppressisse. An igitur tanta vis *Mortis*, non obitæ, sed cogitatæ, vt libidinem quamuis vt faculam, in stuppâ crepitantem, queat opprimere? Ita reor. *Nihil enim sic*, vt loquitur Papa Gregorius, *ad edomandum desideriorum carnalium appetitum valet, quam, vt vnusquisque, hoc, quod viuum diligit, quale sit mortuum, penset.* Amb. Li. 1 de Cain & Abel, cap. 5. Lib. xvi. Mor. cap. 11.

Vis videre hominem Myrrhâ condientem sensus, vt illos à verme libidinis illæsos seruaret? Intuere S. Virum Magist. Guidonem Presbyterum Monialium Niuellensium, quem mortuæ tumbam ingressum, indéque hanc Myrrham desumpsisse Symbolo VIII. narrauimus.

Sed te ad nullius alterius sepulcralem caueam ablego, ne terrearis, quam ad Dilecti tui. Is tibi sit, sed iam mortuus, aut ipsius *Mors*, FASCICVLVS MYRRHÆ, qui commoretur inter vbera tua, de quo gloriatur Spõsa in Cant. Vbi eo Symbolo Christum *Mortem* per- Cant. 1. 13.

Eccl. XX. v. 5. pessum boni omnes Interpretes accipiunt. Christi enim *Mors* est *Myrrha* electa dans vbique suauitatem odoris. Hanc *Myrrham* vtinam olerent vestimenta nostra: id est, exterior conuersatio. Hic fasciculus si inter vbera nostra: id est, in corde commoraretur; si *Mortem* pro nobis obitam, & ad cuius similitudinem nobis quoque moriendum, iugi memoria recoleremus, veram nobis corporis & animæ incorruptionem tribueret.

Ps. XLIV. 3.

Petr. Damia. Epist. 1. 2. l. 5. Monial. cap. 3. *Christus*, inquit suauissimè Cardinalis Damiani, *per mysterium suum tibi videatur in ore, & Christus per amoris sui incendium tibi semper viuat in corde: & congruat etiam tibi, quod Sponsa dicit in Cantic.* Fasciculus Myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. *Quid enim per* Myrrham, *amarissimam videlicet aromatis speciem, qua cadauera defunctorum condiuntur, nisi Christi Passio*, & MORS *designatur? Quid aliud inter vbera, nisi cordis locus agnoscitur? Quisquis igitur amore continuo Christum in cordis sui arcano complectitur: quisquis imitandi gratia Passionis eius mysterium iugiter meditatur, huic profectò* Myrrhæ Fasciculus *Christus efficitur, atque iuxta SS sententiam*, inter eius vbera commoratur.

Mortificatio designata per Myrrham. Cant. III. Hinc iam oritur alterum huius *Symboli* significatum, quod *Mortem Ethicam* esse diximus. Hæc enim etiam incorruptionem præstat, & per *Myrrhã* indicatur. Magnus Gregorius ad illa Cant. III. *Quæ est illa, quæ ascendit de deserto sicut virgula fumi ex aromatibus* Myrrhæ *&* Thuris, *& vniuersi pulueris pigmentarij?* Myrrha, inquit, *corpora mortuorum condiuntur, ne putrescant:* Thura *verò incenduntur, vt redoleant. Per* Myrrham *ergo carnis Mortificatio designatur: per* Thus *verò, orationum mundicia intelligitur. Sancta igitur anima dum carnem suam à putredine vitiorum mortificat, dum omnes mundi voluptates per continentiam abnegat, quasi* Myrrham *mortuo corpori adhibet, vt post iudicium à corruptione æterna sanũ permaneat: cùm verò se ad cælestia maiori desiderio accendit, & à cordis cubiculo omnes superfluas cogitationes feruenter abijcit quasi thuribulum cor suum coram Deo facit: in quod, dum per dilectionem virtutes congregat, quasi carbones in thuribulo coaptat; in quo se ipsam mens in conspectu Dei caritatis igne incendat.*

Itaque, si lasciuientem carnem cohibere, & prauos omnes luxuriæ motus compescere desideras, in pectore *Symbolicã Myrrham* circumfer. Volue assiduè tum tibi imminentem, tum pro te à Dilecto tanta promptitudine susceptam acerbissimorum cruciatuum *Mortem*.

Ta-

*Talibus omne solet Sanctorum industria curis*
*Declinare nefas, sensusq; inhibere vagantes.*
*Mens abit ad pœnas Erebi sine fine manentes*
MORTE *laborantem* CHRISTVM *videt: aspicit ora*
*Afflictata siti, & crudelem horrentia potum:*
*Cogitat incumbens, & ineuitabile fatum.*

Sic Fasciculus Myrrhæ inter vbera tua commorabitur.

## *SYMBOLVM* XXXIV.

# MORTIS MEMORIA

## *NITRVM. VNGVEN CEDRINVM.*

EODEM iure vtrumque, quo *Myrrham*, & iisdem de causis, huic *Symbolorum* catenæ innecto. Rationem poscenti auctorem demonstro Herodotum, apud quem reperiet triplicem morem condiendi cadauera Ægyptiis vsitatum. Primus erat opulentiorum, qui ad conditutam vsurpabant, vinum Phæniceum, Myrrham puram contusam, Casiam, & omnis generis odores, excepto Thure. Vbi abluerunt, ait Historicus, syndone byssina incisis loris totum inuoluunt, gummi illinentes, quo Ægyptij glutinis loco plerumque vtuntur. *Herod. Lib. II.*

Secundus modus erat tenuiorum, sumptus minoris. Hi NITRO & VNGVINE CEDRINO cadauer perfundebant. Nitrum autem, præterquam, quod tubera abradat. Quod facit *Mortis Memoria*, superbiam deprimendo. Nam agnoscat se homo mortalem, & franget elationem inquit Augustinus. Carnes quoque tabefacit, ita vt mortui cutis tantùm & ossa relinquantur. Vel sola *Mortis* assidua contemplatio carnem benè curatam exsiccat & voluptuariam abundantiæ pinguedinem dissipat. *Nitri vis.* *Aug. de verb. Dom.*

Similis virtus est *Vnguinis cedrini*, de quo Plinius Lib. XVI. cap. II. *Pix liquida in Europâ è tæda coquitur: lignum eius concisum, furnis vndique igni extra circumdato feruet, vt primus sudor aquæ modo fluat canali, hoc* *Vnguen cedrinum.*

*in Syria* Cedrium *vocatur, cui tanta vis est, vt in Ægypto corpora hominum defunctorum eo perfusa seruentur.* Si seruari cupis non ad breue tantum tempus, sed æternum, mentem toties peccati malignitate ad extrema redactam, & sæpe vitâ functam, *Mortis* illam *Memoria*, tanquam diuiniore, quàm sit Syriæ, Cedrio perfunde.

Tertia conditura, minimarum impensarum, & vulgi, constabat ablutionibus, & exsiccatione. Quas melius etiam quam vlla Ægyptiorum malagmata præstabit *Mortis recordatio*, quæ tristitiam salutarem inducit: *Spiritus autem tristis exsiccat ossa*. Vulgare carmen est:

Pro. XVII. 22.

*Flere, si scires vnum tua tempora mensem:*
*Rides, cùm non sit forsitan vna dies.*

Et rythmus minimè vulgaris:

*Cùm recordor, quod sim cinis* *Sine fine pertimesco,*
*Et quàm citò venit finis:* *Et, vt Cinis, refrigesco.*

## *SYMBOLVM XXXV.*

# MORTIS MEMORIA

## *CHELIDONIA.*

CHELIDONIA herba est, quæ & *Chelidonium* dicitur. Recentiores nonnulli Latinè *Hirundinariam* nominant. An, quod hirundinum aduentu ex terrâ prodeat; discedentibus ijsdem marcescat? Ita Dioscoridi visum. An potius, quod si quis ex hirundinis pullis in nido excæcatus fuerit, mater hanc herbam oculis admoueat, cæcitati remedium longè præstantissimum? hæc plurimorum opinio: quam nunc probo, vt *Symbolum* formem. Quid enim aptius ad *Mortis Memoriam* exprimendum, quàm *Chelidonia* oculorum restitutrix?

Excæcantur multi, vt hirundinis pulli, in nido suo, vel fimèto, natalibus fidentes, aut nobilitate tumidi, domi suæ noscibiles. Exoculantur alij diuitiarum luto, blanditijs; plausus fama, scientia, cæci & du-

&duces cæcorum. Quod remedium? *Chelidonia*. MEMENTO MORI. *Dij estis & filij excelsi omnes: vos autem sicut homines moriemini, & sicut vnus de principibus cadetis.* Psa. LXXXI. 6. 7.

## SYMBOLVM XXXVI.

# MORTIS MEMORIA

## ANSER.

I. ANSERES illorum esse simulacra, qui continuâ *Mortis Memoria* extimulati, imminentem sibi prope diem supremam fatalémque horam, quotidie sedulò meditantur, alicubi scriptum reperio. Et est piorum illa haud inepta opinatio. Quid enim humana mens est tenebris obnubilata, & obuoluta, nisi nox pallens & atra? Excubant igitur hi, vigilant, clamitantque semper: *Custos quid de nocte? custos quid de nocte?* tanquam milites arcem custodientes, pauidi, ne media nocte clamor efficiatur, & ne dies Domini veniat, sicut Fur in nocte. Nesciunt enim quâ horâ Fur veniet, num in primâ vigiliâ, num in secundâ: nempe, quâ vitæ ætate, pueritia ne, an iuuentute, vel senectâ. Pauent autem, ac metuunt, ne adueniente die dicat anima corpori, velut olim Angelus Iacob: Dimitte me quoniam aurora est. Igitur, qui vt Anseres vigilant, infestorum Dæmonum deprædationi non subiacent. Imò, sicut olim *Anseres* à Gallis, Vrbis Capitolium conseruarunt: ita isti animam huius vrbis nostræ, huius, dico, corporis arcem tutantur, ac seruant. Ita illi, quorum sensum probo. Sed alia etiam continet hoc Hieroglyphicum ad rem nostram opportuna.

Apud Vlyss. Aldrouand. Lib. XIX. Ornithol. c. 17. Numer 30. Isa. XXI. 11. Genes. XXXII. 26.

II. ANSER custodiam *Symbolicè* significat, quia fidus est custos, quod ex Romana potius historiâ est desumptum, quàm ex alia quauis disciplinâ: licet ab huiusmodi significato non absit etiam Physica ratio: quippe, qui naturæ admodum pauidæ

uidæ cùm ſit, peruigili curâ, vt acutiſſimus eſt ad ea ſentienda, quæ latent, facilè excitatur, & minimo quoque ſtrepitu expergiſcitur.

Solicitiùs mentem cuſtodit *Mortis Memoria*, quam domicilium Imperij cuſtodierit olim *Anſer*. Qui continuò *Mortis* recordatur, *po-*
Pſ. XXXVIII. 2. *nit* imprimis *ori ſuo cuſtodiam*, ne quicquam proferat, quod illo mo-
Prouer. IV 23. mento eloquutus fuiſſe nollet. Tum *omni cuſtodia ſeruat cor ſuum*, ſciẽs,
Luc. VI. 45. quod *ex abundantia cordis os loquatur*. Et, *de corde exeant cogitationes malæ,*
Matt. XV. 19. *homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ quæ coinquinant hominem.*

ANSERIS ſtrepitus ad Vrbis tutelam contra hoſtes ſuſcipiendam excitat: multo magis, ac frequentius *Mortis Memoria*, ad virtutis defenſionem, contra ingruens aduerſariorum agmen. Vtrumque coniunxit eleganter Franciſcus Petrarcha ſcribens Franciſco Aretino, qui, cùm ruri delitijs omnibus frueretur, ſe à ſolis Anſeribus moleſtari ſcripſerat: cui reſpondet. Ex omnibus, quæ in villa ſunt, ſobriam, honeſtámque percipis vtilitatem: ſed, vnus, vt intelligo, non perdius modò, ſed pernox, ac perpetuus clangor te Anſerum inquietat. Habet, non inficior, aurium laborem hæc improbitas. Offendunt quietis, ſilentijque auidos & Anſeres, & Cicadæ ſtridulæ in ramis, & rudentes in paſcuis Aſelli; &, quæ ſunt huiuſmodi. Sed moleſtior multo eſt ineptiſſimus in triuijs vulgi fragor, ac ſtrepitus. Nulla enim vſquam bellua, crede mihi, tædioſior vulgo eſt. Cetera tamen fere omnia, vel hieme, vel noctibus ſaltem ſilent. Quædam verò noctibus importuna, luce ferias agunt. Anſerinum iuge tædiũ, ſed quod facile perferas, ſi in animum redierit clangore Anſeris excitatum quondam Capitolij defenſorem, irrumpentes Gallos Romanorum ab arcibus arcuiſſe. Idque ob meritum, multis poſt ſeculis auis huius effigiem illic argenteam extitiſſe. Quod an illi excubitricis eximiæ famam quæſierit; an, quod haud dubiè vigilantiſſimum ſit animal, non noui.

Sed vtrumuis horum opinemur, hæc profectò ſaluberrima cogitatio, atque huiuſce tædij remedium erit optimum. Vt ſcilicet quoties *Aliſ*illa, MORS EXCVBITRIX, præſertim noctibus ſtrepit, putes te ad reſiſtendũ vitijs excitari, & confeſtim arma corripias arma, inquã, non quæ apud Æoliam Achilli Mulciber, aut Æneæ: ſed quæ intus in anima cœleſtis tibi faber excuderit. Neque verò minores

res existimes tibi imminere vitiorum insidias, atque insultus, quàm Gallorum Manlio. Proinde non *Anserem*, sed Angelicum tubicinem strepuisse credito, quoties nocturnus Anser (*Mortis Memoria*) increpuerit, & te obsessum, & circumfusos hostes acerrimos, Mundum, Carnem, Dæmonia recordare; teque per tenebras ad dumeta reptantibus obuium fer armatum.

Quoties autem ore Anseris (*Mortis Memoria*) experrectus, hostibus tuis diuina ope ex altiore animi parte restiteris, arcémque defenderis, nihil hîc tibi, sed totum illi tribuas, de quo scriptum est: *Non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel*: ne qua te inanis gloria, ne qua benè gestæ rei conscientia, atque hinc oriens excellentiæ appetitus è seruati Capitolij arce deijciat. Ps. cxx 4.

IV. ANSER, ni me fallat Ornithologus, boni ominis ales semper est habitus, vel hoc ipso *Mortis* in *Memoria* reconditæ hieroglyphicum: quid enim ad futuræ felicitatis præsagitionem magis accommodatum, quàm in æternum non peccare? seu, ad statum æternitatis peccatum non deferre; *Mortem* autem in animo qui circumfert, quippe nouissimorum memor, non peccabit in æternum. *Anser boni ominis.* *Aldrouand. Lib. xix. Ornith ca. 17. Num. 40.*

## SYMBOLVM XXXVII.

# MORTIS MEMORIA

## CYGNVS.

INiurius essem in candidissimum volucrem, nisi in hunc album Symbolorum, quæ *Mortis Memoriam* exhibent, à me referretur: vel hoc solùm dignus elogio, quod suauissimè concinat *Morti* vicinior, cantu illam inuitans. Hinc CYGNEA CANTIO, quâ *Mortis Memoriã* testatur, vt amicæ, sibique optatæ. Aristoteles Lib. IX. Histor. ca. 12. *Canere* Cygni *soliti sunt, & præcipuè iam iam morituri*: imò, non canere nisi morituros plurimi adserunt

Ouid. in Epist.

*Namq; vbi fata vocant udis abiectus in herbis,*
*Ad vada Meandri concinit albus* olor.

Lib. XIV. Meta.

*Carmina iam moriens canit exequalia* Cygnus

*Dulcia defecta modulatur carmina lingua*

Martial. in Xeniis.

*Cantator* Cygnus *funeris ipse sui.*

Lib. I. Notis ad Comm. 32.

Cuius generis plura nuper adduximus. Hoc est huius loci, quod alicubi legatur, ob mortualem concentum, quam *Memoriam Mortis* significare diximus, *Cygno* vitam datam, alioqui certo certius interimendo. Id Apologo indicatum reperio, si non sit vera narratio. Quid autem certius, quam assiduam *Mortis Memoriam*, subducere hominem à peccato, quod vera *Mors* est animæ.

Apologum attende. Vir diues *Anserem* simul & Cygnum alebat, non ad eadem tamen: sed alterum cantus, alterum mensæ caussa. Cùm autem oporteret Anserem pati ea, quorum caussa nutriebatur, nox erat, ac discernere tempus non permisit vtrumque: Cygnus autem pro Ansere adductus canit melos quoddam Mortis signum, & exordium, eoque qui sit significat, & *Mortem* cantilenæ mortualis subsidio effugit.

Gabriel Faernus Cremonensis.

*Adfabulatio* indicat *Mortis Memoriam* efficacius, quam Eloquentiam arcere *Mortem*. Quod sic cantauit Poeta

*Duas opimas cors alebat alites,*
Cygnum, Anserem*que candidum,*
*Vt ille dulce ferret auribus melos.*
*At hic obesa viscera*
*Gulæ exhiberet. Ergo vt hunc hero in cibum*
*Parare iussus est coquus:*
*Loco* Anseris Cygnum *inscius prehenderat:*
*Colore falsus alitum.*
*At ille funus, vt solent* Cygni, *in suum*
*Suaue carmen ordiens,*

*Ita*

*Ita agnitus, grauiq; Mortis impia*
*Solutus est periculo:*
*Pericla sæpè, sæpe proximam necem*
*Memoria Mortis arcuit.* Repellit Magnantia.

## SYMBOLVM XXXIX.

# MORTIS MEMORIA

## ELEPHANTVS.

----*Non soli celebrant sua funera* Cygni. Papini. Li. iii. Syluar.

Itaque quot sunt animalia, quæ cantu *Mortem* præcinunt, vel aduocāt, tot in censum veniunt imaginum, quibus *Mortis Memoria* exprimitur. Celebratur autem imprimis ELEPHAS, de quo sic Oppianus versibus Latinè redditis. Oppian. L. II. de Venat.

*Quid verò mirum, quùm* Elephas (*audita fatebor,*)
*Pectore diuino fati præsagiat omen?*
*Non igitur solis auibus prænosse futura*
*Contigit, aut soli de* Morte *queruntur Olores:*
*Quippe* Elephas *tristi quoq; fatum carmine luget.*

## SYMBOLVM XXXIX.

# MORTIS MEMORIA

## ELEPHANTIS ADEPS.

NON tam *Mortis Memoriam Elephas*, quàm huius ADEPS virtutē illius indicat. Nam contra omnium ferarum venena præsidium est *Adeps Elephanti*: Θηρίων δ' ἀλεξιφάρμακον ἦν ἄρα πάντων πιμελὴ ἐλέφαντος: quo, qui fuerunt inuncti, etiamsi nudi contra atrocissimas belluas confligant, illæsi discedunt: Auctor Ælianus Lib. I. de Animalibus cap. XXXVII.

Jam sæpe dictum probatumque est, *Mortis Meditationem* optimum esse aduersus omnia mala præsidium. Eandem haberi in Medicina Christiana vniuersale contra quæuis sortilegia Amuletum; contra peccati nocentissima venena Antidotum; contra quoslibet ferarum morsus Alexipharmacum. Nihil sic ad edomandum desideriorum carnalium appetitum valet, quàm vt vnusquisque hoc, quod viuum diligit, quale sit mortuum penset. Gregorius Lib. XVI. Moralium cap. 31.

## SYMBOLVM XL.

# MORTIS MEMORIA.

## PSITTACVS.

HVIC aliti idem tribuit in syluis suis Papinius quod *Cygno* Poetarum princeps; Nam fati certum, ideóque memorem, *Morti* præcinere opinatur. Vnde id hauserit ignoro: nec alibi mihi lectum recordor. Nominetur tamen vel ob eius auctoritatem inter *Mortis* memo-

*Papinius L. II. Syluar.*

memores auiculas *Psittacus*. Quem si imitari iuuat, *Mortis* præsagio, non tibi minus, quàm alijs vitam adferes & salutem. Quam Psittaco debuit Leo Basilij Macedonis filius, cum is lugubri voce Senatores, cum Imperatore cœnantes, vt pro misero intercederent, incitaret. Et te *Mortis Memoria* exstimulabit cotidie, si illam colas, vt pro salute Morti iam olim addicti DEO supplex fiat. Quam verè mortalium quilibet de se vsurpare potest. *Zonaras in Basil.*

Psittacus *à vobis aliorum nomina discam:*
*Hoc didici per me dicere,* PVLVIS ERO. *Martialis Lib. XIV 71. Cæsar aue.*

Alias voces, sæpius inculcatas à Magistris accepi: me moriturum, & puluerem fore ex me, sine magistro didici. Quod illustri ad posteritatem documento è sepulcrali capulo testatus est, incisis deinde in marmore versibus Rex Francorum, cuius hoc etiam-num legitur Epitaphium. *Epitaphium Regis Francorum.*

*Risi, ploro, fui, non sum: studui, requiesco.*
*Lusi, non ludo, cecini, nunc mutio, paui*
*Corpus, alo vermes. Vigilaui, dormio. Dixi*
*Salue, dico Vale. Rapui, rapior. Superaui,*
*Vincor. Certaui, pace vtor. Iure ego vixi,*
*Iure igitur* Morior, *non obsto: obstare nequirem.*
*Terra fui quondam, rursum sum terra,* NIHIL *sum.*
*Terra caduca vale. Vermes salucte: recumbo.*

## *SYMBOLVM* XLI.

# MORTIS MEMORIA.

## *SEMENDA.*

EXIMIVS est fructus *Mortis præmeditatæ*, libenter, & cum hilaritate mori. Quod si repræsentandum esset, Ægyptijs characteribus, sculpere oporteret SEMENDAM, quam vlterioris Indiæ auem celebrat Nicolaus de Comitibus, scribitque trifido esse rostro, & se morituram sentire: *Mortis* igitur hora defert ligna in nidum cätillatque

LIIII 3 suaui-

suauiter, & alarum percussione incendit ligna; ipsa verò igne consumitur: sicque cantillans moritur.

Ita mortuum esse non dubito Seraphicum Patrem Franciscum, de quo refert S. Bonauentura: Cùm grauissimis torqueretur totius corporis doloribus, nullum aliud fomentum habuisse, quàm, vt & ipse diuinas laudes caneret lætus, & alios canentes audiret. In quo cùm ab Helia penè obiurgaretur, quod potius præstaret extremum illud tempus lacrymis & pœnitentiæ impendere, respondit: Non licere sibi aliter facere, quod sciret se breui cum Deo fore. Nec aliter fuit mortuus Gerardus, B. Bernardi frater, de quo ipse Sermone XXVI. in Cantica, vbi miratur visum exultare hominem in *Morte*. Et Antonius Patauinus, qui hymnum Matri Magnæ concinebat moriens, vt habet in vita Surius. Et BBti Martinus, Dominicus, Antoninus, & Societatis IESV Religiosi aliqui, quorum felices exitus, refert ex varijs scriptoribus Antoninus Dauroltius in Catechismo Historico.

Tom III. Iunii XIII. cap. 37.

Cap. VIII. Tit. 10.

## *SYMBOLVM* XLII.

# MORTIS MEMORIA

## *SIREN.*

SIRENES secundùm fabulam tres in parte virgines fuerunt, in parte volucres, Acheloi fluminis, & Calliopes Musæ filiæ: harum vna voce, altera tibijs, alia lyra canebat: & prima iuxta Pelorum, post in Capreis insulis habitarunt. Quæ illectos suo cantu in naufragia deducebant. Secundùm veritatem Meretrices fuerunt: quæ transeuntes, quoniam deducebant ad egestatem, his fictæ sunt inferre naufragia, vt Seruius adserit, ad illud Æneidos V.

*Iamq; adeò scopulos* Sirenum *aduecta subibat,*
*Difficiles quondam multorumq; ossibus albos:*
*Tum rauca assiduo longè sale saxa sonabant.*

Vide Lil. Gyraldum Syntag. V. Natal. Com. Lib. VII. c. 13. Delrium Anninar. in Senec. Chor. 2. Medea

Quo

Quo loco, vt admonet Montfortius, insinuat Poeta, Sirenas scopulos fuisse in angustias contractos, quibus cùm fremitu blando illisi fluctus marini, cùm canorum quiddam resonarent, nautæ periculi securi æstui se totos permittebant. Naufragio illic facto corpora ad nudos scopulos eiecta posteà ibi computrescebant. Hoc initium fabulæ de monstris marinis, musica, blandientibus lenis. Claudian.

*Dulce malum pelago* Siren, *volucresq; puella,*
*Scyllæos inter fremitus, auidamq; Charibdim,*
*Musica saxa fretis habitabant dulcia monstra,*
*Blanda pericla maris: terror quoq; gratus in vndis.*
*Delatis licet huc incumberet aura carinis,*
*Implessentq; sinus venti de puppe ferentes.*
*Figebat vox vna ratem: nec tendere certum*
*Delectabat iter, reditus, odiumq; iuuabat:*
*Nec dolor vllus erat:* Mortem *dabat ipsa voluptas.*

Physicarum rerum Scriptores, *Sirenem* contendunt esse animal in alitum genere: inter quod & *Cygnum*, hoc aiunt esse discrimen ex Aristotele in problematis. Quod *Siren* in vita suauiter cantillet, sed mortem tristissimam gemendo obeat, contra quàm *Cygnus*: cuius discriminis hanc adsignant caussam. Quod Cygnus optimo ac subtilissimo sanguine abundet eo tempore, qui tunc cordi laboranti subuenire contēdat, hinc dilatatio, lætitia, concentus: *Siren* verò dum viuit, bonum omnem, ac defæcatum sanguinem, pro nutrimento habeat: crassum, ac deteriorem reseruet, qui circa vitæ finem ad cor accurrit, illud cingit & obruit: hinc mœstitia, & gemitus.

Sirenes *Symbolicè* designat vitæ iucunditatibus deditos, qui meretricias sensuum consectantur delectationes, qui vitium pro virtute in vita colunt, qui volutantur in carne & sanguine, nepotuli, ventres, azoti. Hi subtilissimum sanguinem dum dies noctibus potitando & lasciuiendo iungunt, dilapidant, & quia ducunt in bonis dies suos *Memoriam Mortis* nullam in vita habent: deterrimū autē sanguinem criminum ex iniquitate, quam, vt aquam bibunt quotidiè

Prou. XIV. 13. tidie generant. Hic in excessu cor opprimit facitque vt decedunt tanquam *Sirenes*, gemebundi, & vlulantes: sic, *Extrema gaudij luctus occupat.*

*Mortis Memoria*, improbis, ceu *Sirenibus*, mœrorem, anxietatemque generat, nec sinit quietè viuere. Quo spectat pulcherrima comparatio D. Chrysostomi Homilia de nequitia repellenda. *Sicut, qui carcerem inhabitant capitis damnationem operientes &* Mortem, *vitam longè agunt molestiorem, & anxiam, quo delitiis magis abunde fruuntur*: Mortis *enim futuræ expectatio haud quaquam sinit, vt quas in manibus habent, voluptates, & delitias, sentiant sic ab his, qui conscientiæ stimulis agitantur, nequit in malignitate amaritudo euitari, vel in nequitia defungi tristitia: quin potius externis voluptatibus sæuius cruciantur.*

Μούσας Σειρήνων ἡγεῖσθαι: Musas Sirenibus præferendas, *Symbolicè* aiebat Pythagoras, vt est apud Clementem Alexandrinum, & Theodoretum, quo innuebat: Simplicem veritatem iucundis & dulcibus, sed perniciosis sermonibus anteponendam. Ego ad *Symbolum* nostrum accommodatè: *Cygnos Sirenibus*, aio, præferendos: nimirum, Mortis in vita memores, ac tunc lugentes, in excessu vero cantantes: ijs, qui dum viuunt, *Mortis* memoriam ablegant, vt cantillent: sed in *Morte*, cum ijs repentè superuenerit interitus, torquentur, & plorant.

## *SYMBOLVM* XLIII.

# MORTIS MEMORIA

## *TIGRIS.*

CElebrantur quattuor Paradisi flumina, totidemque sunt hominis Nouissima. Horum consideratio, haud minoris est vtilitatis, quàm eorum fuerit vsus. Singula singulis conferre non est præsentis loci Sat habeam si *Tigrim* nominem. Appellatus est autem TIGRIS, vt existimat Isidorus Lib. XIII. Etymolog. cap. 21. & Rupertus Lib. II. de operib. Trinit. c. 29. à celeritate cursus, ductâ similitudine à Tigri ani-

animalium velocissimo, cuius miram incursu pernicitatem describit Plinius Lib. VIII. cap. 18. Sed verius fortasse est, quod, cum Plinio Lib. VI. cap. 27. Q. Curtio Lib. IV. hist. & Strabone Lib. II. sentit Benedict. Pererius, dictum esse Tigrim à celeritate sagittæ, quæ linguâ Medorum Tigris appellatur. Sanè Hebræam vocem חדקל *Chidekel*, significare velocem & sagittam nonnulli aiunt: quod non reijcit Delrius in Genesim. At Tigrim sic dici arbitratur R. Dauid Kimhi, quod aquæ eius saporem quendam acutum reddant, vel à cursu velocissimo. Chaldaicè nominatur דגלת *Diglath*: quo vocabulo significari scribit Iosephus, eum simul angustum, arctúmque, & velocem decurrere. Apud Danielem cap. x. appellatur fluuius magnus, illustris maxima quondam ciuitate Niniue, quàm præterfluebat.

Tobiæ VI. I *Profectus Tobias, mansit primâ mansione iuxta fluuium Tigris.* Quid hoc fluuio *Symbolicè* significatur? Respondet Glossator ordinarius, & interlinealis: Decursus mortalitatis. Benè: nam reuerà non est tam velox *Tigris*, siue flumen, siue fera, quàm decurrens Mortalitas. Sed quid hæc ipsa aliud est, quàm *Mors*, verè *Tigris* siue fluuiũ intelligas magnum, omnia inundantem, siue truculentam bestiam cuncta deuorantem, quæ celerrimè quotidie iter conficit.

*Quantum non celeres naues, non alituum ala.*
*Quantum non iaculum Parthi, non impetus Austri.* Hom. Odyss. H. Claud.

Ad huius autem ripas manendum Æternitatis beatæ studioso: hîc subsistẽdum, hîc memori mente hærendum. Siquidem prima mansio eius qui Angelum socium habet in viâ, vt ad patriam cœlestem perueniat, debet esse MORTIS MEMORIA. Didac. Lopez in Mensa spirit. lib. v. Mort. N. 44.

# SYMBOLVM XLIV.

# MORTIS MEMORIA

## BASILISCI--INTERITVS.

ÆGYPTVS BASILISCVM creat, malum in terris singulare. Serpens est penè ad semipedem longitudinis alba quasi mitrula li- Solin. ca. XXIX Pli. L. VIII. c. 21 Ælian. Li. II. cap. 5.

Mmmmm neatus

*in Syria* Cedrium *vocatur, cui tanta vis est, vt in Ægypto corpora hominum defunctorum eo perfusa seruentur.* Si seruari cupis non ad breue tantum tempus, sed æternùm, mentem toties peccati malignitate ad extrema redactam, & sæpe vitâ functam, *Mortis* illam *Memoria*, tanquam diuiniore, quàm sit Syriæ, Cedrio perfunde.

Tertia conditura, minimarum impensarum, & vulgi, constabat ablutionibus, & exsiccatione. Quas melius etiam quam vlla Ægyptiorum malagmata præstabit *Mortis recordatio*, quæ tristitiam Prov. XVII. 22. salutarem inducit: *Spiritus autem tristis exsiccat ossa.* Vulgare carmen est:

*Fleres, si scires vnum tua tempora mensem:*
*Rides, cùm non sit forsitan vna dies.*

Et rythmus minimè vulgaris:

*Cùm recordor, quod sim cinis* — *Sine fine pertimesco,*
*Et quàm citò venit finis:* — *Et, vt Cinis, refrigesco.*



## SYMBOLVM XXXV.

# MORTIS MEMORIA

## CHELIDONIA.

CHELIDONIA herba est, quæ & *Chelidonium* dicitur. Recentiores nonnulli Latinè *Hirundinariam* nominant. An, quod hirundinum aduentu ex terrâ prodeat; discedentibus iisdem marcescat? Ita Dioscoridi visum. An potius, quod si quis ex hirundinis pullis in nido excæcatus fuerit, mater hanc herbam oculis admoueat, cæcitati remedium longè præstantissimum? hæc plurimorum opinio: quam nunc probo, vt *Symbolum* formem. Quid enim aptius ad *Mortis Memoriam* exprimendum, quàm *Chelidonia* oculorum restitutrix?

Excæcantur multi, vt hirundinis pulli, in nido suo, vel simèto, natalibus fidentes, aut nobilitate tumidi, domi suæ noscibiles. Exoculantur alij diuitiarum luto, blanditijs; plausus fama, scientia, cæci & du-

&duces cæcorum. Quod remedium? *Chelidonia.* MEMENTO MORI. *Dij estis & filij excelsi omnes: vos autem sicut homines moriemini, & sicut vnus de principibus cadetis.* Psa. LXXXI. 6. 7.

## SYMBOLVM XXXVI.

# MORTIS MEMORIA

## *ANSER.*

I. ANSERES illorum esse simulacra, qui continuâ *Mortis Memoria* extimulati, imminentem sibi prope diem supremam fatalémque horam, quotidie sedulò meditantur, alicubi scriptum reperio. Et est piorum illa haud inepta opinatio. Quid enim humana mens est tenebris obnubilata, & obuoluta, nisi nox pallens & atra? Excubant igitur hi, vigilant, clamitantque semper: *Custos quid de nocte? custos quid de nocte?* tanquam milites arcem custodientes, pauidi, ne media nocte clamor efficiatur, & ne dies Domini veniat, sicut Fur in nocte. Nesciunt enim quâ horâ Fur veniet, num in primâ vigiliâ, num in secundâ: nempe, quâ vitæ ætate, pueritiane, an iuuentute, vel senectâ. Pauent autem, ac metuunt, ne adueniente die dicat anima corpori, velut olim Angelus Iacob: Dimitte me quoniam aurora est. Igitur, qui vt Anseres vigilant, infestorum Dæmonum deprædationi non subiacent. Imò, sicut olim *Anseres* à Gallis, Vrbis Capitolium conseruarunt: ita isti animam huius vrbis nostræ, huius, dico, corporis arcem tutantur, ac seruant. Ita illi, quorum sensum probo. Sed alia etiam continet hoc Hieroglyphicum ad rem nostram opportuna. Apud Vlyss. Aldrouand. Lib. xix. Ornithol. c. 17. Numer 30. Isa. xxi. 11. Genes. xxxii. 26.

II. ANSER custodiam *Symbolicè* significat, quia fidus est custos, quod ex Romana potius historiâ est desumptum, quàm ex alia quauis disciplinâ: licet ab huiusmodi significato non absit etiam Physica ratio: quippe, qui naturæ admodum pauidæ

uidæ

uidæ cùm sit, peruigili curâ, vt acutissimus est ad ea sentienda, quæ latent, facilè excitatur, & minimo quoque strepitu expergiscitur.

Solicitiùs mentem custodit *Mortis Memoria*, quam domicilium Imperij custodierit olim *Anser*. Qui continuò *Mortis* recordatur, *po-*
Ps. xxxviii. 2. *nit* imprimis *ori suo custodiam*, ne quicquam proferat, quod illo mo-
Prouer. iv. 23. mento eloquutus fuisse nollet. Tum *omni custodia seruat cor suum*, sciēs,
Luc. vi. 45. quod *ex abundantia cordis os loquatur*. Et, *de corde exeant cogitationes malæ,*
Matt. xv. 19. *homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ quæ coinquinant hominem.*

ANSERIS strepitus ad Vrbis tutelam contra hostes suscipiendam excitat: multo magis, ac frequentius *Mortis Memoria*, ad virtutis defensionem, contra ingruens aduersariorum agmen. Vtrumque coniunxit eleganter Franciscus Petrarcha scribens Francisco Aretino, qui, cùm ruri delitijs omnibus frueretur, se à solis Anseribus molestari scripserat: cui respondet. Ex omnibus, quæ in villa sunt, sobriam, honestámque percipis vtilitatem: sed, vnus, vt intelligo, non perdius modò, sed pernox, ac perpetuus clangor te Anserum inquietat. Habet, non inficior, aurium laborem hæc improbitas. Offendunt quietis, silentijque auidos & Anseres, & Cicadæ stridulæ in ramis, & rudentes in pascuis Aselli; &, quæ sunt huiusmodi. Sed molestior multo est ineptissimus in triuijs vulgi fragor, ac strepitus. Nulla enim vsquam bellua, crede mihi, tædiosior vulgo est. Cetera tamen fere omnia, vel hieme, vel noctibus saltem silent. Quædam verò noctibus importuna, luce ferias agunt. Anserinum iuge tædiū, sed quod facile perferas, si in animum redierit clangore Anseris excitatum quondam Capitolij defensorem, irrumpentes Gallos Romanorum ab arcibus arcuisse. Idque ob meritum, multis post seculis auis huius effigiem illic argenteam extitisse. Quod an illi excubitricis eximiæ famam quæsierit; an, quod haud dubiè vigilantissimum sit animal, non noui.

Sed vtrumuis horum opinemur, hæc profectò saluberrima cogitatio, atque huiusce tædij remedium erit optimum. Vt scilicet quoties *Alis*illa, MORS EXCVBITRIX, præsertim noctibus strepit, putes te ad resistendū vitijs excitari, & confestim arma corripias arma, inquā, non quæ apud Æoliam Achilli Mulciber, aut Æneæ: sed quæ intus in anima cœlestis tibi faber excuderit. Neque verò minores

res

res existimes tibi imminere vitiorum insidias, atque insultus, quàm Gallorum Manlio. Proinde non *Anserem*, sed Angelicum tubicinem strepuisse credito, quoties nocturnus Anser (*Mortis Memoria*) increpuerit, & te obsessum, & circumfusos hostes acerrimos, Mundum, Carnem, Dæmonia recordare ; teque per tenebras ad dumeta reptantibus obuium fer armatum.

Quoties autem ore Anseris (*Mortis Memoria*) experrectus, hostibus tuis diuina ope ex altiore animi parte restiteris, arcémque defenderis , nihil hîc tibi, sed totum illi tribuas, de quo scriptum est: *Non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel*: ne qua te inanis gloria, ne qua benè gestæ rei conscientia, atque hinc oriens excellentiæ appetitus è seruati Capitolij arce deijciat. *Ps. cxx. 4.*

IV. ANSER, ni me fallat Ornithologus, boni ominis ales semper est habitus, vel hoc ipso *Mortis* in *Memoria* reconditæ hieroglyphicum: quid enim ad futuræ felicitatis præsagitionem magis accommodatum, quàm in æternum non peccare? seu, ad statum æternitatis peccatum non deferre; *Mortem* autem in animo qui circumfert, quippe nouissimorum memor, non peccabit in æternum. *Anser boni ominis. Aldrouand. Lib. xix. Ornith ca. 17. Num. 40.*

## *SYMBOLVM* XXXVII.

# MORTIS MEMORIA

## *CYGNVS.*

INiurius essem in candidissimum volucrem, nisi in hunc album Symbolorum, quæ *Mortis Memoriam* exhibent, à me referretur: vel hoc solùm dignus elogio, quod suauissimè concinat *Morti* vicinior, cantu illam inuitans. Hinc CYGNEA CANTIO, quâ *Mortis Memoriā* testatur, vt amicæ, sibique optatæ, Aristoteles Lib. IX. Histor. ca. 12. *Canere* Cygni *soliti sunt, & præcipuè iam iam morituri* : imò, non canere nisi morituros plurimi adserunt

Ouid. in Epist.

*Namq; vbi fata vocant udis abiectus in herbis,*
*Ad vada Meandri concinit albus* olor.

Lib. XIV. Meta.

*Carmina iam moriens canit exequalia* Cygnus

*Dulcia defecta modulatur carmina lingua*

Martial. in Xeniis.

*Cantator* Cygnus *funeris ipse sui.*

Lib. 1. Notis ad Comm. 32.

Cuius generis plura nuper adduximus. Hoc est huius loci, quod alicubi legatur, ob mortualem concentum, quam *Memoriam Mortis* significare diximus, *Cygno* vitam datam, alioqui certo certius interimendo. Id Apologo indicatum reperio, si non sit vera narratio. Quid autem certius, quam assiduam *Mortis Memoriam*, subducere hominem à peccato, quod vera *Mors* est animæ.

Apologum attende. Vir diues *Anserem* simul & Cygnum alebat, non ad eadem tamen: sed alterum cantus, alterum mensæ caussa. Cùm autem oporteret Anserem pati ea, quorum caussa nutriebatur, nox erat, ac discernere tempus non permisit vtrumque: Cygnus autem pro Ansere adductus canit melos quoddam Mortis signum, & exordium, eoque qui sit significat, & *Mortem* cantilenæ mortualis subsidio effugit.

Gabriel Faernus Cremonensis.

*Adfabulatio* indicat *Mortis Memoriam* efficacius, quam Eloquentiam arcere *Mortem*. Quod sic cantauit Poeta

*Duas opimas cors alebat alites,*
Cygnum, Anserem*que candidum,*
*Vt ille dulce ferret auribus melos.*
*At hic obesa viscera*
*Gulæ exhiberet. Ergo vt hunc hero in cibum*
*Parare iussus est coquus:*
*Loco* Anseris Cygnum *inscius prehenderat:*
*Colore falsus alitum.*
*At ille funus, vt solent* Cygni, *in suum*
*Suaue carmen ordiens,*

Ita

*Ita agnitus, grauiq; Mortis impiæ*
*Solutus est periculo:*
*Pericla sæpè, sæpe proximam necem*
*Memoria Mortis arcuit.* Repetit eloquentia.

## SYMBOLVM XXXIX.

# MORTIS MEMORIA

## ELEPHANTVS.

----*Non soli celebrant sua funera* Cygni. Papini. Li. ii. Syluar.

Itaque quot sunt animalia, quæ cantu *Mortem* præcinunt, vel aduocāt, tot in censum veniunt imaginum, quibus *Mortis Memoria* exprimitur. Celebratur autem imprimis ELEPHAS, de quo sic Oppianus versibus Latinè redditis. Oppian. L. ii. de Venat.

*Quid verò mirum, quùm* Elephas (*audita fatebor,*)
*Pectore diuino fati præsagiat omen?*
*Non igitur solis auibus prænosse futura*
*Contigit, aut soli de* Morte *queruntur Olores:*
*Quippe* Elephas *tristi quoq; fatum carmine luget.*

## SYMBOLVM XXXIX.

# MORTIS MEMORIA

## ELEPHANTIS ADEPS.

NOn tam *Mortis Memoriam Elephas*, quàm huius ADEPS virtutẽ illius indicat. Nam contra omnium ferarum venena præsidium est *Adeps Elephanti*: Θηρίων δ' ἀλεξιφάρμακον ἦν ἄρα πάντων πιμελὴ ἐλέφαντος: quo, qui fuerunt inuncti, etiamsi nudi contra atrocissimas belluas confligant, illæsi discedunt: Auctor Ælianus Lib. I. de Animalibus cap. XXXVII.

Jam sæpe dictum probatumque est, *Mortis Meditationem* optimum esse aduersus omnia mala præsidium. Eandem haberi in Medicina Christiana vniuersale contra quæuis sortilegia Amuletum; contra peccati nocentissima venena Antidotum; contra quoslibet ferarum morsus Alexipharmacum. Nihil sic ad edomandum desideriorum carnalium appetitum valet, quàm vt vnusquisque hoc, quod viuum diligit, quale sit mortuum penset. Gregorius Lib. XVI. Moralium cap. 31.

## SYMBOLVM XL.

# MORTIS MEMORIA.

## PSITTACVS.

HVIC aliti idem tribuit in syluis suis Papinius quod *Cygno* Poetarum princeps; Nam fati certum, ideóque memorem, *Morti* præcinere opinatur. Vnde id hauserit ignoro: nec alibi mihi lectum recordor. Nominetur tamen vel ob eius auctoritatem inter *Mortis* memo-

*Papinius L. II. Syluar.*

memores auiculas *Psittacus*. Quem si imitari iuuat, *Mortis* præsagio, non tibi minus, quàm alijs vitam adferes & salutem. Quam Psittaco debuit Leo Basilij Macedonis filius, cum is lugubri voce Senatores, cum Imperatore cænantes, vt pro misero intercederent, incitaret. Et te *Mortis Memoria* exstimulabit cotidie, si illam colas, vt pro salute Morti iam olim addicti DEO supplex fiat. Quam verè mortalium quilibet de se vsurpare potest. Zonaras in Basilio.

Psittacus *à vobis aliorum nomina discam:*
*Hoc didici per me dicere,* PVLVIS ERO. Martialis Lib. XIV 71. Cæsar aue.

Alias voces, sæpius inculcatas à Magistris accepi: me moriturum, & puluerem fore ex me, sine magistro didici. Quod illustri ad posteritatem documento è sepulcrali capulo testatus est, incisis deinde in marmore versibus Rex Francorum, cuius hoc etiam-num legitur Epitaphium. Epitaphium Regis Francorum.

*Risi, ploro, fui, non sum: studui, requiesco.*
*Lusi, non ludo, cecini, nunc mutio, paui*
*Corpus, alo vermes. Vigilaui, dormio. Dixi*
*Salue, dico Vale. Rapui, rapior. Superaui,*
*Vincor. Certaui, pace vtor. Iure ego vixi,*
*Iure igitur* Morior. *non obsto: obstare nequirem.*
*Terra fui quondam. rursum sum terra,* NIHIL *sum.*
*Terra caduca vale. Vermes salutete: recumbo.*

## *SYMBOLVM* XLI.

# MORTIS MEMORIA.

## *SEMENDA.*

EXIMIVS est fructus *Mortis præmeditatæ*, libenter, & cum hilaritate mori. Quod si repræsentandum esset, Ægyptijs characteribus, sculpere oporteret SEMENDAM, quam vlterioris Indiæ auem celebrat Nicolaus de Comitibus, scribitque trifido esse rostro, & se morituram sentire: *Mortis* igitur hora defert ligna in nidum cātillatque

suauiter, & alarum percussione incendit ligna; ipsa verò igne consumitur: sicque cantillans moritur.

Ita mortuum esse non dubito Seraphicum Patrem Franciscum, de quo refert S. Bonauentura: Cùm grauissimis torqueretur totius corporis doloribus, nullum aliud fomentum habuisse, quàm, vt & ipse diuinas laudes caneret lætus, & alios canentes audiret. In quo cùm ab Helia penè obiurgaretur, quod potius præstaret extremum illud tempus lacrymis & pœnitentiæ impendere, respondit: Non licere sibi aliter facere, quod sciret se breui cum Deo fore. Nec aliter fuit mortuus Gerardus, B. Bernardi frater, de quo ipse Sermone XXVI. in Cantica, vbi miratur visum exultare hominem in *Morte*: Et Antonius Patauinus, qui hymnum Matri Magnæ concinebat moriens, vt habet in vitâ Surius. Et BBti Martinus, Dominicus, Antoninus, & Societatis IESV Religiosi aliqui, quorum felices exitus, refert ex varijs scriptoribus Antoninus Daurolcius in Catechismo Historico.

Tom III. Iunii XIII. cap. 37.

Cap. VIII. Tit. 10.

## SYMBOLVM XLII.

# MORTIS MEMORIA

## SIREN.

SIRENES secundùm fabulam tres in parte virgines fuerunt, in parte volucres, Acheloi fluminis, & Calliopes Musæ filiæ: harum vna voce, altera tibijs, alia lyra canebat: & prima iuxta Pelorum, post in Capreis insulis habitarunt. Quæ illectos suo cantu in naufragia deducebant. Secundùm veritatem Meretrices fuerunt: quæ transeuntes, quoniam deducebant ad egestatem, his fictæ sunt inferre naufragia, vt Seruius adserit, ad illud Æneidos V.

Vide Lil. Gyraldum Syntag. V. Natal. Com. Lib. VII. c. 13. Delrium Anninar. in Senec. Chor. 2. Medea

*Iamq; adeò scopulos Sirenum aduecta subibat,*
*Difficiles quondam multorumq; ossibus albos:*
*Tum rauca assiduo longè sale saxa sonabant.*

Quo

Quo loco, vt admonet Montfortius, insinuat Poeta, Sirenas scopulos fuisse in angustias contractos, quibus cùm fremitu blando illisi fluctus marini, cùm canorum quiddam resonarent, nautæ periculi securi æstui se totos permittebant. Naufragio illic facto corpora ad nudos scopulos eiecta posteà ibi computrescebant. Hoc initium fabulæ de monstris marinis, musica, blandientibus lenis. Claudian.

*Dulce malum pelago* Siren, *volucresq; puella,*
*Scyllæos inter fremitus, auidamq; Charibdim,*
*Musica saxa fretis habitabant dulcia monstra,*
*Blanda pericla maris: terror quoq; gratus in vndis.*
*Delatis licet huc incumberet aura carinis,*
*Implessentq; sinus venti de puppe ferentes.*
*Figebat vox vna ratem: nec tendere certum*
*Delectabat iter, reditus, odiumq; iuuabat:*
*Nec dolor vllus erat:* Mortem *dabat ipsa voluptas.*

Physicarum rerum Scriptores, *Sirenem* contendunt esse animal in alitum genere: inter quod & *Cygnum*, hoc aiunt esse discrimen ex Aristotele in problematis. Quod *Siren* in vita suauiter cantillet, sed mortem tristissimam gemendo obeat, contra quàm *Cygnus*: cuius discriminis hanc adsignant caussam. Quod Cygnus optimo ac subtilissimo sanguine abundet eo tempore, qui tunc cordi laboranti subuenire contẽdat, hinc dilatatio, lætitia, concentus: *Siren* verò dum viuit, bonum omnem, ac defæcatum sanguinem, pro nutrimento habeat: crassum, ac deteriorem reseruet, qui circa vitæ finem ad cor accurrit, illud cingit & obruit: hinc mœstitia, & gemitus.

Sirenes *Symbolicè* designat vitæ iucunditatibus deditos, qui meretricias sensuum consectantur delectationes, qui vitium pro virtute in vita colunt, qui volutantur in carne & sanguine, nepotuli, ventres, azoti. Hi subtilissimum sanguinem dum dies noctibus potitando & lasciuiendo iungunt, dilapidant, & quia ducunt in bonis dies suos *Memoriam Mortis* nullam in vita habent: deterrimũ autẽ sanguinem criminum ex iniquitate, quam, vt aquam bibunt quotidiè

animalium velocissimo, cuius miram incursu pernicitatem describit Plinius Lib. VIII. cap. 18. Sed verius fortasse est, quod, cum Plinio Lib. VI. cap. 27. Q. Curtio Lib IV. hist. & Strabone Lib. II. sentit Benedict. Pererius, dictum esse Tigrim à celeritate sagittæ, quæ linguâ Medorum Tigris appellatur. Sanè Hebræam vocem חדקל *Chidekel*, significare velocem & sagittam nonnulli aiunt: quod non reijcit Delrius in Genesim. At Tigrim sic dici arbitratur R. Dauid Kimhi, quod aquæ eius saporem quendam acutum reddant, vel à cursu velocissimo. Chaldaicè nominatur דגלת. *Diglath*: quo vocabulo significari scribit Iosephus, eum simul angustum, arctúmque, & velocem decurrere. Apud Danielem cap. x. appellatur fluuius magnus, illustris maxima quondam ciuitate Niniue, quàm præterfluebat.

Tobiæ VI. 1 *Profectus Tobias, mansit primâ mansione iuxta fluuium Tigris*. Quid hoc fluuio *Symbolicè* significatur? Respondet Glossator ordinarius, & interlinealis: Decursus mortalitatis. Benè: nam reuerà non est tam velox *Tigris*, siue flumen, siue fera, quàm decurrens Mortalitas. Sed quid hæc ipsa aliud est, quàm *Mors*, verè *Tigris* siue fluuiũ intelligas magnum, omnia inundantem, siue truculentam bestiam cuncta deuorantem, quæ celerrimè quotidie iter conficit.

*Quantum non celeres naues, non alituum ala.*
*Quantum non iaculum Parthi, non impetus Austri.* Hom. Odyss. H. Claud.

Ad huius autem ripas manendum Æternitatis beatæ studioso: hîc subsistẽdum, hîc memori mente hærendum. Siquidem prima mansio eius qui Angelum socium habet in viâ, vt ad patriam cœlestem perueniat, debet esse MORTIS MEMORIA. Didac. Lopez in Mensa spirit. lib. v. Mors Nu. 44.

# SYMBOLUM XLIV.

# MORTIS MEMORIA

## BASILISCI--INTERITUS.

ÆGYPTUS BASILISCUM creat, malum in terris singulare. Serpens est penè ad semipedem longitudinis alba quasi mitrula lineatus Solin. ca. XXIX. Pli. L. VIII. c. 21. Ælian. Li. II. cap. 5.

mæ credimus, quàm non arguit Ambrosius, quod satis est ad basin Symboli.

APODOS. Sunt, qui nunquam MORTEM præuidere volunt, aut curant: sed tunc videre coguntur, cum à *Morte* sunt præuenti. Hi prius videntur à *Morte*, quàm *Mortem* videant: atque idcirco à *Morte* necantur, & pereunt, tanquam prius à *Basilisco* visi, quàm *Basiliscus* ab eis. Cautiores illi, qui *Mortem* præmeditantur, hi prius vident *Mortem*, quàm videantur à *Morte*: atque ita non necantur à *Morte*, sed *Mors* ab eis, quia his non nocet *Mors*, sed prodest, cum sit ijs ad felicitatem aditus. Fran. Labata v. Mors Prop. IV.

## SYMBOLVM XLV.

# MORTIS TIMOR

## *Pædagogus, custos familiæ, Murus, Turris.*

S. Chrysostomos Homil. xv. ad Popul. Nisi bonus esset TIMOR, filijs patres Pædagogos non præponerent, non legislatores ciuitatibus vllos Magistratus. Quid gehenna grauius? Sed huius metu nihil vtilius: Gehennæ namq; timor regni nobis coronam adfert. Vbi Timor est, liuor non est. Vbi Timor est, pecuniarum amor nō vexat. Vbi Timor est, furor non est. Vbi Timor est, cupiditas correcta est, & omnis irrationalis passio exterminata. Et sicut in domo stante CVSTODE semper armato, non latro, nec alius quispiam mala patraturus propius accedere audet: sic & metu salutari (Mortis & Gehēnæ) animas nostras detinente, nulla illiberalium perturbationum facilè surrepit, sed omnes Timore pelluntur.

Neque hoc solùm est, quod ex Timore (Mortis) lucramur, sed aliud multo maius. Non n. tantummodò improbas nostras passiones expellit, sed omnem virtutem inducit. Vbi n. Timor (Mortis) est, ibi eleemosynæ studium, & orationis intentio, & lacrymæ feruentes & continuæ, & gemitus multā habentes compunctionē. Nihil n. tā peccata cōsumit, virtutē verò facit crescere, & germinare, sicut Timor: ideò qui non viuit in Timore, rectè illū agere non est facile: sicut vicissim in Timore viuētē videtur impossibile peccare. Nisi ergo bo-

esset ille Timor, non multos impendisset Christus sermones & longos de pœna, & supplicio æterno loquens. Timor igitur iste nihil aliud est, quàm MVRVS, & MONIMENTVM, & INEXPVGNABILIS TVRRIS.



# SENECA

## IN EXCERPTIS.

### *Scire mori sors prima viris.*

VNDE primum incipimus? Si tibi videtur, à *Morte*. Ab vltimo, inquis; imò, à maximo. Ad hoc præcipuè gens humana contremit: nec immeritò tibi videtur hoc facere. Ceteri timores habent aliquē post se locum: *Mors* omnia abscindit. Alia nos torquent. *Mors* omnia deuorat. Omnium, quæ horremus, ad hanc exitus spectat aliorum per circuitum. Etiam qui alioqui se nihil timere indicant, hoc timēt. Quicquid aliud extimescimus, habet, aut remedium, aut solatium. Sic ergo te forma, vt, si quis tibi palam *Mortem* minetur, omnes terriculas eius deludas.

*Morieris.* Ista hominis natura est, non pœna. *Morieris.* Hac conditione intraui, vt exirem, *Morieris.* Gentium ius est, quod acceperis, reddere. *Morieris.* Peregrinatio est vita: Multum cùm deambulaueris domum redeundum est. *Morieris.* Putabam te aliquid noui dicere. Ad hoc veni: hoc ago: huc me singuli dies adducunt. Nascenti mihi natura protinus hunc posuit terminum. Quid habeo, quod indigner. In hæc verba iuraui. *Morieris.* Stultum est timere, quod vitare non possis. Istud non effugit, etiam, qui distulit. *Morieris.* Nec primus nec vltimus. Multi me antecesserunt, omnes sequentur. *Morieris.* Hic est humani officij finis. Quis sanus exauctorari molestè tulit? Quo transit orbis, ego transibo. Ad hanc conditionem cuncta gignūtur. Quod cœpit, & desinit. *Morieris.* Nihil graue est, quod semel est. Æs alienum meum noui. Hoc quidem cum eo creditore contraxi, cui deco-

decoquere non possum: *Morieris*. Dij melius. Nemo hac re melius mortalibus minari potest.

Sed, *Decollaberis*. Quid interest, vtrum cœsim moriar, an punctim. Sed, *sæpè ferieris*, & multi in te gladij concurrent. Quid refert, quàm multa sint vulnera? Non potest amplius, quàm vnum esse mortiferum.

*Peregrè morieris*. Vndecumque ad inferos vna via est. *Peregrè morieris*. Ego, quod debeo, soluere paratus sum. Videat fœnerator vbi me appellet. *Peregrè morieris*. Nulla terra est aliena mortuo. *Peregrè morieris*. Non est grauior foris, quàm domi somnus. *Peregrè morieris*. Hoc est in patriam sine viatico peruenire.

Sed, *Iuuenis morieris*. Optimum est, antequam optes mori. *Iuuenis morieris*. Hoc vnum est, quod æquè ad iuuenem, quàm ad senem pertinet. Non citamur ex censu, nec exigitur numerus annorum. Et adolescentes, & impuberes eadem fati necessitas ducit. Optimũ est mori, cùm iuuat viuere. *Iuuenis morieris*. Quicumq; ad extremum fati sui venit, senex moritur. Non enim refert, quæ sit hominis ætas, sed quæ sit meta. *Iuuenis morieris*. Fortasse alicubi malo subducit me fortuna: si nulli alij, vel senectuti. *Iuuenis morieris*. Non refert, quot annos habeam: sed quot acceperim. Si plus viuere non possum, hæc est senectus mea.

*Insepultus iacebis*. Quid aliud respondeam, quàm illud Maronis.

——— *Facilis iactura sepulcri*.

Si nihil sentio, non pertinet ad me iactura corporis insepulti. Si sentio, omnis sepultura tormentum est. *Insepultus iacebis*.

——— *Cœlo tegitur, qui non habet vrnam*.

Quid interest, ignis me, an fera cõsumat, an tellus omnium sepultura. Istud non sentienti superuacuum est; sentienti, onus. *Insepultus iacebis*. At tu combustus: at tu obrutus: at tu inclusus: at tu putridus: at tu euisceratus, & constrictus: at traditus lapidi, qui te paullatim edat & exsiccet. Nulla est sepultura, non sepelitur, sed proijcitur. *Non sepelieris*. Quid inter tutissima trepidas. Vltra pœnarum omnium terminum iste locus est. Vitæ multa debemus, Morti nihil. Non defunctorum caussa, sed viuorum, inuenta est sepultura, vt corpora & visu, & odore fœda amouerentur. Alios terra obruit, alios flamma

Mmmmm 3 con-

consumpsit, alios lapis ossa redditurus inclusit. Non defunctis, sed nostris oculis parcimus. Denique, quid metuis? Mors exilium, luctus, dolor, non sunt supplicia, sed Tributa viuendi. Neminem illæsum fata transmittunt. Felix est, non qui alijs videtur, sed qui sibi.

# THOMAS DE KEMPIS,

## *Libro I. De Imitatione Christi cap. 23.*

## *Mortis Meditatio vtilis.*

VALDE citò erit tecum hic factum, vide aliter quomodo te habeas: hodie homo est; & cras non comparet. Cùm autem sublatus fuerit ab oculis, etiam citò transit à mente. O hebetudo, & duritia cordis humani, quod solum præsentia meditatur, & futura non magis præuidet. Sic te in omni facto & cogitatu deberes tenere, quasi hodie vel statim esses moriturus. Si bonam conscientiam haberes, non multum mortem timeres. Melius esset peccata cauere, quàm mortem fugere. Si hodie non es paratus, quomodo cras eris? Cras est dies incerta, & qui scis si crastinum habebis?

Quid prodest diu viuere, quando tàm parum emendamur? Ah longa vita semper non emendat, sed sæpè culpam magis auget. Vtinam per vnum diem, benè essemus conuersati in hoc mundo. Multi annos computant conuersionis, sed sæpè paruus est fructus emendationis. Si formidolosum est mori, forsitan periculosius erit diutius viuere. Beatus, qui horam mortis suæ semper ante oculos habet, & ad moriendum quotidie se disponit. Si vidisti aliquando hominem mori, cogita, quia & tu per eandem transibis viam.

Quum manè fuerit, puta te ad vesperum non peruenturum. Vespere autem facto, mane non audeas tibi polliceri. Semper ergo paratus esto, & taliter viue, vt nunquam te imparatum mors inueniat.

Mul-

Multi subitò & improuisè moriuntur. Nam horâ quâ non putatur filius hominis venturus est: Quando illa extrema hora venerit, multum aliter sentire incipies de tota vita tua præterita: & valdè dolebis, quod tam negligens & remissus fuisti.

Quam felix & prudens qui talis nunc nititur esse in vita, qualis optat inueniri in morte. Dabit namque magnam fiduciam, feliciter moriendi, perfectus contemptus mundi, feruens desiderium in virtutibus proficiendi, amor disciplinæ, labor pœnitentiæ, promptitudo obedientiæ, abnegatio sui, & supportatio cuiuslibet aduersitatis pro amore Christi. Multa bona potes operari, dum sanus es: sed infirmatus, nescio, quid poteris. Pauci ex infirmitate meliorantur & emendantur: sic & qui multum peregrinantur, rarò sanctificantur.

Noli confidere super amicos & proximos, nec in futurum tuam differas salutem: quia citius obliuiscentur tui homines quàm æstimas. Melius est nunc tempestiuè prouidere, & aliquid boni præmittere, quam super aliorum auxilio sperare. Si non es pro te ipso solicitus modò, quis erit pro te solicitus in futuro? Nunc tempus est valdè pretiosum. Nunc dies salutis. Nunc tempus est acceptabile. Sed proh dolor, quod hoc vtiliùs non expendis, in quo promereri vales, vnde æternaliter viuas. Veniet, quando vnum diem seu horam, pro emendatione desiderabis, & nescio, an impetrabis.

Eia charissime, de quanto periculo te poteris liberare: de quàm magno timore eripere, si modo semper timoratus fueris, & suspectus de morte. Stude nunc taliter viuere, vt in hora mortis valeas potiùs gaudere, quàm timere. Disce nunc mori mundo, vt tunc incipias viuere cum Christo. Disce nunc omnia contemnere, vt tunc possis liberè ad Christum pergere. Castiga nunc corpus tuum per pœnitentiam, vt tunc certam valeas habere confidentiam.

Ah stulte, quid cogitas te diu victurum, quum nullum diem habeas hic securum? Quàm multi decepti sunt, & insperate de corpore extracti? Quoties audisti à dicentibus, quia ille gladio cecidit, ille submersus est, ille ab alto ruens, ceruicem fregit, ille manducando obriguit, ille ludendo finem fecit. Alius igne, alius ferro, alius peste, alius latrocinio interijt: & sic omnium finis mors est, & vita hominum tanquam vmbra, subitò pertransit.

Quis

Quis memorabitur tui post mortem? Et quis orabit pro te? Age, age, nunc charissime, quicquid agere potes, quia nescis quando morieris, nescis etiam quid te post mortem sequetur. Dum tempus habes, congrega tibi diuitias immortales. Præter salutem tuam nihil cogites; solum quæ Dei, cures. Fac nunc tibi amicos, venerando Dei sanctos, & eorum actus imitando: vt cùm defeceris in hac vita illi te recipiant in æterna tabernacula.

Serua te tanquam peregrinum & hospitem super terram, ad quem nihil spectat de mundi negotiis: Serua cor liberum, & ad Deú sursum erectum, quia non habes hic manentem ciuitatem. Illuc preces & gemitus quotidianos cum lachrymis dirige vt spiritus tuus mereatur ad Dominum post Mortem feliciter transire: Dic quotidie:

*Siue mori me Christe iubes, siue viuere malis.*
*Dulce mihi tecum viuere, dulce mori.*

*S.*

*D.* *I.*

*H.* *E.* *G.*





